Digitized by Google

1907

BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario 8736
Sala Grande
Scansia 8 Palchetto 2
N.° d'ord. 15



Paul. XXIII - 40

Digitized by Google

Digitized by Google

581510 SBN

DEFENSIO
DECLARATIONIS
CONVENTŪS
CLERI GALLICANI An. 1682.
DE ECCLESIASTICÂ POTESTATE.

AUTORE

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Jacobo-Benigno Bossuet, Epiſcopo Meldenſi, cum nonnullis Notis.

TOMUS PRIMUS.

AMSTELODAMI,
SUMPTIBUS SOCIETATIS.

M. DCC. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEFENSIO
DECLARATIONIS
CONVENTÛS
CLERI GALLICANI An. 1682.
DE ECCLESIASTICÂ POTESTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ILLUSTRISSIMI ac Reverendiſſimi Jacobi Benigni Bossuet, Meldenſis Epiſcopi, opus poſthumum, *de Eccleſiaſticâ poteſtate*, à nobis ex autographis codicibus diligenter recognitum, prodit tandem in publicam lucem. Neque nos neceſſe habemus, id quod ſolent plerique Editores, & Autoris & operis laudes artificioſo labore conficere. Quippe ſatis commendatur & Autor ipſo opere, & opus nomine Autoris, quod nomen recordationem habet omni laude majorem. Quapropter ſatis habebimus quatuor hæc præfari. Primùm dicemus de *Declaratione Cleri Gallicani*, quam Meldenſis Epiſcopus ſuſceperat hoc opere defendendam: Deinde exponemus qui & quales fuerint illi Autores, qui adverſùs hanc *Declarationem* ſtylum acuerunt: Poſteà declarabimus ſcribendi hujus operis conſilium D. Benignus Bossuet quale habuerit, quam ejus formam delineaverit, quamque etiam alteram ſequi ſibi aliquandò propoſuerit; de ejus ingenio quoque, & in ſcribendo, cùm moderatione, tum libertate pauca quædam dic-

turi: Denique aperiemus quales extiterint operis edendi noſtræ curæ.

I. De Declaratione Cleri Gallicani.

Declaratio Conventûs Cleri Gallicani an. 1682. nihil affert novi dogmatis, ſed hactenus traditam ab Eccleſiâ Gallicanâ & Univerſitate Pariſienſi, de *Eccleſiaſticâ poteſtate* deque Gallicanis Libertatibus, doctrinam, perſpicuâ brevitate complectitur. Aderant in illo Conventu præcipui Galliarum Antiſtites, quos inter eminebat Meldenſis Epiſcopus, cui cùm omnes eam curam detuliſſent, ut ad certa capita Gallicanam de eâ quæſtione doctrinam revocaret, ille rem ſic perfecit, ut nihil cùm enucleatius, tum etiam in Gallicanæ doctrinæ adverſarios moderatius dici poſſet. Quapropter Declarationi ad unum omnes aſſenſerunt. Nam ſuarum Eccleſiarum doctrinam in eâ videbant, & expoſitam verè, & iis verbis temperatam, quæ Gallicanæ doctrinæ adverſarios lædere non poſſe viderentur.

Vid. Epiſt. Auxil. ad Hilar. Arelat. in vit. Hilar. per Honor. Maſſ. cap. xvij. int. oper. Leon. Mag. Edit. Queſn. T. j. p. 755.

* Vid. Cauſ. Arn. Præf. juſtif. de M. Arnauld. diſc. hiſt. & apol. T. j. p. 101. Hiſt. de la vie & des œuv. de M. Arn. Lieg. 1707. pag. 300. 360. 361.

Quippe D. BOSSUET *aures Romanorum teneriores* ne offenderet, abſtinuerat ab omni cenſurâ opinionum Ultramontanarum, &, ut eas, ſi poſſet, ſanaret, ſtylum ſuum fecerat quàm molliſſimum. Sed enim Curia Romana jampridem infenſa Gallis, qui *de Regaliâ* aliter ſtatuerant, quàm id quod ipſa ſentiebat, bellum ſibi indici rata, copias cœpit comparare, ut Clero Gallicano, doctrinæ ac probitatis famâ toti Orbi notiſſimo, quoſdam magni nominis Theologos opponeret. Quin etiam, ſi vera eſt fama, ipſum Antonium ARNAULD * Sorbonicum Doctorem, præmiis corrumpere tentavit, oblatâ nimirùm Cardinalatûs dignitate. Sed is non erat Ant. ARNAULD, qui veritatis, quam unicè colebat, ſuique honoris obliviſceretur, talive lenocinio ad tuendas falſas opiniones adduceretur.

Neque tamen Curiæ Romanæ defuere defenſores. Nam non multò poſt prodiit examen Autorum, qui aut ſpe, aut irâ ducti, præſertim verò opinionibus ipſis, quas ex Scholarum ſuarum diſciplinâ pueri imbiberant, omnes unà in Declarationem Gallicanam impetum fecerunt; quanquàm non iis inſtructi armis, quibus tanta certamina egebant; quorum tres Anteſignani, *Doctrinæ Lovanienſium* autor Anonymus, D. DUBOIS Profeſſor Lovanienſis, & Marchio DE SARRETTO * prælium primi commiſerunt: homines ad dimicandum non modò non ſatis parati, ſed ingenio & ſcientiâ prorsùs impares, qui, neque quâ viâ adverſarium ſuum ritè oppugnarent, cognitum habebant, neque verò etiam quomodò ſeipſos laceſſiti defenderent.

II. De Autoribus qui adversùs Gallicanam Declarationem ſcripſerunt.

* ſive ÇARETTO.

Vix credebat Epiſcopus Meldenſis, tum Anonymum, tum D. DUBOIS (quoniam Facultas Theologica Lovanienſis doctrinæ laude ſemper floruerat) eſſe, ut præ ſe ferebant, Doctores Lovanienſes. Itaque non deſperabat fore ut eos Facultas Lovanienſis eſſe ſuos negaret. Nam, ut ea omittamus quæ ab iſtis duobus fuerunt in Clerum Gallicanum protervè & intemperanter dicta, nihil aliud fecit Anonymus quàm priſcorum Lovanienſium ſententias, à ſe parùm intellectas, ſatis confusè colligere, quibus Summorum Pontificum nunc *ſuperioritatem*, nunc *infallibilitatem* tueri ſe poſſe confideret. Sed commilito ejus D. DUBOIS, Theologus acer, idemque levis, tam ſæpè tamque turpiter allucinatur, ut facilè crederes ejus opera fuiſſe ab adverſario quodam, qui eum rideri vellet, ſub ejus nomine confecta, niſi ipſe ſe eorum operum Autorem profiteretur: neque Antonio ARNAULD † aſſentiri non poſſis eum ho-

Anonymus Lovanienſis.

D. DUBOIS.

† Lett. de M. Arn. ccclxvij. T. v. p. 149.

minem vocanti, ut *contumelioſum*, ita *ridiculum ſcriptorem:* UN RIDICULE ET OUTRAGEUX ECRIVAIN.

Marchio DE SARRETTO. Sed de Marchione DE SARETTO quid cenſebimus, qui nihil non iracundè ſcribat, qui jubeat *comburi* Epiſcopos Gallicanæ Declarationis Autores, fautores, approbatores? Quiſquis unam aut alteram *Antigraphi* ejus paginam legerit, ſtatim intelliget ab Equite illo Romano Theologiam ne primoribus quidem labris fuiſſe deguſtatam, qui etiam Latinæ linguæ rudimenta vix didicerat.

Quare nemo anxiè quæſiverit quid de talibus Autoribus tandem factum fuerit. Illi enim, vix paucis noti literatis, nullam gloriæ partem adepti ſunt, ne eam quidem quam ſibi quidam peperere, cùm magnos viros laceſſiverunt, ut ſibi famam qualemcumque colligerent. Nam eorum libri in Bibliothecarum quibuſdam angulis hactenus jacent & ignobiliter deliteſcunt; ut non mirum ſit Anton. ARNAULD de Curiæ Romanæ ſorte ſic deplorâſſe: *Les Romains ſont bien à plaindre, s'ils ſe croient bien défendus par les ſieurs* DUBOIS & CEVOLI (hic CEVOLI ipſe eſt Marchio DE SARETTO) *pour moi ce me ſeroit un préjugé qu'une cauſe ſeroit mauvaiſe, en voyant qu'on l'auroit miſe en de telles mains.* Vide quæ nos de illis Autoribus annotavimus in *Append. lib. I. not.* (*m*) & *lib. II. not.* (*y*)

Let. ccxxj. tom. iij. p. 408. 409.

Sed ſi quis, eâ, quâ par eſt, obſervantiâ ſacrum Epiſcoporum Ordinem colit, is non poterit non dolere, turbæ tam contemptæ ſe addidiſſe D. ZELEPECHIMI Strigonienſem Archiepiſcopum & Hungariæ Primatem. Quippe ille, opinionibus Ultramontanis plenus, proſilit in medium, cenſurâ configens Gallicanam Declarationem, quam vocat *erroneam*, *peſtiferam* & *ſchiſmati-*

D. ZELEPECHIMI.

cam; tanquàm exiſtimaret cenſuram ſuam eò fore graviorem, quò eſſet acrior & amarior. At vetus proverbium eſt : *Qui nimis probat, nihil probat.* Itaque eum Archiepiſcopum ſpreverunt omnes immodicè ſævientem : imò ejus cenſuram adverſâ cenſurâ confixit Theologica Facultas Pariſienſis; neque perfecit Jeſuita GONZALEZ, ille qui Strigonienſibus nugis & injuriis pondus addere conabatur, ut non eam Archiepiſcopi cenſuram deleverit ſempiterna oblivio.

Nondum ventum erat ad verum certamen; neque enim hoſtem cominùs adoriebantur illi, quos ſuprà nominavimus; ſed tantummodò inſanis clamoribus, barbarorum more, terrorem injicere velle videbantur; quorum clamoribus auditis, ne ſe commoviſſent quidem Patres Gallicani, niſi alii quidam, qui re & nomine Theologi dici poſſent, in certamen deſcendiſſent.

Venit primus Emmanuel SCHELSTRATUS, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, armis accinctus ad pompam magis fulgentibus, quàm ad decertandum compoſitis. Ille pervetuſtos quoſdam Concilii Conſtantienſis manuſcriptos codices, toti Orbi hactenùs ignotos, promit ex neſcio quâ Bibliothecâ, ubi dudum latuerant, quibus probare ſe poſſe putat, decreta Conſtantienſia Seſſionum IV. & V. quæ fundamenti loco ponuntur in Declaratione Gallicanâ, fuiſſe pridem à Patribus Baſileenſibus adulterata. Gravem profectò accuſationem, ſed temerariam & falſam, quam diluebat ipſa Baſileenſium nota probitas & integritas. Neque verò Manuſcriptorum quatuor Schelſtratianorum autoritas erat talis, ut labefactare poſſet multò plurium Conſtantienſis Concilii codicum, quos Europæ Bibliothecæ aſſervant, autoritatem. Sed quoniam SCHELSTRATUS mirâ confidentiâ co-

EMMANUEL SCHELSTRATUS.

dices ſuos objiciebat, ex quibus urgebat excuſos omnes codices mancos eſſe & adulteratos, neceſſe videbatur accuſationem novam, & eam quæ fucum facere poſſet, confutare. Ergò eam confutat Libro V. Meldenſis Epiſcopus, & omnem eam rem perſequitur eâ brevitate ac perſpicuitate, ut eum diceres totâ in vitâ nihil aliud feciſſe, quàm codices adire, excutere, conferre, ſecernere veros à falſis. Jam quidem Schelſtratianas argutias Anton. ARNAULD ſatis refutârat; ſed D. BOSSUET illo preſſior, firmioribus etiam ac locupletioribus argumentis SCHELSTRATUM exagitat, multis quoque additis, quæ Anton. ARNAULD non attigerat: uno verbo D. BOSSUET unus rem conficit.

SCHELSTRATUS prætereà Œcumenicum fuiſſe negat Concilium Conſtantienſe, tum cùm Seſſiones IV. & V. celebrabantur. Sed in eâ quæſtione nihil ſuum profert; tantùm iterat argumenta *Bellarmini* & Odorici *Rainaldi.* Itaque eum habemus unà cum illis Diſſ. præv. & Lib. V. & VI. confutatum.

D. CHARLAS. Intereà dum SCHELSTRATUS inani operâ deſudabat, & Œcumenici Concilii Conſtantienſis decreta irritis aſſultibus convellere nitebatur, duo proſilierunt, D. CHARLAS & Jeſuita GONZALEZ, ipſo SCHELSTRATO in ſcholaſticis concertationibus exercitatiores. Erat D. CHARLAS Gallus Preſbyter, qui, occaſione quæſtionis *de Regaliâ*, Romam profugus, ibi ediderat Tractatum inſidiosè & fallaciter inſcriptum: *De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ;* in quo Tractatu, vir omnium ſubtiliſſimus, Gallicanam Declarationem eo argumento impugnabat, quòd omnium ſæculorum Traditioni, ut ipſe affirmabat, penitùs repugnaret.* Nos verò dolemus cum Meldenſi Epiſcopo, à viro non mediocriter docto ſuſcep-

* Vid. de D. Charl. Diſſ. præv. libr. iv. v. vj. x. xj. & Corol. paſſ.

tam fuiſſe eam cauſam, quæ defendi, niſi malis artibus, non poſſet. Et quidem *in quæſtione malè conſtituendâ ubique multa & graviter peccat:* quin etiam *ab univerſo quæſtionis ſtatu aberrat*, ſive quæſtiones infideliter tractârit, ſive de iis à ſe non ſatis intellectis temerè & inconſideratè cum Clero Gallicano diſſerere auſus fuerit. Hinc ab illo, ut ſæpè obſervat D. BOSSUET, *ſumma ipſa rei omittitur, aliena copioſiſſimè pertractantur*, neque ille *alia ferè ſectatur quàm vana & extra rem;* ita ut operis non exigui, *poſt promiſſam tanto hiatu amplam Declarationis diſcuſſionem, vix tertia pars ad eam confutandam collimârit;* hinc *tot vera falſis, tot certa dubiis miſcet:* hinc *non tam argumentatur, quàm lites movet, & cavillationibus atque inanibus quæſtionibus* Clerum Gallicanum *vexat.* Omitto quòd *infenſo ſemper & amarulento animo dira & abominanda in Gallicanos Antiſtites jacit.* Nempè is homo, *qui amiciſſimus & erga Epiſcopalem ordinem obſequentiſſimus* credi velit, *hoſtilem animum ubique prodit*, &, *Gallicanos Epiſcopos, ſub reverentiæ ſpecie, irriſos & invidioſiſſimè traductos inceſſit calumniis.* Denique ipſe ſui tam immodicus, quàm *inverecundus laudator, de tripode ſemper pronuntiat*, rem omnem peragit, aut *rationibus è proprio cerebro ductis*, aut autoritatibus, quas *quidem congerit multas, ſed plerùmque vel perperàm, vel extra rem allegatas, vel quas ipſe mutilat;* ut nemini dubium eſſe poſſit, quin ille fucum facere voluerit imperitis, & vanâ eruditione ſpecioſiſque ſermonibus Romanorum aures permulcere.

Doctos & attentos lectores non fallit eruditionis falſa & inanis ſpecies, quâ ſe circum veſtire amant neoterici quidam ſcriptores, qui nos, quâcumque de re diſputent, veterum teſtimoniis obruunt, quæ expendere ple-

rique lectores cùm non poſſint, facilè ſibi perſuadent talium Autorum doctrinas, eas quoque quas Theologia recens nuper invexit, ab ultimâ antiquitate eſſe repetitas. Atqui D. CHARLAS is mos eſt perpetuus. Ille enim, ſi quæſtio conſtituitur de Papæ ſupremo dominatu, apud Concilia & apud ſanctos Patres diligenter ea conquirit, quibus Papæ Primatus, qui Primatus non agitur, validiſſimè comprobetur: ſi de Pontificiâ infallibilitate controverſia movetur, exſcribit eos locos, in quibus Concilia ſanctique Patres, etſi infallibilitatem non nôrunt, de primâ ſede magnificè ac reverenter ſe ſentire profeſſi ſunt. Talem diſputandi modum quicumque adhibent, illis non eſt difficile habere ſanctos Patres ſic tanquam errorum ſuorum ſuffragatores. Sed quàm facile eſt videre eos ingenio ſuo nequiter abuti, & fidem publicam religionemque ipſam violare? Atqui tamen ſic fecit BELLARMINUS, & ſi quos alios Gallicana doctrina nacta eſt adverſarios; quos præjudicatæ opiniones ſic excæcant, ut in ſanctorum Patrum dictis id ſibi videre videantur, quod videre cupiant, ſanctorumque adeò Patrum decreta ad ſuas opiniones trahant, cùm ſanctorum Patrum decretis ſua metiri debuiſſent; ut, quanquam ingenii laudem conſequuntur, non propterea non ſint doctrinæ ſanctorum Patrum rudes & ignari. Nam quî poſſis ſanctorum Patrum veras aſſequi ſententias, cùm eos legas, non ſtudio intelligendi, ſed libidine litigandi; ut, cùm ambigua quædam verba repereris, de illis moveas controverſiam, & rerum apud eos tractatarum ſerie neglectâ, in quâ fulget veritas, id avidè arripias, quod ad tuam opinionem detorquere poſſis? Quàm rectè igitur D. BOSSUET de talibus Autoribus ſic ſtatuebat: *Peu attentifs aux principes, (ils) ſont*

Diſſertat. ſur Grot. p. 121. 122.

ſont plus curieux de citer beaucoup que de peſer les paſſages dans une juſte balance. C'eſt le ſort de ceux qui demeurent contens d'eux-mêmes, quand ils croyent avoir bien montré qu'ils ont tout lû & qu'ils ſavent tout.

Thyrſus GONZALEZ Societatis Jeſu Præpoſitus generalis, perversâ *probabilitatis* doctrinâ egregiè confutatâ nobilis, credidit in Gallicanâ Declaratione ſe habiturum undè novos ſibi triumphos faceret. Quàm diſpares verò eos triumphos! Prodigio ſimile viſum eſt ab tanto viro tam levis armaturæ opus fuiſſe compoſitum. Armaturæ autem levitatem dabat, non ingenii mediocritas, ſed cauſæ infirmitas. Etenim error in quâcumque causâ vitium inſanabile eſt, cui nullum ingenium, nulla ars, nulla doctrina, nulla ſcribendi exercitatio mederi poſſit; & veritati neceſſe eſt aliquandò cedere omnia. Librum R. P. GONZALEZ quàm levis eſſet, viderunt ipſi Romani Doctores Summuſque Pontifex. Ex quo libro, ſi tollerentur paginæ oppletæ locis communibus, non quidem ineruditis, ſed inutilibus, quas omnes Autor à BELLARMINO mutuatus eſt; ſi plurima argumenta, quæ quò ſubtiliora, eò abſurdiora ſunt, & plerùmque aut res controverſas non tangunt, aut etiam, velit nolit GONZALEZ, Gallicanæ doctrinæ favent; ſi denique illa errorum monſtra, quæ falsò attribuit Gallicanis Præſulibus, eum tu librum, quantus quantus eſt, illicò videas eſſe *librum triginta paginarum.* Vide quæ diximus de R. P. GONZALE *lib. V. not. (e)* THYRSUS GONZALEZ.

Dum CHARLAS & GONZALEZ Declarationem Romæ oppugnabant, DAGUIRREUS Monachus Benedictinus, vir cum paucis tam doctrinæ quàm pietatis laude comparandus, Salmanticæ edebat volumen immenſum, quo Declarationis doctrinam à ſe everſum iri ſperabat, CARDINALIS DAGUIRREUS.

Erat opus feſtinationis plenum, in quo DAGUIRREUS quid Gallicani Epiſcopi dicerent, quid ipſe dicere vellet, & quomodò id probaret, vix attendebat; unoque tempore lectoribus ſuis in ſeipſo illuſtre exemplum dabat, quàm altè inhæreant nobiſcum natæ & adultæ opiniones. Nempè earum opinionum, quas, ut & cæteri Hiſpani, quaſi cum lacte ſuxerat, æſtu abreptus, nihil ſedatè, nihil tranquillè de Gallicanâ doctrinâ loquebatur; &, quod mirere, is vir in quo erat mirus candor & ſumma integritas, tamen Clerum Gallicanum nunquàm non falsò accuſabat, eique affingebat errores, quos Galli omnes deteſtabantur; ſic ut Gallicanam doctrinam à DAGUIRREO tot modis deformatam Epiſcopi noſtri, qui ejus librum legebant, recognoſcere non jam poſſent. Quin etiam Epiſcopos Gallicanos Monachus Hiſpanus hortabatur, admonebat, increpabat & conteſtabatur, ut ad meliorem ſe frugem reciperent, ne Traditionis ſemitas deſerere pergerent, neve ſanctorum Patrum de Eccleſiaſticâ poteſtate doctrinam ampliùs oppugnare & convellere auderent. Quàm decenter hæc, Monachus ad Epiſcopos, & quàm verè. Vide ſi juvat. *Lib. V. not.* (*a*)

Cæterùm Curia Romana non reliquit ſine mercede Monachum DAGUIRREUM. Nam quam purpuram Antonio ARNAULD deſtinatam fuiſſe ferebatur, eâ induit defenſorem ſuum DAGUIRREUM; quam quidem purpuram omnes optâſſent non tali operi, ſed ipſi viro, qui omni honore dignus eſſet, fuiſſe attributam. Jam enim de Eccleſiâ optimè meritus fuerat DAGUIRREUS, neque porrò deſtitit factus Cardinalis, multis nempè libris editis, qui hominem demonſtrant cùm veri & recti tenacem, tum in Criticâ non parùm exer-

citatum. Fuit ille deinceps omnium literatorum communis Mæcenas, & boni cujuſque patronus & defenſor.

Cæleſtinus SFONDRATUS ex eodem ſodalitio Monachus, & apud Helvetios Monaſterii San-Gallenſis Abbas, is qui tum famoſus, famoſior deinde factus eſt, edito pernicioſo illo libro, cui titulum fecit: *Nodus prædeſtinationis diſſolutus*, eâdem quoque viâ purpuram adeptus eſt. Ille enim poſteaquàm *de Regaliâ*, deque Romani Pontificis ſupremo dominatu tam prolixè quàm intemperanter ſcripſerat, ſtylum ſuum in Gallicanam Declarationem exacuit in longiſſimis illis diſſertationibus, quas nos alibi ſummatim deſcripſimus. *Vid. diſſert. præv. not.(d)* CARDINALIS SFRONDATUS.

Eodem fere tempore, Joannes-Thomas ROCCABERTUS ex Dominicanorum familiâ, Archiepiſcopus Valentinus, ipſo CHARLAS, ipſo CEVOLI immitior, Epiſcopos Gallicanos non tam oppugnabat, quàm immenſâ voluminum mole veluti obruebat. Neque verò exiſtimes tam amplum opus aliquâ ſaltem rerum ſerie ac perſpicuitate commendari. Namque ROCCABERTUS tam confuſus ſcriptor, quàm fraudulentus diſquiſitor, & acerbus conviciator, momenta cauſæ ſuæ ponderabat non rationibus, ſed maledictis, quibus noſtros Epiſcopos perpetuò inſectabatur, ubique crepans *anathemata*, *orcum*, *tartara*, & alia feralia verba, *ſatque proſtratos adverſarios* exiſtimans, *ſi eos tetris vocibus tanquàm pueros territaret.* Itaque non immeritò Meldenſis Epiſcopus ſolito vehementiùs queritur de illo Autore, quòd non eâ moderatione quâ decuerat Epiſcopum, controverſias tractaret, ſed tanquàm exitiale bellum gereret; perindè quaſi conviciari idem ſit ac ratiocinari. Tales D. ROCCABERTUS. Diſſert. præv. n. v.

Digitized by Google

Autores, qui animos expugnare ſe poſſe his malis artibus putant, *Thuanus*, olim ſic commemorabat: *Hodie in diſſertationibus à moderatione verborum, quæ ubique ſervanda eſt, ad jurgia & convicia per contentionem ferè deſcenditur; quæ homines malè feriati & ſuo aliorumque otio abutentes, ſcriptis mandare minime dubitant, famam, cùm benefactis nequeant, ex maledictis ſaltem aucupantes.* Ejuſmodi homines, quos præterita ſæcula non paucos tulerunt, noſtra ætas parturit non minùs multos, qui quos ad obſequium cogere non poſſint, tyrannorum more opprimant; controverſiæ cauſas non dirimant, ſed gignant jurgia; veritatem non illuſtrent, ſed obſcurent. Eos Autores operæ pretium eſt ab Epiſcopi Meldenſis exemplo docere, quonam modo in controverſiis Eccleſiaſticis verſari Theologos oporteat.

Thuan. Hiſt. lib. cxxxv. T. vj. Edit. Lond. p. 347.

III. D. Bossuet ingenium: ejus in ſcribendo illo opere cõſiliũ: forma quam delineavit, &c.

Ille igitur cùm ferret graviſſimè ortas eſſe ex eâ Declaratione, quæ omnium animos conjungere debuiſſet, maximas per Orbem Chriſtianum contentiones; propterea quòd clariſſimam ejus lucem infirmiores quorumdam Theologorum oculi ferre non poſſent, illud apud ſe reputavit: adhibenda eſſe ejuſmodi remedia, quæ quantò leniora, tantò ad mitigandos animos ſalubriora eſſent. Quippe, inquiebat, cur Gallicanam doctrinam exteri multi Theologi averſentur, cauſa eſt, non tam contumacia & ſuperbia, quàm rei diſputatæ inſolentia & dogmatum noſtrorum ignorantia. Et quoniam videbat Romanorum de Papæ autoritate falſas opiniones, non modò cum Romanis ingeniis eſſe natas, ſed etiam aliquod fundamentum habere in ipsâ veritate, quanquàm malè intellectâ, non poterat non ſentire quantæ molis eſſet opiniones tales revellere ex animis

hominum Romanorum. Itaque judicabat opus eſſe eo defenſore, in quo cum plurimâ ſcientiâ & cum multâ diſſerendi arte conjuncta eſſet ſumma moderatio: eo, inquam, qui rem tractatam cùm verè ac dilucidè diſputaret, tum etiam lenioribus verbis emolliret id, quod veritatis expertibus durum & aſperum videri poſſet; qui convicia toleranter atque humanè ferret; qui mendacia veritate ulciſceretur, non injurias injuriis; qui ſic in totâ controverſiâ ſe gereret, ut fratrem decet cum fratribus infirmis, non ut cum apertis inimicis, quoniam veritatem vincere, non ſeipſum vellet; qui denique modeſtiam talem cùm adhiberet, nihilominùs exereret vires omnes veritatis, invictèque defenderet Gallicanæ Declarationis capita id docere tantùm, *quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus creditum eſt;* opiniones verò Ultramontanas nuper invectas, ut novas eſſe, ita & falſas.

Vinc. Lirin. Cõm. j. cap. iij. Bibl. SS. Pat. tom. vij. pag. 250.

Illud autem Meldenſis Epiſcopus, quod cæteri Epiſcopi optimè videbant, ipſe non videbat, ſe unum eum eſſe qui tali operi non eſſet impar. Nempè erat in Epiſcopo Meldenſi ingenii ac doctrinæ mirifica indoles: erat animus patiens laboris ſtudiorumque mirè tenax: erat in diſcutiendo ſumma diligentia, in enodando ſolertia, in explanando perſpicuitas. Adde eum fuiſſe, ſi quis unquam fuit, maximè æquabilem & temperatum, in tolerandis aliorum vitiis leniſſimum, in condonandis facillimum. Sed tantam operis molem cur detrectaret, cauſæ multæ erant. Quippe ei cura incumbebat regendæ Meldenſis Diœceſis; erat defendenda adversùs Proteſtantes Eccleſiæ cauſa; præterea reſpondendum multis conſultationibus, quæ ad ipſum, tanquam ad Gallicanæ Eccleſiæ commune oraculum, undequaque mitteban-

tur. Itaque occupatior videbatur, quàm oporteret eſſe eum qui tale opus aggrederetur. Verumtamen Galli noſtri non ignorabant, ut nullus eum labor defatigabat, utque jamdudum ſolebat à labore recreari ac refici alio labore; neque deſperabant fore ut unus poſſet id perficere, quod multi ipſi impares, junctis etiam viribus, vix poſſent. Ergò boni omnes unâ voce poſtulârunt ut D. Benig. BOSSUET Gallicanæ doctrinæ Advocatus & Gallicanarum Libertatum defenſor conſtitueretur.

Ipſe Ludovicus XIV. qui inter cæteras multas virtutes, admirabili quâdam ſagacitate perſentiebat quid ingenia valerent, exiſtimavit Meldenſem Epiſcopum eum eſſe, quo defenſore Clerus Gallicanus indigeret, ut collectam à Majoribus & hactenùs conſervatam doctrinæ & pietatis famam tueretur.

Inſt. paſt. de M. de Troyes du 30. Sept. 1729. art. xliij. p. 37. Ergò eum juſſit Ludovicus Magnus Cleri Gallicani patrocinium ſuſcipere: *Cet illuſtre Evêque*, inquit Trecenſis Epiſcopus, alter Jacobus Benignus BOSSUET magni Meldenſis Epiſcopi Fratris filius, *entreprit par ordre exprès du feu Roi Louis XIV. de glorieuſe mémoire, la défenſe de* LA DECLARATION DU CLERGE' DE FRANCE DE 1682. *dont nous avons remis nous-mêmes un exemplaire entre les mains de ce grand Roi. Cet Ouvrage que l'Auteur a revû plus d'une fois, & peu de tems avant ſa mort, doit être regardé comme un des plus précieux monumens de ſa profonde érudition, de ſa ſageſſe, de ſa modération, & de ſa piété, de ſon attachement à la Chaire de S. Pierre & à l'unité, & de ſon amour pour l'Egliſe, pour la vérité & pour la paix. C'eſt ce qui le rend d'autant plus digne de voir le jour, & ce qui nous fait eſpérer qu'on ne le refuſera pas plus long-tems aux vœux de toutes les perſonnes qui aiment véritablement l'Egliſe & l'Etat.*

Digitized by Google

Hæc breviter Trecenſis Epiſcopus de Meldenſis Epiſcopi Tractatu. Ille, ut juſſus erat, nullâ morâ interpoſitâ, operi incubuit, ne Ludovici Magni ſummæ de ſe expectationi non reſponderet.

Is porrò erat D. BOSSUET, qui, cum cæteris Galliæ ſcriptoribus præſtaret dicendi ubertate & copiâ, tum nullum in eâ arte haberet parem, quâ arte quidquid tractabat, in eo imprimebat veſtigia quædam & roboris & majeſtatis, atque etiam conjunctæ cum majeſtate amœnitatis. Quippe ſcribebat nullo apparatu, planè ac dilucidè; erat ſententiarum placidus leniſque curſus, & orationis non fucatæ naturalis nitor, quo celabatur ſcribentis induſtria & operoſa concinnitas. Et quidem in ejus libris tam apta ſunt verba rebus & res verbis, ut crederes omnia ex ſeſe, nullo Autoris labore, in ſuum locum proſiliiſſe. Tamen, id quod mirere, hunc Tractatum ſuum multis lituris, propriâ manu factis emendavit, ſuo exemplo docens, non ſatis eſſe operi abſolvendo ingenium & doctrinam, niſi accedat ea ultima diligentia, in quâ Autor, ſui ipſius cenſor caſtigatorque, ea omnia accuratè retractet, quæ ſibi medio in meditationis æſtu & ſcribendi celeritate exciderunt. D. Boſſuet diligentia.

Eò autem minùs primis ille operum ſuorum curis indulgebat, quò acutiùs bonum à meliori ſecernebat. Itaque ejus ſummi judicii laus erat, quòd abundantiam ſuam primam plurimâ liturâ coerceret; cùm contra ſignum ſit mediocris judicii lituras neſcire, & ſchedas malè natas nec politas mittere ad Typographos. Nam ut exigui ingenii eſt ſibi plus æquo confidere, ita ingenii excellentis, animadvertere ſæpè in ſeipſum, & opus ſuum incudi reddere.

Hunc verò ſuum Tractatum Meldenſis Epiſcopus ſæ-

Digitized by Google

piùs retractans, hoc tandem perfecit, ut aſſequeretur argumentandi & gravitatem & perſpicuitatem, & ut, ſi fortè brevis eſt, non ſit obſcurus; ſi diſputando acer, non nimius; ſi elegans, non fucatus; ſi denique abundans, non redundans nec confuſus.

Porrò D. BOSSUET, qui nullum opus, niſi priùs à ſe diligenter recognitum, publici juris eſſe voluit, in illo, de quo tractamus, caſtigando, majorem adhibendam eſſe diligentiam intellexit; tum quòd cauſæ gravitas id poſtulabat, tum etiam quòd arduum erat, in Traditione omnium ſæculorum ſæpiùs peragrandâ, de rectâ viâ nunquam deflectere.

Ejus eruditio.

Miraculo ſimile eſt tantam tamque multiplicem eruditionem in eo Epiſcopo fuiſſe, quem tot negotia, totque varia munia à ſtudio ſæpè avocabant & abſtrahebant, ut legere ille non curſim, ſed accuratè infinitos libros potuerit, quorum non pauci nomine tantùm multis literatis noti ſunt, vel iis, quorum una cura eſt libros legere ac evolvere.

Bell. de Script. Eccleſ. an. 1446.

Alphonſum *Toſtatum* Abulenſem Epiſcopum multâ ſcientiâ conſpicuum *Bellarminus* admirans exclamabat: *Hic eſt ſtupor Mundi.* Quantùm igitur idem obſtupuiſſet in doctrinâ plurimâ Epiſcopi Meldenſis, cui Sancti Patres, cui Concilia, cui Hiſtorici, Scholaſtici, Autores tam ſacri quàm profani æquè noti eſſent; qui omnia ſæcula ſic mente complecteretur, ut in unoquoque vixiſſe eum credas; qui varia ſcientiarum genera, quorum unum apud poſteros non mediocriter poſſet commendare, ita calleret, quaſi animum ſuum totum ad unum genus unicè contuliſſet. Nempè vir ſtudioſiſſimus & doctrinæ cupidiſſimus omnia intervalla negotiorum ad ſtudium conferebat; cùmque ipſi ineſſet ingenii vis maxima & optima

tima memoria, res difficiliores ſtatim aſſequebatur, & quod ſemel didicerat, nunquam dediſcebat.

His tantis ſtudiorum naturæque ſubſidiis adjutus D. B. BOSSUET habuit comprehenſam & cognitam penes ſe totam antiquitatem, quam tu, illo duce, obire tutò poſſis; quia eam ille quandiù vixit peragravit; imò in eâ vitæ ſuæ dies totos commorabatur.

Ejus brevitas & concinnitas.

Enimverò plena eſt ſummæ eruditionis Gallicanæ Declarationis iſta *defenſio*, quæ tot abundat exemplis ex antiquitate petitis, ut ſolæ Autorum & librorum allegationes volumen non exiguum implerent; in quibus tamen allegationibus nullam videas glorioſam oſtentationem; quia nihil, niſi opportunè & in loco, allegatum; ut appareat adverſariorum ejus Theologiam turgidam eſſe & inflatam, ejus ſanam & ſucci plenam, alteram curioſam & contentioſam, alteram brevem, ſobriam & accuratam. Et quidem tantâ cautione ab iis abſtinebat, quæ eſſent inutilia, ut vix credibile ſit tam breviter allegari ab eo potuiſſe omnem Traditionis ſeriem, pro Gallorum doctrinâ de tot capitibus contra eorum adverſarios teſtificantem. Quòd ſi quis propter molem hujus voluminis dubitabit brevem fuiſſe in eo componendo Epiſcopum Meldenſem, dubitationem omnem tollet, tum rerum tractatarum infinita multitudo, tum adverſariorum, ut infinitæ, ita argutæ ſophiſticâ ſubtilitate difficultates, quas explicare & confutare oportebat. Prætereà, ut ait præclarè Auguſtinus, *Fit neceſſitas copioſiùs dicendi plerùmque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quemadmodùm tangendas palpantibus & conniventibus offeramus.*

Aug. de civ. lib. ij. cap. j. T. vij. Ben. p. 31.

Ejus moderatio.

Diximus de Epiſcopi Meldenſis magno ingenio, mirificâ doctrinâ & ſummâ concinnitate; nunc breviter

dicendum de ejus bonâ mente & magnâ indole manſuetudinis & humanitatis. Nam quis non miretur ejus patientiam & moderationem, cùm eum animadvertat adverſarios habere eos homines, qui diſputandi & conviciandi nullum modum tenebant; qui Gallicanam Declarationem non tam impugnabant, quàm Gallicanos Præſules atrociter laceſſebant. Poterat nullo labore eos furioſos proponere omnium virorum doctorum irriſioni ac contemptui, qui non minùs abſurdis quàm falſis de Papæ dominatu & infallibilitate doctrinis, ejus veram poteſtatem, & in docendo autoritatem labefactabant, Eccleſiæque ipſius ſtatum & antiquum ordinem convulſum ibant. Tamen eam ſemper adhibuit à magnitudine animi ductam moderationem & humanitatem, ut eorum vitia plerumque ſilentio premeret, eorum virtutes, ſi quæ fortè erant, magnificè prædicaret. Quapropter ſæpè eum videas *Bellarmini*, *Odorici Rainaldi*, *Jacobatii*, *Palavicini*, & aliorum, qui Ultramontanarum opinionum, ut nimii, ſic improvidi defenſores fuerunt, laudes celebrantem. Quoties verò honorificè appellat, non modò DAGUIRREUM, GONZALEM, SCHELSTRATUM, SFONDRATUM, ſed ipſos etiam DUBOIS, CHARLAS & ROCCABERTUM, qui, propter ſuam proterviam & maledicendi libidinem, omni indulgentiâ indigni videri potuiſſent. Quòd ſi eum cauſæ ſuæ & juſtæ defenſionis neceſſitas eò adigit, ut talium Autorum impotentiam caſtiget & errores redarguat, tum eum videmus facere invitè ut perſonam gerat reprehenſoris; itaque verbis lenioribus objurgationem ſuam temperare, aliquandò ſuos admonere lectores, improvidè, non conſultò falſa dogmata imbibiſſe noſtræ doctrinæ adverſarios, & cùm fundamenta errorum jacerent, non ſatis animadver-

tiſſe quid ex quo ſequeretur ; cujuſmodi reprehenſione adversùs homines tales, nihil erat mitius & temperatius. Utinam verò, eo exemplo duce, Eccleſiaſticæ controverſiæ ſic tractarentur, ut veritas, amotis partium ſtudiis, quibus obſcuratur, emergeret tandem & in clariſſimâ luce verſaretur.

Neque enim exiſtimandum Theologicas concertationes propterea languere, quia tenetur in diſputando modus. Quippe habet ſuos nervos ſapiens & ratione temperata diſputatio. Et famæ ipſorum ſuæ illi Autores malè ſanè conſulunt, qui ne ſua ſcripta langueant, adverſarios ſuos dicteriis & maledictis inſectantur. Nam quàm indignum Theologi gravitate non ſibi temperare, non abſtinere ab injuriis inferendis ; perinde quaſi errores tu confutare non poſſis, niſi etiam fueris in reprehendendo aſper, in provocando irâ impotens. Eſt amica veritas charitatis : non vult defendi ſine charitate veritas : adhibet veritas charitatis aculeos, non diſtrictos partium infenſarum gladios ; pungit leviter, non lethale vulnus infert ; non vi & impetu fertur ; non ingeminat ictus ; non vulnerat, niſi ad ſanandum ; vulnera lenit mitigationibus, oleum infundens ; increpans ut eripiat errores, non ut famæ noceat ; ulcera ſanans, non animos exulcerans ; amari cupiens, non dominari.

Tales diſputandi leges ſequebatur Epiſcopus Meldenſis, à quibus mirum quantùm abfuêre hodierni quidam Theologi, quos ſcribere iracundè paginæ ipſorum ſingulæ docent, & injurias potiùs ſuas ulciſci, quàm pro veritate certare. Nam quid eos cenſemus, quos ſæpè videmus adverſariorum ſuorum dicta in pejorem partem interpretari, errores affingere, qui ex eorum ſcriptis non ſequantur, eorum peccata, ſi qua deprehendunt, exag-

gerare, nihil ſani apud eorum ſcripta reperire?

August. ſerm. ccclviij. n. 1. tom. V. p. 1391. Præclarè Auguſtinus: *Non vincit niſi veritas: victoria veritatis eſt charitas.* Quicumque igitur artibus iis, quas ira & maledicendi libido ſubminiſtrant, veritatem defendi poſſe putant, exquiſitos quos habent cibos malè condiunt, cauſam debilitant ſuam, & amittunt omnem fidem. Cavent enim Lectores ab iis Autoribus qui timeri volunt; nec non apud eos ſuſpicio movetur, tales homines ſecuritatem & arrogantiam affectare, ne afflicta ipſorum ac deſperata cauſa videatur, ut ille apud Poetam *miles glorioſus*, qui quantò erat ignavior, tantò erat verbis jactantior. Nonne decuerat, quomodò amicitiam nòn diſſolvunt amicorum concertationes, ſic inter Catholicos amicè tractari controverſias?

Sed neque tu credas, quia controverſiæ amicè tractantur, imminui veritatis vires. Nam contra eſt; & veritas in mentes hominum quàm ſe leniter inſinuat, tam facilè medetur erroribus. Nolumus enim moderatione elevari veritatem, ſed eam diſputari conſideratè ac humanè, ne tu adverſarios tuos, dum ſtylo uteris acerbiori, facias in defendendo errore contumaciores. Et maledicendi libido aperit Autoris moroſitatem, non diſputandi induſtriam; obſcurat, non illuſtrat cauſæ bonitatem; ut ſæpè fructus ex opere bono nullus percipiatur. Ergò magnopere mirandum, Autores eos, qui nunquam non iracundè ſcribant, ſuos tamen habere lectores, imò etiam ſuos, quod maximè dolemus, approbatores.

Quàm longè abeſſet ab tali maledicendi prurigine Epiſcopus Meldenſis ne unus quidem Cleri Gallicani *defenſionis* Lector non judicabit. Cujus exemplo reſipiſcere deberent benè multi hodierni Theologi,

qui nunc etiam intra Eccleſiæ Catholicæ ipſa ſepta, contentione tantâ animorum decertant, ut eos crederes non Theologiæ, ſed malevolentiæ magiſtros; quippe cùm quid Deo, quid ſuæ & adverſariorum famæ, quid pudori & honeſtati debeant, penitùs oblivisci videantur, & victorias ſuas, non rationum pondere, ſed conviciorum acumine metiri. Qui ſi aliquid veræ laudis hâc viâ conſequi ſe poſſe exiſtimant, multùm falluntur. Nam quantùm ſui ſæculi omnes Autores Meldenſis Epiſcopus ingenii acie & doctrinæ ubertate ſuperabat, tantò eum nunc boni omnes habent admiratione digniorem, qui cùm errores vinceret, ſibi etiam imperaret, ita decertans *ut, id quod decet in talibus cauſis maximè provideri, charitas cuſtodiretur & veritas defenderetur.* Leo Mag. ep. xxj. ad Flav. al. viij. c. ij.

Præterea Epiſcopus Meldenſis, ut mox Trecenſem Epiſcopum dicentem audivimus, ſeſe ubique oſtendit in defendendâ Gallicanâ Declaratione *Sedi Apoſtolicæ addictiſſimum, unitatis amantiſſimum & Eccleſiæ ſtudioſiſſimum.* Malè conſulunt Romanæ Sedi Ultramontani Doctores, dum falſos ejus titulos & falſa jura comminiſcuntur. Sic enim Sedis Romanæ legitimam poteſtatem odioſam reddunt hæreticis, Catholicis ipſis penè contemnendam. Non cohoneſtatur, mihi crede, ſed dehoneſtatur noſtro mendacio Petri Sedes. Quis ferat Ultramontanos illos, qui Papali autoritati non tantùm Eccleſiam univerſalem ſubjiciunt, ſed etiam omnia totius Orbis Regna & Imperia? Ego verò audire mihi videor Oratorem quemdam, qui Senatorem eximium cùm laudaret, ejus veram poteſtatem ab legum imperio derivatam, non modò nullis finibus coerceret, ſed inſuper eum fingeret fuiſſe & belli & pacis arbitrum

Ejus ſtudium erga Sedem Petri & unitatem. Inſtruct. &c. loc. ſup. cit.

ſupremum; perindè quaſi propriis laudibus Sedes Romana non ſatis commendetur; cùm poteſtatem habeat ſpiritalem, * quæ terrenis poteſtatibus tantò eſt ſuperir, quantò præſtant cœleſtia terrenis; quæ ita eſt ſuprema, ut à ſolâ Chriſti & univerſalis Eccleſiæ poteſtate pendeat; quæ cæteras ſibi obnoxias habet ſpiritales poteſtates, quæ Eccleſiaſticæ unitatis commune centrum, omnes Eccleſias unitate conſociat; quæ denique Chriſti Domini particula eſt ſupremæ poteſtatis, quam tradidit moriens Apoſtolis, & præcipuè Principi Petro in terris exercendam. Sed ſi tu omnem Eccleſiæ poteſtatem in unum Papam contuleris, aliam etiam addideris temporalem, quam Chriſtus in terris nunquam exercuit; vide ne non ſis Papæ eximius laudator, ſed turpis adulator. *Le Siége de Pierre*, inquit Meldenſis Epiſcopus, *n'a pas beſoin de notre menſonge. Son éclat naturel lui ſuffit, ſans qu'il faille l'orner & le farder d'un faux brillant qui le défigure.*

* *In criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra... Habent hæc infirma & terrena judices ſuos Reges & Principes terræ.* Bernard. de Conſ. lib. j. cap. vj. tom. j. p. 412.

Vid. Expoſ. de la foi de l'Egliſ. Cath.

Utinam verò ad hujus Magni Epiſcopi exemplum ſe componant Theologi & Canoniſtæ, ſeu Gallicanas Libertates tuentur, ſeu in Papæ decretis aut Bullis quædam reprehendunt; nec Curiæ Romanæ errores cùm confutant, Summum Pontificem laceſſant. Pontificum Romanorum errores Meldenſis Epiſcopus nunquàm coarguit, niſi invitus & cauſæ neceſſitate compulſus: tantâ religione tenebatur Sedis ejus, quâ nulla in terris major eſt & auguſtior, nedum eam vel verbo violaret; uſque eò ut illud ipſum quidam in eo vituperent, cùm dicant adulari eum Romanis Pontificibus. Sed longè diſtant adulari & reſpectum habere. Nam ſi privatorum hominum reſpectum non habere ſine juſtâ causâ non debemus, quam putamus eſſe juſtam cau-

ſam, cur eum, qui Eccleſiæ caput eſt & omnium noſtrûm Pater, laceſſamus & irritemus.

Cæterùm quòd Scriptum id ſuum ſummâ moderatione temperavit D. Ben. BOSSUET, nihil inde perit veritati. Exemplo eſt id quod paſſim docet, Romanos Pontifices non eſſe erroris immunes, non fuiſſe *Liberium*, non *Honorium*, non alios, qui non modò errabant, ſed in errorem ſuum trahere Eccleſiam conabantur, cùm decreta quædam dogmatica, à veris dogmatibus omninò aliena, ederent, quæ ſuæ Sedis autoritate munirent; nec eis eſſet pudori errorum fieri doctores. Nam quid aliud erat quod diceret? Niſi eum credis addere debuiſſe id, quod hæretici (à quibus non multùm abfuêre Catholici quidam) dixerunt: Romam factam nunc eſſe proſtibuli ſedem, nullamque jam partem habere ſanitatis; Papam eſſe Antichriſtum; nihil deinceps boni de illâ Curiâ ſperandum, quæ ſit flagitiis omnibus contaminata, omniumque magiſtra errorum. Hanc tu projectam ſcribendi audaciam putas addere orationi vires? Adderet quidem hominis phrenetici, qui dum brachia in auras jactat & multa movet, nihil promovet, ac vires ipſe ſuas debilitat & conſumit, non ſani & benè conſtituti. Vires ſuas Epiſcopus Meldenſis veritati reſervabat: pugnabat cautè ac ſapienter: parcebat injuriis, criminationibus, dicteriis; & eò vincebat certiùs, quò moderatiùs diſputabat.

Si quis Catholicus homo Apoſtolicam Sedem reveretur, idem ſtudioſus erit conſervandæ concordiæ Eccleſiarum ſive unitatis; & quoniam tenax erit concordiæ ac unitatis, fieri non poteſt quin diligat Eccleſiam, nec ſuum eſſe reputet, ſi quid Eccleſia commodi ferat aut detrimenti patiatur. Hæc verò illa præcipua laus eſt Epiſ-

copi Meldenſis, qui nihil habuit antiquius, quàm ut Eccleſiæ utilitatibus inſerviret. Rem dico Catholicis omnibus notam. Neminem habuimus qui res Eccleſiæ feliciùs geſſerit, qui ſalutem perditorum fratrum procurârit ardentiùs, qui plures ad unitatem veritatemque revocârit. Quippe erat in eo mira, ut oris comitas, ita ſermonis affabilitas; erat amor ſincerus veritatis; erat magna cautio dogmatum ab opinionibus ſecernendorum; quæ res hæreticos homines ad eum ſæpè alliciebat, faciebatque ut eos non multo labore ad Eccleſiæ caſtra revocaret.

Neque ſegnior ad Eccleſiam defendendam fuit, tum cùm orta eſt Declaratio Gallicana, &, hujus Declarationis occaſione, de Eccleſiaſticâ poteſtate controverſia. Nam tum maximè in eo totus fuit, ut Eccleſiam qualis eſt exhiberet, futurum ſperans ut hæretici, qui eam non nôrant, ejus ſpeciem tandem agnoſcerent, utque adeò in eam, ut in ſalutis portum ſe conferrent. Magnus in cæteris rebus Epiſcopus Meldenſis, ſeipſo major videtur, Eccleſiam germanâ effigie expreſſam pingens, & tanquam tabulam benè pictam in bono lumine collocans, cùm docet eam Eccleſiam, ſeu in terras omnes diſperſam, ſeu in Concilio generali repræſentatam, jura ea tenere, ex quibus cæterarum poteſtatum Sediſque ipſius Romanæ jura pendeant: per eam propagari, & in omnes Eccleſias & in omnia ſæcula doctrinam, quam à Chriſto ſponſo ſuo naſcens accepit: per eam dirimi & ſedari controverſias; nec mutabilem eſſe, ut humana ſunt ingenia, ſed ſui uſquequâque ſimilem, & à Deo immutabili æternam habere ſtabilitatem: per eam perpetuâ Traditionis ſerie arma ſubminiſtrari, quibus defendatur veritas, ſimul debellentur *à dextris & à ſiniſtris* errorum

rum doctores & frangantur hæreſes, non modò præſentes, ſed & futuræ: denique apud eam, ſive Concilia, ſive ſanctos Patres, omnibus & temporibus & locis eandem tenuiſſe de ſingulis dogmatibus doctrinam. Quod cùm facit Epiſcopus Meldenſis, juvat eum audire adverſarios ſuos coarguentem, qui cùm ipſi inconſtanter diſputarent, neque antiquitatem ſatis cognitam haberent, pugnam quamdam inducerent Concilii cum Concilio, Patrumque cum Patribus; ex quâ pugnâ ſequeretur Eccleſiam ſanctam uno eodemque Spiritu jam non moveri, aut Chriſtum Dominum Eccleſiæ ſuæ habenas aliquandò reliquiſſe. Ita igitur cauſam ſuam defendebat Epiſcopus Meldenſis, Eccleſiam ubique demonſtrans, ut unam, ut ſupremam, ut ab errore longè remotam. Quam Eccleſiæ indolem cùm apud eum videmus veritatis certâ notâ inſignitam, fieri non poteſt quin Eccleſiam Catholici ſanctiùs venerentur, ipſi hæretici non contumaces eam amplectantur, nec vituperationem juſtam ſubeant qui ejus tantam autoritatem aſpernantur, nec teſtimonio credunt, non modò Orbis qui nunc eſt, ſed ejus qui omnium fuit ſæculorum.

Ejus in ſecernendis dogmatibus ab opinionibus ſingularis cautio.

Non quòd non aliquandò extiterint ſanctorum Patrum diſcrepantes variæque ſententiæ. Sed diſtinguebat, ut jam diximus, opiniones ab decretis ſeu dogmatibus, neque quidquam pro dogmate habebat, niſi de quo ſanctorum Patrum ſumma fuiſſet concordia; cætera in medio relinquebat, & ſæpè iterabat, opiniones varias fraudi eſſe non debere Catholicæ unitati. Et quanquàm in quæſtione de Eccleſiaſticâ poteſtate, Eccleſia Gallicana ſuæ doctrinæ duces habeat & ſequatur omnes ſanctos Patres, tamen quia quæſtio *magnis altercationum nebulis involuta erat*, ut verbis utar Auguſtini, de eâ Meldenſis Epiſco-

pus pacificè diſputabat; & cùm intelligeret quàm difficile eſſet ſententias Gallorum & Ultramontanorum tam varias conciliare, ſummè enitebatur ut ne propterea exorirentur in Eccleſiâ dira certamina & perniciosi motus animorum. Quapropter interdum excanduit ſummi viri ſemper lenitas, cùm temerarios illos ſcriptores confutaret, qui Cleri Gallicani doctrinam hæreſeos notâ inurerent. Nam ipſe Ultramontanas opiniones, quas ſentit eſſe falſiſſimas, nullâ tamen cenſurâ lædit, non dubitans Catholicorum opinionibus, quanquàm falſis, non labefactari fidem, & poſitum volens eſſe omnibus Theologis hoc fundamentum: *Credo Eccleſiam Catholicam*; quo in fundamento collocatur dogmatum confeſſio, non opinionum, quæ variare poſſunt, ſalvis dogmatibus.

Cùm in omni Autore laudanda eſt talis diſputandi moderatio, tum maximè in eo, qui ſit ingenio & plurimâ doctrinâ præcellens, ut erat Meldenſis Epiſcopus. Nam jus ejus fuerat, ſi cujus unquàm fuit, velle ut ſua decreta rata eſſent. Sed cæteris quantùm præſtabat, ita longè ab eo aberat, ut Theologus imperioſus eſſe videretur, & tanquam in ſacrâ Republicâ, fratrum ſuorum tyrannus. Et talis eſt natura ingenii ſolidi & excelſi, contraria mediocris & infirmi; nam cùm veri ſpecie decipitur, neque in quæſtiones altè penetrat, quid ſuæ ſententiæ noceat non facilè videt, & erroris ſui cauſam vix aliquandò introſpicit; ex quâ ingenii infirmitate ſumit vires ſuperbia & audacia. Quippe ingenii vulgaris eſt, ne ſuſpicari quidem ſe aliquo errore fuiſſe deceptum; ejus eſt ſentire ac dicere doctrinam ſuam eſſe perſpicuam & evidentem, mirari adverſarios ſuis decretis non ſtare, non frangi rationum momentis: ejus eſt clamare ſic tanquàm adversùs hæreſes, & pro certo ha-

bere adverſarios ſuos eſſe non confutandos, ſed contemnendos. Quod genus ingeniorum, quoniam non rarum eſt, ſæpè videmus decreta condere ac dominari eos Autores quos minimè decuerat, eoſdemque eſſe ſæpenumerò cauſæ non bonæ acerrimos defenſores, ne bonæ quidem ſatis paratos propugnatores.

Atqui tales ferè fuerunt Gallicanæ Declarationis adverſarii, qui partium ſtudiis plus addicti, quàm viros doctos oportuerat, ſuas opiniones dogmatum loco credi jubent, Gallorumque doctrinam non ſatis cognitam diris proſcindunt modis & execrantur: tales, inquam, ROCCABERTUS & ejus approbatores, qui verbis duris ac inauditis Summum Pontificem cohortantur, ut *impiam juxta & deteſtabilem* Gallicanorum Præſulum doctrinam *confodiat.* Porrò Meldenſis Epiſcopus hos inter Ultramontanos immodicè ſævientes & Gallos nonnullos, qui Declarationis capita certâ fide tenenda eſſe dicunt, & contrariam doctrinam hæreſeos damnant, medium tenens iter, ipſe invictiſſimè probat Gallorum doctrinam certam quidem eſſe, adverſariorum falſam; ſed tamen hæreſeos notam inuri iis doctrinis non licere, quas Eccleſia adversùs hæreſes vigilantiſſima tradi ac defendi non vetat, quaſque Apoſtolica ipſa Sedes, cujus in hâc controverſiâ res agitur, æquo animo videt in utramque partem diſputari. *Etenim*, inquit D. BOSSUET, *privatorum Doctorum proprio arbitrio, nullâ autoritate fundata decreta, in cenſuram conferre publicam, alienum ab Apoſtolicâ gravitate videbatur.* Quæ verba eò lubentiùs referimus, quòd ſanctæ Sedis ſapientiam & moderationem non parùm commendant. Diſſert. præv. n. x.

Nunc dicendum nobis eſt de hujus operis formâ eâ quam D. BOSSUET delineavit, deque alterâ, quam ſequi ſibi aliquandò propoſuerat. De formâ & diviſione hujus operis.

d ij

Primam operis recognitionem & formam offert Editio quæ prodiit an. 1730. niſi quod illa Editio adeò mutila eſt ac manca & mendis typographicis tot tamque fœdis deformata, ut publicis utilitatibus vix inſervire unquam poſſit.

Sed cùm multa intervenissent, de quibus mox dicemus, & cùm D. ROCCABERTUS immenſa ſua volumina, & ſuas diſſertationes Abbas San-Gallenſis edidiſſent, conſtituit Autor hanc operis formam delineare, quam exhibet hæc noſtra Editio; id eſt eos libros qui in Editione an. 1730. tres primi ſunt, tollere, diſſertatione præviâ eos ſupplere, reliquum opus in tres partes diſtribuere.

Verùm enimverò nos, quos libros tres ſupprimere volebat, quoniam eorum ſummam prævia diſſertatio complectitur, ne Lectoribus id fraudi eſſet, non ſuſtulimus; ſed ad calcem Tomi II. rejecimus, ut Appendicis loco eſſent. Nam illi tres libri non paucas res continent, quæ in diſſertatione præviâ habere locum ſuum non potuerunt, quæque ſunt non parùm utiles & ipſo genere excellentes.

Ex libro autem eo, qui ſupra dictæ Editionis quartus eſt, cogitabat, ut quidem credimus, tollere ea omnia quæ Gregorium VII. tangebant, ne videlicet inauditâ ejus audaciâ & arrogantiâ infirmiores animi læderentur; cætera ad frontem ponere libri ejus, qui ejuſdem Editionis quintus eſt, & eum quintum facere primum. Nam cum ipſum quintum propriâ manu inſcripſerat, *Liber primus*, ſextum, *Liber ſecundus*, & ſic reliquos, quibus appoſuerat numerorum notas eas quas nos exequuti ſumus. Sed quoniam librum quartum reliquit integrum, & res quæ in illo tractanturcum rebus li-

bri ſequentis neceſſariâ cognatione connectuntur, non potuimus hos duos libros non in unum componere quos tamen in duas ſectiones dividimus, ut liber qui in Editione 1730. quartus eſt, in noſtrâ Editione prima ſit libri primi ſectio; quintus vero, ejuſdem libri primi ſectio ſecunda.

Videri quidem poteſt liber XI. in alienum locum conjectus, & ſeptimus eſſe debere, tum ut rerum tractatarum ſeries ſervetur, tum ne defenſio Capitis IV. Declarationis antecedat Capitis III. defenſionem.

Tria reſponderi poſſunt. 1°. Quanquàm talis ordo librorum nonnullam ordinis perturbationem haberet, nihil indè accidere detrimenti; quia ordo librorum qualiſcumque ſit, manent eædem res in ſingulis libris tractatæ.

2°. Quoniam Caput IV. Declarationis tangit Eccleſiaſticam poteſtatem in iis quæ ad fidem ſpectant, tertium eandem poteſtatem in iis quæ ad diſciplinam, Meldenſi Epiſcopo viſum fuiſſe, quæ ad fidem pertinent priùs tractanda eſſe, quàm quæ ad diſciplinam.

3°. Tertiam cauſam afferri ex ipſius conſiliis ultimis petitam.

Conſtituerat enim Meldenſis Epiſcopus; omiſsâ Declaratione, cauſam ſuſcipere doctrinæ univerſæ tum Univerſitatis Pariſienſis, tum Cleri Gallicani de poteſtate Eccleſiaſticâ. Quo ſemel conſtituto, non erat cur in tractandis controverſiis illum ordinem ſequeretur, quem ipſe in conſcribendis Declarationis capitibus olim fuerat ſequutus. Quare autem Declarationis capita non jam ſpeciatim tangere vellet, cauſæ tales extiterunt.

Quo tempore libri SFONDRATI & ROCCABERTI, nuper in vulgus editi, Epiſcopum Meldenſem compulerunt ut diſſertationem præviam componeret, erant in-

ter Romanam Curiam & Clerum Gallicanum bella jam compoſita. Conditionem pacis Curia Romana fecerat talem : Bullas ſuas ſe conceſſuram iis, quos ad Epiſcopatus & ad Abbatias Galliæ Rex deſtinârat & nominârat, modò illi declararent, *mentem ſuam non fuiſſe in Comitiis quidquam decernere, aut peculiarem fidem condere.* Quam pacis conditionem cùm Curia Romana inſtantiùs urgeret, intellexit D. BOSSUET Romanis Pontificibus Declarationem Gallicanam vehementer diſplicuiſſe. Ergò is vir, qui pacis, ſi quis unquam fuit, erat amantiſſimus, nullas conditiones ad pacem coagmentandam reſpuendas ratus, modò integra veritas maneret, ſtatim apud ſe definivit, ut auribus Romanorum tenerioribus parceret, deleret ex ſuo opere hunc titulum : *Defenſio Declarationis Cleri Gallicani*, illum novum faceret, qui nunc eſt diſſertationis : *Gallia Orthodoxa, ſive vindiciæ ſcholæ Pariſienſis totiuſque Cleri Gallicani*, Gallicanam doctrinam defenderet, ſed tamen omitteret *Declarationis defenſionem*, quia Romani ſibi perſuaſerant Declarationem fuiſſe eo animo factam, ut *fidei quædam nova formula, canones fideſque peculiaris, conderentur.* Titulum igitur mutabat, non res tractatas. Nam quam doctrinam in Declaratione expreſſerat, eandem Majores noſtri *ſententiam ſcholæ Pariſienſis* & vocitabant & egregiè defendebant.

Vid. Diſſ. n. vj. x.

Ut primùm præviam diſſertationem legimus, non dubitavimus conſilium tale ab Epiſcopo Meldenſi fuiſſe non modò ſuſceptum, ſed perfectum. Nam cùm eum in diſſertatione videremus diſertis verbis ſic dicentem : *Abeat Declaratio quò libuerit ; non enim eam........ tutandam hîc ſuſcipimus* incredibile videbatur huic diſſertationi addidiſſe eum ejus Declarationis defenſionem, quam in

Diſſert. n. x.

ipſâ diſſertatione, tanquam infectam haberi non nollet.

Noſtræ opinioni acceſſerunt novæ conjecturæ ex diario eo quod D. Le Dieu, qui Epiſcopo Meldenſi fuit à ſecretis, compoſuit; quod diarium unà cum codicibus *defenſionis* noſtræ fidei Trecenſis Epiſcopus commiſerat, & in quo ſic legitur : *M. de Meaux m'a dit ce matin* 28. *Septembre* 1700. *en remuant ſes papiers, qu'il veut mettre inceſſamment la derniere main à ſon ouvrage* DE ECCLESIASTICA POTESTATE, *qu'il intitule à-préſent* GALLIA ORTHODOXA, &c. Journ. Cod. E. circ. medium.

In altero autem ejuſdem diarii loco : *Le* 22. *Septembre* 1701. *M. de Meaux m'a demandé ſon traité* DE ECCLESIASTICA POTESTATE, *dont il a ſeulement retenu les premiers livres de la derniére réviſion & correction, ſous le titre de* GALLIA ORTHODOXA, *contre Roccaberti*, &c. Ib. Cod. G. p. 1. Significat D. Le Dieu præviam diſſertationem, quæ defenſionis trium priorum librorum loco erat. Nam in eâ confutatur Roccabertus, qui in reliquo opere ne ſemel quidem nominatur.

His ferè omninò perſuaſi fueramus, codices, qui in noſtras manus venerant, non eos eſſe, quos Meldenſis Epiſcopus ultimò recognoverat, quanquàm omnibus propè paginis multa ipſius manu animadverſa & addita videremus. Itaque Trecenſem Epiſcopum adivimus, ab eo ſciſcitaturi, quos codices habebamus, an illi ipſi eſſent, quibus ultimam manum Epiſcopus Meldenſis addidiſſet. Dubitationem omnem ſuſtulit Epiſcopus Trecenſis. Nam nobis amicè reſpondit, ſe valdè mirari, non ei nos omnem fidem habere, neque animo reputare quàm ſuâ intereſſet Patrui ſui opus ſincerum in lucem prodire: nos habere operis ejus codices qui ſupererant omninò omnes, neque ullos ſibi fuiſſe unquam cognitos aut vi-

ſos: nos tamen non fuiſſe malè auguratos; nam Epiſcopum Meldenſem conſilium cepiſſe tale, quale is in ſuâ diſſertatione præ ſe tulit; ſed ne id perficeret, fuiſſe eum & multis negotiis & malâ valetudine impeditum: quare inſiſtendum eſſe in iis codicibus quos ipſe ad nos miſerat, quos eſſe ſinceros & ultimis ex curis profectos perſuadebant, tum multæ correctiones autographæ, tum etiam plurima additamenta, quæ manu propriâ Epiſcopus Meldenſis exarârat.

Cæterùm judicare ex antedictis Lectores poſſunt, quòd ultimam hanc recognitionem non fecerit Epiſcopus Meldenſis, nihil inde perire publicæ utilitati. Neque enim res alias fuit dicturus, aliamve doctrinam ſequuturus: alium tantùm titulum facturus erat, quædam etiam Romanæ Curiæ ingrata expuncturus, quæ, ut ipſius verbis utar, *ei diſplicere poſſent, non ex doctrinâ ipsâ, ſed ex tradendæ doctrinæ ratione.*

Diſſert. n. x.

Nos verò etſi & Summum Pontificem, ut Catholicum decet, reveremur, & operis hujus formam talem fuiſſe optamus, in quâ Romanæ Curiæ Epiſcopus Meldenſis maximè indulſiſſet, tamen noſtri muneris eſſe arbitrati ſumus, nihil operæ noſtræ ad Magni BOSSUET operam admiſcere; non modò ejus tractatûs formam non mutare, ſed ne verbum quidem addere vel detrahere; præſertim cùm id nobis Epiſcopus Trecenſis etiam atque etiam mandârit.

Nam nobis formam eam, quam ultimam ſibi propoſuerat Epiſcopus Meldenſis, exhibere facillimum fuiſſet. Quippe titulo mutato, omiſſis Declarationis Gallicanæ quatuor capitibus, paucis quibuſdam aliter enuntiatis, quæ paginas duas vix implerent, & pro his verbis quæ ſæpè occurrunt: *Hæc docent in ſuâ Declaratione Præſules*

Digitized by Google

Præſules Gallicani, illis aliis poſitis: *Hæc Eccleſia Gallicana & Univerſitas Pariſienſis ſemper docuerunt*, ultimam recognitionem hujus operis ab Epiſcopo Meldenſi meditatam, tu erudite Lector, perfectam haberes, & nomine mutato, eſſet pura puta *defenſio Declarationis Cleri Gallicani.*

Speramus autem non tibi ingratum fore, quòd tibi Epiſcopi Meldenſis conſilium ultimum expoſuerimus, cùm videre jam poſſis eum Magnum Virum non recuſâſſe, quin opus ſuum totum retractaret, eam unam ob cauſam, ne concordia Gallicanæ Eccleſiæ cum Romanâ læderetur. Quippe docere volebat, non pugnare; ad ipſam cauſam accedere, non, ut ipſe dicebat, *cauſæ ſatis per ſe gravis curſum, accerſitis difficultatibus impedire.* Lib. vj. cap. v.

Nunc breviter dicendum de operis ſingulis partibus.

Prævia Diſſertatio.

Præviæ diſſertationis Trecenſis Epiſcopus participem fecerat prorſus neminem, non ipſum Ludovicum Magnum, cui, propter cauſas nobis incognitas, dederat *Defenſionis* id exemplar quod erat prioris tantùm recognitionis, non dederat additamenta multa quæ in codicibus ultimæ recognitionis Autoris manu ſcripta erant. Nos primi omnium ſumus, qui hanc diſſertationem legimus, quam ultrò divulgamus, eruditorum manibus ſæpè tractandam & evolvendam.

Diſſertationem hanc compoſuit in ultimâ ſenectute Epiſcopus Meldenſis, corpore infirmo, viribus ingenii non debilitatis, ut neque ſcribendi moderatione & amore concordiæ.

In eo opere, quanquàm à nominandâ Gallicanâ Declaratione conſultò abſtineat, tamen egregiè oſtendit „hujus Declarationis doctrinam ab illâ doctrinâ toto

»Orbe multis abhinc ſæculis notiſſimâ, quam Pariſien-»ſium vocant, nullâ ex parte eſſe diverſam; proinde-»que Declarationis doctrinam damnari non poſſe ut »hæreticam & ſchiſmaticam, cùm Pariſienſium ſenten-»tia manſerit ſemper inconcuſſa & cenſuræ omnis ex-»pers: atqui Pariſienſium ſententiam, tum cùm eam »docerent, & toti Orbi teſtarentur Galli noſtri, non »modo non reprehenſam fuiſſe à Romanis Pontificibus »& à Conciliis Œcumenicis, ſed habitam ut probatiſſi-»mam & certiſſimam à Piſano, Conſtantienſi, Baſile-»enſi generalibus Conciliis, & ab *Alexandro* V. *Marti-»no* V. *Eugenio* IV. Summis Pontificibus, & in Conci-»lio Tridentino, atque adeò à *Pio* IV. ſaltem ut proba-»bilem & inſontem.

Deinde probat »Gallicanam ſententiam fuiſſe non »Conſtantienſis Concilii temporibus occaſione ſchiſ-»matis excogitatam, ſed ab ipſâ Chriſtianitatis origi-»ne profluentem, ex communibus decretis, &, ut vo-»cant, principiis nempe ex Scripturâ & Traditione aſ-»ſumptam: hanc in omnibus Univerſitatibus, in omni-»bus Eccleſiis vulgatiſſimam extitiſſe, & à Scriptoribus »pietate & doctrinâ præſtantiſſimis ubique terrarum pu-»blicè & cum laude defenſam, nullibi reprehenſam: »irritas eſſe illas neotericas cenſuras, quibus Clerus »Gallicanus laceſſitur, tum quòd à privatis Doctoribus »prodierint, tum quòd illi Doctores, ſummâ rei omiſ-»ſâ, illa ſæpè ſectentur quæ ſunt extra rem, aut ea con-»futent de quibus nulla controverſia eſt. «

Non neceſſe habemus perſequi ſingula hujus diſſer-tationis capita, cùm præſertim in eâ *Defenſionis* duæ poſ-tremæ partes ſummatim contineantur. Hoc tantùm Lec-tores monitos eſſe volumus, in diſſertatione multa re-

periri, quæ in *Defenſione* fuerunt aut ſtrictim diſputata, aut verò etiam prætermiſſa; quia nimirùm confutandi erant nonnulli Autores, qui opera ſua nondum ediderant ante recognitam ac recenſitam *Defenſionem.* Cæterùm tanta eſt in illâ diſſertatione ſermonis ubertas, perſpicuitas, concinnitas, ingeniique vis ac ſagacitas, ut ubique magnum dicendi & diſſerendi artificem ac Doctorem D. BOSSUET facilè recognoſcas.

Qui ſui non diſſimilis eſt in *Defenſione* quæ ſequitur, in quâ omnia tractantur, tum verè, tum enucleatè, ſic ut veritas in clariſſimâ luce verſetur. Nihil autem profert ſuum; promit omnia de fontibus apertis Scripturæ & Traditionis; ita ut ipſi de ſe hoc gloriari liceat quod olim dicebat Leo Magnus: *Non novæ prædicationis eſt* (doctrina mea)... *in nullo diſcedens ab ejus fidei regulâ, quæ evidenter à noſtris veſtriſque eſt defenſa Majoribus.* Defenſio Declarationis Cleri Gallicani. Leo Mag. ep. ciij. ad Proter. Alex. c. ij. p. 645.

In primâ parte, evolutis ab omni antiquitatis memoriâ ad decimum uſque ſæculum omnium populorum geſtis, probat, » ſemper & ab omnibus hoc fuiſſe cre»ditum: nempè ambas poteſtates Eccleſiaſticam & civi»lem, ſuo in genere rebuſque ſuis, ſub Deo & poſt Deum »primas eſſe, unique Deo ſubditas; neque alteram po»teſtatem ab alterâ deponi & in ordinem cogi poſſe: Gre»gorium VII. Regum deponendorum confidentiſſimum »autorem, nullo exemplo, autoritate nullâ, eò proſi»lire auſum, ut ſuæ poteſtati omnes civiles poteſtates »obnoxias eſſe ſtatueret: hujus & ejus ſucceſſorum fac»tum nullo Eccleſiæ decreto, nullâ profeſſione confir»matum fuiſſe; imò viros ſanctos doctoſque, qui poſt »ea Pontificum de deponendis Regibus decreta floruerunt, in Patrum ſententiâ adversùs Gregorii VII. no»vitatem perſtitiſſe: Romanos Pontifices id ſibi priva- Pars I.

»tim reſervare voluiſſe ut Reges deponerent; quippe »qui, cùm ſolerent in rebus Eccleſiaſticis Epiſcoporum »aſſenſionem requirere, & adſcribere decretis, edita ea »eſſe, *ſacro approbante Concilio*, decreta de deponendis »Regibus, in Conciliis etiam Œcumenicis, ſic promul»gabant ut ederentur *ſacro* quidem *præſente*, non autem »*conſentiente* aut *approbante Concilio;* ita ut tali promul»gandi ritu ipſi teſtarentur Regum depoſitiones non »Conciliorum autoritate, ſed ab ipſis tantùm Pontificio »nomine eſſe geſtas: Gregorii VII. ſententiam apertè »nimiam de directâ Romani Pontificis in temporalia po»teſtate ab ipſo *Bellarmino* multiſque aliis rejectam qui»dem; ſed eadem incommoda & pericula omnibus Reg»nis & Imperiis imminere ex illâ, quam vocant in»directâ poteſtate, quæ à directâ verbis tantùm differat.

Pars II. In ſecundâ parte opinionem *ſuperioritatis* ejus, quâ Papæ poteſtas ipsâ Conciliorum Œcumenicorum poteſtate potior aſſeritur, eo convellit, » quòd talis *ſuperiori»tas* Conſtantienſis Œcumenici Concilii canonibus proſ»cripta fuerit: tum vana argumenta & frivolas Ultra»montanorum difficultates ſic ſolvit, ut ſublatis iis ſub»tilitatibus, cavillationibus, ambagibus quibus ipſi ſe »implicant, & huc atque illuc ipſius cauſæ ſuæ inſtabi»litate digrediuntur, ad fixum quid eos revocet, & in »illo tandem articulo cogat conſiſtere: rem deciſam ac »definitam fuiſſe Concilii Conſtantienſis autoritate, & »confirmatam à Concilio Baſileenſi in primis Seſſioni»bus; id eſt, tum cùm ipſe Romanus Pontifex Eugenius »IV. illud haberet pro Œcumenico: Synodi Œcumeni»cæ titulum Concilio Conſtantienſi denegari nuſquàm »poſſe, neque ejus autoritatem fluxam dici, niſi con»culcatâ Conciliorum generalium Papienſis, Senenſis,

»Baſileenſis, Florentini, nec non Summorum Pontificum »Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Pii II. & aliorum, »qui dictis, decretis, factis Conſtantienſia decreta con»firmârunt, approbârunt, venerati ſunt, expreſsâ auto»ritate; neque verò eos à gravi cenſurâ, ſaltem à ma»ximæ temeritatis notâ immunes eſſe poſſe, qui, ſpretis »tot Conciliis Œcumenicis ac Pontificibus, tantâque »nube teſtium, & ipsâ Eccleſiâ, hujus Concilii toties »confirmata decreta labefactare, collidere, reſpuere non »vereantur.

Tertiâ parte, ut Pontificiam hanc *ſuperioritatem* configat, & novam Ultramontanorum doctrinam de Papæ infallibilitate eodem ictu confodiat, aggreditur omnem Traditionem revolvere, atque ex eâ oſtendere: »has opiniones toti antiquitati prorsùs incognitas fuiſſe, »atque adeò eſſe falſas: ſemper à Patribus & à Conciliis »in univerſalis Eccleſiæ conſenſione fuiſſe repoſitam vim »illam irreformabilem & irretractabilem, quam in ævum »duraturam Chriſtus Eccleſiæ promiſit: Eccleſiam, ne»dum illam agnoverit Pontificum Romanorum potiorem »autoritatem, illatas à Pontificibus ſententias & decre»tales nunquàm habuiſſe pro infallibili atque irrefraga»bili judicio, niſi priùs, quæſtione habitâ factoque exa»mine, ſummâ ſuâ & ineluctabili autoritate & conſen»ſione illas confirmâſſet: Eccleſiam aliquandò etiam »Pontificum Romanorum decretales in Conciliis reſci»diſſe: indè probari de Pontificum judiciis dubitari poſſe, »quòd illa in Synodis retractentur; è contra de Syno»dorum Œcumenicarum judiciis dubitari non poſſe, cùm »poſt talia judicia, nihil retractari, nihil audiri liceat: »fateri interdum Pontificiæ *ſuperioritatis* vehementiſſi»mos defenſores, Papam in hæreſi pertinacem à Con- Pars III.

»cilio judicari & deponi poſſe; quo ſemel poſito, hanc »*ſuperioritatem* caſſam eſſe oportere: falli autem interdum Pontifices teſtari omnia Eccleſiaſtica monumenta: »lapſus quorumdam Pontificum tam eſſe certos, & eorum tam certam damnationem, ut nihil unquàm ſit »certius: fruſtrà eos eſſe qui dicunt, ea tantùm Pontificia decreta à ſe haberi pro irretractabilibus, quæ *ex* »*Cathedrâ* edita fuerint: multa Honorii & aliorum Pontificum etiam corpori Juris inſerta dogmatica decreta, »totâ licèt Sedis Apoſtolicæ autoritate prolata, damnari meruiſſe: abſurdum eſſe decreti infallibilitatem »pendere velle ab iis formulis quas poſtera ætas induxit: cæterùm nonnullas decretales iis omnibus veſtitas »formulis, quibus decretum fidei nunc conſtare volunt, »nihilominùs retractabiles, imò falſas viſas fuiſſe, & »ab ipſis Pontificibus reſciſſas: Gregorii VII. novam »opinionem de ſupremo ſuo in terrenas omnes poteſtates dominatu, illis opinionibus, quibus Papæ in Concilia generalia potior poteſtas aſſeritur, & ejus in tradendâ fide *infallibilitas*, antiquiorem eſſe, cùm Benedictus XIII. ſeu Petrus *De Lunâ* in ſchiſmate induratus, omnium mortalium primus appellationes à Papâ »ad Concilium expreſsâ ſententiâ damnaverit, *infalli*»*bilitatis* autem opinio tempore Concilii Florentini nata »ſit, occaſione diſſidiorum Eugenii IV. & Concilii Baſileenſis; atque etiam tum novam hanc opinionem variis modis involutam & obtectam Eugenii defenſores »proponerent, ne ipsâ novitate Catholici læderentur; »ita ut nunquàm apertè defenſa fuerit ante Leonis X. »Pontificatum, & exortas inter Catholicos & Germaniæ Proteſtantes graves controverſias.

In volumen creſceret hæc noſtra Præfatio, ſi omnia à

nobis commemorari oporteret. Prætermittimus eas quæſtiones, quæ, datâ occaſione, ab illuſtriſſimo Autore pertractantur; quales ſunt eæ quæ ſextæ Synodi αὐθεντίαν ſpectant & latæ in Honorium excommunicationis ſententiæ, atque aliæ ejuſcemodi.

Corollarium.

Exacto opere, pro clauſulâ ponit Meldenſis Epiſcopus Corollarium, in quo non tantùm probat, ſed veluti ponit ob oculos hanc propoſitionem: »A Gallis Primatum Romanum & Sedis Apoſtolicæ majeſtatem exquiſitiori ratione propugnari, confirmari, illuſtrari, quàm »ab Ultramontanis Doctoribus, qui novellas, ſive adinventiones, ſive adulationes, ſive potiùs ludibria ſectantur. Aperit incommoda, abſurda, falſa, in quæ ſe »induant illi viri ſanctæ Sedis ſtudioſi quidem, ſed adeò »improvidi, ut ejus autoritatem odioſam, invidioſam, »contemnendam reddere velle videantur. « Illius Corollarii preſſa oratio eſt: in eo tot ſunt ſententiæ quot verba, plurimorumque voluminum inſtar haberi poteſt.

Appendix.

Neque verò tres libros Appendicis nullo ſuo detrimenro à ſe prætermitti poſſe Lectores credant. Nam, quamvis eos libros prævia diſſertatio complectatur, tamen; id quod jam monuimus, multa in iis & quidem eximia reperiuntur, quæ in diſſertatione admiſceri operis ſeries non ſinebat; & prætereà, in illis quoque libris, ubique ſenties Magni Meldenſis Epiſcopi & ſtylum & ingenium. Non quòd non dumeta quædam & vepres aſperiores ſis offenſurus. Nam adverſarios inſectari litigioſos & veteratores neceſſe erat. Sed labor utilitate compenſabitur, cùm videbis veritatem ex tot ſcholaſticis ſubtilitatibus emergere in ſplendidiſſimam lucem.

IV. * Operis hujus edendi quæ noſtræ curæ fuerint.

Dicendum nunc quales extiterint operis hujus edendi noſtræ curæ. * Cùm primùm hoc oneris nobis imponebat

Epiſcopus Trecenſis, veriti ſumus ne illius mole gravaremur, nec non id deponere conati ſumus: quoſdam etiam nominabamus, à quibus illud oneris meliùs ſuſtineri poſſet. Sed mandatum dabat is Epiſcopus, quem nos ſummâ reverentiâ colebamus: ii amici cohortabantur, quos de Republicà Chriſtianâ benè meritos, non audire, quanquàm invitè, non potuimus.

Ergò Epiſcopi Trecenſis juſſu difficilem provinciam ſuſcepimus, qui poſtquâm nobis commiſit operis manuſcriptos codices, nos, iis inter ſe collatis, eos ſelegimus, qui ipſius Meldenſis Epiſcopi manu plurimùm emendati erant, & multis in locis, imprimis lib. V. & VI. aucti ac locupletati. Hinc fit ut noſtra hæc Editio ſit Editione an. 1730. multo abſolutior, etiam ad fidem autographorum multò emendatior. Porrò illi codices ſedulò aſſervantur, futuri aliquandò, ſi opus fuerit, noſtræ in illis exhibendis incorruptæ diligentiæ, ſinceri teſtes.

Multa etiam D. BOSSUET aut ipſe ſuſtulerat, præſertim ex ſecundâ & tertiâ parte & ex Corollario, aut, ut à deſcriptore tollerentur, quibuſdam notis ſignificârat. Nempè ea omnia conjecerat in præviam diſſertationem, præterquàm libri X. caput unum totum, quod omninò aboleri juſſerat. In eo autem capite referebantur Acta ſancti Euſebii Preſbyteri & Martyris, quæ Acta Meldenſi Epiſcopo, poſtquàm in ea diligentiùs introſpexiſſet, viſa fuerant inſincera, aut ſaltem dubiæ autoritatis. Nos illud caput ad calcem Appendicis rejecimus, ne quid in noſtrâ Editione deſiderari videretur.

Illud quoque hîc à nobis obſervari oportet, Meldenſis Epiſcopi morem perpetuum fuiſſe uti ſchedulis, in quibus ea ſcriberet, quæ in locis emendatis ad continuandum ſermonem neceſſaria eſſent. Talium ſchedularum

tres

tres aut quatuor deerant, ſive amiſſæ illæ fuerint, ſive eas ipſe in ſuo loco ponere omiſerit. Quare eas, neceſſitate cogente, ſupplevimus, quas facilè agnoſces, utpote typis Italicis editas, nec non etiam parentheſi interclusas.

Quamvis non parvi laboris erat talis Editio, nihil tamen prætermittere conſtitueramus, undè in Publicum utilitates nonnullæ exiſtere poſſent. Ergò autoritates omnes in toto Tractatu allegatas cum ipſis Autorum libris contulimus, eaque reſarcivimus quæ erant à deſcriptoribus, aut omiſſa, aut mendosè ſcripta; &, ne quid deeſſet, allegationes ita ad marginem expreſſimus, ut illæ plerumque tum novas Editiones, tum etiam veteres, quibus utebatur Meldenſis Epiſcopus, unà complectantur. Addidimus, prout ſeſe dedit occaſio, notas nonnullas, tam Hiſtoricas, quàm Theologicas, atque etiam Criticas, eò ut, ſi qua non ſatis clara videri poſſent, illuſtrarentur, & ut cognoſcerentur, ſive quidam obſcuri Autores, quos D. Bossuet, vel cauſæ ſuæ faventes allegat, vel confutat, ſive eorum Autorum libri, quos nonnunquàm per ſumma capita totos deſcripſimus. Porrò in componendis notis, nobis propoſuimus ad imitandum, ipſius Meldenſis Epiſcopi modeſtiam, æquabilitatem, moderationem.

Totum illud opus Gallicum fecimus de mandato Epiſcopi Trecenſis, & ſeparatè edidimus. Nam conſentaneum videbatur ut Gallicanarum Libertatum defenſionem Galli homines ſuâ in Linguâ expoſitam viderent.

Erit de illâ qualicumque noſtrâ operâ, ſive notis, ſive verſione Gallicâ Lectorum judicium. Quòd ſi quid nobis erroris exciderit, nos, utpotè imbecillitatis noſtræ conſcii & ſolius veritatis amore ducti, errorem cor-

rigere & in unâ veritate acquieſcere deſideramus. Itaque, ſive amici erunt qui noſtras curas redarguent, ſive inimici, modò benè redarguant, gratum nobis facient. Memores quippe ſumus Auguſtinianæ illius ſententiæ : *Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis. Si ergò inimicus inſultat, ferendus eſt ; amicus autem..... ſi docet, audiendus.*

Aug. lib. ij. de Trinit. præm. tom. viij. p. 772.

Poſt hanc Præfationem edi curavimus *Declarationem Conventûs Cleri Gallicani an.* 1682. *de poteſtate Eccleſiaſticâ* à D. BOSSUET compoſitam, ut hujus Conventûs Acta teſtantur : *Epiſtolam* ejuſdem *Conventûs ad univerſos Eccleſiæ Gallicanæ Præſules*, cujus Autor fuit D. GILBERTUS DE CHOISEUIL DU PLESSIS-PRALIN, Epiſcopus Tornacenſis:Denique Edictum, quo Ludovicus Magnus Gallicanam Declarationem in commentarios ſupremarum Curiarum & Univerſitatum referri juſſit, & à Baccalaureis propoſitis theſibus publicè defendi. Ante verſionem Gallicam edidimus Gallico idiomate compoſitam *Relationem* Tornacenſis Epiſcopi ad Conventum Cleri Gallicani de Declaratione, etiam *Libellum Gallicum*, quo Meldenſis Epiſcopus Ludovicum Magnum admonebat de iis quæ agenda ſibi viderentur à ſupremâ Curiâ Pariſienſi adversùs ROCCABERTI libros. Ea Acta quæ Typographiæ lucem nondum viderant, & in illâ causâ maximi momenti ſunt; ſi quis legere volet, adibit Gallicam noſtramEditionem.

Jam tempus eſt ut noſtræ Præfationi finis imponatur. Hoc unum addimus, optabile eſſe in vulgus edi alios Meldenſis Epiſcopi libros hactenus ineditos, ex quibus maximi fructus in Chriſtianam Rempublicam redundarent, quos inter nominandi veniunt Tractatus *de Gratiâ*, in quo S. Auguſtini doctrina & ipſe Auguſtinus à

R. SIMON protervè laceſſitus egregiè defenditur : *Germaniæ conciliatio*, in quâ res inter Catholicos & Proteſtantes agitatæ tali methodo tractantur, ut cùm nihil firmius & nitidius, tum nihil etiam accuratius & moderatius de iſtiuſmodi quæſtionibus ſcriptum unquam fuerit: Tractatus adverſus LUD. ELIAM DUPIN Doctorem Sorbonicum: Epiſtolas plurimas, multaque alia opera, quæ viri docti tam avidè legerent, quàm impatienter ferunt his ſe tandiu defraudari. Tales enim reliquias auro pretioſiores habent, quotquot Meldenſem Epiſcopum penitus nôrunt, eum inquam Epiſcopum, qui ſuâ doctrinâ & eloquentiâ Eccleſiæ Gallicanæ magnum lumen fuit & præcipuum ornamentum, & quem ſpes eſt Eccleſiam eſſe aliquandò habituram in numero eorum, quos ſuos vocat Doctores, & ut ſuos Patres ſummè veneratur.

Exſcerpta ex Epiſtolâ Gallicâ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Jacobi Benigni BOSSUET *Trecenſis Epiſcopi*, 31. *Auguſti* 1735.

JAI été auſſi ſurpris que vous d'apprendre qu'on venoit de donner au public la premiere partie de l'ouvrage (*les trois livres qui ſont les premiers dans l'Edition Latine de* 1730.) avec une traduction, & qu'on promettoit de donner inceſſamment le reſte. Comme je n'ai eu aucune part, telle qu'elle puiſſe être au monde, ni à cette traduction, ni à la publication, & que je ne ſçais ce que c'eſt que tout cela, j'ai differé à vous écrire, que je me fuſſe informé à Paris de ce qui s'eſt paſſé à ce ſujet.... Ce que j'ai appris, que d'habiles connoiſſeurs ne ſont que mediocrement ſatisfaits de l'ouvrage en queſtion, m'en donne une aſſez mauvaiſe opinion, & ne me fait pas perdre la vûë d'une bonne traduction & d'une bonne Edition, s'il y a moyen. Ainſi ſi celui qui a ſi bien commencé, n'eſt pas aſſez degouté de continuer par ce qui vient d'arriver, j'aurois une très-grande ſatisfaction qu'il vou-

Digitized by Google

lût bien continuer cet ouvrage, auquel je joindrai toute mon autorité, ſi on me laiſſe faire, & ſi des puiſſances ſuperieures ne m'en empêchent point. C'eſt ce qui dépendra des circonſtances du tems & de la diſpoſition des têtes & des cœurs.... Je remedierai aiſement avec le ſecours de gens habiles & de l'excellent traducteur, aux corrections qu'il faudra faire ſur quelques citations fautives.... Au reſte je n'ai point du tout perdu l'idée, ni de la perſonne, ni du merite, ni des talens de M.*** Je ſuis rempli d'eſtime & d'amitié pour lui; & dès que ſon cœur eſt prevenu en faveur de M. de Meaux, comme il me l'a toujours paru, & qu'il conſerve quelque amitié pour moi; il eſt difficile que ſon genie, ſon bon gout, & ſon eſprit ne repondent pas du ſuccès de ce qu'il voudra bien entreprendre; ſur tout s'il eſt à portée d'agir ſur cela de concert avec M.*** que ſes ſeules occupations ont detourné de ce travail; mais qui m'a promis de donner à la reviſion de cette traduction toute ſon attention & tout ſon tems &c.

† BENIGNE, Evêque
de Troyes.

CLERI GALLICANI
DE
ECCLESIASTICA POTESTATE
DECLARATIO.

Die 19. *Martii* 1682.

Ecclesiæ Gallicanæ Decreta & Libertates à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta ſacris Canonibus & Patrum Traditione nixa multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu Primatum beati Petri ejuſque ſucceſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus majeſtatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam poteſtatem quâ pax Eccleſiæ continetur, invidioſam & gravem Regibus & populis oſtentent, iiſque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiæ matris Chriſtique adeò communione diſſocient. Quæ ut incommoda propulſemus, Nos Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis mandato regio congregati, Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, unà cum cæteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc ſancienda & declaranda eſſe duximus.

I.

Primùm: beato Petro ejuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicariis ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterùm, *Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; ac proinde ſtare Apoſtolicum illud: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt*

Joan. xviij. 36. Luc. xx. 25. Rom. xiij. 1. 2.

Digitized by Google

enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Reges ergò & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque autoritate clavium Eccleſiæ, directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum Traditioni & Sanctorum exemplis conſonam omninò retinendam.

I I.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctæ Œcumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſiâ Gallicanâ perpetuâ religione cuſtodita decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſſione quartâ & quintâ continentur, nec probari à Gallicanâ Eccleſiâ, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint autoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.

I I I.

Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ conſecratos: valere etiam regulas, mores & inſtituta à Regno & Eccleſiâ Gallicanâ recepta, Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ, propriam ſtabilitatem obtineant.

I V.

In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos iis Spiritu ſancto autore præſidentes, mittenda decrevimus; ut idipſum dicamus omnes, ſimuſque in eodem ſenſu & in eâdem ſententiâ.

† Franciscus Archiepiſcopus Pariſienſis, Præſes.
† Carolus-Mauritius Arch. Dux Remenſis.
† Carolus Ebredunenſis Archiepiſcopus.
† Jacobus Archiepiſcopus Dux Cameracenſis.
† Hyacintus Archiepiſcopus Albienſis.
† Mi. Phelypeaux P. P. Archiep. Bituricenſis.
† Ludovicus de Bourlemont Archiepiſcopus Burdigalenſis.
† Jacobus-Nicolaus Colbert Archiep. Carthaginenſis, Coadjutor Rothomagenſis.
† Gilbertus Epiſcopus Tornacenſis.
† Henricus de Laval Epiſcopus Rupellenſis.
† Nicolaus Epiſcopus Regienſis.
† Daniel de Cosnac Epiſcopus & Comes Valentinenſis & Dienſis.
† Gabriel Epiſcopus Æduenſis.
† Guillelmus Epiſcopus Vaſatenſis.
† Gabriel-Ph. de Froullay de Tessé Epiſcopus Abrincenſis.
† Joannes Epiſcopus Tolonenſis.
† Jacobus-Benignus Epiſcopus Meldenſis.
† Sebastianus du Guemadeuc Epiſc. Maclovienſis.
† L. M. Ar. de Simiane de Gordes Epiſcopus, Dux Lingonenſis.
† Fr. Leo Epiſcopus Glandatenſis.
† Lucas d'Aquin Epiſcopus Forojulienſis.
† J. B. M. Colbert Epiſcopus & D. Montis-Albani.
† Carolus de Pradel Epiſcopus Montis-Peſſulani.
† Franciscus-Placidus Epiſcopus Mimatenſis.
† Carolus Epiſcopus Vaurenſis.
† Andreas Epiſcopus Antiſſiod.
† Franciscus Epiſc. Trecenſis.
† Lud. Ant. Epiſcopus, Comes Cathalaunenſis.
† Franc. Ig. Epiſcopus, Comes Trecorenſis.
† Petrus du Laurens Epiſcopus Bellicenſis.
† Gabriel Epiſc. Conſeranenſis.
† Ludovicus Alphonsus Alectenſis Epiſcopus.
† Humbertus Epiſcopus Tutellenſis.
† J. B. d'Estampes Maſſilienſis Epiſcopus.

Digitized by Google

Paul. Phil. de Lusignan.
De Franqueville.
Ludovicus d'Espinay de Saint Luc.
Cocquelin.
A. Faure.
C. F. de Guenegaud.
Gerbais.
Lambert.
De Viens.
P. de Bermont.
A. H. de Fleury.
Fr. de Camps.
De Maupeou.
De la Borey.
Franciscus Feu.
Clemens de Poudeux.
Le Franc de la Grange.
J. F. de l'Escure.
De Senaux.
M. de Ratabon.
Bigot.
De Villeneuve de Vence.
Parra Decanus Bellicenſis.
La Faye.
De Boche.
Petrus le Roy.
De Soupets.
A. Argoud Decanus Viennæ.
De Beausset Præpoſitus Maſſilienſis.
G. Bochard de Champigny.
De S. Georges Comes Lugdunenſis.
Courcier.
De Gourgues.
F. Maucroix.
Cheron.
J. Desmarets Cleri Gallicani Agens generalis.
Armandus Bazin de Besons Cleri Gallicani Agens generalis.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA
A
CONVENTUS CLERI GALLICANI
AD UNIVERSOS
ECCLESIÆ GALLICANÆ PRÆSULES.

ILLUSTRISSIMIS AC REVERENDISSIMIS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

IN TOTO GALLIARUM REGNO CONSTITUTIS,

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

CÆTERIQUE ECCLESIASTICI VIRI

A CLERO GALLICANO DEPUTATI

Mandato Regio Pariſiis congregati; SALUTEM.

REVERENDISSIMI AC RELIGIOSISSIMI CONSACERDOTES,

NON vos latet concuſſam aliquatenùs nuper fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ pacem, quandoquidem nos miſit veſtræ Fraternitatis charitas ad illud periculum propulſandum.

Fidenter cum B. Cypriano pronuntiamus, CHARISSIMI COLLEGÆ, *Chriſtum*, ut *unitatem manifeſtaret*, *unam Cathedram conſtituiſſe*, *& unitatis originem ab uno incipientem ſuâ autoritate diſpoſuiſſe; cumque, qui Cathedram Petri, ſuper quam fun-* S. Cypr. lib de Unit. Eccl. p. 77. edit. Oxon.

Digitized by Google

I

data eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſiâ non eſſe; qui verò Eccleſiæ unitatem non tenet, nec fidem habere. Quare nihil nobis antiquius
Matt. xviij. 20. fuit, ſtatim atque *congregati ſumus in nomine Chriſti*, quàm ut
Eph. iv. 4. *unius corporis*, quòd non omnes eſſe inclamat Apoſtolus, *unus*
j. Cor. j. 10. *eſſet ſpiritus, nec eſſent in nobis ſchiſmata*; nedum vel minima cum totius Eccleſiæ Capite diſſenſionis ſuſpicio. Hoc autem eò magis pertimuimus, HONORATISSIMI PRÆSULES, quòd eum Pontificem impræſentiarùm nobis providit DEUS OPTIMUS MAXIMUS, quem ob eximias, quibus abundè præditus eſt, omnium Paſtoralium virtutum dotes, non modò Eccleſiæ *Pe-*
j. Tim. iv. 12. Tit. ij. 15. *tram*; ſed etiam tanquam *Fidelium*, atque *in omnibus, exemplum bonorum operum*, debemus jure merito venerari.

Hanc noſtræ concordiæ, & ad tuendam Eccleſiæ unitatem conſpirationis ideam tam piè, tam doctè, tam facundè in omnium noſtrûm animis præformavit Illuſtriſſimus Orator, qui primus quaſi noſtrorum Comitiorum os aperuit, dum Spiritûs Sancti gratiam & auxilium communibus votis, ſacrificante Illuſtriſſimo Pariſienſi Archiepiſcopo, noſtro digniſſimo Præſide, invocavimus; ut indè noſtri Conventus feliciſſimum exitum ominati ſint univerſi.

Non dubitamus equidem, CONSACERDOTES REVERENDISSIMI, quin pergratum vobis fuerit, quod à Regis noſtri Chriſtianiſſimi pietate obtinuimus, quodque viciſſim ad pacem ſervandam, ac tanti Principis gratiam conciliandam, ſimul & ad memoris noſtri animi teſtificationem rependimus; quodque tandem ſcripſimus ad Sanctiſſimum Pontificem. Sed operæ pretium eſſe duximus aliquid ulterius explicare, ne quid unquam contingat, quod poſſit Eccleſiæ quietem ordiniſque tranquillitatem tantiſper commovere.

Sanè, cùm vel ad leviſſimam diſcordiæ umbram unuſquiſque noſtrûm exhorruerit, exiſtimavimus maximè nos Eccleſiæ unitati profuturos, ſi certas regulas conderemus; vel potiùs antiquas in fidelium memoriam revocaremus, quibus tota Eccle-
Act. xx. 28. ſia Gallicana, quam *nos regere poſuit Spiritus Sanctus*, ita ſecura eſſet, ut nemo unquam vel deformi aſſentatione, vel abruptâ
Prov. xxij. 28. falſæ libertatis cupiditate, *terminos tranſgrederetur quos poſuerunt Patres noſtri*; ſicque nos ab omni diſſenſionis periculo explicata veritas liberaret.

Quandoquidem verò non modò tenemur Catholicorum paci.

ſtudere, ſed etiam procurandæ eorum reconciliationi, qui *à Chriſti Sponsâ ſegregati, adulteræ conjuncti ſunt, & à promiſſis Eccleſiæ ſeparati*; (S. Cypr. lib. de Unit. Eccl. p. 78.) adhuc ea ratio nos impulit, ut eam aperiremus, quam veram eſſe arbitramur, Catholicorum ſententiam. Sic enim factum iri ſperavimus, ut *nemo ampliùs fidelium fraternitatem mendacio fallat, aut fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat*; (Ibid.) & qui in Romanam Eccleſiam, erroris nobis affictі ſpecie, velut in reprobatam Babylonem hactenùs debacchati ſunt, quia mentem noſtram vel ignorârunt, vel ſe ignorare ſimulârunt, detractâ tandem falſitatis larvâ, à calumniis ſuis impoſterùm temperent, & in ſuo ſchiſmate, quod tanquam ipsâmet Idololatriâ deteſtabilius crimen execratur Auguſtinus, diutiùs non perſeverent. (S. Aug. Ep. lj. al. clxxij. tom. ij. p. 116.)

Profitemur itaque, Illustrissimi Præsules, quamvis *duodecim, quos elegit* Jesus *& Apoſtolos nominavit*, (Luc. vj. 13.) ſic, ad regendam *in ſolidum* ſuam Eccleſiam, conſtituerit, ut eſſent *pari*, ſicut loquitur S. Cyprianus, *honoris & poteſtatis conſortio præditi*, (S. Cypr. de Unitat. Eccl. loc. jam cit.) Primatum tamen Petro divinitùs fuiſſe conceſſum; quod & ab Evangelio diſcimus, & tota docet Eccleſiaſtica Traditio. Quare in Romano Pontifice, Petri ſucceſſore, *Summam, licèt non ſolam*, cum B. Bernardo, *à Deo inſtitutam Apoſtolicam poteſtatem* (S. Bern. lib. iij. de Conſid. cap. iv. n. 17. p. 433.) venerati, ſervato crediti nobis Chriſti Sacerdotii honore, Claves primùm uni traditas eſſe, ut unitati ſervarentur, cum ſanctis Patribus, Eccleſiæque Doctoribus prædicamus; ſicque Summorum Pontificum, ſeu quoad fidem, ſeu quoad generalem diſciplinæ morumque reformationem decretis, fideles omnes cenſemus eſſe obnoxios, ut ſupremæ illius ſpiritualis poteſtatis uſus per Canones totius Orbis obſervantiâ conſecratos determinandus moderanduſque ſit: ſi qua autem ex Eccleſiarum diſſenſione, gravis difficultas emerſerit, *Major*, ut loquitur Leo Magnus, *ex toto Orbe Sacerdotum numerus congregetur, generaliſque Synodus celebretur, quæ omnes offenſiones ita aut repellat aut mitiget, ne ultrà aliquid ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum.* (S. Leo Ep. ad Theodoſ. Aug. xxxiv. al. xxiv. cap. ij. iij.)

Cæterùm, Fratres Religiosissimi, cùm Reſpublica Chriſtiana, non Sacerdotio tantùm, ſed etiam Regum & *ſublimiorum poteſtatum* Imperio gubernetur; ita quoque ut proſpeximus, ne ſchiſmatibus dividatur Eccleſia, ſic & debuimus omnibus Imperii tumultibus, populorumque motibus obviam ire,

in eo præſertim Regno, in quo tot olim, ſpecie religionis, perduelliones exortæ ſunt, ac propterea Regiam autoritatem, quoad temporalia, à Pontificiâ liberam eſſe pronuntiavimus, ne ſi fortè Eccleſiaſtica poteſtas crederetur aliquid moliri quod temporalem minueret, Chriſtiana tranquillitas turbaretur.

Rogamus porrò fraternitatem pietatemque veſtram, REVERENDISSIMI PRÆSULES, ut quondam Concilii Conſtantinopolitani primi Patres rogabant Romanæ Synodi Epiſcopos, ad quos Synodalia ſua geſta mittebant, ut de iis, quæ, ad Eccleſiæ Gallicanæ perpetuò ſartam tectam conſervandam pacem explicuimus, nobis *congratulemini*, & idem nobiſcum ſentientes, eam, quam communi conſilio divulgandam eſſe cenſuimus, doctrinam, in veſtris ſinguli Eccleſiis, atque etiam Univerſitatibus & ſcholis veſtræ Paſtorali curæ commiſſis, aut apud veſtras Diœceſes conſtitutis, ita procuretis admitti, ut nihil unquam ipſi contrarium doceatur. Sic eveniet ut, quemadmodum Romanæ Synodi Patrum conſenſione, Conſtantinopolitana uuiverſalis & Œcumenica Synodus effecta eſt, ita & communi noſtrûm omnium ſententiâ noſter Conſeſſus fiat Nationale totius Regni Concilium; & quos ad vos mittimus doctrinæ noſtræ articuli, fidelibus venerandi & nunquam intermorituri Eccleſiæ Gallicanæ Canones evadant.

Epiſt. Synod. Conc. Conſt. I. ad Conc. Rom. T. ij. Conc. p. 960.

Optamus vos ſemper in Chriſto benè valere, precamurque Deum immortalem, ut veſtram fraternitatem, ad Eccleſiæ ſuæ bonum, florentem & incolumem ſervet.

Vobis ADDICTISSIMI COLLEGÆ
Archiepiſcopi, Epiſcopi & cæteri Eccleſiaſtici
viri à Clero Gallicano deputati.

FRANCISCUS Archiepiſcopus
Pariſienſis, Præſes.

Pariſiis 14. *Kalend. April.*
ann. 1682.

De mandato Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque cœtûs Eccleſiaſtici in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.

MAUCROIX *Canonicus Remenſis à Secretis.*

COURCIER *Theologus Eccl. Pariſ. à Secretis.*

EDIT DU ROY.

Sur la Declaration faite par le Clergé de France, de ſes ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique.

Regiſtré en Parlement le 23. Mars 1682.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, à tous preſens & à venir, SALUT. Bien que l'independance de notre Couronne de toute autre puiſſance que de Dieu, ſoit une verité certaine & inconteſtable, & établie ſur les propres paroles de JESUS-CHRIST, Nous n'avons pas laiſſé de recevoir avec plaiſir la Declaration que les Députés du Clergé de France aſſemblés par noſtre permiſſion en notre bonne Ville de Paris, nous ont preſentée, contenant leurs ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique; & nous avons d'autant plus volontiers écouté la ſupplication que leſdits Députés nous ont faite de faire publier cette Declaration dans notre Royaume, qu'étant faite par une Aſſemblée compoſée de tant de perſonnes également recommandables par leur vertu & par leur doctrine, & qui s'employent avec tant de zele à tout ce qui peut être avantageux à l'Egliſe & à notre ſervice, la ſageſſe & la moderation avec laquelle ils ont expliqué les ſentimens que l'on doit avoir ſur ce ſujet, peut beaucoup contribuer à confirmer nos ſujets dans le reſpect qu'ils ſont tenus comme nous de rendre à l'autorité que Dieu a donnée à l'Egliſe, & à ôter en même-tems aux Miniſtres de la religion pretenduë Reformée le pretexte qu'ils prennent des livres de quelques Auteurs, pour rendre odieuſe la puiſſance legitime du Chef viſible de l'Egliſe, & du centre

de l'unité Eccleſiaſtique. A CES CAUSES & autres bonnes & grandes conſiderations à ce nous mouvans, après avoir fait examiner ladite Declaration en notre Conſeil, Nous par notre preſent Edit perpetuel & irrevocable, avons dit, ſtatué & ordonné, diſons, ſtatuons & ordonnons, voulons & nous plaît, que ladite Declaration des ſentimens du Clergé ſur la puiſſance Eccleſiaſtique cy-attachée ſous le contreſcel de no-Chancellier ſoit enregiſtrée dans toutes nos Cours de Parlement, Baillages, Senéchauſſées, Univerſités & Facultés de Theologie & de Droit Canon de notre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de notre obeïſſance.

I.

Défendons à tous nos ſujets, & aux étrangers étans dans notre Royaume, ſéculiers & reguliers, de quelque Ordre, Congregation & Societé qu'ils ſoient, d'enſeigner dans leurs Maiſons, Colleges & Seminaires, ou d'écrire aucune choſe contraire à la doctrine contenuë en icelle.

I I.

Ordonnons que ceux qui ſeront dorénavant pour enſeigner la Théologie dans tous les Colléges de chaque Univerſité, ſoit qu'ils ſoient ſéculiers ou réguliers, ſouſcriront ladite Déclaration aux Greffes des Facultés de Théologie, avant de pouvoir faire cette fonction dans les Colléges ou Maiſons, ſéculiéres & réguliéres; Qu'ils ſe ſoûmettront à enſeigner la doctrine qui y eſt expliquée, & que les Syndics des Facultés de Théologie préſenteront aux Ordinaires des lieux, & à nos Procureurs généraux des copies deſdites ſoûmiſſions ſignées par les Greffiers deſdites Facultés.

I I I.

Que dans tous les Colléges & Maiſons deſdites Univerſités, où il y aura pluſieurs Profeſſeurs, ſoit qu'ils ſoient ſéculiers ou réguliers, l'un d'eux ſera chargé tous les ans d'enſeigner la doctrine contenuë en ladite Déclaration; & dans les Colléges où il n'y aura qu'un ſeul Profeſſeur, il ſera obligé de l'enſeigner l'une des trois années conſécutives.

I V.

Enjoignons aux Syndics des Facultés de Théologie de préſenter tous les ans avant l'ouverture des leçons aux Archevêques ou Evêques des villes où elles ſont établies, & d'envoyer à nos Procureurs généraux les noms des Profeſſeurs qui ſeront chargés d'enſeigner ladite doctrine, & auſdits Profeſſeurs de repréſenter auſdits Prélats & à noſdits Procureurs généraux les écrits qu'ils dicteront à leurs Ecoliers, lorſqu'ils leur ordonneront de le faire.

V.

Voulons qu'aucun Bachelier ſoit ſéculier ou régulier, ne puiſſe être dorénavant Licentié, tant en Théologie qu'en Droit Canon, ni être reçu Docteur, qu'après avoir ſoûtenu ladite doctrine dans l'une de ſes Théſes; dont il fera apparoir à ceux qui ont droit de conférer ces dégrés dans les Univerſités.

V I.

Exhortons, & néanmoins enjoignons à tous les Archevêques & Evêques de notre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de notre obéïſſance, d'employer leur autorité pour faire enſeigner dans l'étenduë de leurs Diocèſes la doctrine contenuë dans ladite Déclaration, faite par leſdits Députés du Clergé.

V I I.

Ordonnons aux Doyens & Syndics des Facultés de Théologie de tenir la main à l'éxécution des préſentes, à peine d'en répondre en leur propre & privé nom.

Si donnons en mandement à nos amés & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, que ces préſentes nos Lettres en forme d'Edit, enſemble ladite Déclaration du Clergé, ils faſſent lire, publier & enrégiſtrer aux Greffes de noſdites Cours, & des Bailliages, Sénéchauſſées & Univerſités de leurs reſſorts, chacun en droit ſoi, & ayent à tenir la main à leur obſervation, ſans ſouffrir qu'il y ſoit contrevenu directement ni indirectement, & à procéder contre les contrevenans

en la maniere qu'ils le jugeront à propos, ſuivant l'éxigence des cas. CAR tel eſt notre plaiſir. Et afin que ce ſoit choſe ferme & ſtable à toûjours, Nous avons fait mettre notre ſcel à ceſdites préſentes. DONNE' à ſaint Germain en Laye, au mois de Mars l'an de grace 1682. & de notre Regne le trente-neuviéme. Signé, LOUIS. *Et plus bas.* Par le Roy, COLBERT. *Viſa*, LE TELLIER. Et ſcellées du grand Sceau de cire verte.

Régiſtrées, ouï, & ce réquérant le Procureur Général du Roy, pour être éxécutées ſelon leur forme & teneur, ſuivant l'Arrêt de ce jour. A Paris en Parlement le 23. *Mars* 1682. Signé, DONGOIS.

Digitized by Google

GALLIA ORTHODOXA

SIVE

VINDICIÆ SCHOLÆ PARISIENSIS

TOTIUSQUE CLERI GALLICANI

Adverſus nonnullos.

DE CAUSIS ET FUNDAMENTIS HUJUS OPERIS

PRÆVIA ET THEOLOGICA DISSERTATIO.

I.

An tacere oporteat Gallos, erroris ac ſchiſmatis ab illuſtriſſimo Roccaberto & aliis, apud Summum Pontificem accuſatos.

AGGRESSURO graviſſimam quæſtionem, veteremque ſcholæ Pariſienſis, imò verò totius Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam ab omni erroris ſuſpicione defenſuro, multa ſanè occurrunt, quæ à ſcribendo deterreant, multa quæ impellant. Deterret imprimis illa inſita pectori ſedis Apoſtolicæ reverentia, atque in ejus laudem propenſio ſingularis, omni quidem tempore (quippè quæ ab ipſâ fidei Catholicæ ratione ac

Digitized by Google

profeſſione profecta ſit) nunc autem vel maximè ſub Innocentio XII. optimo, juſtiſſimo, beneficentiſſimo Pontifice ac parente, cujus in obſequium pronæ Regis invicti, ac totius Regni Chriſtianiſſimi voluntates. Etſi enim ſatis nobis conſcii ſumus, ego & cæteri Epiſcopi ac Theologi Gallicani, priſcâ illâ ſententiâ, quam Pariſienſium & Gallicanam vocant, amplificari, commendarique ſedis Apoſtolicæ Majeſtatem; tamen, vel in ſpeciem à nobis imminutam videri, idque à tot adverſariis per univerſum orbem tantis jactari clamoribus, moleſtiſſimum eſt. Ac profectò, ſi ab iniquis cenſoribus impetrari potuiſſet ut nos tranquillos ſinerent in Eccleſiæ Catholicæ, & fidei Apoſtolicæ ſinu conquieſcere, tutiore conſcientiâ ſileremus. Sed enim gravior nos cura ſollicitat, tot editis libris, atque etiam recentiſſimis illuſtriſſimi Roccaberti Archiepiſcopi Valentini prægrandibus ſcriptis, datis quoque literis ad optimum Pontificem, erroris ac ſchiſmatis, quin etiam hæreſis poſtulatos. Quam accuſationem ſi taciti ferimus, priſcum illud Galliæ ſemper Orthodoxæ evaneſcit decus; eaque gloria, quam apud plebes noſtras in Chriſto nos habere oportet, concidit. Quo loco commemorare non piget eos qui ſcripſerint, in his quidem quæſtionibus de ſummâ Catholicæ fidei agi, quaſi nunc primùm in Eccleſiâ audiantur, non autem à tot ſæculis, nullo erroris, nullo ſchiſmatis metu, pertractatæ fuerunt.

II.

Duo libelli memorantur, unà cum cenſurâ illuſtriſſimi Archiepiſcopi Strigonienſis.

Vid. præf. Aut. in append.

AC primùm divulgati libelli duo, quorum alteri titulus: *Ad illuſtriſſimos & reverendiſſimos Galliæ Epiſcopos diſquiſitio Theologico-juridica ſuper Declaratione Cleri Gallicani factâ Pariſiis* 19. *Mart.* 1682. Alter inſcribitur: *Doctrina quam de Primatu, autoritate, & infallibilitate Romanorum Pontificum tradiderunt Lovanienſes ſacræ Theologiæ Magiſtri, ac Profeſſores tàm veteres, quàm recentiores &c. Declarationi Cleri Gallicani de Eccleſiaſticâ poteſtate nuper editæ, oppoſita.* Uterque anonymus: utroque nobiliſſimæ ſcholæ Pariſienſis, totiuſque adeò Cleri Gallicani antiquiſſima ſententia non tantùm impugnatur, verùm etiam proſcribitur, ut *quæ faveat hæreticis, Romanum Pontificem dignitate Primatûs, Divinâ ei ordinatione conſtituti, exuat, ac ſedem Apoſtolicam labefactet; quin etiam exſuſcitet Wiclefi errores à Conſtantienſi Concilio condemnatos.* Miram rem! ut quod Synodus Conſtantienſis de ſupremâ Conciliorum autoritate ſanxerit, in Wiclefo ipſa proſcripſerit. Doctrinæ Lovanienſium quis autor fuerit, etiamnùm ignoramus. Nicolaus Dubois ſacrarum literarum in Univerſitate Lovanienſi Profeſſor primarius, ſe ipſe diſquiſitionis autorem profeſſus, parùm probatus ſuis, clamoſior ſcilicet, quàm doctior, alias ſcriptiunculas ſparſit, ut, ſi non vi ac pondere, nos numero ſaltem premere velle videatur. Atque hæc apud vicinos Belgas agebantur. Verùm ex

Doct. Lov. præf. vid. diſquiſ. art. IV. p. 21. 22.

Digitized by Google

longinquo gravioris belli metus; nec jam diſquiſitio, aut tractatio, ſed cenſura. Nempè illuſtriſſimus Georgius * Strigonienſis Archiepiſcopus, ac Regni Hungariæ Primas, oſtentatâ primùm Concilii Nationalis autoritate (credo ut Clero Gallicano parem Ungarici Cleri autoritatem opponeret) ipſe interim, *dum præfata Synodus ſuo tempore celebretur*, cum quinque fortaſſe vel ſex Epiſcopis non eſt veritus, tot Gallicanorum Epiſcoporum, ipſiuſque adeò Eccleſiæ Gallicanæ, ut quidem ipſe perhibet, *decreta configere, propoſitiones interdicere, proſcribere, prohibere, ut quæ Chriſtianis auribus abſurda, ac planè deteſtabiles, noxiæ, periculoſæ in fide, ac per Ungarici quoque Regni Provincias à Satanæ Miniſtris diſſeminata, blandæ pietatis ſpecie ſchiſmaticum virus inſtillent.* En ſchiſmatis rei ac Satanæ Miniſtris venena ſubminiſtrant tot Catholicarum Eccleſiarum Præſides, ſedis Apoſtolicæ communicatores; certè, ut cætera omittamus, intactâ, innocuâque doctrinâ, quam nulla unquàm Eccleſiæ cenſura proſcripſit. Id enim primus omnium, ac ſolus remanſurus Strigonienſis Archiepiſcopus prolato judicio fecit, ſibi ipſe contrarius: quippè qui de noſtrâ doctrinâ ſententiam tulerit, ſimul pronuntiaverit: *ad ſolam ſedem Apoſtolicam Divino & immutabili privilegio ſpectare, ut de controverſiis fidei judicet.* Quâ de re non eſt hîc dicendi locus.

* Zelepechini.

Cenſ. Hungar. vid. in vind. doctr. maj. ſcol. Pariſ.

III.

Eminentiſſimi Cardinalis Daguirrei ſententia.

CÆTERÙM Hiſpani cum Belgis Coronæ ſuæ ſubditis concinunt. Primus omnium vir eruditiſſimus atque amiciſſimus, ac multis jam titulis clarus, nunc etiam Romanâ purpurâ decoratus, F. Joſephus Daguirreus volumen ingens edidit, cujus inſcriptio eſt: *Autoritas infallibilis, & ſumma cathedræ ſancti Petri, extrà & ſuprà Concilia qualibet, atque in totam Eccleſiam denuò ſtabilita &c. ſive Defenſio cathedræ ſancti Petri adversùs Declarationem nomine illuſtriſſimi Cleri Gallicani editam Pariſiis*, die 19. Mart. MDCLXXXII. Et is quidem paſſim inculcat doctrinam eam quam tradit, *fide Divinâ & Catholicâ certam, quæ proindè ſine hæreſi negari non poſſit; opinionem negantem refutandam tanquàm hæreticam*, alibi ex Melchiore Cano *erroneam; declarationem autem ab Epiſcopis Gallicanis revocandam publicè, ac penitùs abolendam; cùm ſingulæ ejus theſes graviſſimis cenſuris notatæ inveniantur ab omnibus ferè Catholicis Scriptoribus Doctoribuſque, & nuperrimè à Cenſoribus Romanis.* Quâ de re nihil inaudivimus. *Cæterùm*, inquit, *in hâc florentiſſimâ Academiâ Salmanticenſi, cæteriſque Hiſpaniæ, ubi nemo curialis eſt, omnes uno animo illas theſes diris, & exsecrationi devovent, idque palàm teſtabuntur, ſi Pontificium de ferendo judicio mandatum acceſſerit.* Hæc vir optimus & candidiſſimus hoſtili nimis animo, ac gentis ſuæ præjudiciis actus, in Gallos curiales viſos, quòd avitam doctrinam tueantur, eam quam Hiſpani quoque & Belgæ antiquitùs propugnaverint. Scilicet curialis Toſtatus Salmanticenſis Acade-

De illo vid. lib. V. cap. II. not.

Diſputat. XXII. n. 16. 17. 18. &c.

Diſp. VII. n. 16.

Diſp. XL. n. 17.

Diſp. XVI. n. 61. XXII. n. 59.

miæ lumen, ipſi eminentiſſimo Daguirreo *Hiſpaniæ Salomon*; curialis Adrianus VI. Papa, columen Lovanienſis Academiæ, aliique omnes ſtatim cum laude appellandi, qui Pariſienſium ſententiam toto orbe celeberrimam, & ab omni notâ integram, tùm cùm Galli Hiſpanique ac Belgæ mirum in modum conſentirent, acceptam à Majoribus, penitùs imbiberunt.

Quin etiam Scriptor clariſſimus, nec unquàm ſine honore nominandus, cùm tot ac tantos appellaverit, qui Pariſienſibus conſentirent, mirari ſe dicit, in tantâ eruditionis luce, quanta & qualis fulget in hoc politiſſimo ſæculo, potuiſſe exiſtere, præſertim Lutetiæ Pariſiorum, qui revocarent
Diſputat. XXXVI. n. 2. AB ORCO opinionem illam de poteſtate Synodi œcumenicæ ſuprà Papam. AB ORCO! ſententiam, quam tot viri pii doctique, neque Galli noſtri tantùm, verùm etiam Itali, Hiſpani, Belgæ, ipſo etiam teſte, propugnârint. Quo quid eſt iniquiùs comparatum?

Cùm autem ſic exarſerit vir mitiſſimus, tamen pro æquitate ſuâ, *ab*
Diſputat. XXII. n. 2. 3. *omni cenſura abſtrahendum docet:* memor ſcilicet ſeveri diplomatis Innocentii XI. anno 1679. diſtrictè *præcipientis, in virtute ſanctæ obedientiæ, omnibus Catholicis Scriptoribus, ut caveant ab omni cenſurâ & notâ, & à quibuſcumque conviciis, contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à ſanctâ Sede, re cognitâ, ſuper eiſdem propoſitionibus judicium proferatur.* Quæ ſanè præcepta quàm obſervaverit, qui diris, qui execrationi, ut AB ORCO revocatam, contrariam ſententiam
Ibid. n. 3. 11. devovet, ipſi æſtimandum relinquimus. Sanè pro virili parte id agit, ut ab omni cenſurâ in Pariſienſium ſententiam, *ſaltèm directè latâ* abſtinendum putet, quòd id ad ſolam Sedem Apoſtolicam ſpectet. His quidem verbis haud obſcurè viſus arguere Strigonienſis Antiſtitis immodeſtiam, qui nec à directâ cenſurâ temperaverit, ut vidimus.

IV.

Reverendiſſimus Pater Tyrſus Gonzales.

Gonz. de infall. R. P. diſput. XI. ſect. VI. p. 593. MAJOREM tamen in modum eam cenſuram commendat P. Tyrſus Gonzales, non ſine honore appellandus, quippè ſocietatis Jeſu Præpoſitus generalis, & impugnatâ acriter probabiliſmi ſententiâ nobilis. Ipſe Pariſienſium doctrinam ex Bellarmini decretis planè falſam, & hæ-
Ibid. diſp. I. ſect. I V. §. 3. n. 2. diſput. XII. per totam præf. p. 14. n. 23. reſi proximam, *nec modò ignotam omnibus, quorum ſanctitatem ſolenni cultu Eccleſia declaraverit, ſed etiam à graviſſimis Doctoribus gravi cenſurâ perſtrictam, ut nempè vel temerariam, vel erroneam, vel hæreſi proximam, vel Eccleſiæ perniciem afferentem:* quæ ſtatim in præfatione profeſſus, progreſſu operis, ſtabilienda pollicetur.

V.

Illuſtriſſimus Roccabertus Archiepiſcopus Valentinus omnium immitiſſimus.

Rocc. de R. P. infall. tom. I. præfat. p. 1.

SED profectò unus omnium longè acerbiſſimus, immeritæ Galliæ bellum indixit, illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Roccabertus (*a*) Archiepiſcopus Valentinus. Primùm enim, ac ſtatim operis ab initio, ita conſtituit quæſtionem: *Graviſſima Catholicos inter & hæreticos, circa Romani Pontificis infallibilitatem, ſemper exiſtit controverſia, quæ præcipuè à Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii temporibus, ad hanc uſque ætatem utrimquè acriter decertatur.* Peſſimâ fide: id enim agit ſtatim, ut, qui infallibilitatem illam non admiſerint, pro hæreticis habeantur; tùm ſubdit: *Hæretici enim, utpotè infenſiſſimi Pontificiæ autoritatis inimici, negativæ aſſertioni tenaciter adhærent; Orthodoxi verò, quorum Catholica ineſt viſceribus religio, affirmativæ conſtantiſſimè pro aris & focis inſiſtunt.* En quid hæretici, quid Orthodoxi & Catholici, *queis religio cordi eſt*, ſentiant; pro quo hi depugnent tanquàm *pro aris & focis*, tanquàm pro re ſanctiſſimâ ac ſacratiſſimâ, hoc eſt pro religione, pro fide. Quid ergò cæteri? Quid aliud quàm hæretici, *ararumque* ac *ſacri foci* hoſtes habeantur? Atque ita ab ipſo limine conſtitutus quæſtionis ſtatus.

Ibid. n. 6. 7. 8. 9.

Atqui, te ipſo teſte, eam quoque ſententiam propugnarunt Catholiciſſimi, Almainus, Gerſon ille, ut ipſe memoras, *D. Bernardo conſonans mirificè, celebris Gallicanus ſcriptor, Pariſienſis Cancellarius:* neque is profectò ſolus; *his adhæret Driedo*, non is quidem Gallus è Pariſienſium ſcholâ, ſed Belga, Lovanienſis ſuæ Academiæ decus. Quid Alphonſus de Caſtro? *Prædictis*, inquit, *conſonat:* neque ille ſanè Gallus, ex inclytâ Hiſpanicâ Natione, Franciſcanoque ordine, patrum noſtrorum memoriâ Theologus nobilis. Quid autem quatuor nominas ad Gallorum invidiam? Noſtri quaſi hos tantùm adſtipulatores habeant, alios prætermittis toto orbe celeberrimos, ab ipſo Bellarmino, ab ipſo Daguirreo, ab ipſo Thyrſo Gonzale ritè appellatos: in his Alphonſum Toſtatum Epiſcopum Abulenſem Hiſpaniæ lumen, Adrianum VI. Papam Lovanienſis Academiæ decus, Caroli V. Auguſti ac Regis Hiſpaniæ Præceptorem, denique omnium Chriſtianorum Patrem, cæteros innumerabiles, quos

Ibid. lib. I. n. 8.

Ibid. n. 9.

(*a*) *Roccabertus*] Joannes Thomas, ex Dominicanorum familiâ, per varios dignitatum gradus ordinis ſui Præpoſitus generalis, deindè Archiepiſcopus Valentinus &c. eò ut probaret ſe ſummi Pontificis ſtudioſum, & ſupremi ejus dominatûs ſtrenuum defenſorem, tria volumina in fol. Valentiæ anno 1693. & 1694. typis mandavit, plena opinionum quibus ſanctæ Sedis Majeſtas non tàm amplificabatur quam minuebatur. Poſteà idem collecta variorum de eâdem re ſcripta, ſuis ſumptibus Romæ recudit XXI. vol. in fol. ſub hoc titulo: *Bibliotheca Romana Pontificia.* Ejus tractatus *de Pontificiâ autoritate* Gallis vehementer diſplicuit, tùm propter doctrinæ capita falſa plurima, tùm propter multa ab eo, ſchiſmatum & incendiorum quaſi concitatore, in Præſules Gallicanos contumeliosè dicta. Qui tractatus ne venderetur, Curia Pariſienſis cavit edicto 2°. Decemb. 1695. Mirum Roccabertum fuiſſe à D. DUPIN ſilentio prætermiſſum in ſuâ Biblioth. Eccleſ. Vid. Echard Bibl. ord. Prædic. & Mor. edit. 1632.

Ibid. nec ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltèm rumor aſperſit: nempè illi, te arbitro, *ratione ſtatûs ac profeſſionis inter Catholicos annumerantur;* Catholici ſcilicet, ſi tibi aſſerenti credimus, nomine, non fide, non re, atque hæreticos inter potiùs recenſendi. Sic cenſet Roccabertus. Itaque haud ſecùs ſævit in Gallos, quàm ut in apertos Catholicæ religionis hoſtes, nec veritus ad Innocentium XII. tàm pium Pontificem hæc infanda perſcribere: *Eorum operâ Eccleſiam turbulentiſſimis errorum flatibus concuti, Petri naviculam, & infallibilem ejus autoritatem, tartareis hæreſûm fluctibus agitari: quæ errorum monſtra toto Chriſtiano orbe pellenda ſint.* Sic enim exiſtimant, ſat victos, proſtratoſque adverſarios, ſi *orcum*, ſi *tartara*, ſi *monſtra* omnigena objecerint, atque hos, tetris vocibus, tanquàm pueros territarint.

Epiſt. dedic. tom. I.

Multò tamen atrociùs inſurgit in alterâ epiſtolâ tomo III. præfixâ ad eundem optimum, maximumque Innocentium XII. ubi omni ope ſuadere nititur, à Gallis tetrum *ſchiſma parari*, per eas propoſitiones *quas cætera Regna ut erroneas, impias in fide, ſcandaloſas, averſentur: qui ſe Chriſtianiſſimos glorientur, unà cum hæreticis conſpirare: hinc intolerabilia damna ſubiriri*, neque omninò dubitandum, *quin jam in illo Regno, prædictarum propoſitionum lue graſſante, innumerabili ignaræ plebis multitudini, plurima eaque irreparabilia, in materiâ fidei & religionis detrimenta immineant. Itaque Gallicanum Regnum miſerandum futurum, niſi ſub feliciſſimo tanti Pontificis regimine efficaciſſimum adhibeatur remedium, quo graviſſimis animarum hujus Regni periculis medeatur.* Quibus ſatis indicat, ſummo in periculo ad extrema omnia decurrendum; ac ne quis ambigat quid agendum velit, inter approbatores profert, Iſidorum Aparacium, qui omnimodis contumeliis Gallos adortus, etiam ad Innocentium XII. ſermone converſo, ad hæc horrenda devenit: *Utimini*, inquit, *oblatâ vobis à Deo opprimendi perfidos occaſione: pertinet ad officium Innocentis, non ſolum nemini malum facere, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipſe qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.*

Epiſt. dedic. tom. III.

Tom. II. epiſt. Iſid. Apar. Gilar.

Cæteros approbatores omitto, qui conjuratione factâ, longiſſimis & faſtidioſiſſimis elogiis editis, Archiepiſcopo adulantur, & Gallorum proſcindunt fidem: tanquàm non in Regnum, ſed in Eccleſiam quoque Gallicanam, tantam Eccleſiæ Catholicæ partem, inexpiabile bellum gererent.

Atque hæc Valentiæ evulgantur anno 1694. jam compoſitis Romæ, cum Clero Gallicano rebus, poſteà quàm optimo Pontifici ſatisfactum, promotique ad ſedes vacuas Epiſcopi Gallicani, nuſquàm incuſatâ eorum fide. Quæ quidem Hiſpanorum produnt inclementiam, qui in re quoque Eccleſiaſticâ hoſtile odium induerint, omnibuſque artibus ac viribus prohibere conati ſint, ne pax Eccleſiæ coaleſceret: ſimul Pontificii animi magnitudinem oſtendunt ac benignitatem; cùm verè ſanctiſſimus Innocentius XII. nec tot adverſariorum clamoribus ac machinationibus, imò comminationibus, deterreri potuerit, quominùs nos omnes, totumque Gallicanum Clerum, pacatus ac mitis, paternum in ſinum admitteret.

Digitized by Google

VI.

Gallicanam Declarationem immeritò impugnatam, tanquàm eſſet decretum fidei, ex actis demonſtratur.

SANÈ non latet, quid Eccleſiaſticæ paci obtenderint: nempè Clerum Gallicanum, decreto peculiari de fide condito, ſe ab omnibus aliis gentibus Catholicis abrupiſſe; id enim & Archiepiſcopus Valentinus in illâ dedicatoriâ ad Pontificem Tom. III. epiſtolâ, miris vociferacionibus atque apertis odiis exaggerat; Et ipſe Daguirreus non tacet: quippè qui exprobret *Galliarum Præſulibus, non licuiſſe ipſis ſua paradoxa publici juris facere, & mittenda curare ad omnes Eccleſias, veluti quamdam fine omninò, imò & Catholicæ doctrinæ formulam, quâ omnes conſtringerent:* quod à Cleri Gallicani mente longè alieniſſimum fuit. Sic enim ipſa Conventûs habiti Pariſiis apud Auguſtinianos geſta teſtantur: probatis quippè per Provincias unanimi conſenſu, quatuor articulis, item epiſtolâ, quæ cum iiſdem articulis ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos Gallicanos mitteretur, *Illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Cameracenſis* * *dixit, ſe quidem in ſententiâ contrariâ educatum, ſtatim exiſtimaſſe non poſſe fieri, ut in communem ſententiam conſentiret, verùm non poſſe abſtinere ſe, quin convictum ſe eſſe fateatur, ipſâ vi veritatis conſtabilitæ per illuſtriſſimum ac reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Tornacenſem, & alios illuſtriſſimos ac reverendiſſimos Epiſcopos deputatos; ſibique jam omninò perſuaſum eſſe, eorum ſententiam omnium eſſe optimam, quam eò libentiùs complecteretur, quòd non ea eſſet mens ſacri Conventûs, ut ex illâ ſententiâ decretum fidei faceret, ſed tantùm ut eam opinionem adoptaret.* Verba Gallica referemus: QUE L'ON NE PRETENDOIT PAS EN FAIRE UNE DECISION DE FOY, MAIS SEULEMENT EN ADOPTER L'OPINION. *Ceterùm gratulari ſe Provinciæ ſuæ, de eximiâ eruditione quam idem illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Epiſcopus Tornacenſis in hoc negotio tractando oſtendiſſet.* Quæ probata ab omnibus, & ad rei memoriam ſempiternam in acta relata ſunt, die junii 19. horâ poſt meridiem tertiâ, anno 1682.

Vid. tom. III. epiſt. dedic.
Daguir. diſp. XI. n. 1. 3.
Act. Conv. Cler. Gall. an. 1682. MSS.
* Jacobus Theodorus de Brias in Arteſiâ natus.
Vid. relat. Epiſc. Tor. ſup. & not. ad præfat. Aut. in append.

En perſpicuis verbis Gallicani Patres teſtantur ac probant, non eo ſe animo fuiſſe, ut decretum de fide conderent, ſed ut *eam opinionem* tanquàm potiorem, atque *omnium optimam* adoptarent. Opinionem ſanè: non ut eminentiſſimus Daguirreus objectabat, *Catholicæ doctrinæ formulam*, quæ animos *conſtringeret*. Itaque reverà ab omni cenſurâ temperant, nuſquàm fidem ipſam nominant, nemini excommunicationem intentandam putant. Legatur Declaratio, verba expendantur; nihil reperietur quod fidei formulam ſapiat. Sanè ab initio memorantur *Eccleſiæ Gallicanæ decreta*: an decreta de fide, ad quæ ſub animarum periculo conſtringantur? de his ne verbum quidem: decreta dixerunt notiſſimis vocibus ac Latiniſſimis, priſcam & inolitam, id eſt conſuetam in his parti-

bus, ſententiam; non fidem quâ omnes tenerentur. Idcircò nec piguit Gallos ad Epiſcopatum promovendos, datis ad Pontificem maximum literis, id verè, id obedientiſſimè profiteri & ſubſcribere: *Quidquid in iiſdem Comitiis circa Eccleſiaſticam poteſtatem & Pontificiam autoritatem decretum cenſeri potuit, pro non decreto haberi velle: mens nempè*, inquiunt, *noſtra non fuit quidquam decernere*. Quod in ipſo Conventu clarâ voce teſtatos ex geſtis vidimus. Nihil nempè decretum, quod ſpectaret ad fidem, nihil eo animo ut conſcientias conſtringeret, aut alteriùs ſententiæ condemnationem induceret: id enim nec per ſomnium cogitabant. Quare cùm tale decretum à Clero Gallicano editum putaretur, id à ſe amoliti ſunt Galli, ſummo cum animi dolore; neque aliud quidquam de ipſâ Declaratione, aut Pontifex voluit aut Epiſcopi præſtiterunt.

VII.

Hinc quæſtio, an licuerit accuſare Gallos, & an ipſos oporteat tueri innocentiam.

HIs ita conſtitutis, jam ab adverſariis quærimus, an licuerit eis errores circa fidem, hæreſim, infanda, ac deteſtanda dogmata imputare nobis, inurere teterrimam notam ſchiſmatis adversùs innoxios, ſedique Apoſtolicæ conjunctiſſimos, atque obedientiſſimos, tam atrocibus verbis ſedem ipſam Apoſtolicam, totamque adeò Eccleſiam commovere; & an liceat nobis, imò neceſſe ſit, tantam tamque manifeſtam, innocuâ defenſione, propulſare calumniam.

VIII.

Defenſio juſta & neceſſaria ubi de fide agitur.

REs quidem in aperto eſt: primùm enim fides virgo eſt tenerrimæ frontis, cui ſi quis exprobraverit, ullâ erroris labe, læſam Doctrinæ caſtitatem, non modò erubeſcere eam, verùm etiam tutari innocentiam, nec modò ſe intactâ pudicitiâ, verùm etiam integrâ famâ ſponſo Chriſto exhibere oporteat. Jam ,ut ad Epiſcopos veniamus, quis neſciat
I. Cor. IX. 15. in eo ordine, illam vigere gloriam, de quâ ſcribebat Paulus, *malle ſe mori quàm ut evacuari ſinat?* Quippè quæ ad Chriſti quoque redundet gloriam, eodem Apoſtolo dicente: *Sive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum,*
II. Cor. VIII. 23. *gloria Chriſti*. Quid autem eſt quo Epiſcopi magis glorientur, quàm ſanâ illibatâque Doctrinâ, cujus cuſtodiendæ depoſitum, & prædicandæ autoritatem à Domino acceperunt? Hanc ergò habent gloriam, nempè revelatæ & Catholicæ veritatis lucem, ipſo prædicationis officio, tanquàm ex facie Chriſti refulgentem; quæ ſi obſcuretur ac nutet, populorum

lorum etiam animi collabeſcunt, metuendumque omninò, ne illud eveniat: *Inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra: invenimur autem & falſi teſtes Dei.* Quare ut pupillam oculi tueri nos oportet noſtramque & florentiſſimi Cleri nobiſcum conſiſtentis illæſam orthodoxiæ famam: cùm præſertim ſatis conſtet eam ſententiam, quam erroris inſimulant, non à nobis ortam, ſed ab antiquo profectam; ut omninò neceſſe ſit, ſi hæretici, ſi ſchiſmatici, quod abſit, habeamur, Academiæ Pariſienſis, altricis Magiſtræque noſtræ, jam à trecentis, annis priſcum obſcuratum decus, atque à tot ſæculis, eum, qui incorruptus eſſe debeat, fontem interruptum fuiſſe; quod morte quâ non eſt terrius.

I. Cor. XV. 14. 15.

I X.

Nec ferendum Gallis objici Janſeniſmum.

PRÆTEREA objiciunt, à Clero Gallicano *foveri Janſeniſmum*, aliaſque ſectas, abſque Conciliorum ope ac ſuffragio, ab Apoſtolicâ ſede damnatas. Hujus rei gratiâ illuſtriſſimus Roccabertus paſſim in epiſtolis, ac præfationibus, P. Thyrſus Gonzales, ipſe Daguirreus modeſtiſſimus omnium, invidioſiſſimè nos traducunt. Id enim ſupererat, ut more ſolenni, etiam Janſeniſtas fingerent eos, qui accuratiſſimè omnium Janſeniſmum, omneſque ejus artes retexerunt, ut ſuo loco probabimus. Quam labem inferri nobis ſi tranquillo animo ferimus, tùm verò quid vetet quominùs reos eſſe nos atque convictos pleno ore conclament?

Rocc. præfa. & e. i. t. dedic. Gonzal. p. 113. Daguir. p. 449.

X.

Duæ aliæ cauſæ edendæ defenſionis: prima, ne lædatur Apoſtolica Sedes, quæ Gallis nullum errorem imputavit.

HUC accedunt duæ cauſæ, quæ vel maximè tacere nos vetant: quòd per latus noſtrum, ipſa ſedis Apoſtolicæ petatur dignitas, & Chriſtianiſſimi inclytique Regis noſtri pietas violetur. Ac de ſede quidem Apoſtolicâ in perſpicuo res eſt. Quo loco candidè confiteri nos oportet, Romanis Pontificibus diſplicuiſſe Gallicanam, de Eccleſiaſticâ poteſtate, Declarationem. At duplici de causâ diſplicere potuit: primùm ex doctrinâ ipsâ, tùm ex ejus doctrinæ tradendæ ratione. Solennis ſanè diſtinctio à Theologis omnibus, imò à Romanis quoque Pontificibus, haud ſemel celebrata: rejici propoſitiones quaſvis, ſeu propter ipſam rem, ſeu propter aſſerendi & proponendi modum. Prædictum autem à nobis eſt, optimis Pontificibus perſuaſum, nos peculiarem fidem condere voluiſſe, ſaltem proferre voluiſſe decretum, quod vim Epiſcopalis judicii obtineret,

& conſcientias obligaret, idque Apoſtolicæ ſedis autoritate contemptâ; quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.

Multa alia incidiſſe potuerunt, quæ Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. diſplicerent; quæ quoniam nec tueri, nec excuſare adversùs parentes optimos obedientiſſimi filii cogitamus, à nobis commemorari nihil attinet. Id quærimus, num ipſa res, ipſa ſententia Scholæ Pariſienſis, atque adeò totiûs Eccleſiæ Gallicanæ, ullâ cenſurâ affecta videatur? Sanè memorant ab Alexandro VIII. editâ proteſtatione Declarationem Gallicanam eſſe proſcriptam. Sit factum ut volunt: non contendimus; quanquam eam proteſtationem nullâ ad nos ratione perlatam eſſe conſtat. Utcumque eſt; ipſam, qualis edita fertur in vulgus, legant, relegant, inſpiciant penitùs, & expendant: nihil ſanè contra fidem comperient imputatum Gallis. At ſi quid in fide ſuſpectum, ſi quid erroneum, ſi quid hæreticum, ſi quid ſchiſmaticum docuiſſent, prætermiſſam non oportuit graviſſimam accuſationis partem: imò verò, ut veriſſimè, ita confidentiſſimè dixero, ſtudiosè evitatas omnes quæ doctrinis erroneis ac perverſis inuri ſolent notas. Non tamen ignorabant ſanctiſſimi Pontifices, quid novitii ſcriptores etiam maximi nominis, Bellarminus ac cæteri, in ſententiam Pariſienſium, durè acerbèque dixerint; ſed hæc privatorum Doctorum proprio arbitrio, nullâ autoritate fundata decreta, in cenſuram conferre publicam, alienum ab Apoſtolicâ gravitate viſum. Itaquè haud aliis conditionibus compoſitæ res ſunt. Quid enim ab Epiſcopis Gallicanis Innocentius XII. bonus ac pacificus Pontifex poſtulavit? ut erroneam, ut ſchiſmaticam, ut falſam doctrinam ejurarent? Abſit. Nempè Epiſcopi in hæc verba ſcripſerunt: *nihil enim decernere animus fuit*. En quod deprecantur, en quod Pontifex averſari jubet, decretum eſſe conditum, latum Epiſcopale judicium, eoque animo quo diximus. Hâc excuſatione, hâc purgatione ſuſceptâ, Pontificium animum adeò placatum eſſe conſtat, ut Clero Gallicano, pro ſedis Apoſtolicæ conſuetudine, impenſiſſimè faveat. Abeat ergò Declaratio, quò libuerit; non enim eam, quod ſæpe profiteri juvat, tutandam hîc ſuſcipimus. Manet inconcuſſa, & cenſuræ omnis expers, priſca illa ſententia Pariſienſium: & quanquàm Hiſpani, Belgæ, alii qui in Gallos calamum diſtrinxerant, extrema omnia intentabant, ſedis tamen Apoſtolicæ gravitas non his ſe fluctibus abripi ſinit, & antiquam, probatiſſimam, ſanè quod nunc ſufficit, probabilem inſontemque doctrinam, ut ab initio fuerat, intactam relinquit. Nihil ergò metuimus ab adverſariis qui in nos ſæviunt, & partium ſtudiis acti, horrent, execrantur, damnant quod ſedes Apoſtolica non improbat: nec differri amplius patimur defenſionem noſtram; quippè quam intelligimus cum ſedis Apoſtolicæ defenſione eſſe conjunctam.

Digitized by Google

XI.

Ludovici Magni læſa pietas defendenda fidelibus Gallis.

NEc aliâ ratione Ludovici Magni gloriam vindicamus. Refugit animus ea repetere, quæ Archiepiſcopus Valentinus de tanto Rege in ſuâ præfatione proferre non erubuerit: *Ejus ſcilicet imperiis ac minis, ad eam oppreſſionem redigi Gallos, ut vel inviti cogantur in ſuis Univerſitatibus publicè defendere propoſitiones adeò à Chriſtianâ pietate, & communi ſenſu Orthodoxorum alienas, adeò ſupremæ Apoſtolicæ Sedis autoritati indecoras, ſolique impietati & hoſtilitati, quâ in Apoſtolicum thronum invehuntur hæretici, conſonas, ac iis qui ſe veros Catholicos, Chriſtianos ac Chriſtianiſſimos gloriantur, maximè offenſivas.* Quæ animo pluſquàm hoſtili prolata, niſi fortiter propulſamus, & indignam Antiſtite Chriſtiano impotentiam caſtigamus, nimis ab officio ac fide recedimus, & religioſiſſimi pariter atque invictiſſimi Principis Majeſtatem pietatemque lædimus. Rocc.præf.

XII.

Summâ modeſtiâ cauſam hanc eſſe tractandam: Diviſio hujus operis in tres partes.

FIXUM ergò ſit & immotum, à nobis diſſimulari non poſſe graviſſimas adversùs fidem noſtram accuſationes, quas ad Sedis Apoſtolicæ & maximi Regis contumeliam pertinere conſtet; idque unum ſupereſt à Deo impetrandum, ut quò impotentiùs & injurioſiùs impetiti ſumus, eò æquiùs atque modeſtiùs cauſam coram Pontifice maximo totoque orbe Chriſtiano dicamus. Quare Italos, Hiſpanos, Belgas, ac ſingulari nomine Cardinalem Daguirreum, omni amicitiâ, officio, obſequio proſequendum, & optimo quidem animo, ſed tamen immiſericordiùs ſævientem, etiam atque etiam obſecramus, ne Chriſtianam charitatem, Chriſtianam amicitiam lædi putent, ſi antiquam ſententiam nullâ cujuſquam contumeliâ propugnamus. Decet enim conſcios veritatis, ut ad ejus obſequium benignè reducendos curent, qui ab ejus profeſſione, priſcæ traditionis immemores, receſſerunt. Hujus rei gratiâ, tria hîc tractanda ſuſcipimus: Primùm, eam ſententiam, quam Pariſienſium vocant, ab irreprehenſis Doctoribus, atque ab ipſâ Pariſienſi Theologicâ Facultate, toto orbe notiſſimâ ac laudatiſſimâ, nemine improbante, eſſe traditam: Alterum, eandem ſententiam à Conſtantienſis approbatiſſimæ Synodi temporibus confirmatam: Tertium, eandem ſententiam non tunc excogitatam, ſed ab ipſâ Chriſtianitatis origine profluentem ex communibus decretis, & ut vocant principiis Chriſtianarum gentium, ad neceſſitatem extinguendi ſchiſmatis, exponendæ fidei, ac re-

formandæ pietatis aſſumptam. Et quanquam hæc tria à Theologis operoſiſſimè pertractantur, ne tamen innocentiæ noſtræ ratio extrahatur in longum, nunc in anteceſſum ex tribus prædictis capitibus compendioſiſſimè ſeligemus ea, quibus res noſtræ ſtatim in tuto collocentur.

XIII.

Facultatis Theologicæ Pariſienſis clara & certa Sententia, ex noſtris juxta & exteris Doctoribus agnita: Pighius Navarrus, Franciſcus de Victoriâ memorantur.

AC de primo quidem capite facilè oſtendemus, non privatos Doctores, ſed integras Theologicas Facultates in hâc de quâ agitur ſtetiſſe ſententiâ: neque ſolam Pariſienſem, verùm etiam Colonienſem, Erefordienſem, Viennenſem, Academias in Germaniâ nobiles, Cracovienſem etiam apud Polonos, apud Italos quoque Bononienſem, ad hæc Lovanienſem Pariſienſis filiam, alias deniquè, quarum ſuo loco acta referemus. Sed ne fuſiùs excurrat oratio, quod eſt expeditius, ſcholam Pariſienſem omnium celeberrimam in medium afferemus. Quâ de re noſtri Doctores, Jacobus Almainus, & Joannes Major, ſub Ludovico XII. & Franciſco I. ſcriptores nobiles, hæc habent. Almainus quidem: *Concluſio eſt quam tenent omnes Doctores Pariſienſes & Galli: quòd poteſtas Papæ eſt ſubjecta poteſtati Concilii*; & hanc vocat *reſolutionem ſcholæ Pariſienſis, & Eccleſiæ Gallicanæ.* Hanc probat eâ maximè ratione, quâ Petrum Alliacenſem Cardinalem, & Joannem Gerſonem uſos fuiſſe notum. *Quod poteſtas quæ eſt in ſuppoſito deviabili, debet dirigi ſecundùm poteſtatem indeviabilem, Pontificia ſcilicet per Conciliarem.* Hæc Almainus de ſcholæ Pariſienſis, imò etiam de Eccleſiæ Gallicanæ univerſæ ſententiâ, teſtis oculatus, atque à nemine falſi reprehenſus, prodidit. Quid Major? Poſtquàm eamdem probavit ſententiam, hæc addit: *& noſtra Facultas, à diebus Concilii Conſtantienſis, in quâ plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus vel tribus Regnis, ſic hanc partem fovet, quòd nulli licuit aſſerere oppoſitum probabile, & qui tenuerit in campo revocare cogitur.* En virum optimum, ac longè doctiſſimum, de Pariſienſium, præ cæteris gentibus Chriſtianis, mirâ ſcientiæ famâ confidentiſſimè gloriantem: atque is contrariæ ſententiæ nequidem probabilitatem à noſtris relictam docet, *à diebus quidem Concilii Conſtantienſis*, hoc eſt poſtquàm expreſſè diſcuſſa res eſt. Altiore autem ex fonte manaſſe, ejus ſententiæ quam aſſerit, certitudinem, neque, ex Conſtantienſibus temporibus initium hujus doctrinæ ductum, hinc patet quòd & ipſe, & alii ad vetuſtiſſimam traditionem, Patrumque & Canonum autoritatem referendam putent.

Almain. lib. de poteſt. Eccleſ. & Laic. cap. XVIII. in app. tom. I I. Gerſon. edit. Dup. pag. 1070.

Maj. de aut. Conc. ſupr. Pap. ſolut. argument. Cajet. ibid. p. 1144.

Hos libros Almainus & Major juſſu Facultatis ediderunt. Hæc verò cùm docerent & toti Eccleſiæ teſtarentur, nullus tùm everſa omnia &

periclitari fidem, ſediſque Apoſtolicæ dignitatem; ac doctrinam illam *planè deteſtabilem*, *erroneam*, *hæreticam*, *aut ſchiſmaticam* inclamabat; neque ſe Romani Pontifices commovêre, aut libros ullâ notâ cenſuere dignos; quippè qui intelligerent, hæc verè eſſe decreta ſanctiſſimæ, & probatiſſimæ Facultatis.

Ac ne quis ſuſpicari poſſit, eos ſuæ faviſſe ſententiæ, aut Facultatis Pariſienſis fortè obſcuriorem fuiſſe ſententiam, placet conſiderare quid de eâ exteri quoque ſcripſerint. Primus Albertus Pighius Belga, adverſùs Conſtantienſia, & Baſileenſia decreta pleno ore invectus, hæc ſubdit: *Horum decretorum autoritatem aſſeruit Joannes ille Gerſon Cancellarius Pariſienſis, quem in hodiernum uſque diem univerſa illa ſchola ſequitur.* Hæc ſcribebat anno 1538. is qui de Pontificiâ poteſtate tàm inaudita ſcripſit, ut eo nomine ferè ab omnibus contemnatur, neque tamen ſcholam Pariſienſem in Gerſonis ſententiâ, tantâ conſenſione permanentem, ullâ notâ ſuggillare auſus, Gerſonem etiam *doctum* ac *pium* vocat.

Pigh. de Hierar. Eccleſ. lib. VI. cap. II. vid. in append. lib. I. cap. VIII. not.

Martinus ab Azpilcueta Navarrus, Regno ſcilicèt Navarrico oriundus, Divini humanique juris conſultiſſimus, poſtquàm Salmanticæ, & Conimbricæ docuit, Romam profectus eſt, ſummiſque Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. charus, Romæ multa ſcripſit, atque edidit. Is hæc habet: *Non eſt conſilium in præſentiâ definire, cui principaliùs poteſtas Eccleſiaſtica fuerit à Chriſto collata, an Eccleſiæ ſoli, an verò ipſi Petro, propter illam diſcordiam maximam Romanorum & Pariſienſium:* (Romanorum certè privatorum Doctorum, non profectò Pontificum, quos non æquipararet privatis Doctoribus noſtris) Pergit: *Illi* (Romani ſcilicèt) *tenent, Petro & Succeſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideò Papam eſſe Concilio ſuperiorem: ii verò quibus Joannes Gerſon adhæret, docent datam eſſe toti Eccleſiæ, licèt exercendam per unum, atque adeò in aliquot caſibus Concilium eſſe ſuprà Papam, quarum illa* (ſcilicet Romanorum) *placuiſſe videtur ſancto Thomæ & Thomæ à Vio: altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, quem frequentiùs noſtri ſequuntur.*

Bellarm. & Labb. de Script. Eccleſ. vid. in app. loc. cit.

Cap. *novit.* not. III. n. 24. *de jud.*

En quem virum, & quantæ autoritatis adjungat Pariſienſibus; eum ſcilicèt cui Canoniſtæ potiſſimùm adhæreſcant. Addit: *Hunc explicandi modum mordicùs tuetur Jacobus Almainus è Sorbonâ Theologus, & Joannes Major, qui idem facit, aiens: Roma neminem permitti tenere Pariſienſium & Panormitani ſententiam; nec rurſus Academiam illam Pariſienſem pati, ut contraria opinio aſſeratur in eâ.* Iterùm *utramque opinionem*, Italorum & Gallorum, pari æquitate refert. Itali & Galli diverſa ſentientes, æquè Catholici, nulloque diſcrimine habebantur.

Maj. in Matth cap. XVIII.

Navar. de pœnit. diſt. III.

Quæ ſententia de Gallis, adeò in totum orbem permanavit, ut Franciſcus quoque de Victoriâ Hiſpanus ſcripſerit: *Notandum quòd de comparatione poteſtatis Papæ, eſt duplex ſententia: altera ſancti Thomæ & ſequacium multorum, & aliorum Doctorum tàm in Theologiâ, quàm in jure Canonico, quòd Papa eſt ſuprà Concilium; altera eſt communis ſententia Pariſienſium, & multorum aliorum Doctorum in Theologiâ & Canonibus, ut Panormitani & aliorum, contraria: quòd Concilium eſt ſuprà Papam.* Sic antiqua placita ſcholæ Pariſienſis longè latèque per omnes Chriſtianas gentes pervulgata, ubique notiſſima, nullibi reprehenſa ſunt.

Franc. de Vict relect. IV. de pot. Pap. & Concil. v. d. in app. loc. cit.

Digitized by Google

XIV.

In Concilio palàm declarata Gallicana Sententia, nemine improbante, nec repugnante ipſo Pontifice.

NE VE hæc putent in umbratilibus prœliis atque in ſcholaſtico pulvere latuiſſe; ad Epiſcopalem ordinem, atque ad œcumenici Concilii lucem perlata eſſe conſtat: quippè cùm in ipſo Concilio Tridentino, Epiſcopi ac Theologi Gallicani ſuam de Concilii ſuprà Pontificem prærogativâ ſententiam, Cardinale Lotharingo Rhemenſi Archiepiſcopo præeunte, Legatis Pontificis, ad ipſum Pontificem perferendam palàm profeſſi ſint, totoque orbe teſtati, ſeque omnes, & univerſam Galliam nunquàm ab eâ ſententiâ deſtituram; tamen in Pontificis totiuſque adeò Concilii œcumenici communione, parique cum cæteris Epiſcopis autoritate, atque orthodoxiæ laude manſerint: quin etiam præclarum illud egregii Pontificis reſponſum eliçuerint: *Ne definirentur, niſi ea de quibus inter Patres unanimi conſenſione conſtaret.* Quæ ſanè omnia mox ex actis certiſſimis ampliùs declaranda, nunc ex Palavicini hiſtoriâ referenda duximus, ut certum fixumque ſit, de Gallorum ſententiâ improbandâ neminem in tanto Concilio, in toto orbe neminem, ac nequidem ipſum Romanum Pontificem cogitaſſe.

Vid. in append. lib. I. cap. II. & not.

Palav. lib. XIX. cap. II. & ſeq. vid. imp. cap. XV.

In app. loc. cit.

XV.

Petri de Marca de vetere Sorbonâ locus.

HÆC igitur illa eſt ſcholæ Pariſienſis atque adeò totius Eccleſiæ Gallicanæ priſca ſententia. Neque adverſarii diffitentur. Sanè Petri de Marca proferunt teſtimonium *de antiquâ Sorbonâ* eam ſententiam propugnante; neque tamen hujus viri verbis commovemur, cujus apud nos clariſſimum ingenium, ſed in Theologiâ non ſatis exercitatum; ad hæc verſatile ac lubricum, & nimiâ facilitate per varias ambiguaſque ſententias de re Eccleſiaſticâ ludere ſolitum habeatur. Id tantùm conſtare volumus, *in antiquâ Sorbonâ*, clariſſimâ illâ ac nobiliſſimâ, eam quam dicimus viguiſſe doctrinam. Quòd autem vir illuſtriſſimus utramque Sorbonam veterem ac recentem collidere voluiſſe videatur, utcumque ſe habeat, dicimus; antiquam illam Sorbonam eam eſſe, quæ in Synodo Piſanâ & Conſtantienſi luctuoſiſſimum ſchiſma compreſſerit: eam quam Pius II. ut alios omittamus, recentiſſimâ memoriâ, pro Conciliari prærogativâ, acerrimè ac totis viribus decertantem & in Sententiâ perſiſtentem, in Conventu Mantuano orthodoxiæ nomine commendârit: eam quam Theologi celeberrimi atque ipſe Melchior Canus tantæ autoritatis eſſe pronuntiaverit, ut ab ejus autoritate, non ſine te-

Gall. vindic. differt. IV. §. 2. n. 12. p. 265.

Concil. Mant. ſub Pio II. tom. XIII. Concil. p. 1771. Melch. Canus de locis

meritatis notâ, recedatur: eam quæ in Synodo Tridentinâ tantam gloriam reportaverit: eam denique quæ Academiæ Pariſienſi toto orbe terrarum tantam claritudinem comparaverit. Theol. lib. XII. cap. II.

XVI.

Gallicana Sententia poſt Conſtantienſia tempora viguit: nec tantùm in diſſidiis, ſed in altiſſimâ pace, contra Galliæ vindicatæ *autorem.*

NE ergò adverſarii, viri doctiſſimi, ſe à noſtro Marcâ deludi patiantur: ne antiquæ illi Sorbonæ detrahant: ne *Galliæ vindicatæ* autor (*b*) veteris Sorbonæ ſententiam *Conſtantienſis ac Baſileeſenſis Conciliorum*, quaſi poſteà interciderit, conſtringat finibus atque temporibus. Satis enim oſtendimus poſterioribus quoque ſæculis atque in ipſâ Tridentinâ Synodo floruiſſe: neque idem commemoret *veterem Sorbonam eam eſſe in quâ Gerſonis ſententia*, ſive ut ait *Machæra*, *in Univerſitate Pariſienſi ab aliquo Doctorum exprimeretur, terrendo Pontifici; ſi quandò inter Pontifices Regeſque Galliæ diſſidium aliquod oriretur.* Id enim pace doctiſſimi viri dixerim, nonniſi prætermiſſâ penitùs rerum noſtrarum, imò Eccleſiaſticarum Hiſtoriâ aſſeri potuit. Neque in Tridentinâ Synodo, aut aliquid diſſidii ortum erat, aut noſtri Pontificem territabant, cùm antiquam Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam, etiam Palavicino teſte, ſummâ conſtantiâ tuerentur. Gall. vind. loc. ſup. citat. p. 164. Ibid. Vid. in append. lib. I. cap. II.

XVII.

Andreas Duvallius in Facultate Pariſienſi primus innovandi autor, antiquam ultrò Sententiam agnoſcit.

SANÈ non negamus priſcam illam firmamque Sententiam, noſtris temporibus, Andreâ Duvallio Sorbonico autore non nihil intermiſſam; iis quidem de cauſis quas nemini noſtrûm ignotas, tacere nunc malumus, quàm promere. Sed tamen, quid recens illa, quam jactant, Duce Duvallio, Sorbona protulerit, audiamus. In app. lib. II. cap. XI. & Coroll. n. V. VIII. & IX.

(*b*) *Galliæ vindicatæ autor*] Celeſtinus SFONDRATUS ordinis S. Bened. Monachus & Abbas San-Gallenſis apud Helvetios, contra Galliam pro Curiâ Romanâ multa edidit, pro quâ mercede ad Cardinalatum evectus eſt. Ejus librum præ cæteris famoſum, cui titulus: *Nodus prædeſtinationis diſſolutus*, plenum erroribus de gratiâ, de peccato originali, & de ſtatu puerorum, qui non baptizati è vitâ excedunt, ad Summum Pontificem detulerunt duo Archiepiſcopi & tres Epiſcopi Gallicani, D. D. le TELLIER Rhemenſis, DE NOAILLES Pariſienſis, BOSSUET Meldenſis, DE SEVE Atrebatenſis, FEUDEAU DE BRON Ambianenſis. Vide nuperam edit. operum D. BOSSUET Tom. V. Reſcripſit quidem Pontifex ſe Cenſores delecturum, qui de eo libro judicium ferrent; ſed eâ valuit autoritate & gratiâ Clemens XI. tùm Cardinalis ALBANI, SFONDRATI amicus & patronus, ut liber ille, quo, poſt Juliani Pelagiani libros, nullus fuit à Catholico de gratiâ Chriſti dogmate remotior, cenſurâ non notaretur.

Igitur poſteaquàm eſt editus Edmundi Richerii libellus, *de Eccleſiaſtica & politicâ poteſtate*, ſtatim Andreæ Duvallii reſponſio prodiit ſub hoc titulo: *Libelli de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate Elenchus, pro ſupremâ Romanorum Pontificum in Eccleſiam autoritate, autore Andreâ Duvallio* 1612. *cum approbatione Doctorum*: quo in libro hæc leguntur: *ex quo ſatis cuivis conſtare poteſt, eum* (Edmundum ſcilicet Richerium) *nondùm abjeciſſe erroneam illam opinionem, quam in ſcholâ Dominicanorum Pariſienſium coram illuſtriſſimo Cardinale Perronio nuper impudentiſſimè profeſſus eſt* : DE FIDE EST CONCILIUM ESSE SUPRA PAPAM ; *cujus falſitas à magno illo Cardinale validis rationibus in ampliſſimis illis Comitiis demonſtrata eſt*. Rectè: ſed audiant reliqua attentis auribus: *Etſi enim Pariſienſis Academia ſtet à partibus Conciliorum generalium, non tamen propterea unitatem cum cæteris Academiis diſcindit, neque earum Doctores pro deviis à fide habet, aut unquàm habuit*. Iterùm: *Etſi Academia Pariſienſis infallibilitatem in decernendo ad Concilium generale ſolùm referat, ab eo tamen nunquàm abeſſe debet Pontifex*. Tertio: *Etſi Pariſienſes ad Concilium generale ultimam fidei analyſim referant, non tamen propterea poteſtatem de fide decernendi Pontifici unquàm ademerunt, & meritò*.

Duvall. Elench. &c. pag. 9.

Ibid. pag. 68.

Ibid. pag. 105.

Vides primùm, teſte Duvallio, de Sententiâ Academiæ noſtræ nondùm à quoquam fuiſſe dubitatum, quemadmodùm poſteà, gliſcente, ut fit, audaciâ, factum eſt: vides ſecundò, quid erroneum Duvallius in Richerio reputaret: non certè doctrinam ejus; ſed quòd eam de fide eſſe contenderet. Summum id erat quod tunc à noſtrâ Facultate peteretur.

XVIII.

Ex eodem Duvallio, in Sententiâ Gallicanâ circa Conciliorum potiorem poteſtatem, nulla hæreſis, nullus error, nulla temeritas.

IDEM Andreas Duvallius edidit poſteà tractatum *de ſupremâ Romanorum Pontificum poteſtate adverſus Vigorium juriſconſultum* : quo tractatu quæſtione *utrùm de fide ſit Concilium eſſe ſupra Papam, & utrùm Concilium œcumenicum ſit ſuprà Pontificem, vel è contrà* : apertè docet : *Neutram harum opinionum eſſe de fide*. Tum : *Neutra*, inquit, *harum opinionum hæretica eſt : neutra erronea & temeraria ſaltem temeritate opinionis* : denique : *Sententia pugnantium pro Conciliis non eſt hæretica & erronea, & in ratione opinionis temeraria*. Illud, *in ratione*, *opinionis* Duvallius addidit, ut à temeritate *opinionem* ipſam, non autem *opinantes*, quos ipſe impugnabat, abſolvere videretur. Sed quidquid ſit de Duvallio ejuſque adverſariis, ipſam, opinionem ab eo etiam à temeritate prorſùs abſolutam eſſe ſatis ſuperque eſt.

De ſup. Rom. Pont. in Eccl. poteſt. anno 1614. part. IV. quæſt. VII. pag. 538.
Ib. quæſt. VIII. pag. 552.
Ib. p. 542.
Ib. p. 550.
Ib. p. 582.
Vid. in append. lib. II. cap. XI. & not.

XIX.

XIX.

Idem Duvallius Patrum & Conciliorum etiam Florentini & Lateranenſis ſolvit autoritates.

NEQUE tantùm ex ſuâ ſententiâ Duvallius aſſerit, ſed etiam contrariæ partis argumenta autoritateſque ſolvit : imprimis verò Florentinum, ac ſub Leone X. Lateranenſe decretum, queis adverſarii Pariſienſium vel maximè fidunt, ut rem definitam eſſe ſtatuant. At Duvallius expreſſè ac perſpicuè hos confutat, atque ita concludit: *Nulla eſt ratio, nullum Scriptura aut antiquorum Canonum aut Patrum teſtimonium, ad quod utriuſque partis Doctores non reſpondeant : quorum reſponſiones, etſi non planè ſatisfaciant, ſufficiunt tamen, ut neutra harum errores cenſeatur continere.* En quo loco habeat adverſariorum probationes, etiam eas quas ex Florentinis Lateranenſibuſque decretis tantâ confidentiâ repetunt. Duvall. quæſt. VII. pag. 550.

XX.

Idem infallibilitatem Pontificiam de fide non eſſe multis probationibus conficit.

DE infallibilitate ſic habet : *Statuenda nobis eſt hæc concluſio : etiamſi de fide non videatur, ſaltem non ita evidenter conſtet ſummum Pontificem ſeorſùm à Concilio, privilegio infallibilitatis, licèt agat ut Pontifex, gaudere ; tamen abſolutè certum eſt & indubitatum* ; ejus quidem ſententiâ, cujus quiſque eam quam voluerit habeat rationem, non ipſâ Eccleſiæ fide. Duv. ibid. part. II. quæſt. I. p. 210. malè 202.

Neque tantùm dicit non eſſe de fide, verùm etiam probat : primùm : quia nullibi id tanquàm de fide expreſsè definitum extat : ſecundò : quòd Doctores contrariæ ſententiæ, *Alliacenſis, Gerſon, Almainus, Major, Cuſanus, Adrianus VI. & alii, neque in hâc parte, neque in ullâ aliâ ab Eccleſiâ ſunt condemnati.* Et poſtea : *Nuſquam in Eccleſiâ ullius hæreſis ſuſpectos, convictos, aut accuſatos fuiſſe legimus.* Tertiò : ſolvit Scripturarum textus, quibus id eſſe de fide videri poſſit : imprimis verò illum locum Matthæi XVI. *tu es Petrus :* & illum Lucæ XXII. *ego rogavi pro te :* & illum Joannis XXI. *paſce oves meas.* Solutis Scripturæ locis, ne quid probationi deſit, ſolvit & Canonum textus ; quo poſito ſic concludit : *Ex his ſequitur, non ita conſtare de fide eſſe, ſummum Pontificem, etiam ſi agat ut Pontifex, privilegio infallibilitatis gaudere.* Timidè ille quidem ; nec ſatis ex Theologicâ gravitate. Quod enim *de fide non ita* eſſe conſtat, ſi fidei vim ac rationem attendimus, prorſùs de fide non eſſe conſtiterit ; & tamen ſufficit antiquam ſententiam Pariſienſis Facultatis tanto robore viguiſſe, ut nequidem Duvallius, hujus inſectator, Romæ probatiſſimus ac laudatiſſimus, tanquam fidei, Scripturæve, & Conciliis, rebuſque de- Ibid. Ibid. pag. 211. Matth. XVI. 18. Luc. XXII. 32. Joan. XXI. 17. Duv. loc. ſup. cit. p. 213.

finitis adverſam, damnare potuerit. Quare Belgæ, Hiſpani, Itali, qui nobis aſſiduè Duvallium objiciunt, procul à vero rectoque aberraverint, niſi viri modeſtiam imitentur.

XXI.

Inde concludit Duvallius definitiones Pontificias per ſeſe non eſſe de fide, ac requiri acceptationem ſive conſenſum Eccleſiæ.

Duv. ibid. quæſt. II. pag. 235. QUID autem Duvallius ex his concluſerit à nobis declarari operæ pretium fuerit. Sic autem habet: *Obſervandum*, inquit, *eſt, ut aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non eſſe neceſſariam Concilii generalis celebrationem; ſed ſufficere ſummi Pontificis condemnationem, unà cum acceptatione totius Eccleſiæ per orbem diffuſæ.* En, ut aliquid de fide ſit, Eccleſiæ conſenſum, ſive *acceptationem* omninò neceſſariam; cujus quidem rei hanc rationem reddit: *Licet enim*, inquit, *decretum Pontificis quatenùs ab eo ſolo promanat* DE FIDE NON SIT, *cùm ejus in decernendo infallibilitas fide Catholicâ minimè conſtet, ut ſuprà declaravimus; nihilominùs, ſi hæc condemnatio ab univerſali Eccleſiâ, licèt diffuſâ & non coactâ in Concilio, approbetur, jam nemo citra fidei detrimentum ei poteſt contradicere. Eſt enim de fide Eccleſiam, non tantùm ut congregatam in œcumenico Concilio, ſed ut diffuſam, errare non poſſe.*

Ib. quæſt. V. p. 308. Nec ſemel dixiſſe contentus, hæc addit: *Reſpondeo definitiones Pontificis non eſſe de fide, donec univerſalis Eccleſia, quam de fide eſt errare non poſſe, eas acceptaverit.* Quod quid eſt aliud, quàm id quod unum Declaratio Gallicana voluit; nempè, ut decreta Pontificia plenum fidei robur obtineant, ad conſenſum Eccleſiæ recurrendum?

Hæc igitur Romæ probata, imò concepta, anno 1614. adverſùs Richerium & Vigorium edita: anno verò 1636. unà cum Duvallii reliquis commentariis recuſa, eam famam Romæ quoque Duvallio pepererunt, ut unus adverſùs Richerium Pontificiæ Majeſtatis vindex haberetur: quæ nunc reſpui & condemnari, quid eſſet aliud, quàm toto orbi illudere ac de fide ludos facere?

XXII.

Duvallii doctrina de confirmatione Conciliorum, deque iis per ſeſe, etiam adversùs Papam, valituris in fidei negotio.

SANE haud me fugit Duvallium de Conciliis œcumenicis differentem antiquitatis oblitum, in degeneres abiiſſe ſententias: cæterùm nec deſunt igniculi, quibus ſe Pariſienſem Theologum recordatus eſſe

Duv. ibid. part. IV. videatur. Quærit enim an Concilium legitimo modo coactum, & legitimo

modo procedens, Papâ per Legatos præſidente, in iis quæ ex unanimi Legatorum ac Patrum conſenſione de fide decreta ſint, *ante confirmationem ſit infallibile, quamvis Pontifex nullam hujus decreti inſtructionem Legatis dederit.* Negat Bellarminus, quem ſequuntur recentiores adverſarii noſtri Hiſpani ac Lovanienſes; quippè qui doceant: ſolum Papam per ſeſe eſſe infallibilem; neque ab eo poſſe infallibilitatem ſuam transferri in Legatos; proindeque Spiritum Sanctum adeſſe Conciliis, non immediatè, ſed quòd ipſi Papæ adſit, à quo Patres accipiant ut ſana & recta decidant. quæſt. VI. pag. 525. & ſeq.

At Duvallius tale Concilium per ſeſe infallibile eſſe concludit, cum Soto & aliis: quòd nempè tale Concilium perfectiſſimè univerſalem Eccleſiam repræſentet, imò eodem interpretante Duvallio, *ſit ipſamet Eccleſia, ſecundùm autoritatem definiendi legeſque condendi, quæ falli non poſſit, utpotè* COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS; quod hac ratione firmat: *Concilium namque œcumenicum legitimè coactum & legitimo modo procedens, non à Pontifice, ſed à Spiritu Sancto ſibi aſſiſtente, ſuam infallibilitatem habet, ex vi ordinationis & promiſſione Chriſti, quâ promiſit & ſtatuit ſe Spiritumque ſuum Eccleſiæ jugiter affuturum..... quare teneri Pontificem, talis Concilii, tàm in fide quàm in moribus ſententiæ conſentire & ſtare, non quaſi ſit inferior eique tanquàm ſuperiori obediens; ſed ut obediens veritati per Spiritum Sanctum revelatæ.* Hìc oppido vides, qui Pontificiæ poteſtati præ aliis favere ſe jactant, nihil aliud quærere quàm verborum offucias. Ecce enim Duvallius confitetur talis Concilii decretis *teneri* Papam; quod eſt res ipſa quam nos quoque dicimus. Ergòne Concilio *obediens erit tanquàm Superiori?* Cave dixeris: abominandam vocem! ſed dicas *obedire ipſi veritati per Spiritum Sanctum ipſi Concilio revelatæ:* quaſi nos turba fidelium Conciliis aliter obediamus, quàm quòd certâ fidè credimus, per illa Concilia, veritatem cui paremus, à Spiritu Sancto eſſe revelatam. Dominic. Soto in IV. Sent. diſt. XX. quæſt. I. art. 4. Duv. loc. cit. p. 531. Ibid. pag. 534. Ibid. pag. 535. 536.

Utcumque eſt, clarè docet Duvallius: Patres in Conciliis non accipere à Papâ aut per Papam proximè & immediatè, *ſed à Spiritu Sancto, ut certa decidant;* eamque vim talis decreti eſſe, ut ei decreto, ſe neſciente, facto, ipſe Pontifex conſentire & ſtare teneatur. Tanta Eccleſiæ conſentienti ad fidem explicandam ineſt autoritas!

Quod idem Duvallius multis quidem argumentis, ſed hoc vel maximè firmat, quòd ſi quis diceret eo Concilio non teneri Papam, indè ſequeretur poſſe contingere ut vera & intemerata fides in ſolo ſummo Pontifice remaneat: *ex quo illud etiam ſequeretur: in ſolo ſummo Pontifice reſidere Eccleſiam, quæ non ſtat nec ſtare poteſt abſque fide:* ex quo iterùm atque iterùm concludit: tale Concilium errare non poſſe, ei *confirmationem* à Papâ denegari non poſſe. Ibid. pag. 530. Ibid. pag. 531. & ſeq.

Atqui eam autoritatem facit non ſola Papæ infallibilitas, quam reverà in Legatos tranſmittere non poteſt; ſed Eccleſiæ totius: non ab ipſo Pontifice profecta, ſed à Chriſto collata: quæ cùm conceſſeris, nulla de Legatis ſupereſt difficultas. Legati, enim ipſi non ſunt infallibiles, quibus adhærere ſynodus teneatur; ſed tota ſynodus id à Chriſto habet; adeòque decretum, præſidentibus Legatis, non tamen neceſſariò conſentientibus,

Vid. Duv. ibid. quæſt. X. concl. II. pag. 593. fieri & ſtare poſſet. De quo tamen hîc quærere nil neceſſe habemus, ſatiſque omninò eſt Concilium abſque inſtructione Papæ, eoque neſciente, firmiſſima tamen & à Spiritu Sancto dictata decreta condere. Quid autem his decretis Conciliaribus, ex Duvallii ſententiâ, per Pontificiam confirmationem addatur, alia difficultas alibi extricanda. Interim ſtabit illud invictum: tutam eſſe ſententiam, Conciliaribus decretis ritu ſolenni factis, ſummi Pontificis confirmationem denegari non poſſe: fruſtràque eſſe eos, qui nunc ex eâ confirmatione concludant; poſſe Pontificem Conciliaribus decretis pro ſummâ poteſtate vim addere aut demere; cùm vel ex Duvallio, eorum autoritati etiam ipſe Pontifex ſtare teneatur, quod nunc nobis ſufficit.

XXIII.

Caſus hæreſis, ſchiſmatis, alii ex Duvallio memorantur: in his, quantùm Concilia valeant in ipſum Pontificem, ex Turre-crematâ, Cajetano & aliis ſtatuit.

Jam quid, certis caſibus, adverſùs ipſum Papam, eumque non dubium, ſed certum, Concilia valeant, non vetus illa Sorbona quam ſpernunt; licèt ſuâ canitie ac doctrinâ venerandam, ſed ipſe novæ Sorbonæ ductor exponat Duvallius. Et quidem hæreſis caſum omittemus, cùm in eo caſu conſentiant omnes omnia poſſe Concilium etiam ex ſeſe, nec autore Pontifice, univerſalis Eccleſiæ autoritate collectum. Addit Duvallius caſum ſchiſmatis, neque hic tantùm eum ſchiſmatis caſum, quo ex dubiâ electione, dubius extet Pontifex, ut in illo fœdo ſchiſmate, * ſed etiam quo certus Pontifex fiat ſchiſmaticus. Id autem ne dubites poſſe contingere, triplicem hujus rei caſum ſtatuit idem Duvallius non ſuſpectus autor, ex Turre-crematâ & Cajetano Cardinalibus non item ſuſpectis: *Ii*, inquit, *dignitatis Pontificiæ acerrimi propugnatores affirmant: Papam poſſe eſſe ſchiſmaticum his tribus caſibus. 1°. ſi ſe à communione totiùs Eccleſiæ & omnium Epiſcoporum ob aliquam cauſam injuſtam* (c) *ſeparet: & ſolum cum aliquibus ſibi cohærentibus communicare velit. 2°. ſi nolit amplius officia Pontificis fungi, nec tamen ſubeſſe ei qui præ ſe eligeretur, ſed ſe ſchiſmaticorum conventiculis adjungeret. 3°. ſi antiquos ritus ab Apoſtolicâ traditione manantes immutare vellet.* Hæc enim omninò evenire poſſe ex optimis autoribus Duvallius refert & ipſe profitetur. Quæ quidem, quo pacto, cum infallibilitate conſentiant, alius erit quærendi locus: nunc autem fixum eſſe ſufficit, eodem autore Duvallio: Papam *ut ſchiſmaticum, nec minùs quàm hæreticum dejici oportere.* Quo loco quæri poſſet: quâ poteſtate id fieret: an recens à Chiſto creatâ & conſtitutâ? An ipſi Eccleſiæ jam indè ab initio congenitâ? ſed hæc nunc omittimus. Ultrò etiam alios caſus

* XIV. Sæculi.

Dub. ibid. part. III. quæſt. IX. pag. 433.

(c) *Ob aliquam cauſam injuſtam*] Peſſimè Duvallius. Perinde quaſi aliqua cauſa juſta eſſe poſſit, cur ſe Pontifex à communione totius Eccleſiæ ſeparet.

prætermittimus, extra hæreſis ac ſchiſmatis cauſam, quibus, poſt Turrecrematam, Cajetanum, Jacobatium Cardinales, idem Duvallius aliique innumerabiles Pontificiæ poteſtatis egregii deſenſores uno ore conſentiant: poſſe Pontificem *denuntiari Concilio, quod abſque ejus autoritate, indici & congregari poſſit*. Et quidem deponi poſſe negat: nec tamen id certò ſtatuit; ſed *tanquàm probabilius*; *quòd varia ſint eâ de re Doctorum placita*: cæterùm graviſſimè corripi & increpari: iniqua mandata reſpui: obedientiam denegari: vim etiam à Principibus armaque *ſtrenuè*, modeſtè tamen expediri poſſe, & ipſe profitetur & in conſeſſo eſſe tradit. Quos caſus non ſtudioſè conquirimus, neque ultrò ingerimus huic quæſtioni; ſed ex Duvallio aliiſque non ſuſpectis Autoribus commemorare cogimur, ne indiſcretè ac temerè adverſùs Concilia, Pontificiam autoritatem extollant: ſed à probatiſſimis Autoribus accipiant, atque diſtinguant extraordinarios caſus, qui ordinariæ poteſtati nihil derogent. Hæc igitur ex Duvallio, novæ ut quidem appellant Sorbonæ duce, delibare animus fuit. Cæterùm hic quantiſcumque artibus, neque obtinere potuit, ut unquam Facultas ab inolitâ ſententiâ defecerit, neque prohibere quominùs ad apertè tuendam Majorum autoritatem optimi quique & eruditiſſimi facilè redierint.

Ib. quæſt. X. p. 440.

Ibid. & part. IV. quæſt. XI. concl. VII. p. 615. & ſeq. & alib.

XXIV.

Quàm multi inſignes viri præter Gallos hanc Sententiam doceant: Panormitanus, Zabarella, Toſtatus.

NEQUE verò ſoli Galli hanc ſententiam ſcriptis editis propugnarunt: nempe & Navarrum dicentem audivimus; eandem ſententiam ſecutum celebrem illum Nicolaum Tudeſcum Catanenſem, Abbatem Bonacenſem, atque Epiſcopum Panormitanum *lucernam juris* dictum, quem pro Conciliorum etiam in Pontificem ſupremâ poteſtate multa ſcribentem, neque horum aliquid retractantem, Bellarminus tamen laudatum potiùs quàm condemnatum velit: adeò non ſemper illam ſententiam hoſtili animo inſectantur, qui eam vel maximè reprehendunt.

Vid. in append. lib. I. cap. VIII. & ſup. n. XIII.

Labb. de Script. Eccl.

Bell. de Conc. aut. lib. II. cap. XIV.

Panormitano in Italiâ præluxiſſe Panormitani magiſtrum Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum, virum maximum Bellarminus fatetur. Ac de his quidem viris uberior erit dicendi locus: nunc ſufficit à Bellarmino tantos ex Italis viris, accenſeri noſtris. Accedit è Germaniâ, eodem Bellarmino teſte, Nicolaus Cuſanus Cardinalis: prodit ex Hiſpaniâ Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, tantâ doctrinæ opinione, ut Bellarmino miraculo fuerit, tot ſcilicet ſcriptis editis, *breviſſimo tempore*; *cùm non vixerit niſi quadraginta annos*: de quo merito dictum ſit ab eodem Bellarmino: *Hic ſtupor eſt mundi.* Nec minùs *ſanctitate* clarus habebatur, ut idem Bellarminus memorat. Is in libro qui dicitur *defenſorium*, fuſè probat: *à Chriſto inſtitutum tribunal ſuperius Papâ, nempè Concilium, quod Papam corrigere & judicare poſſit, non ſolum in fide*; *ſed etiam in aliis*

Vid. in cap. *ſignificaſti* &c. item tractat. de Conc. Baſil. I. part. n. 18. & ſeq.

Bellar. de Script. Eccl. an. 1410.

Ibid. an. 1440.

Toſt. Tom. XII. defenſ. part. I I.

cap. XXX. LXIX. LXX. &c. *caſibus ; ſolumque illud tribunal id habere ut errare non poſſit, Papam autem errare poſſe etiam in damnandâ hæreſi.* Quem librum Bellarminus cautè legendum monet propter hanc ſententiam ; ſed alii libri ejuſdem ſunt ſpiritûs ; neque hujus ſcripti tantique viri autoritas, uno Bellarmini verbulo infringi queat.

XXV.

De Toſtato candida Cardinalis Daguirrei confeſſio.

Daguir. diſputat. XVI. n.62. XXII. n. 59. vid. in app. cap. VIII. & not. Ibid. diſp. XVI. n.63. 64. 65. Ibid. n.61. 64.

HIC ille eſt Toſtatus Abulenſis, quem eminentiſſimus Daguirreus ſemel atque iterùm appellat *Hiſpaniæ Salomonem, oraculum literarii orbis, jure, mundi ſtuporem dictum : quo ſolo, quamvis alia ornamenta deeſſent, gloriari poſſet Academia hæc Salmanticenſis, cujus Doctor Profeſſor & Cancellarius celeberrimus fuit.* Tantum igitur virum, ampliſſimus ac doctiſſimus Cardinalis fatetur eorum numero fuiſſe, *qui opinionem de poteſtate Concilii ſuprà Papam arbitrabantur certam, & ritè anteà definitam in Concilio generali Conſtantienſi ſeſſionibus IV. & V.* Addit à Cardinale Turrecrematâ reprehenſum, & *ab Eugenio IV. notatum*, in ſententiâ perſtitiſſe ; atque eam quam attullimus apologiam edidiſſe. Uſque adeò & dictis & factis comprobabat, *non ideò hæreticam eſſe theſim quam tanquam hæreticam Papa damnaverit.*

XXVI.

Alphonſus à Caſtro.

Vide in app. ibid. Bell. de R. P. lib. IV. cap. II. Alphonſ. de Caſt. lib. I. contra hæreſ. cap. II. & ſeq. Daguirr. def. cath. S. Pet.

HIC cæteros ſcriptores recenſere non eſt animus : nimia nos copia obrueret : multique alii ſuo loco referentur. Tantùm appellamus eos qui & in omnium ore verſentur, & ab ipſis adverſariis, noſtræ ſententiæ defenſores habeantur : quibus Alphonſum de Caſtro Hiſpanum, è Minorum ordine ſcriptorem egregium & à noſtro Feu-ardentio ejuſdem ordinis editum, doctiſſimi Cardinales Bellarminus & Daguirreus noſtris annumerant.

XXVII.

Adrianus VI. & Joannes Driedo Lovanienſes.

Bellar. de Script. Eccl. an. 1500. Roc. Tom.

DUO ſunt Lovanienſes quos Pariſienſibus idem Bellarminus atque illuſtriſſimus Roccabertus adjungunt : Adrianus Florentius Ultrajectinus, poſteà Adrianus VI, Pontifex maximus, eumque ſecutus magiſtrum

diſcipulus Joannes Driedo, Lovanienſium ſui ævi facilè princeps: queis liquidò patet, quam Pariſienſium ſententiam vocent, non ideò Pariſienſibus attributam, quòd in eâ tuendâ Pariſienſes ſingulares eſſent; ſed quòd eam ſingulari ſtudio & eruditione tuerentur. Cæterùm in omnibus Eccleſiis vulgatiſſimam extitiſſe, & à ſcriptoribus pietate & doctrinâ præſtantiſſimis ubique terrarum publicè & cum laude eſſe defenſam, nedùm ſuſpecta fuerit.

I. lib. 1. n. 8. vid. Dried. de libertat. Chriſt. lib. II. cap. II. in app. lib. I. cap. XII. & ſeq. & not.

XXVIII.

De Adriano VI. cur privatìm dicendum: unus rem totam conficit: ejus jam Pontificis recuſus Romæ liber retractatione nullâ.

HÆC igitur ſummatim de Pariſienſium aſſeclis à nobis dicta ſint. Sed quandò Adriani VI. tanti eſt autoritas, ut unus rem totam conficere poſſit, paulùm in eo hæreamus. Is primùm Lovanii ſummâ cum laude Theologiam docuit: tùm ordine factus eſt ejuſdem Academiæ Cancellarius, Caroli V. Auguſti Præceptor, in Hiſpaniâ Epiſcopus Dertuſanus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, denique poſt Leonem X. ſummus Pontifex, tantâ ſanctitate atque modeſtiâ, *ut nihil infelicius in vitâ duceret quàm quòd imperârit.* Is ergò Theologiæ Profeſſor, cùm de confirmationis adminiſtratione diſputaret, negaretque Preſbiteris permitti poſſe, ſancti Gregorii celebrem locum ſic ſolvebat: *Ad ſecundum principale de facto Gregorii, dico primò: quòd ſi per Eccleſiam Romanam intelligitur caput ejus, puta Pontifex;* CERTUM EST *quòd poſſit errare, etiam in iis quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo: plures enim fuere Pontifices Romani hæretici: item & noviſſimè fertur de Joanne XXII. quòd publicè docuit, declaravit & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent ſtolam, quæ eſt clara & facialis viſio Dei: & Univerſitatem Pariſienſem ad hoc induxiſſe dicitur, quòd nemo poterat in eâ gradum in Theologiâ adipiſci, niſi primitùs errorem hunc peſtiferum juraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum. Item patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa matrimonium, de quo*, in capite Licet, de ſponſâ duorum. *Item de errore quem ediderat Cæleſtinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæreſim; cujus error olim habebatur in aliâ compilatione juris:* Cap. laudabilem, de converſione conjug. Vide quàm apertè doceat, quàm pro certo habeat, omninò fieri poſſe ut Pontifex hæreſim, non jam ut homo privatus, ſed ut Pontifex *per ſuam determinationem aut decretalem aſſerat*: quàmque peſtiferum errorem putet eum, quem Joannes XXII. *publicè docuerit, declaraverit & ab omnibus teneri mandaverit.* Neque hìc curamus an Joannes XXII. & alii excuſari poſſint; quid de illis ſenſerit Adrianus VI. quid fieri potuiſſe putaverit; id verò quærimus; imò non quærimus: quis enim in re tàm clarâ quæſtioni locus?

Bellar. & Labb. de Script. Eccl. item Epith. Adr. VI. tom. XIV. Conc. pag. 401. Adr. VI. in IV. Sent. de confirm.

Digitized by Google

Sed apertam ac certam tanti Doctoris Sententiam tenemus: dignumque id obſervatu quod addit, jam ad Gregorium rediens: *Non tamen dico Gregorium hic erraſſe; ſed evacuare intendo impoſſibilitatem errandi quam alii aſſerunt.* Quô quidem ſe demonſtrat, nullâ tuendæ cauſæ, quam ſuſceperat, neceſſitate adactum, ad hanc tamen ſententiam deditâ operâ declarandam, ſolo amore veritatis adductum.

Sanè advertendum eſt, vir doctiſſimus quâ cautione ſit locutus: *Eccleſiam* enim *Romanam* à ſuo capite *Romano Pontifice* accuratè ſecernit, cujus diſtinctionis & abuſum peſſimum & uſum neceſſarium ſuo loco oſtendemus: Neque Eccleſiam Romanam, ſed tantùm ejus Pontificem etiam de fide definientem, errare poſſe, *pro certo* habet: nec ſi quis Romanus Pontifex in fidei quæſtione determinandâ defeciſſet, ideò Petri fidem & Eccleſiam Romanam defecturam putabat. Quâ in re non eſt dubium in fidei negotio, quod eſt vel maximum, Conciliorum poteſtatem potiorem agnoſci, firmarique ea omnia quæ ab adverſariis cenſurâ graviſſimâ temerè configantur.

Neque verò eam Sententiam Pontifex retractavit, uti profectò, ſi erroneam putaſſet, facere debuiſſet. Nam ideò Pius II. qui ſe Baſileæ, cùm Synodo privatus intereſſet, erraſſe credebat, ſolenni retractatione ſua ſcripta confixit. *Hæc enim ſcripta*, ait, *fortaſſe ſcandalum parient: qui hæc ſcripſit, inquient, in beati Petri cathedrâ ſedit, nec invenitur mutaſſe propoſitum, qui eum elegerunt & in ſummo Apoſtolatûs vertice collocarunt, ab iis ſcripta ejus approbata videntur. Cogimur itaque beatum Auguſtinum imitari.* Nihil ſimile Adrianus, ſuaque ſcripta adeò non retractavit, ut potiùs Romæ, ſtatim atque Pontifex factus eſt, edenda curaret, anno videlicet 1522. cùm anno 1521. Pontifex creatus eſſet: adeòque aberat ab eo ut ſententiam revocaret, ut potiùs metueret, ne illi errandi *impoſſibilitati*, quam privatus Doctor olim improbaverat, vel Pontifex factus faviſſe videretur.

Bull. Pii II. retract. ad Colon. Academ. Tom. XIII. conc. pag. 1407.

Vid. Labb. de Script. Eccleſ.

XXIX.

Vana reſponſa autoris doctrinæ Lovanienſium.

AGITE, expedite vos, qui Pariſienſium ſententiam *erroneam, hæreticam, ſchiſmaticam, Sedis Apoſtolicæ everſivam* veſtrâ autoritate decernitis, atque in Epiſcopos, totamque adeò Eccleſiam Gallicanam proferre audetis tàm dura, tàm nulla, tàm iniqua decreta; agite, inquam, incipite ab Adriano VI. tantique Pontificis librum, ejuſque juſſu in Urbe recuſum, erroneum aut ſchiſmaticum dicite. Horret animus, aliaque omnia cominiſci malunt. Videamus ſanè ut ſe torqueant: Autor Anonymus in doctrinâ Lovanienſium mira refert hoc titulo: *diſcutitur doctrina Adriani Papæ VI.* Summa eſt ex Maldero & Wiggero: non hîc egiſſe Adrianum *de Pontificiâ definitione ex cathedrâ; ſed de judicio ſuper difficultatibus quæ in facto occurrant, donec, ſi res ſit ad fidem & mores tendens,*

Doct. Lov. art. I. p. 69.

tendens, pleniori examine ex Cathedrâ definiatur. Quid autem illud eſt: quàm impeditum intricatumque: quàm ipſo contextu verborum, conturbatam hominis mentem indicat? An loquitur de difficultatibus quæ *in facto occurrant*, qui de fide, de hæreſi, tàm apertis verbis agit! Quodnam verò examen plenius, quam deciſionem narras, poſt eam, quâ *de fide determinatum eſt*; quâ Pontifex *per decretalem ſuam aliquid publicè docuerit, declarârit, ab omnibus teneri mandaverit.* Quæ verba Lovanienſem noſtrum referre & exſcribere puduit, quòd iis ſtatim perlectis, ejus reſponſio evaneſcat. Planè Adrianus ea verba ſeligebat, quibus Pontificiam de fide definitionem vel maximè exprimeret; ac ſi quid aliud geſſiſſet in animo, non tàm diſertis verbis, illam quam quidam *aſſerebant, impoſſibilitatem errandi confingeret.*

At enim, inquit Joannes Wiggerus ab eodem autore laudatus, non id poſtulabat ea quam Adrianus ſolvebat difficultas, ut de Pontificiorum decretorum infallibilitate diſputaret; cùm de Gregorii facto dumtaxat ageretur. Certè, idque monet vel ipſe Adrianus; ſed hæc à ſe dicta, quòd illam aliquorum de *errandi impoſſibilitate* ſententiam, deditâ operâ, *evacuatam vellet.* Neque enim contentus eo, ut ab illâ ſimpliciter diſcederet, pergit ulteriùs, eamque & à ſe, & à Romanis Pontificibus ſtudioſè amolitur. Cur autem? Niſi putaret rem eam ſanctiſſimæ dignitati non modò parùm congruam; ſed etiam noxiam, & ab eâ longè avertendam: tantùm abfuit ab eo ut, in aſſerendis his vanis, certè dubiis Romanorum Pontificum privilegiis, veræ pietatis partem ullam reponeret. Hæc apertè, hæc ſtudioſè, hæc deditâ operâ aſſerentem, Petri Sedes excepit communibus votis. At ſi adverſariis credimus, per tantam hujus Sedis contumeliam ad hunc apicem, nullâ cujuſquam querelâ, imò ſummâ omnium gratulatione provexit. Ibid.

Pergit tamen Lovanienſis noſter: *At Adrianus aſſerit certum eſſe quòd Pontifex poſſit errare. Hoc ſi intelligeret de Pontifice ut definiente & proponente toti Eccleſiæ aliquid fide credendum, neutiquàm eſt certum.* Tibi quidem forſitan, ſed ipſi Adriano eſt certum. *At econtrà*, inquis, *id*, nedùm certum ſit, *manifeſtè eſt falſum, ejuſque oppoſitum adeò certum, ut ab aliquibus habeatur de fide.* Quid ad nos ſi *ab aliquibus*? Non ab Adriano quidem, qui eam ſententiam *evacuare intendit.* Quare non Melchior Canus, quantumvis acerrimus Pontificiæ infallibilitatis aſſertor, non ipſe Bellarminus, ut Lovanienſes illi tergiverſandum putant; verùm Adrianum VI. nominatìm accenſent iis qui Pontificiam infallibilitatem non agnoſcant; neque eò ſeciùs Bellarminus *virum optimum & doctiſſimum* appellat, *qui merito doctrinæ & pietatis, ex humili domo, in tantam dignitatem conſcenderit.* Adeò aberant ab eo, ut illam ſententiam erroneam aut Sedi Apoſtolicæ contumelioſam putarent. Ibid. Melch. Canus lib. IV. cap. I. Bell. de R. P. lib. IV. cap. II. Bellar. de Script. Eccl. an. 1500.

XXX.

Nicolai Dubois Lovanienſis ludibria.

Part. I. refut. argum. &c. art. XV. n. 49. p. 82.

JAM verò Nicolaus Dubois, poſtquàm Adriani verba retulit, de Romano Pontifice ita affirmantis: *Poteſt errare, hæreſim per ſuam decretalem aſſerendo*: reſpondet: *diſtinguo: ſi de potentiâ metaphyſicâ loquatur Adrianus, etiam hoc tranſeat.* Quàm doctè! Erant ſcilicet qui aſſererent Pontificem nec *metaphyſicè* loquendo, aut de potentiâ abſolutâ, errare potuiſſe, eaque erat *errandi impoſſibilitas* quam Adrianus *evacuare intendebat.* Et pulchrè *tranſeat*: nam ſi Profeſſori bilem moveris, omninò aſſerturus eſt Romanum Pontificem, nec potentiâ metaphyſicâ errare potuiſſe.

Ibid. n. 160.

Quæ addit, quoniam non ad explicandum, ſed ad confutandum Adrianum pertinent, hujus loci non ſunt. Pudet tamen interim Adrianum tantum virum, Lovanienſis Academiæ ornamentum, atque in eam effuſiſſimè liberalem, à Profeſſore Lovanienſi temeritatis fuiſſe incuſatum.

XXXI.

Autoris tractatûs de libertatibus Gallicanis ſubtilia nec minùs vana reſponſa.

DICENT, Adriani ac Sedis Apoſtolicæ cauſam à Nicolao Dubois craſſiſſimo autore, atque ab aliis Belgis, doctiſſimis licèt, peſſimè eſſe defenſam. Videamus ſanè, quid alii, acutiores ſcilicet, excogitaverint.

Anonym. de libertat. &c. lib. VII. cap. XVI. n. 16.

Autor Anonymus tractatûs *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, is qui ſe ſubtiliſſimum videri velit, nihil aliud quàm in re graviſſimâ ludit. Primùm enim ait, *privati Doctoris, necdùm Pontificis infallibile non eſſe judicium*: quâ de re quis dubitat? Cur nemo extiterit, qui hujus doctrinæ causâ, Adrianum à Pontificatu prohibuerit, aut etiam vel minimùm reprehenderit, id quæritur. Subdit: *At enim Adrianus Pontifex factus ſententiam non retractavit*: addere debuit, adeò non retractaſſe ſententiam, ut librum etiam novus Pontifex recudi juſſerit. Hæc omittit reponitque tantùm: tot tantiſque negotiis diſtentum, Pontificatu ſatis brevi, *nihil de corrigendis ſcholaſticis commentariis cogitaſſe.* Acutè: recudendo operi tempus adfuit, corrigendo defuit. Interrogat poſteà: *Privata Pontificis opinio an definitionis loco habenda ſit: & an in denegandâ infallibilitate ſolùm Pontifex infallibilis exiſtimandus ſit?* Quid ad rem? Cùm nemo poſtulet ut pro infallibili, ſed ut pro irreprehenſâ tutâque, tanti Pontificis ſententiâ habeatur. Ad hæc hærent ſcilicet, & ad alia omnia ſe vertunt, potiùs quàm ad quæſita & objecta reſpondeant.

Digitized by Google

XXXII.

Galliæ vindicatæ Autor.

VIR clariſſimus ac doctiſſimus, nunc eminentiſſimus *Galliæ vindicatæ* autor (*d*), uno quidem verbo rem confeciſſe ſe putat: nempè *Adrianus*, inquit, *non ex propoſito hanc quæſtionem tractat; ſed inci-*

Diſſ. IV. §. 3. n. 1. p. 275.

(*d*) *Galliæ vindicatæ autor*] Abſolverat ſuam *defenſionem* D. BOSSUET, quandò editæ ſunt anno demùm 1688. Sfondrati diſſertationes; atque hoc illud eſt, cur in toto opere ne ſemel quidem Sfondratus nominetur. Sed cùm operi ſuo D. BOSSUET præviam diſſertationem faceret, ratus San-Gallenſem Abbatem non omninò eſſe prætermittendum, tamen cum eo ſtatuit leviter decertare; quippè quem aliorum argumenta iterantem, non neſciret unà cum illis à ſe optimè confutatum. Porrò notandum, Gallicanæ Declarationis adverſarios fuiſſe alios aliorum *ſervum pecus*, ſic ut tot ac tanta volumina, quæ per VIII. aut X. annos totum orbem fatigârunt, facili labore in unum cogi poſſint.

D. MAIMBOURG quondàm Jeſuita, adversùs Schelſtratum alioſque nonnullos Gallicanam Declarationem defenderat, in ſuis libris Gallicis duobus, quibus tituli ſunt: *Traité Hiſtorique des prérogatives de l'Egliſe de Rome* 1685. & *Hiſtoire du Pontificat de S. Gregoire le Grand* 1686. Quos libros Sfondratus cùm ſibi confutandos propoſuiſſet, nil non egit in ſuis IV. diſſertationibus ingenti volumine in 4°. comprehenſis, ut probaret indirectam Summi Pontificis poteſtatem æquè ac infallibilitatem, & ut vocant, *Superioritatem*, ſemper fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ conſenſu approbatam. Cujus libri, qui pauciſſimos habet & habebit lectores, operæ pretium eſt ſumma capita delibare, ut lector videat Sfondratianarum argutiarum nihil fuiſſe à D. BOSSUET prætermiſſum.

Sfondratus in epiſtolâ dedicatoriâ ad Innocentium XI. totus ferè eſt in computandis temporibus Otommanici Imperii, eo ut deindè probet prædictam fuiſſe in Apocalypſi Turcarum ultimam perſecutionem, quâ exagitari Eccleſia debuerit mille annos, proindèque Turcarum Imperium, quod jam mille annos durabat, brevi ruiturum, & quidem Innocentio XI. Pontifice, cui hanc gloriam præſagit cælitùs reſervari. Ab eo exemplo, lector, diſce Sfondratum.

Prima diſſertatio *de Regaliâ*, implet paginas totas 492. quibus Sfondratus ea ſupplet, quæ in prolixo ſuo opere, cui titulum fecerat: *Regale Sacerdotium*; dicenda omiſerat. Hanc diſſertationem, quæ ſcilicet ad res hîc tractatas non ſpectat, præterimus.

In II^a. diſſertatione, Sfondratus affirmat: *Pontificis poteſtatem, veram ſchiſmatis* Græcorum, Germanorum, Anglorum &c. *cauſam non fuiſſe, quamvis obtenta fuerit, & jam paratæ defectioni quæſita:* neque jura Papatûs à Catholicis imminuta eſſe oportere, ut ipſi Eccleſiæ hoſtibus gratificentur: denique *Eccleſia in rebus fidei tranſactiones cum hæreticis nunquam benè ceſſiſſe.* Hoc vult ſcilicet: Patres Gallicanos ſuam Declarationem eo conſilio feciſſe, ut faverent hæreticis & Papatûs jura quædam reſcinderent. Quod quidem conſilium ipſe comminiſcitur, & prætereà multus in eo eſt, ut probet & confirmet res eas, quas nemo Catholicus negat.

Paragr. I. à pag. 493. ad 516.

Declarationis caput I^um. oppugnaturus, D. MAIMBOURG objurgat, quòd is Declarationem Clero Gallicano adſcripſerit *falſiſſimo elogio. Nihil enim*, inquit, *ab Eccleſia Gallicana ſenſu doctrinâque alienum magis.* Hanc factam dicit fuiſſe *à paucis, iiſque, aut metu, aut ſpe, aut irâ corruptis.* De indirectâ poteſtate poſteà diſputat; ſed nil profert, quòd in primâ hujus operis parte non ſit egregiè confutatum. Interim, lector, hoc animadverte, peſſimè actum à Sfondrato, qui, cùm Gallos pro indirectâ poteſtate ſemper ſtetiſſe pronuntiaret, eorum neminem nominabat. Hoc unum dicebat: ita ſenſiſſe Sorbonam, ita quoſdam Epiſcopos, ita quoſdam Scriptores; eos verò *quoſdam* vix Gallis notos, nedùm apud nos in pretio habitos; quoniam *Ligâ* graſſante (quo tempore ii ſcripsêre) non cogitabant homines, ſed furebant. Itaque eos autores D. ARNAUD ſic commemorabat: *Votre Abbé de S. Gal cite de fort ſots auteurs pour la puiſſance de dépoſer les Rois: un Maucler Docteur de Sorbonne, dont le livre a été bien à charge à Cramoiſy, n'ayant été acheté que par les beurriéres: un Préſident Grammont, qui eſt une très-pitoyable Hiſtoire. Voilà par qui il veut qu'on juge des ſentimens de l'Egliſe Gallicane.*

Parag. II. n. 1. p. 518.
Ibid. n. 2. & ſeq. pag. 519.
Ibid. n. 23. p. 572. & ſeq.
Arn. epiſt. CCCXIV. tom. V. p. 537.

denter tantùm, & vix tribus lineis, reſpondendo ad objectionem. Tribus vix lineis? Id quidem qui ſcripſerit, eum non legiſſe ſedulò, ſed curſim tranſvolaſſe, & oculos in incertum jeciſſe, non immeritò quis dixerit. Quòd autem incidenter hunc locum tractaverit, nedùm argumentum infringat, firmat magis ac munit: quippè cùm ex eo conſtet, Adrianum nullâ neceſſitate compulſum, quæſitâ occaſione ac de induſtriâ, in eam tractationem divertiſſe; quippè quì infallibilitatem illam *evacuare intenderet*, ut & ipſe dicit, & nos jam monuimus.

Sfondrat. loc. citat. paragr. III. a pag. 581. ad 637.

Ibid. n. 5. p. 597. & ſeq.

Ibid. n. 6. 7. p. 612.& ſeq.

In reliquâ diſſertatione defendit Sfondratus, non modò non nocere Reipublicæ Chriſtianæ indirectam poteſtatem, aut Chriſti præceptis eſſe contrariam, aut in ſacris paginis damnatam; verùm etiam Eccleſiæ eſſe utilem, & à Chriſto uſurpatam, & in Scripturis, tùm Oſiæ exemplo, tùm plurimis & graviſſimis teſtimoniis confirmatam. Addit nullum ex antiquis Patribus & Pontificibus, neque verò etiam S. Bernardum huic doctrinæ obſtitiſſe: imò pro indirectâ poteſtate ſteriſſe Præſules Gallicanos, tùm cùm illi de Gregorio IV. Ludovici Pii hoſte id reſponſum plenum gravitatis dederunt: *ſi excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret;* etiam tempore Bonifaciani diſſidii, cùm ad Concilium generale iidem provocabant, demùm diverſis temporibus, cùm ſeſe Curiæ Romanæ multa conanti opponebant. Hæc tractans Sfondratus, mirum quot abſurda congerat.

Ibid. paragr. IV. n. 1. 2. 3. pag. 619. & ſeq.

Paragr. I. à pag. 2. ad 9.

Ibid. à n. 2. ad 12. à pag. 9. ad 65.

In III^a. diſſertatione, Declarationis II^um. caput ut convellat, Papam quibuſcumque Conciliis Superiorem eſſe pronuntiat, & ſtatuit: Spiritûs Sancti ductu & autoritate caruiſſe Synodos omnes eas, quæ aut ſine Papâ actæ, aut ipſi contrariæ, aut ab ipſo confirmatæ non fuiſſent. Erat Sfondratiani erroris fons duplex: 1°. in eo quòd caſus ordinarios ab extraordinariis non diſtingueret, quam tamen diſtinctionem adhibuere S. Antoninus, Carthuſienſis Dionyſius, Turrecremata, Duvallius, & alii benè multi Pontificiæ autoritatis nimii defenſores. Vid. diſſ. lib. IX. & coroll. 2°. in eo quòd alienam in ſententiam acciperet verbum *confirmare*, quod in ſtylo Eccleſiaſtico nihil minùs ſonat, quàm *Superioritatem*, ut demonſtratum eſt à D. Bossuet lib. VIII.

Poſteà ſolvere conatur argumentum petitum ab exemplis Synodi Chalcedonenſis, quæ Synodus Leonis epiſtolam, non niſi à ſe priùs examinatam, confirmavit; deinde V^æ. Synodi, invito Vigilio, trium Capitulorum causâ celebratæ; tùm VI^æ. Synodi à quâ damnatus eſt Honorius. Quantò ſe plus nititur expedire, tantò ſe magis implicat; atque dùm nunc Bellarminum ſequitur, nunc autores a Bellarmini ſententiâ diſcrepantes, hoc unum probat, fluctuantem ſe & incertum, non habere ubi conſiſtat. Vid. diſſ. & lib. VII.

Ibid. paragr. II. à pag. 66. ad 75.

Inde divertit ad appellationes quas vocant *ab abuſu*, quæ res Declarationem Gallicanam non tangunt.

Parag. III. n. 2. p. 77. & ſeq.

Piſanæ Synodi autoritatem ſic impugnat, ut dicat: ab eâ Synodo auctum potiùs ſchiſma quàm ſublatum: Gregorium XIII. cui pars Italiæ tantùm, & quidem exigua obediebat, ſolùm vocat indubium Pontificem; ipſam etiam Conſtantienſem Synodum *hunc habuiſſe pro certo Pontifice* inde probat: 1°. quòd Legatum ejus admiſerit *pileo veſtituque Cardinalitio*: 2°. quòd ſiverit eum *inſignia Pontificia ædibus ſuis appendere*: 3°. quòd novam Gregorii nomine Concilii convocationem non reſpuerit; cùm tamen Synodus declararet id à ſe factum eſſe *condeſcendentiæ causâ*, ut aiebant. Item ex Piſanâ Synodo, ſi maximè œcumenica eſſet, nihil concludi poſſe dicit, quo Gallicana Declaratio firmetur. Nam, inquit, Piſani Patres ſuperiores eſſe ſe dixerunt ei Papæ, qui eſſet dubius, & coorto ſchiſmate conſtitutus, non autem ei, qui electus in ſummâ Eccleſiæ pace, ab omnibus approbaretur.

Parag. IV. & V. à pag. 89. ad 137.

Iiſdem argumentis Conſtantienſem Synodum oppugnat: inſuper & graves memorat inter Patres de Seſſionibus IV. & V. concertationes: has autem Seſſiones à tertiâ tantùm Eccleſiæ parte habitas fuiſſe clamat & conqueritur: multos eoſque cordatiores à paucis ſeditioſis, Gerſone ſignifero, fuiſſe victos decreta more non ſolito promulgata: imò fuiſſe adulterata; ea omnia iterans, quæ ante ipſum ſcripſerant Bellarminus, Schelſtratus, Daguirreus & alii. Vid. lib. V.

De Synodo verò Baſileenſi, cùm non negat Synodi hujus Seſſiones primas fuiſſe ab Eugenio IV. confirmatas, nodum cæteris inextricabilem ipſe non ſolvit; ſed Turrecrematæ veſtigiis inſiſtens, refert neſcio quos rumores, quibus nos vult credere, quidquid illis acta publica contradicant.

Ibid. n. 2.

His rebus tenuiter & ferè nugatoriè diſputatis, quærit utrùm Univerſitas Pariſienſis po-

Digitized by Google

XXXIII.

Pater Thyrſus Gonzalez.

THYRSUS Gonzalez haud minùs tergiverſari cogitur. Sic enim reſpondet: *Erraſſe Adrianum ut Doctorem particularem, ſi ejus intentio fuit aſſerere Romanum Pontificem poſſe, ut Pontificem errare, dùm reſolvit dubia fidei, obligando Eccleſiam ad credendum id quod ipſe aſſerit.* Sed quô mihi tuum iſtud, *ſi?* librum habes in manibus: ſententiam tenes docentis: *errare poſſe Pontificem in eo quòd per ſuam decretalem aut determinationem declaraverit, aſſeruerit & ab omnibus teneri mandaverit.* Satis ne perſpicuis exquiſitiſque verbis uſus eſt; ut omnem tergiverſationem excluderet. Addit P. Gonzalez: *Nimis credulum fuiſſe Adrianum aſ-* Vid.Gonz.

tiorem ſemper duxerit Concilii autoritatem. Id verò negat, eo quòd Jeſuitæ *theſibus publicè propoſitis* anno 1662. in Collegio ſuo Claromontano, Papam Concilio Superiorem dixerunt, quod non dixiſſent, ſi doctrinam talem, doctrinæ Univerſitatis adverſari credidiſſent. Ejuſdem ponderis ſunt ea quæ deinde fusè diſputat de Symmacho & ejus ab Ennodio apologiâ, de Aviti Viennenſis eâ de re ſcriptâ epiſtolâ &c. Hæc vide confutata lib. X. cap. XX. & ſeq. à pag. 146. ad 167.

Omitto ea quæ Sfondratus contumelioſè ſcripſit in Univerſitatem Pariſienſem, in Epiſcopos Gallicanos, & in ipſum Regem Chriſtianiſſimum.

Tangit in IV. diſſertatione infallibilitatem Pontificis *ex Cathedrâ* pronunciantis, id eſt, certas formulas, eaſque nuper introductas adhibentis. Eam infallibilitatem probat 1°. ex iis quæ ſancti Patres de Romanis Pontificibus magnificè & reverenter dixerunt. 2°. ex hæreſibus Pontificum autoritate, nullâ coactâ Synodo debellatis. In illo argumento diutiſſimè immoratur, dùm ſingulas hæreſes memorat & minutiſſimas, non aliâ autoritate ſuperatas. Vid. diſſ. & lib. IX. Paragr. I. à pag. 167. ad 247.

Quam doctrinam, ut oſtendat, ſemper fuiſſe Gallicanæ etiam Eccleſiæ, recenſet longo ordine teſtimonia quædam Irenei, Aviti, Anſelmi, Ivonis Carnotenſis, etiam Petri Alliacenſis, Conciliorum multorum Galliæ, atque Synodorum Conſtantienſis & Florentinæ, quibus ſtrenuè defenditur Papæ Primatus, minimè gentium infallibilitas. Idem dixeris de epiſtolâ Cleri Gallicani an. 1650. ad Innocentium X. de Janſeniano negotio. Vid. diſſ. lib. X. & coroll. Iterùm Sfondratus allegat theſes in Collegio Claromontano eâ de re propoſitas an. 1660. Addit D. DE MARCA has ſe theſes defenſurum ſignificaſſe. Falſos colligit rumores Sfondratus, ſuæ cauſæ parvo ſubſidio, quanquàm veri eſſent. Denique verba quædam decerpit ex articulis Pariſienſibus contra Lutherum & ex aliis ſacræ Facultatis concluſionibus, gravia ſanè & præclara, quæ quidem Papæ Primatum luculenter probant, non infallibilitatem. Mirum profectò commentitiam illam infallibilitatem à Sfondrato fuiſſe viſam in iis quoque libris, in quibus, ſi voluiſſet, vidiſſet eam mirificè confutatam. Exemplo ſit *Sermo* Alliacenſis *Avenione habitus coram Clemente VI.* Ibid. paragr. II. à n. 1. ad 10. à pag. 249. ad 261. Ibid. n. 2. pag. 262.& ſeq. Ibid.n.12. & ſeq. à p. 264.ad 281. Ibid. pag. 269.

Paragrapho ſequenti urget id, quod Hieronymus de Paulo a Petro reprehenſo incautè dixerat. Deinde affirmat contra infallibilitatis opinionem nihil effici, ex eo quòd in quæſtionibus Paſchatis & Rebaptizationis, Aſiani & Africani Patres Victori & Stephano graviter obſtiterint; neque etiam ex Liberii lapſu: nempe illi, inquit, *ſententiam ſuam non ex cathedrà, ſed ut privati Doctores expoſuerant.* Similiter eludit argumenta ea quæ petuntur ex decretalibus Celeſtini III. & Innocentii III. in corpus Canonici Juris inſertas, quas nihilominùs erroris inſimulat Gratianus, & ex erroribus Joannis XXII. Dictum verò Pauli IV. negat pertinaciter, licèt D. DE LA HAYE teſtis ipſe audierit. Vid. diſſ. & lib. IX. cap. XXXIX. & ſeq. Parag.III. à pag. 272. ad 293. Ibid. parag. IV. à pag.294.ad 299.

In fine operis ſibi plaudit, quòd opus tam longum tantæque molis abſolverit; idemque gloriatur ut ſæpè anteà, quòd *perraro Cajetani, aut Bellarmini, aut Baronii autoritate uſus fuerit.* Nimirùm parcus eſt in illis citandis, quanquàm totus in exſcribendis, ut facilè recognoſcent qui hos autores legerunt.

Digitized by Google

ferendo illud quod de Joanne XXII. vulgus falſò ſparſerit. Quid tùm poſteà? Non agimus de Adriani probationibus: certam, planam, liquidam, noſtris
Ibid.n.10. conſentaneam concluſionem proferimus. Sequitur: *Atqui non fuiſſe hanc Adriani mentem, teſtatur Joannes Malderus.* De Adriano ſanè, non de Maldero quærimus: ipſe pro ſe loquatur Adrianus, neque ad alienum trahatur arbitrium; reliqua Malderi jam confutata ſunt. Agit enim Adrianus non de privatâ ſententiâ, ſed de Pontificiâ, ut eſt Pontifex; quippè qui agit de Pontifice, *qui determinet per decretalem ſuam, & ab omnibus teneri mandet id quod declaraverit*, quòd non privatus Doctor, nec alius profectò quàm Pontifex fecerit.

Ibid.n.11. Sanè hæc poſtrema verba: *ab omnibus teneri mandaverit* R. P. mirum in modum angunt urgentque: *Nil*, inquit, *referebat ad ſcopum Adriani, mandaverit Joannes XXII. necne:* imò verò multi; quandoquidem totum illud quod de Pontificiâ infallibilitate aſſerebant, *evacuare intendebat.*

Ibid. Extremum denique P. Thyrſi refugium eſt: *Quidquid ut Doctor Lovanienſis ſcripſerit*, revocaſſe Adrianum: quâ de re cum eminentiſſimo Daguirreo hujus ſolutionis autore, accuratiùs tractare nos oportet.

XXXIV.

Eminentiſſimus & doctiſſimus Daguirreus.

Daguirr. diſp. XVII. ſect. II. integ. vid. impr. n. 15. IS quidem quo candore eſt, planè ac nullâ tergiverſatione, profitetur Adrianum VI. *vitæ integritate, contemptu honorum, & doctrinâ clariſſimum, qui olim cenſuerat Papam in judicio fidei extrà Concilium errare poſſe; poſteà in Pontificatu oppoſitum docuiſſe*, datâ ſcilicet egregiâ ad Fridericum Saxoniæ Ducem adversùs Lutherum epiſtolâ; peſſimique hæreſiarchæ *extrà omnem Synodum damnatis erroribus.* Hoc ultrò fatemur. Sed Cardinalis doctiſſimus nullo ſanè malo animo, ubiquè ſic agit, tanquàm Pariſienſes Romano Pontifici negent poteſtatem definiendi de fide extrà Concilium: à quâ hæreſi eos vel maximè abhorrere conſtat. Rogare autem liceat, quid ad rem attineret, egregiam epiſtolam, ut multùm ſibi profuturam exſcribere integram, cùm in eâ de Pontificiâ autoritate multa, de infallibilitate ne verbum quidem unum legerimus.

Ibid.n.44. Sanè doctiſſimus Cardinalis, ne per totam prolixiſſimam epiſtolam inani operâ vagaremur, *notari vult maximè in rem ſuam quæ n.* 30. *&* 31. *continentur.* Atqui n. 30. nihil aliud reperimus, niſi Cathedram Romanam eſſe Apoſtolicam: Petrum Apoſtolorum Caput in eâ præſediſſe: Romanam Eccleſiam eſſe principalem, eamque undè ſit orta Sacerdotalis unitas: itaque peſſimè actum à Luthero, qui ſummos Pontifices, qui ſcholas Chriſtianas tot probris proſciderit: quæ ad infallibilitatem minimè pertinere, nemo eſt qui non videat.

Sanè ſequente numero 31. quo Lutheri ſacrilegam, & in Dei Sacerdotes tot probra jactantem, linguam comprimat, refert de obſervandis
Deuter. XVII. 12. *Dei Sacerdotibus, maximè autem Principe Sacerdotum*, egregium Deute-

ronomii locum Cap. XVII. neque infert aliud, quàm ut ne Pontifices inceſſantur probris atque blaſphemiis, neque quidquam ampliùs.

At enim objicit eminentiſſimus Cardinalis eumque ſecutus P. Thyrſus Gonzalez, ab Adriano prolatum Deuteronomii locum, quo capitis damnatur: *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio:* ex quo textu, ipſi quidem, non tamen Theologi omnes Pontificiam infallibilitatem eliciant: quâ de re alio loco dicimus. Neque quiſquam negat qui ſuperbo animo Pontificia imperia detrectaverint, ſpirituali gladio feriendos. Cæterùm hîc quæritur, non quid indè ipſi; ſed quid Adrianus intulerit. Nempè Theologi omnes ac Pariſienſes vel maximè, adverſùs hæreticos Primatum Apoſtolicum probant ex his locis: *Tu es Petrus:* &, *confirma fratres tuos:* &, *paſce oves meas:* ex quibus Daguirreus, Thyrſus, alii ſententiam infallibilitatis aſſerant. An continuò inferent à Pariſienſibus quoque abdicatam ſuam? Sanè ſi Adrianus antiquam doctrinam revocare voluiſſet, non deerant verba, quibus tantus Pontifex, tàm candido animo, tàm humili ac modeſto mentem ſuam promeret. Quare quod de retractatione memorant, votum eſt optantium, vigilantium ſomnium: certumque omninò eſt Adrianum Cardinalem, Epiſcopum Dertuſanum, Hiſpanici Cleri æque ac Belgici decus, Regnique Hiſpanici ſtrenuum adminiſtrum, Papam denique in ſententiâ perſtitiſſe, à nullo vel leviter reprehenſum; nedùm ſchiſmatica, erronea, Sedi Apoſtolicæ contumelioſa exprobrarent. Adeò certum eſt de his reprehenſionibus ac cenſuris, in quibus nunc partem vel maximam religionis reponunt, neminem per hæc tempora, neque in Belgio, neque in Hiſpaniâ, neque in Italiâ, neque Romæ atque in ipſâ Sede Apoſtolicâ cogitaſſe.

Daguirr. ibid. n. 44. Gonz. loc. ſup. cit.

XXXV.

Doctorum Lovanienſium & factis & dictis in Adrianum VI. obſervantia ſingularis.

SANE Lovanienſes Adrianum ſuum mirâ reverentiâ proſecutos, hæc quoque teſtantur: nempè cùm prima illa edita eſt doctiſſimæ Facultatis in Lutherum cenſura, totum id Adriani tùm Cardinalis Dertuſani judicio factum. Id Jacobus Latomus major, cùm pro eâ cenſurâ ſcriberet, in præfatione luculenter expoſuit, & cenſuræ præfixa ejuſdem Cardinalis epiſtola oſtendebat. De quâ quidem Latomus ita eſt præfatus: *Sufficere debuit judicium reverendiſſimi Cardinalis Dertuſenſis, cujus probitas & ſapientia, non modò libris præclaris editis, ſed & maximis rebus orbi nota eſt:* ut propterea diceret non videri neceſſarium articulorum reddere rationem. Ex quo intelligitur, quàm probarent Adriani libros. Atque is annis poſt duobus ad Petri Cathedram eſt evectus: ac facilè intelligi poteſt, quanto honori habuerint Pontificem, qui non modò Cardinalem, verùm etiam privatum tantoperè ſuſpexiſſent.

Vid in append. lib. I. cap. XIII.

Latom. def. cenſ. Lov. adm. ad lect. & epiſt. dedic.

Digitized by Google

Edidit poſteà Joannes Driedo ſacræ Theologiæ Profeſſor apud Lovanienſes anno 1533. librum: *De Eccleſiaſticis Scripturis & Dogmatibus*: neque ita multò poſt, librum: *De Captivitate & Redemptione generis humani*: in cujus præfatione Adrianum VI. miro affectu celebrat; *Obſervantiſſimus*, inquit, *mens in Theologicis ſtudiis præceptor; qui me in filium eruditionis ſuſceperat, & præſidens mihi pileum magiſterii in Theologiâ impoſuit anno nativitatis Domini 1512. die 17. menſis Auguſti, qui & uſque in tempus fermè illud Lovanii reſederat totius noſtræ Academiæ lumen & decus, poſteà illius nominis Pontifex VI.* ut nec mirum ſit, de Adriano tanta præfatum, illuſtriſſimo Roccaberto teſte, ut jam vidimus, ad præceptoris ſententiam acceſſiſſe. Quare Lovanienſes, Duacenos, Belgas, Hiſpanos, Italos, Romanos etiam ſi liceat Pontifices, rogamus, obſecramus, ut agnoſcant nos peti per Adriani ſui latus: nec niſi conculcato tanto Pontifice, non minùs pietatis quàm doctrinæ laude celeberrimo, ſententiam Gallicanam damnari potuiſſe.

Dried. de capt. & redempt. &c. præfat.

Sup. 6. n.

XXXVI.

Ex Adriani ſententiâ & temporum notis demonſtratur Florentina, Lateranenſia, Tridentina decreta fruſtrà objici.

HANC quoque circumſtantiam cenſoribus noſtris perpendendam damus: aiunt uno ore omnes, à Florentinâ ſub Eugenio IV. atque à Lateranenſi ſub Leone X. Synodis œcumenicis, Pariſienſium ſententiam apertè eſſe damnatam. Id primùm Bellarminus; id eum ſecuti alii uno ore edixerunt. Vel unum Daguirreum audiamus ſic de Florentinâ Synodo diſſerentem: Nempè inveniri *clariorem meridianâ luce, poteſtatem pleniſſimam Romani Pontificis ſuprà totam prorſus Eccleſiam; atque adeò ſuprà Concilium œcumenicum: deprehendi pariter autoritatem ſummam ipſi à Chriſto commiſſam ad definiendum controverſias fidei, independenter à reliquo Eccleſiæ corpore.* Addit in Concilio Lateranenſi ultimo ſub Leone X. *poteſtatem ſupremam Papæ in totâ Eccleſiâ & nominatim ſuprà Concilium œcumenicum palàm definitam fuiſſe.* Quî autem factum ſit, ut Adrianum, poſtquàm ea tranſacta ac definita eſſe volunt, alia omnia docentem, & contra definita expreſsè ac ſtudioſè inſurgentem, non modò Eccleſia tulerit, ſed etiam ad ſummum Pontificatum evexerit, ac ſua recudentem Romæ & in ſententiâ publicè perſiſtentem, nec reprehenderit. Edicant ſi poſſunt; aut ſi nihil habent quod mutiant, ab iniquis porrò cenſuris temperent.

Daguirr. diſp. XVI. n. 32.

Ibid. n. 34.

Utinàm verò liceret ab eruditiſſimo & optimo Cardinale ſciſcitari coràm quid de his ſentiat. Sanè, quo candore eſt, quâ indole, quâ animi magnitudine conſenſurum ſat ſcio. Nam nec illud contemnendum: Concilii Lateranenſis Seſſionem XI. ſub Leone X. anno 1516. fuiſſe celebratam, cùm Adrianus Romanâ jam purpurâ fulgeret, rebus Eccleſiaſticis occupatiſſi-

Digitized by Google

occupatiſſimus, & quinque annis poſteà, anno videlicèt 1521. Leoni fuiſſe ſuffectum: quo neceſſe fuerit tam paucorum annorum ſpatio, & ab Adriano Leoni proximo ſucceſſore & à Cardinalibus, & ab omni orbe Chriſtiano, definitionem Leonis, eamque in œcumenico Concilio editam, tamen uſque adeò oblivione deletam, ut nec ulla ejus veſtigia ſupereſſent.

Quamobrem quod aſſerunt, jam indè à Florentini ac Lateranenſis Concilii temporibus rem eſſe deciſam, haud immeritò à noſtris rejectum eſſe conſtat: atque omninò ex his iſtud argumentum exiſtit: Adriani VI. ſententiam, hoc eſt, Pariſienſem ipſam, aut immunem relinquunt, & nos cum illo vincimus: ſin autem condemnatam volunt, aut ex antecedentibus definitionibus, aut ex conſequentibus: non ex antecedentibus, Florentinis ſcilicèt aut Lateranenſibus, quas ſolas obtendunt, cùm eæ nihil nocuerint, ac nequidem objectæ ſint Sedem Apoſtolicam conſcenſuro, in Sede Apoſtolicâ præſidenti: hanc autem ſententiam nulla conſequens definitio proſcripſit: aut enim Conciliaris, aut Pontificia: Concilium autem nullum eſt habitum niſi Tridentinum, in quo hanc ſententiam clarâ voce profeſſos, ut vidimus Epiſcopos Gallicanos, totus orbis excepit: Pontificiam verò definitionem nullam omninò proferunt. Id ergò unum ſupereſt, ut à privatis Doctoribus cenſura profecta ſit, quorum ſanè nomina cum honore appellamus; autoritatem verò adversùs antiquiſſimæ Facultatis totiuſque adeò Eccleſiæ Gallicanæ ſcita, ſi non magni facimus neque pertimeſcimus, jure noſtro agimus.

XXXVII.

Nominantur poteſtatis Pontificiæ vehementiſſimi defenſores, qui ſummâ ipſâ Pariſienſium tuentur ſententiam.

HACTENUS tuti ſumus ab omni cenſurâ, tantùm appellatis iis quos ipſi adverſarii in noſtram ſententiam conveniſſe fateantur: quantò tutiores, cùm demonſtraverimus, etſi verbis diſcrepantes, tamen ſummâ ipſâ ſtare nobiſcum, qui vel infenſiſſimi memorentur; nec tantùm Dionyſium Carthuſianum illum ſanctiſſimum juxtà atque doctiſſimum adversùs Baſileenſe Concilium Eugenii IV. egregium defenſorem; verùm etiam, quod mirentur, earum partium duces, Joannem Turrecrematam, Petrum de Monte Epiſcopum Brixienſem *, Antonium de Roſellis: ad hæc ſanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, duos Jacobatios Chriſtophorum & Dominicum celeberrimos Cardinales: alioſque viros maximos poſteà prodituros, quorum exſpectatione cauſam noſtram illuſtrari ac muniri volumus.

Vid. in append. lib. I. cap. IX. X. lib. II. cap. I. & ſeq. uſque ad VII.

* Brixia urbs eſt in Longobardiâ.

XXXVIII.

De Concilio Conſtantienſi: qui approbatum negant, ipſi ſe ſuis telis conficiunt.

Vid. lib. V. integ.

A Privatis Autoribus & à ſcholæ Pariſienſis Eccleſiæque Gallicanæ ſententiâ ad ampliora pergimus: nempè ad Conſtantienſe Concilium. Atque hujus quidem res geſtas ſuo loco exequemur. Nunc autem ſufficit invicti argumenti vim in hæc pauca concludere. Si, quod adverſarii tantâ ope contendunt, ejuſdem Concilii Seſſionum IV. & V. Decretis id tantùm agitur, ut in ſchiſmatis caſus & in dubium Papam Conciliorum œcumenicorum poteſtas valeat, profectò illa decreta proba ſanaque ſunt, neque tantùm œcumenico Concilio digna; verùm etiam pro ratione temporum neceſſariò expedita, nec unquàm infirmanda, ſed omni potiùs pietate ac ſtudio propugnanda: atqui adverſarii, nedùm hæc Conſtantienſia decreta propugnent, oppugnant potiùs, omni ſtudio evertunt. Ac textum quidem ſollicitat Schelſtratus: optimis geſtis falſi crimen impingit: cæteri, Bellarmino duce, eam Concilii partem infamant, confirmatam negant: Concilii œcumenici mendacem titulum prætuliſſe aiunt; ergò profectò ſentiunt majus aliquid agi, quàm ut incertus tantùm Pontifex Concilio œcumenico ſubſit.

Duval de ſupr. R. P. in Eccl. poteſt. part. IV. quæſt. VIII. ad X^um^. pag. 569.

Sanè Duvallius, propter autoritatem Concilii Conſtantienſis Seſſione IV. *de fide eſſe* docet *Concilium œcumenicum dubio & incerto Pontifice eſſe ſuperius.* Cur eum fidei articulum non intactum volunt? quid erat in eo dubii, ut Martinus V. probatum nollet? An dubium Pontificem etiam contumacem, à Concilii œcumenici poteſtate immunem eſſe oportebat; neque eſſe in Eccleſiâ vim ullam quæ ſchiſmatis vulneri mederetur? Abſurdum, abſonum, rebus geſtis repugnans, Eccleſiæ Catholicæ Chriſtique providentiæ prorſùs inimicum. Dicent opportuniſſimum ſchiſmatis fuiſſe remedium, ſi de Papatu pari ferè jure contendentes ultrò loco cederent. Rectè; quid autem ſi nollent? æterno ſchiſmate Eccleſia laboraret. Abſit: ergò neceſſe eſt ut ſit aliqua poteſtas, quâ dubii ſaltem Pontifices etiam inviti comprimantur: ac ſi Conſtantienſes nihil aliud agebant, nemo dubitaverit quin approbandi fuiſſent; ut qui malo ſchiſmatis certum ac neceſſarium remedium attuliſſent; atqui approbationem hanc cane pejus & angue refugiunt: ergò aliud profectò actum intelligunt.

XXXIX.

Objectio de Obedientiis nondùm adunatis Seſſ. IV. & V. ſponte corruit duobus factis conſtitutis: primùm, à Concilio Conſtantienſi ſtatìm aſſumptum Concilii œcumenici titulum & jus.

INstant, Seſſionum IV. & V. decreta utcumque ſe habeant, tamen approbanda & firmanda non erant à Martino V. ut œcumenici Conci-

lii acta, nondùm adunatis ut vocant obedientiis; ſed tantùm, ut aiunt, tertiâ Eccleſiæ parte. Hûc quidem omnia redeunt: id aſſiduè urgent: hîc argumentorum vis ac ſumma conſiſtit. Quæ anteaquàm ex geſtis perſpicuè refellimus, duo quæ facti ſint, in anteceſſum nobis concedi poſtulamus: primùm, in primis illis Seſſionibus, nondùm adunatis licèt obedientiis, atque in ipſo initio, à Concilio Conſtantienſi œcumenici Concilii nomen aſſumptum; imò Seſſione III. ſtatìm definitum: quòd (relege verba) *Conſtantiæ in Spiritu Sancto Synodus generalis fuit, & eſt ritè & juſtè convocata, initiata, celebrata*: quæ definitio, ſi reverà tunc Conſtantiæ Synodus œcumenica non fuit, mendax, erronea eſt; neque tantùm non approbanda, verùm etiam falsò & in vanum aſſumpto Spiritûs Sancti nomine ac numine, atque œcumenici Concilii titulo, blaſphema, ſchiſmatica, omni ſtudio deteſtanda judicari debeat. Quis autem id auſus eſt? Quis unquàm audeat? Nemo certè, niſi fortè exiſtant, qui, quantùm in ipſis eſt, infandum ſchiſma exſuſcitatum & vulnus Eccleſiæ innovatum velint. Concil. Conſt. Seſſ. III. Tom. XII. p. 17.

X L.

Alterum factum, Martinum V. tunc Cardinalem his Synodi initiis adhæſiſſe.

QUÆ ut magis valeant, alterum factum afferimus: nempè Martinum V. tùm Othonem Cardinalem Columnam, unum fuiſſe eorum Cardinalium qui à Gregorio XII. ab ipſo initio receſſerint, Piſano & Conſtantienſi Conciliis adſuerint, primarum Seſſionum Synodi Conſtantienſis pars maxima fuerint, ſacro illi conventui, Concilii œcumenici in Spiritu Sancto legitimè congregati titulum & autoritatem attribuerint: qui titulus, ſi mendax eſt, ſi blaſphemus, ſi ſchiſmaticus, tertiâ Eccleſiæ parte à reliquis abruptâ ac pro toto Eccleſiæ corpore vindicatâ; nempè Otho Cardinalis, nuſquàm revocatâ aut improbatâ priore ſententiâ, ad ipſam Petri Sedem, mendax, ſchiſmaticus, blaſphemus, evectus eſt. Quæ ſi adverſarii concoquere poſſunt, nobis certè indulgeant, qui hæc intelligere, his aſſentiri, ab his non abhorrere non poſſumus.

X L I.

Aliud factum additur: quòd pars Eccleſiæ, quæ Concilium Conſtantienſe inchoavit, non fuerit tantùm pars tertia; ſed duabus aliis etiam adunatis longè ſuperior.

HÆC igitur duo ſunt quæ facti eſſe dicimus, quæque ad univerſas adverſariorum diſſlandas machinas profectò ſufficiant. Addamus tamen ſi libet & tertium, de tertiâ parte Eccleſiæ tantùm in Conſtantienſi Conci-

Turr. lib. II. de Eccl. cap. XCIX. Bell. lib. II de Concil. aut. cap. XIX.

lio congregatâ; id enim mirum in modum poſt Joannem Turrecrematam Bellarminus urget, eumque ſecuti cenſores noſtri omnes pro viribus exaggerant. Nos autem, quâ poſſumus ſimplicitate reponimus: ergòne tertia pars tantùm, quæ tot nationes complecteretur, Germaniam, Angliam, Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daniam, Dalmatiam, Bohemiam, ipſamque Italiam, demptâ admodùm Apuliâ, ipſam quoque Romam, & cum Belgio Galliam, & cum Sigiſmundo Rege totam Ungariam: ad hæc Univerſitates, Pariſienſem, Bononienſem, Vienneniem, Cracovienſem, Avenionenſem, Oxonienſem, Pragenſem, quæ ſuos in Synodo Legatos haberent: atque item ſacros Ordines, Cluniacenſem, Carthuſienſem, Præmonſtratenſem, Prædicatorum, Minorum, qui per ſpeciales Procuratores Synodo adhærerent, cum innumeris Abbatibus SS. Benedicti ac Bernardi, quos omnes, omnes inquam, nullo labore, quippè ex ipſis ſubſcriptionibus, oſtendimus ſacræ Synodo Conſtantienſi, jam indè ab initiis adſuiſſe. Reliquine, tantula pars orbis, eaque in duas ſciſſa particulas, quarum una Benedicto, altera Gregorio adhærebant, pro duabus Eccleſiæ partibus numerandi ſunt? Cùm præſertim Hiſpani, certè eorum pars maxima, Benedicto ſuo quotidianis vocibus diſceſſionem intentarent; Gregorius verò XII. quem unum Pontificem, ſi Deo placet, cum Odorico Rainaldo jactitant, deſertus ab omnibus, Auſtriæ exiguo in oppidulo Concilium œcumenicum celebraret, atque in angulo Italiæ totam haberet Eccleſiam. Hæc igitur duo fruſtula Chriſtiani orbis, quaſi duas partes, cum eâ, quæ Synodum Conſtantienſem conſtitueret, Joannis XXIII. obedientiâ comparabimus: tot, quantas memoravimus reliquas nationes, atque ex illis congregatos ducentos eoque ampliùs Epiſcopos; tot illuſtres Academias, tot religioſos Ordines, pro tertiâ tantùm parte habere cogemur? Hos ſibi Concilii œcumenici titulum ac Spiritûs Sancti magiſterium mendaciter arrogaſſe dicemus. Pace eorum dixerim, rogamus, obſecramus, ne ad hæc abſurda & infanda nos adigant.

XLII.

Conſtantienſis Synodus à Romanis Pontificibus optimæ notæ Synodis accenſita: privata Binianæ editionis nota, quàm nulla & temeraria, quàm Sedi Apoſtolicæ contumelioſa, nihil proficere: qui de ejus Synodi confirmatione litigant.

De Synodi verò approbatione quod litigant, primùm abigatur illa quorumdam animis ſuborta ſuſpicio, quâ ſcilicet, audito Concilii Conſtantienſis vel ipſo nomine, ſtatim neſcio quid Romanæ potentiæ inimicum cogitant; cùm ex Hiſtoriâ rebuſque geſtis eluceſcat: Pontificiam Sedem, atque illam Petri navem, fœdâ diuturnâque tempeſtate tantùm non obrutam, per Conſtantienſem Synodum ex his fluctibus emerſiſſe: denique ab eâ Synodo, necdùm adunatis obedientiis, adversùs Wicleſitas &

Huſſitas aſſertam eam, quam impii & perduelles, dementibus odiis, exagitaverant Romani Pontificis ſupremam in Eccleſiâ poteſtatem; ut, ad eam tutandam ac reſtituendam, Synodus Conſtantienſis Divinitùs comparata eſſe videatur. Quare à Romanis Pontificibus nunquàm ſine veneratione appellata, nedùm ullâ cenſoriâ notâ unquàm affecta ſit: ſuoque loco legitur in Conciliorum univerſalium editione Romanâ, quam pari diligentiæ ac magnificentiæ laude Paulus V. in Typographiâ reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Vaticanâ adornari juſſit. Abeſt certè Synodus Baſileenſis dubia, ſuſpecta, ex parte improbata; quod ultrò fatemur: Conſtantienſis verò integra, inviolata prodit, cum Nicænâ & aliis, cum Lugdunenſibus, Lateranenſibus cæteriſque, quæ optimæ notæ Romæ quoque habeantur. Quo cadat neceſſe eſt illa Binianæ editionis nota: *Concilium Conſtantienſe ex parte approbatum*, nullâ autoritate, nullo Concilio, nullo autore Pontifice, ex privati hominis ſenſu atque auſu; quippè quæ recentiſſimâ, extremâ videlicèt ætate, prorsùs temeraria atque omnibus retrò ſæculis inaudita prodierit.

Conc. gener. Rom. edit. 1602. Tom. IV. p. 127. & ſeq.

Bin. Tom. VII. part. II. p. 1134. vid. Bell. de Eccl. lib. I. cap. VII.

Quam tamen cenſuram, à privatis licèt ortam Scriptoribus, quaſi omnibus liceat ſacratiſſimis Synodis proprio ex cerebro & arbitrio quaſvis notas inurere, omni ope tutandam ſuſcipiunt. Quid ita? An quòd incertum Pontificem Synodus Conſtantienſis Concilio œcumenico ſubdat? Neutiquàm; id enim admittunt omnes; ſed quòd ea Synodus apertiùs certiùſque quàm vellent, *quemlibet*, *cujuſcumque ſtatûs & conditionis*, *etiamſi Papalis exiſtat*, non tantùm *huic* ſacræ Synodo, quæ ſchiſmatis causâ fuerat inſtituta, ſed etiam *cuicumque alteri Concilio generali*, quâcumque causâ convocato, neque tantùm *in ſchiſmatis extirpandi* causâ, ſed etiam *in fide ac morum reformatione*, ſubdiderit.

Vid. lib. V.

Quâ tamen vitiligatione quid proficiunt? Cùm ſuccurrat illud, tot Eccleſiarum Chriſti, tot Chriſtianarum gentium, tot Univerſitatum, tot Ordinum religioſorum cœtum, quamvis œcumenici Concilii nomine non gauderet, tamen impunè non poſſe contemni. Quid, quòd is cœtus pro œcumenico Concilio ſe geſſit? Quid, quòd hanc ſibi autoritatem vindicanti, nemo mendacium exprobravit? Quid, quòd Martinus V. cum ipſâ Synodo, hanc quoque ſententiam dixit, neque improbavit unquàm? Quid, quòd ea decreta fixit cum cæteris ducentis Epiſcopis ac Patribus, queis quilibet Pontifex, cuicumque Concilio præſenti ac futuro, quâcumque de causâ ſubſit? Quid, quòd nec Pontifex illa revocavit? Et quidem, his decretis confirmationem nec ſemel, ſed centies additam, ipſa geſta pandent; nullum ut ſit Concilium quod certiore approbatione conſtet. Fac autem defuiſſe; tamen illud ſtabit, doctrinam, quam erroneam, ſchiſmaticam, fideique adverſam tàm confidenter aſſeverant, nemine improbante, nemine retractante, in lucem Chriſtiani orbis ſub œcumenici Concilii titulo prodiiſſe.

XLIII.

Concilii Baſileenſis initia legitima & certa Bellarminus & Rai-naldus agnoſcunt, etiam Lateranenſe Concilium: ejuſdem Bellarmini ſuffugia ex Duvallio confutata.

Vid. lib. VI. integ.

DE Baſileenſi verò Synodo, ne quid nobis affingant, clarâ voce teſtamur, nullâ ratione tueri voluiſſe, quæ poſt tranſlationem, Legatorumque diſceſſum decreta geſtaque ſunt: imò ea caſſa, irrita, roboris vacua profitemur. Hæc nos de poſterioribus Baſileenſibus geſtis: de prioribus ſanè, quæ ab his poſterioribus meritò diſtinguantur, Cardinalem

Bell. lib. III. de Eccl. cap. XVI.

Bellarminum hæc dicentem audimus: *Dico Baſileenſe Concilium initio quidem fuiſſe legitimum; nam & Legatus aderat Romani Pontificis, & Epiſcopi plurimi: at quo tempore Eugenium depoſuit & Felicem elegit, non fuit Concilium Eccleſiæ, ſed Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorsùs*

Rain. Tom. XVIII. an. 1549. n. 6.

autoritatis; ſic enim appellatur in Concilio Lateranenſi Seſſione II. Hæc refert, hæc laudat Odoricus Rainaldus Tom. XVIII. annalium. Nihil ergò aliud Bellarminus, nihil Odoricus, nihil ipſum Lateranenſe Concilium.

Quis ergò inficiari poſſit *initia Baſileenſia* fuiſſe *legitima?* aut quid ad initia magis pertinere poſſit quàm ipſa Seſſio II. in quâ videlicet *ſacra Ba-*

Conc. Baſ. Seſſ. II. Tom. XII. p. 477.

ſileenſis Synodus, ne de ejuſdem ſacræ Baſileenſis Synodi poteſtate à quoquam dubitetur, decreta Conſtantienſia Seſſionis V. innovat, *eoque fundamento nixa, declarat: quòd ipſa Synodus* (nempè Baſileenſis) *in Spiritu Sancto legitimè congregata, & Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem immediatè à Chriſto habet, cui quiſlibet, cujuſcumque ſtatûs vel conditionis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur, &c.* iiſdem verbis quæ in Concilio Conſtantienſi Seſſionibus IV. & V. continentur. Igitur illa Synodus, nullo ſchiſmate, ſub Pontifice certo Eugenio IV. per Legatos præſidente, in eundem Pontificem ſibi à Chriſto *immediatè* traditam ſupremam poteſtatem tribuit: ne conciliaris autoritas ad dubium tantùm Pontificem extendi videatur.

Bell. de Conc. aut. lib. II. cap. XI.

Quâ de re Bellarminus hæc ſcribit: *Concilium Baſileenſe Seſſione II. unà cum Legato Pontificis communi conſenſu ſtatuit, Concilium eſſe ſupra Papam, quod certè nunc judicatur erroneum.* Quid eſt *nunc* niſi nota novitatis? A quo autem judicatur? Ab ipſo Bellarmino: à privatis Doctoribus? Miror decreto unanimi, œcumenicæ Synodi, Sede Apoſtolicâ per Legatum præſidente, edito, privatam autoritatem anteponi. Fac enim decretum ab Eugenio IV. non fuiſſe firmatum, quod contrà eſſe, ex actis demonſtrabi-

Rain. an. 1432. n. 8.

mus: tamen œcumenici Concilii decretum unanimi conſenſu Legati Apoſtolici cum Patribus, *quorum numerus*, teſte Rainaldo, *in dies augebatur*, editum, privatâ autoritate impunè contemni quis ferat? Quis autem ſanâ mente præditus, audeat tali decreto etiam probabilitatem denegare? Certè vel Duvallium audivimus tali Conciliari decreto infallibilitatis privilegium ex certo Sancti Spiritûs privilegio aſſerentem. Nihil ergò jam cum ipſo ſupereſt quæſtionis. At Bellarminus, inquies, huic ſententiæ adver-

ſatur. Certè; ſed audi verba: *Sub opinione*, inquit; non certâ & exploratâ ſententiâ. Ergò vel ex ipſo *ſub opinione* poſitum, atque erronei notâ temerè inuſtum Baſileenſe decretum, cum Legato Pontificio communi conſenſu proditum, de ſuperiore Concilii poteſtate.

XLIV.

Ex Ludovici Alamandi beatificatione argumentum: item ex Amadei VI. Sabaudiæ Ducis famâ ſanctitatis, Odorico Rainaldo utroque in negotio teſte.

PATER Thyrſus Gonzalez ab ipſo initio, in ipsâ præfatione gloriatur *pro contrariâ ſententiâ nullum allegari Doctorem, cujus ſanctitatem ſolenni cultu Eccleſia declaraverit*, quod etiam haud ſemel ingeminat. Quæ ſanè probatio quàm ſit infirma, nemo non videt; cùm coram oculis Dei multi ſanctiſſimi ſint, quorum non eſt ſanctitas declarata: rursùs autem inſignitos ſolenni titulo ſanctitatis, non ut ſanctiſſimos ita etiam doctiſſimos fuiſſe conſtet. Sed quandò hæc viro reverendiſſimo memoratu digna viſa ſunt, ſubit admirari excidiſſe memoriâ Ludovicum Alamandum Archiepiſcopum Arelatenſem ac ſanctæ Cæciliæ Preſbyterum Cardinalem, de quo hæc Hiſtorici retulerunt; imprimis Æneas Sylvius, poſteà Pius II. qui non modò in libro de geſtis Baſileenſibus, hujus Cardinalis eruditionem ſummam, facundiam ſingularem egregiaſque virtutes, præſertim fortitudinem, conſtantiam, atque admirabilem pietatis guſtum ſenſumque commendat; verùm etiam in Hiſtoriâ rerum ſuo ævo ubique geſtarum, quam Pontifex ſcripſit, cùm de Europâ ſcriberet, hæc tradidit: *In Arelate ad ſepulchrum Ludovici Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, ejus urbis Epiſcopi, quem Baſileæ in conſeſſu Patrum Præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & invalidorum frequens undique concurſus ſpe ſanitatis factus.* Eadem referunt Philippus Bergamenſis, Vernerus, Philippus de Liguamine, Paradinus, Valemburchius, Noſtradamus, quos in Pontificio Arelatenſi videre eſt. Horum igitur unanimi teſtimonio conſtat: Ludovicum Alamandum *virum ſanctæ vitæ, miræ patientiæ, ſcientiâ incomparabilem, multis miraculis editis coruſcantem*, quod & Odoricus Rainaldus confitetur.

Acceſſit Sedis Apoſtolicæ autoritas ex Diplomate Clementis VII. quo *Petrum de Luxemburgo, & Ludovicum Alamandum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Eccleſiæ Arelatenſis Archiepiſcopum; cùm ad eorum ſepulchrum, non tantùm Avenionenſis & Arelatenſis civitatum; ſed etiam harum partium multitudo concurrat, ut tanquàm ſpeciales protectores, fautores, interceſſores ad Dominum invocentur, Apoſtolicâ autoritate permittit, ut eorum oſſa in commodiora loca transferre, & ibidèm venerabiliter collocare, & utriuſque ſexûs fideles eos in prædictis Eccleſiis ac ſacellis pro beatis venerari poſſint; quippè qui & miraculis invocati inclaruerint. Nec mirum, quandoquidem Petrus ten ris ſub annis, & Ludovicus vitam cœlibem caſtamque, & immaculatam*

Gonz. in præfat. p. 14. n. 24. & in tractat. paſſ.

Æn. Sylv. de geſt. Baſ. lib. I. p. 4. lib. II. paſſ. & inip. p. 14.

Id. Hiſt. rerum ſuo temp. geſt. præfat. p. 281. ibid. de Europ. cap. XLII. pag. 440.

Philipp. Bergam. in Chron. & in Fel. V. lib. III. Vern. Hiſtor. Sabaud. cap. XXXIII. Phil. de Liguamin. in Amed. VI. Parad. Hiſtor. Prov. part. VI. Pontr. Arel. ſeu Hiſtor. Primat. Ecclеſ. Arel.

Rain.Tom. XVIII. an. 1550. n.20. Vid. Pontif. Arel. & Ciac. de geſt. Rom. Pont.Tom. II.an.1417.

exegerint, *& Petrus in decimo ſeptimo ætatis anno*, *Ludovicus verò in ſexageſimo*, *ſuo creatori ſuas puriſſimas animas reddiderint*, *calcatis hujus mundanæ vitæ*, *quamvis illuſtri eſſent orti familiâ*, *illecebris. His igitur*, *ac Renati Regis Siciliæ & Jeruſalem*, *tunc in illis partibus degentis*, *& illorum miraculorum ſtupore perculſi*, *claro teſtimonio*; *quin etiam Franciſci Epiſcopi Tuſculani*, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Claromonte*, *illarum partium Legati à latere*, *qui ad eoſdem Petrum & Ludovicum non parvum gereret devotionis affectum*, *ſupplicatione permotus*, *eorum imagines à longiſſimis jam temporibus depingi ſolitas*, *circumferri*, *eoſque pro beatis coli ac*

Ibid.& ap. Rain. ann. 1426. n.26. & an.1450. n. 20.

venerari poſſe annuit. Extat id Diploma in prædicto Pontificali libro Eccleſiæ Arelatenſis, & apud Ciaconium, datum Aprilis 9. an. 1527. Pontificatûs 4. cujus etiam apud Odoricum Rainaldum ſumma perſcribitur.

Hæc fusè referuntur in Martyrologio Gallicano illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Andreæ Sauſſæi Tullenſis Epiſcopi ad 16. Septembris. Quòd autem idem Sauſſæus memorat ſanctum Cardinalem, *quod adversùs Eugenium IV. ſtetiſſet*, *ac Felicem conſecraſſet*, *facti pœnitentem ad Nicolai V. obedientiam rediiſſe*, rectum de illo facto: nempè de abolito ſchiſmate ac Felice ipſo ad *voluntariam abdicationem* impulſo, ut idem Sauſſæus refert. Cæterùm Cardinalis ad obedientiam rediens, quid improbaverit, quid probaverit, certiùs prodemus ex geſtis. Interim id conſtat, ſancto Cardinali ex Clementis VII. Diplomate in Eccleſiâ Arelatenſi cultum inſtitutum in hanc formulam: *Sacerdos & Pontifex &c. intercede pro nobis*: mox: *ora pro nobis*, *ſancte Ludovice Cardinalis*, *ut per te eruamur ab omnibus malis*: ſecutâ oratione: *Deus qui meritis & interceſſionibus beati Ludovici Alamandi Confeſſoris tui atque urbis Arelatenſis Epiſcopi & S. Cæciliæ Preſbyteri Cardinalis*, *dignaris mortuos ſuſcitare*, *cœcos illuminare*, *claudis greſſum*; *ſurdis auditum reſtituere*; *concede propitius*, *ut omnes qui ejus implorant auxilium*, *petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum*: quæ omnia ex Pontificio Arelatenſi & ex Galliâ purpuratâ * ad certum veritatis teſtimonium exſcribere haud piguit.

* A Petro Frizon compacta.

Hic igitur ille eſt Ludovicus Alamandus Concilii Baſileenſis poſt tranſlationem Præſes, quo autore Amadeus Felix V. dictus, Papæ titulum & aſſumpſit primùm & poſteà depoſuit. Sic à ſchiſmate receſſit vir optimus, & Nicolaum V. agnovit. Quibus conditionibus acta ſuo loco referenda docebunt; unam tamen intereà ex Odorico Rainaldo ductam tacere non poſſumus; nempè Felicem 7. Aprilis an. 1449. edito Diplomate, Pontificatu cedentem declaraſſe: id eâ conditione factum, ut Conſtantienſia de ſuperiore Conciliorum poteſtate decreta, in ipſis Baſileenſibus initiis repetita, ſuo loco ſtarent, & in quemvis Pontificem etiam indubitatum valerent. Quo loco Rainaldus inclamat: *Nunquàm ejuſmodi ſanctio adversùs non ambiguum Pontificem valuit*, *atque in falſum ſenſum detorta eſt à ſeditioſis*, *quos infeliciter Amadeus eſt ſecutus.* Rectè. Igitur ſeditioſam, quam Odoricus vocat interpretationem, quæ Concilium certo etiam Pontifici anteferret, adhuc Amadeus ſequebatur; neque aliâ conditione ceſſit.

Rain. an. 1449. n. 3.

Ibid.

In eundem ſenſum, poſt aliquot dies prodiit, eodem Rainaldo referente;

rente, *Sacroſancta generalis Synodi Lauſanenſis* nomine edita conſtitutio, quâ etiam atque etiam teſtabantur, ſub eâ conditione & ceſſiſſe Felicem, & ipſam Synodum approbaſſe: ut nimirùm valeret definitio *Concilii Conſtantienſis Baſilea renovata, nec non à Prælatis, Regibus & Principibus, Univerſitatibuſque orbis ſuſcepta*: ea ſcilicet, quam Felix memoraverat: cui decreto faciendo, Ludovicus Alamandus more ſolito præfuit; neque aliâ lege ſtatìm Synodum diſſolvit.

His igitur geſtis anno 1449. anno ſequente 1450. obiit in Domino; ſanctitatis odore ac miraculis clarus, abdicato quidem ſchiſmate & Felice Antipapâ; cæterùm nullâ unquàm eorum, quæ Lauſanæ anno anteriore geſſerat, retractatione factâ; & tamen nec Papâ prohibente, in Arelatenſi Sede permanſit, neque modò in priſtinam Cardinalatûs dignitatem facilè reſtitutus, & celebri ad inferiorem Germaniam legatione perfunctus; ſed etiam in cœlum ſummâ cum ſanctitatis laude, Sede etiam Apoſtolicâ declarante & collaudante, ſuſceptus.

Miratur ſanè Rainaldus *adorandam Dei miſericordiam, quæ exiguo temporis fluxu* (vix annali ſcilicet) *Ludovicum ipſum nefandi & pernicioſiſſimi ſchiſmatis autorem, propagatorem hæreſeos, qui, ex erroneâ conſcientiâ, innumera mala in Dei Eccleſiam invexerat, ac tot annorum curſu in pertinaciâ obſirmatus, profanârat Sacramenta, pœnitentem ac reverſum in Eccleſiâ, ad ſanctitatis culmen evexerit.* Addere debuit, nec retractatione factâ priorum decretorum de ſummâ Conciliorum in quemcumque Papam, etiam indubitatum, poteſtate. Quanquàm, ſi iſtud erroneum, ea retractatio tàm publica eſſe debuit quàm ipſa declaratio. Hæc expendant, qui huic ſententiæ teterrimam erroris ac ſchiſmatis notam inurere non verentur: videant virum maximum in eâ ſententiâ permanentem, ſanctitate, miraculis, Sedis Apoſtolicæ, ſi neceſſariam vocem admittant, beatificatione claruiſſe; & contra neotericas cenſuras Deum etiam è cœlo vindicem adfuiſſe. Id. ann. 1450. n. 26.

Neque ita multò poſt, *Amadeus* eodem teſte Rainaldo, *relictâ ſanctitatis opinione exceſſit è vivis*, nullo prorsùs edito retractationis monumento ejus quidem decreti, quo Concilii poteſtatem potiorem aſſerebat. Mira res! cum publico errore, nullâ pœnitentiâ, tantâ ſanctitatis tamen opinione florebant! Adeò illud erroneum, quod tantâ vehementiâ objiciunt, ne ipſi quidem credunt. Ibid.

XLV.

Ex Concilio Conſtantienſi ac Baſileenſibus initiis quid dicendum putemus.

SED quanquàm ex his docemus Pariſienſium, imò verò jam non Pariſienſium, ſed totiûs orbis ſententiam in rem judicatam tranſiiſſe; nos tamen ultrò hoc jure decedimus: adverſarios, imò fratres noſtros, Theologos, Epiſcopos, alios quoſcumque Præſules, nondùm hujus judi-

Digitized by Google

cii vim ſatis intelligentes, excuſamus, cauſaſque excuſandi ſuo loco proferimus: à Gallicanæ ſententiæ cenſuris temperari, (hoc tantùm Deo teſte) fraterno animo flagitamus.

XLVI.

Ante Conſtantienſe Concilium Joannis XXII. de ſuorum Anteceſſorum autoritate atque infallibilitate ſententia in conſtitutione : quia quorumdam.

Vid. lib. IX. cap. XLII. & ſeq.

JAM de anteriorum Sæculorum certâ traditione, anteaquàm rem accuratè diſcutimus, ac ſexcentis Eccleſiæ antiquæ monumentis approbatam damus, hæc interim pauca, non quia meliora, ſed quia breviora, & ipſo ſtatim aſpectu adversùs cavillationes omnes tuta, ſubnectimus. Ac primùm & quod aiunt: Pariſienſium ſententiam quam Clerus Gallicanus amplexus eſt: *forſan primò traditam ab Okamo ſchiſmatico eoque notorio: eumque poſuiſſe ova quæ poſteà Joannes Gerſon excluſit in Concilio Conſtantienſi*, primo ſtatim aſpectu falſum apparet. Nos enim non Okami peſſimi Monachi, & adversùs Joannem XXII. perduellis ſententiam, ſed ipſius Joannis XXII. Decreta promimus. Cùm enim in illâ celeberrimâ controverſiâ Franciſcanâ de *ſimplice uſu facti*, fratres Minores huic Pontifici objicerent ipſum eſſe apertè hæreticum, qui Nicolai III. Decretalem *exiit* à Clemente V. Apoſtolicâ autoritate firmatam, editâ conſtitutione, convelleret, id inſuper, eodem Joanne XXII. referente, addiderunt: *Quæ per clavem ſcientiæ in fide ac moribus à ſummis Pontificibus ſemel definita ſunt, eorum Succeſſoribus revocare in dubium non licere:* quâ in re vel maximè Pontificiam infallibilitatem oſtendere videbantur. Nunc an eam Joannes admiſerit, videamus.

Diſputat. XXXIX. n. 2. diſp. XL. n. 7.

Extra. *Quia quorumdam.* de verb. ſignificat.

Hujus objectionis gratiâ, edidit extravagantem *quia quorumdam*, Apoſtolicâ ac ſummâ autoritate: quâ quidem Nicolaum excuſat ut poteſt; negatque aut ab ipſo, aut ab aliis Romanis Pontificibus *definita*, quæ fratres ſtudio tanto de *facti uſu ſimplice* aſſerebant: quòd autem vel maximum atque in hac cauſâ peremptorium, id ſi vel maximè definiſſent, *conſtitutiones illas* (Romanorum Pontificum) *quibus fratres ſe adjuvant, fore invalidas, erroneas & infirmas.* Sanè Franciſcani Nicolai III. autoritate ſubnixi, contendebant *ſimplicem uſum facti*, nullâ etiam ſibi proprietate permiſſâ, & juſtum eſſe per ſeſe, & Chriſti doctrinâ atque exemplo traditum: Joannes verò XXII. contrà definiebat, & illum uſum non eſſe legitimum ac juſtum, &, cùm juſtus non eſſet, eum Chriſto tribuere, *hæreticam, damnatam, blaſphemam, peſtiferam*, adeòque ab Evangelio abhorrentem eſſe doctrinam: quæ quidem omnia ad quæſtionem fidei pertinerent. Cæterùm neque hic ſollicitè quærimus, quâ de re preciſè ageretur, & an reverà Nicolaus pro cathedræ autoritate iſta decreverit; nec magis curamus hic, rectè ne an ſecùs ipſe ac Joannes egerint, & an

ſummâ conſentiant, de verbis litigent: quæ, nunc quidem prorsùs ſupervacanea, Bellarminus, Rainaldus, Daguirreus, Gonzalez, alii, operoſiſſimis ac prolixiſſimis tractationibus agitabant: id tantùm ſtatuimus ex verbis allatis Decretalis, *quia quorumdam*, de fidei quæſtione actum, ad quam *erronei* notam procul dubio pertinere, omnes confitentur; adeòque, quidquid ſit de Nicolai III. conſtitutionibus, Joanne XXII. pronuntiante, Pontificias de fide conſtitutiones generatìm à Succeſſoribus rejici potuiſſe *ut erroneas*, eòque *invalidas & infirmas*, quod nunc ſufficit.

Bell. de R. P. lib. IV. cap. XIV. Rain Tom. XVI. ann. 1322. & ſeq. vid. quoque Tom. XV. an. 1318. n. 53. 54 & ſeq. vid. Daguirr. & Gonz. paſſ.

XLVII.

Hujus temporis Scriptor à Rainaldo in eam rem adductus quid ſenſerit: quà occaſione profertur caput ſunt quidam. 25. *quæſt.* 1.

QUEM autem in ſenſum hæc ſumerent ejus ævi Scriptores, haud abs re eſt exponere. Certè cùm Franciſcani Joannis XXII. Decretales ut hæreticas infamarent, Rainaldus ſcriptum retulit Doctoris inſignis, qui per ea tempora in Curiâ Pontificiâ verſabatur.

Rain. Tom. XV. ann. 1318. loc. mox cit.

Is igitur, ut doceat potuiſſe à Joanne XXII. condi Decretalem *quia quorumdam*, quatuor concluſiones ponit, quarum prima & quarta ad rem noſtram faciunt. Prima eſt: *Quòd Papa non poteſt condere Canones contra determinata per ſacram Scripturam.* Quarta: *Quòd poteſt contra determinata per Prædeceſſores ſuos vel ſeipſum:* quod eo pertinebat, ut Joannes XXII. à Nicolao III. declaratam doctrinam revocare poſſet. Nihil ergò in his infallibile cogitabant.

Sed multò magis obſervari debet ex ipſo jure; nempè, ex cap. *Sunt quidam* 25. q. 1. deprompta probatio primæ concluſionis, quæ ſic habet: *Illud non eſt licitum Romano Pontifici, in quo convincitur non ſententiam dare, ſed magis errare; ſed ſi Papa determinaret contra determinata per ſacram Scripturam, convinceretur non ſententiam dare, ſed errare:* non ergò id poteſt. Mirum verò id quod hìc Rainaldus interſerit: *Si determinaret contra determinata per ſacram Scripturam, ex hypotheſi nempè impoſſibili, ob promiſſum Spiritûs Sancti præſidium:* hæc Rainaldus, quæ quàm ridenda ſint omnes vident. Nemo ſanè ſeriò & anxiè quæſiverit, *an licitum Papæ ſit determinare contra Scripturam ſacram*, ſi id poſſibile non ſit. Quærunt autem illud autores, Rainaldi etiam judicio, graviſſimi: non ergò profectò id impoſſibile judicabant. De rebus ſeriis, quæ verè agi poſſent, non de metaphyſicis laborabant.

Juvat hìc referre verba ipſius capitis *Sunt quidam*, quibus Rainaldi autor uſus eſt; ſunt autem ejuſmodi: *Si*, (Romanus Pontifex) *quod docuerunt Apoſtoli aut Prophetæ deſtruere*, (quod abſit) *niteretur, non ſententiam dicere, ſed magis erraſſe convinceretur.* En quo loco eſſet adversùs veritatem Scripturarum prolata Romanorum Pontificum ſententia. Nec ſequen-

tia prætermittam : *Sed hoc procul ſit ab eis qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt.* Quæ quidem verba indicant, rem omni ſtudio, omnibus votis ac precibus averſandam, non profectò impoſſibilem, de quâ non tantoperè laborarent. Utcumque eſt ; id ſi fieret, Romanus Pontifex non *ſententiam diceret*, nedùm ex Cathedrâ pronuntiare videretur. Quod ſuo loco clariùs explicandum, nunc ad rei memoriam, tantùm notari volumus, & ad alia pergimus.

XLVIII.

* Fournier.

*Jacobi * ſanctæ Priſcæ Cardinalis, poſteà Benedicti XII. conſona eàdem de re ſententia.*

NICOLAUS Aimericus inſtituti Dominicani Religioſus, atque ad annum circiter 1366. acer hæreticæ pravitatis per Aragoniam Inquiſitor, refert * adversùs Minores reſponſa Benedicti XII. tunc ſub Joanne XXII. Jacobi ſanctæ Priſcæ Preſbyteri Cardinalis ; ex quibus hæc ſelegimus quæ ad quæſtionem noſtram faciant.

* In libro cui Titulus : Directorium Inquiſitorum.

Secundò dicunt Minores : quòd prædictam paupertatem fuiſſe Chriſti & Apoſtolorum, determinavit D. Nicolaus Papa. Reſpondet, *quòd licèt illud in Conſtitutione dictâ contineatur, tamen ex Scripturâ Divinâ verum eſſe ibi non oſtenditur, ſed ſolummodò narratur ; & tamen jam nos oſtendimus, quòd contrarium haberi poteſt ex Scripturâ Apoſtolicâ & Evangelicâ, ex quâ Scripturâ motus Dominus noſter Papa Joannes declaravit, dictam propoſitionem, ſi pertinax eſſet, hæreticam eſſe ; nec hoc aſſerit ſimpliciter & determinatè Dominus Nicolaus, qui dictam conſtitutionem fecit, ſed ſolummodò hoc dicit incidenter & narrativè ; poſito etiam quòd determinativè diceret, non obſtat, cùm contrarium inveniatur in Scripturâ Divinâ, & nunc eſt per Eccleſiam determinatum.*

Aimeric. Direct. Inquiſ. part. I. quæſt. XVII. p. 295. & ſeq.

An id incidenter dixerit Nicolaus III. hîc quidem nihil ad nos : nunc enim profectò ſufficit dixiſſe Cardinalem, etiam ſi Papa *determinativè* diceret, nihil obeſſe, & *contrarium eſſe nunc per Eccleſiam determinatum.*

Pergit : *Tertiò dicunt : quòd in his quæ pertinent ad fidem, vel mores, determinatum ſemel per ſummum Pontificem, non poteſt per alium revocari ; talis autem eſt aſſertio Domini Nicolai de Chriſti & Apoſtolorum paupertate.* Reſpondet : *quòd falſum eſt.* Quid autem falſum eſt ? Nempè ipſa major propoſitio objecti Syllogiſmi : *Quòd in his, quæ pertinent ad fidem, vel mores, determinatum ſemel per ſummum Pontificem, non poteſt per alium revocari.* Hanc majorem negabat tantus Cardinalis à nullo reprehenſus, ab omnibus laudatus, atque ad Petri Cathedram poſteà evectus. Id ſequentia docent. Subdit enim ſtatìm : *Nam Petrum, qui non ambulabat rectè ad veritatem Evangelii, reprehendit & correxit Paulus : & tamen non erat illi par, ſed inferior. Item Stephanus Papa determinavit, quòd nullus baptizatus per quoſcumque hæreticos veniens ad Eccleſiam Catholicam, rebaptizaretur : ſanctus*

Digitized by Google

autem Cyprianus cum multis Epiſcopis in Africâ celebrans Concilium, determinavit oppoſitum: reprobans in hoc Stephanum Papam, ut patet in epiſtolis ad Jubaianum & Pompeium: Concilium autem Nicænum utramque opinionem ſancti Cypriani & ſancti Stephani correxit determinando: quòd baptizati ab hæreticis non ſervantibus formam Eccleſiæ baptizentur; ab aliis verò hæreticis baptizati, non rebaptizarentur.

Hæc de Stephano verè ne an ſecùs retulerit, nihil ad hunc locum pertinet, cùm utrimque conſtet ex ejus ſententiâ, Concilii generalis determinatione corrigi, quæ à Romano Pontifice determinata ſint, etiam circa fidem ac mores, cùm de hoc preciſè ageretur.

Neque magis noſtra refert, an ſatis valeant ad rem ea omnia exempla quæ deinde protulit: ſcopum ipſius attendimus, concluſiones referimus, probationes verò à nobis præſtari non oportet.

Neque etiam curamus, an pertineat ad rem quod de Petro dixit. Scio nempè, id quod verum eſt, facilè reſponſuros, non erraſſe in fide Petrum, cùm à Paulo reprehenſus eſt: nec tùm ullam ejus determinationem fuiſſe correctam. Quid noſtra? Omninò huic loco ſufficit, ut quid intenderit tantus Cardinalis liquidò videamus.

An non enim ſatis clarè de verâ & propriè dictâ determinatione agebat, cùm de Stephano ac Cypriano ageret? An non vera erat ac propriè dicta determinatio, quam Cyprianus facto Concilio protulit? An non igitur determinationem talem Stephani determinationi opponit Cardinalis, & utramque æquè docet Concilii generalis determinatione correctam?

Sed omnium luciſſimum eſt quod ſubdit: *Tertio-decimo dicunt, quòd ſecundùm hoc in decretali* exiit, *erratum fuit in doctrinâ & vitâ Chriſti & Apoſtolorum.* Reſpondet *quòd verum eſt: non tamen errore pernicioſo, cùm ad plenum veritas diſcuſſa non fuiſſet ſicut nunc eſt; ſed errore veniali, ſicut Auguſtinus declarat de Cypriano, & de Petro per Paulum correcto.* En ergò in Decretali error agnitus: & quanquàm venialis, eò quòd non eſſet pertinax, tamen error contra fidem, atque à Succeſſoribus neceſſariò revocandus.

Hæc docet Cardinalis eo ævo doctiſſimus atque ſanctiſſimus, vitæque ac doctrinæ meritò ad Petri Sedem evectus: hæc factus Pontifex nuſquàm retractavit, infirmavit nuſquàm; hæc docentem eum laudat Americus tàm acer fidei Inquiſitor, ſub ſecutis Pontificibus. Porrò Americum nemo reprehendit; imò omnibus fuit diligentiſſimi Inquiſitoris exemplar. Et quidem Cardinalis mox Papa, clarè confitetur à Nicolao dicta, quæ Joannes condemnavit; & quanquàm Nicolaum maximè excuſatum vellet, ad extremum reſpondebat: quæ determinaſſet, ab ejus Succeſſore corrigi potuiſſe.

Jam ergò conferant cum Joannis XXII. decretis ea quæ Cardinalis hujus ævi maximus & ejuſdem Joannis Succeſſor dixerit: gemina invenient, & ejuſdem planè ſpiritûs; cùm utrique id agant, & ut Nicolaus III. utcumque excuſetur, & ut quæcumque ille dixerit, ſtatuerit, definiverit, tamen ut fidei contraria revocari & improbari potuerint.

XLIX.

Probatur de fide actum in his determinationibus, & tamen eas legitimè corrigi potuiſſe : eà de re gloſſa notabilis, & Bellarmini ſententia.

Bell. de R. P. lib. IV. cap. XIV.

NEQUE reſpondeant non agi de fide ac moribus; ſed ut ait Bellarminus, *de re metaphyſicâ.* Hoc enim ludibrium potiùs quàm reſponſum, & per ſeipſum cadit, & ipſo quæſtionis ſtatu facilè confutatur: cùm de juſto & injuſto uſu ex Chriſti & Apoſtolorum vitâ & exemplis ágeretur; & tamen his de rebus editam Apoſtolicam Conſtitutionem revocari poſſe affirmabant. Non ergò profectò illam, in quâ nunc ſummam fidei repoſitam volunt, infallibilitatem cogitabant.

Gloſſ. in Clem. *Exivi*. lib. V. tit. XI. cap. I. parag. *Proinde*.

Quâ etiam ratione, alii viciſsìm ipſas Joannis Decretales improbari atque infirmari poſſe arbitrati ſunt; legimuſque hæc in gloſsâ Clementinæ *Exivi* ad §. *Proindè: Sæpè cogitavi quòd utile eſſet quòd Eccleſia Romana permitteret liberè de hoc diſputari: an Chriſtus habuerit, vel non habuerit, vel habere potuerit, proprium, vel non potuerit; & ſimiliter de vitâ fratrum Minorum, an poſſint habere aliquid proprium:* hoc eſt ut liberè diſputari poſſet, non modò de eo quod Joannes XXII. editâ decretali vanum, abſurdum, injuſtum, ſed etiam de eo quod hæreticum judicârit. Quæ in gloſsâ poſita ac ſæpè Romæ excuſa, cum eâ quam nunc memorant infallibilitate non conſentiunt.

Bell. loc. cit. ad obj. 14.

Neque ab eâ ſententiâ Bellarminus abludit: quippè qui à Joannis duabus Decretalibus de ſimplice uſu facti apertè diſſentiat, quarum decretalium una eſt: *Ad conditorem Canonum:* ipſumque Joannem *erraſſe* certè; ſed *in controverſiâ ad fidem non ſpectante* aſſerit: cùm Joannes Decretali, *quia quorumdam*, eum qui Decretalis *ad conditorem* definita convellat, *tanquàm contumacem & rebellem Romanæ Eccleſiæ ab omnibus haberi jubeat:* & eum, quem Bellarminus poſt Nicolaum III. & Clementem V. ſe tueri confitetur ut juſtum, *ſimplicem facti uſum*, injuſtum eſſe, nec ſine hæreſi ac blaſphemiâ Chriſto tribui poſſe, duabus Decretalibus totâ Sedis Apoſtolicæ autoritate definiat.

Lib. IX. cap. XLV.

Nos autem Bellarmini labores & cum Rainaldo pugnas alio ſanè loco morabimus: interìm id habemus Joannis XXII. Decretales anathematiſmis munitas ac per totam Eccleſiam promulgatas, atque adeò inſtructas omnibus notis ac formulis, quibus ex Cathedrâ pronunciatum volunt; tamen à gloſsâ corporis juris inſertâ, pro retractabilibus habitas, & ab ipſo Bellarmino tàm claris verbis ſubrutas, ut nullus pateat tergiverſationi locus.

Hæc verò ſcribentem, & Joannis XXII. ejuſque temporis Doctorum verba penſantem, optimorum virorum piget, qui, neſcio quo pacto, ſanctiſſimo viro Gerſoni, non alium ducem, quàm perfidum ac ſchiſmaticum Okamum prætulerunt: cùm è contrà Okamus, cum ſuâ Franciſcanorum rebellium turbâ, infallibilitatem Pontificiam rebellioni obtenderet;

eamque ante Gerſonem, ejuſdem ævi Doctores optimi, in his Jacobus ſanctæ Priſcæ poſteà Benedictus XII. & ipſe Joannes XXII. reſpuerent: nec Romanam Eccleſiam aut fidem labefactari putarent, ſi unus aut alter Romanus Pontifex ad humanæ infirmitatis exemplum, fidei adverſantia determinatione editâ definiſſent: id enim & continuò reſarciri, ac nequidem pro ſententiâ aut determinatione haberi; nec Romanæ Eccleſiæ tribuendum, & facilè intelligebant, & apertiſſimè profitebantur.

L.

Speculatoris, id eſt, Guillelmi Durandi Epiſcopi Mimatenſis liber de Conciliis, juſſu Clementis V. editus, & quid ex eo conſequatur.

HÆc igitur inter ſæculi XIV. initia, non jam Gerſoni dicam; ſed Conſtantienſi Synodo, in ipſis XV. ſæculi initiis habitæ, præluxerunt. Quid autem paucis annis anteà inter ipſos Viennenſis œcumenici apparatus de Conciliorum poteſtate ſentirent, unus omnium maximè edocebit Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, vir eo ævo doctrinâ & pietate nobilis, quem honoris cauſâ *Speculatorem* nominant. Is igitur juſſu Clementis V. Concilium Viennenſe celebraturi, ut in ipſâ operis præfatione teſtatur, *tractatum edidit de modo generalis Concilii celebrandi:* quo in libro hæc imprimis continentur: *Utile & neceſſarium, quòd ante omnia corrigerentur & reformarentur illa, quæ ſunt in Eccleſiâ Dei corrigenda & reformanda, tàm in capite quàm in membris.* Non ergò membra tantùm, ſed etiam caput ipſum Synodus œcumenica reformatura erat.

Vid. lib. VII. cap. XXXVIII. & not.

Durand. Tractat. de modo general. &c. præfat. & part. I. tit. I. p. 2.

Addit quòd *Papa non poſſit*, nec debeat *novas leges aut nova jura condere, contra ea quæ apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter definierunt; quia aliter errare probaretur.* Non ille cogitabat Romanum Pontificem etiam ut Pontificem & leges ferentem contra Scripturam ac Patrum autoritatem errare non poſſe: ſed quominùs erraret, monſtrabat, quid ejus poteſtati permiſſum, quid negatum eſſet. Tùm illud: *quòd Epiſcopi poteſtatem & honorem ſuum receperunt à Deo, à quo ordo prælationis inſtitutus eſt; & à quo Epiſcopi in loco Apoſtolorum conſtituti ſunt in ſingulis civitatibus & Diœceſibus.* En poteſtas Epiſcopalis à Deo in Apoſtolis inſtituta, & per ſingulas Eccleſias propagata: nec viri graves doctique novum illud admittebant: Epiſcopalem juriſdictionem à Papâ eſſe. Quo ex loco concludit doctus ac pius Epiſcopus, omnia Epiſcopis ſubeſſe oportere; neque tot exemptiones, *locis * & perſonis Religioſis & Eccleſiaſticis **, abſque cauſâ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis concedi potuiſſe vel debuiſſe.* Ubi & illam docet Eccleſiæ regendæ regulam: *Secundùm generalem ordinationem univerſalis Eccleſiæ à Deo procedentem, & ab ejus Apoſtolis, ſanctis Patribus, generalibus & ſpecialibus Conciliis & Romanis Pontificibus approbatam.* Hæc illa eſt regula quam

Ibid. tit. V. p. 34.

Ibid. p. 35. & ſeq.

* Pietatis.

** Nam multa Monaſteria & Capitula à juriſdictione proprii

Epiſc. immunia, Papæ immediatè ſubmittebantur.

noſtri docuerunt : ſummam & indeclinabilem vim Eccleſiaſticæ poteſtatis, univerſalis Eccleſiæ conſenſione conſtare.

Ibid. p. 34.
Ibid. part. III. tit. XXVII. p. 181.
Ibid. part. II. tit. XLI. p. 151.
Diſt. LXV. cap. I. II. III.
Diſt. LXVI. cap. I.
Durand. ibid. tit. IV. p. 61.

Hâc igitur ex regulâ, reformationem Romanæ etiam Eccleſiæ aggreſſurus, multa monet : imprimis ut Eccleſia Romana *nulla jura generalia deinceps conderet, niſi vocato Concilio generali, quod de decennio in decennium vocaretur ;* quod poſteà in Concilio Conſtantienſi factitatum conſtat, ut non immeritò huic ſacro Concilio, haud minùs quàm Viennenſi virum maximum Durandum, Mimatenſem Epiſcopum præluxiſſe, dixerimus. Hujus rei fundamentum poſuerat illud à jure depromptum : *Cùm illud, quod omnes tangat, ab omnibus approbari debeat.* Quo ex loco concludebat vocandum eſſe Concilium : *Quandocumque aliquid eſſet ordinandum de tangentibus communem ſtatum Eccleſiæ, vel jus novum condendum :* undè quamdam Bonifacii VIII. conſtitutionem à Concilio futuro Viennenſi reſcindi cupiens, id eſſe facilè demonſtrabat : *Quòd hoc à Domino Bonifacio factum fuerit abſque autoritate & vocatione Concilii generalis.* En quantâ autoritate ſuper ipſum Papam, generale Concilium pollere intelligebat.

Ibid. part. III. tit. XXVII. p. 282.

Neque minùs notatu dignum illud : *Quòd poſteà, quàm egit de proviſione Romanæ Eccleſiæ faciendâ, de bonis Eccleſiaſticarum perſonarum ſuperabundantibus, abſque taxationis notâ & infamiâ*, ſubdit : *proviſo tamen, quòd Romana Eccleſia ultrà & contrà prædicta, & alia quæ Concilio rationabilia viderentur contra Divinas & humanas leges, non poſſet, abſque generali Concilio, habenas extendere plenitudinis poteſtatis.*

Ibid.
Ibid. & tit. I. ejuſdem part. & paſſ.

Neque illud omittendum : *Quòd Primatus Eccleſiæ Romanæ declararetur & diſtingueretur per Eccleſiaſtica & ſecularia :* id eſt, ut ſecernerentur ea quæ Eccleſiaſtica ſunt à ſecularibus : *Nec Dominus Papa vocaretur univerſalis Eccleſiæ Pontifex, cùm hoc prohibeat Gregorius.* Quod quidem non eò pertinet, ut poteſtatem univerſalem Papæ, quam ubique vel maximè tuetur, infringat ; ſed ne univerſalis Pontificis nomine, omnia ad ſe trahat : quia ut

Ibid. part. II. tit. VII. p. 69.

alibi ait, *proverbium vulgare eſt : qui totum vult, totum perdit. Eccleſia Romana ſibi vindicat univerſa : undè timendum eſt, ne univerſa perdat : ſicut Salomon ait I. Proverb.* 30. QUI MULTUM EMUNGIT, ELICIT SANGUINEM : *ſicut habetur exemplum de Eccleſiâ Græcorum, quæ ex hoc ab Eccleſiæ Romanæ obedientiâ dicitur receſſiſſe.*

Neque propterea aut nos inferimus, aut ipſe pertendit, nihil ſine Conciliis œcumenicis agi poſſe : certis tantùm caſibus, quales erant hujus temporis, Concilia neceſſaria videbantur : cæterùm in conſenſione vim poſitam, & ipſe profitetur, & nos docebimus.

Hæc ſcripſit ille Durandus Mimatenſis Epiſcopus, ſui ævi vir maximus, neque tantùm Galliæ, ſed etiam Catholicæ Eccleſiæ lumen, quem juris Pontificii interpretes potiſſimùm ſequuntur ; qui Romanis Pontificibus gratiſſimus vixit, ac de Concilii œcumenici habendi ratione à Clemente V. juſſus, hæc ſcripſit, viamque celebrando Viennenſi Concilio, cujus ipſe pars fuit maxima, præparavit.

Hunc igitur ante Gerſonem, ante Pariſienſes, ante Conſtantienſem Synodum, avitæ doctrinæ teſtem adhibemus, ejuſque autoritate facilè comprobamus : in iis quæ univerſam Eccleſiam ſpectent, quorum è numero prima

Digitized by Google

ro prima eſt fides, ſummam autoritatem ipſâ Eccleſiarum & Epiſcoporum conſenſione conſtare.

Id etiam diligenter notari volumus, ſcripta hæc eſſe à Durando anno Chriſti circiter 1307. Clementis V. tempore, in ſummâ Eccleſiæ pace, centum eoque ampliùs annis antequàm Conſtantienſe Concilium haberetur. Tunc ergò docebatur: reformandam in Synodo eſſe Eccleſiam, in capite & in membris: quod ad communem Eccleſiæ utilitatem ſpectat, communi ſententiâ finiendum, neque ſine Concilio decerni oportere: ad Eccleſiam ordinandam quocumque decennio Concilium generale congregandum, nec licere Romano Pontifici contra ea, quæ Concilio generali placuiſſent, *ſine more modoque habenas extendere plenitudinis poteſtatis.* Quod idem eſt atque illud à noſtris poſteà celebratum: plenitudinem poteſtatis per Canones & Concilia generalia regulandam. Hæc cùm adverſarii in Concilio Conſtantienſi coævíſque Doctoribus legunt, ad ſchiſmatis tempus pertinere, aut Sedi Apoſtolicæ infeſta eſſe clamant; quæ tamen nunc vident, ab anterioris ævi traditione manaſſe, Conſtantienſemqne Synodum ex his fontibus ſua Decreta prompſiſſe.

L I.

Hinc etiam de ſenſu Concilii Lugdunenſis II. judicari poteſt.

HINC etiam patet hæc omnia, quæ ad univerſalis Eccleſiæ atque Concilii autoritatem ſpectant, à Concilio Lugdunenſi II. infracta non fuiſſe, cùm iſte Speculator, & poſt Concilium Lugdunenſe vixerit, & ejus Decreta egregiis commentariis illuſtrarit.

Vid. epiſt. Imper. ad Conc. Lug. II. int. act. tom. XI. p. 966. & epiſt. Præl. ibid. p. 968. & ſeq. vid. infr. lib. VII. cap. XXXV. XXXVI.

L I I.

Locus Gratiani de Decretalium autoritate: alius locus de Gregorii II. Decretali ab eodem Gratiano reprehenſa erroris contra Evangelium.

HÆC autem ex ipſo Decretorum fonte hauſta promebant. Nam & ipſe Gratianus de Decretalium autoritate tanta locutus, atque etiam illud, quo nihil eſſe clarius videretur: *Sic omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquàm ex ipſius divini Petri voce firmatæ ſint*, hanc tamen ultrò interpretationem ſubdidit; *Hoc autem intelligendum eſt de illis Sanctionibus vel Decretalibus epiſtolis, in quibus nec præcedentium Patrum Decretis, nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur.* Quo loco victus Melchior Canus Gratianum accenſet illis, qui Pontificiam infallibilitatem negare videantur.

Diſt. XIX. cap. VII. *Sic omnes.* vid. in app. lib. I. cap. VI.

Can. lib. VI. cap. I.

Sic modernorum Canoniſtarum anteſignanus Gratianus, quem unum

Apoſtolicæ poteſtatis egregium aſſertorem Romani Pontifices, inter alios ſelegerunt, ut legeretur in Scholis & omnium manibus tereretur, Pariſienſibus, imò Conſtantienſibus Patribus autor extitit, ut tuerentur ea quibus Pontificiam autoritatem convulſam eliſamque clamitent.

Affert quidem Gratianus hîc ejus rei probationem infirmam, & Anaſtaſii II. Decretalem immeritò erroris inſimulat: verùm affert alio loco Gregorii II. egregii Pontificis ad ſancti Bonifacii Moguntini interrogata reſponſum, quod idem Gregorius vocet: *Apoſtolici vigoris doctrinam per beatum Petrum, à quo & Apoſtolatus & Epiſcopatus principium extitit.* Rogo autem, his verbis quid ſignificantius dici poſſit, ad exprimendam Pontificii reſponſi pro Cathedræ Petri poteſtate plenam autoritatem; & tamen reſponſum illud, Gratiano teſte, *Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ penitùs invenitur adverſum.*

Cauſ. XXXII. quæſt. VII. cap. XVIII. vid. epiſt. IX. Greg. II. ad Boniſ. Tom. I. Conc. Gall. p. 519. Ibid. parag. *Sed illud.*

Sanè confitentur omnes, multa ejuſmodi eſſe reſponſa adeò adverſantia Evangelicæ & Apoſtolicæ veritati, ut ea nemo tuenda ſuſcipiat; neque aliud ſuffugium eſt, quàm eos Pontifices de fide ac moribus ritè conſultos, ut qui toti Eccleſiæ præſiderent, tamen pro privatis Doctoribus reſpondiſſe; quo nihil abſurdius atque incredibilius eſſe videatur. Sed ut hæc interim omittamus, iſtud Gregorii II. diſertiſſimis verbis, *ex Apoſtolico vigore ſummâque autoritate Decretum per Petri Cathedram, unde Apoſtolatus & Epiſcopatus principium extitit*, traditum, quis negaverit pro Cathedræ Apoſtolicæ poteſtate pronuntiatum fuiſſe? Et tamen illud ipſum eſt *quod Evangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ* haud cunctanter & dubiè, ſed planè & *penitus invenitur adverſum.*

Et quidem etiamſi Gregorii reſponſum aliquâ ratione defendi poſſet, tamen Gratiani ſententia à nullo improbata pateſceret. Nunc autem fatentur omnes erraſſe Gregorium, qui ſupervenientis infirmitatis cauſâ, uxori legitimæ alimenta tantùm relinquere; alteram, virum inducere, contra Evangelica & Apoſtolica juſſa permiſerit, idque Bonifacio Germanorum Apoſtolo, pro novâ Germanicâ Eccleſiâ conſulenti, ex Petri Cathedrâ atque Apoſtolicâ autoritate reſponſum ediderit; & adhuc urgebunt Theologos Gallicanos, ut pro fidei certo Dogmate admittant id quod, ipſâ experientiâ teſte, refellatur, renuentes, ſchiſmatis, erroris in fide, & etiam hæreſis damnabunt.

LIII.

Pelagii II. Decretalis ab eodem Gratiano ex Gregorio Magno reprehenſa: ex ipſâ etiam Gloſſâ contra Evangelium.

Diſtinct. XXXI. cap. I. *Ante triennium.*

EXTAT etiam aliud à Gratiano relatum Pelagii II. Conſtitutum, de quo Gregorius Magnus hæc habet: *Quod mihi durum & incompetens videtur:* ad quæ verba Gloſſa perſpicuis verbis: *Illa Conſtitutio fuit iniqua.* En planè & rotundè iniqua Conſtitutio ex Apoſtolicâ autoritate manans; & ad

verbum illud *durum: Statutum Pelagii fuit contra Evangelium.* Hoc autem Statutum Pelagii II. eſſe, ejus qui Gregorium proximè anteceſſit, probat eadem Gloſſa ex Cap. *Multorum* 27. q. 2. quod eſt ejuſdem Gregorii Magni. Quare in uno argumento duos conjunctos habemus egregios Pontifices, Pelagium II. contrà Evangelium ſtatuentem, & Gregorium Magnum ejus ſtatuta improbantem. Quo quid eſt clariùs? & tamen non deſunt multa æquè memorabilia, quæ ſuo loco referamus.

Cauſ. XXVII. quæſt. II. cap. XX.

LIV.

Honorii res: eum erroris excuſari non poſſe, licèt ex Cathedrâ pronuntiantem.

INCREDIBILE dictu eſt, de Decretis Apoſtolicis quantos ludos faciant; dùm eos aut ex Cathedrâ aut non ex Cathedrâ prolata eſſe definiunt. Vel Honorii epiſtolas in medium afferamus. Nihil eſt, inquiunt; non enim erravit Honorius, aut *quidquam erroris*, ſi Bellarmino credimus, *in ejus epiſtolis continetur.* Mirum! cùm etiam P. Thyrſus dixerit, *eum doctrinam Sergii Principis Monothelitarum approbare viſum*, & in eo malè egiſſe, quòd *non extinxit hæreſim.* Quid autem? An non prohibebat ne *una* vel *duæ* operationes ac voluntates dicerentur? An non, ut *duas voluntates*, ita *unam novæ adinventionis* vocabulum appellabat: *unam* æquè *ac duas ſentire vel promere ineptum judicabat:* Catholicamque veritatem & hæreſim æquè *à fidei prædicatione* eximebat? Pacis gratiâ, inquies: pacis quidem falſæ, qualem componeret Leo X. ſi, quod abſit, definiret conſubſtantiationem æquè ac tranſubſtantiationem, ut cum Luthero pacem haberemus, excluderet: quod quid aliud eſſet, quàm ipſam veritatem Decreto edito prodere? Hoc igitur gradu dejecti, ad id decurrunt ut dicant: non ea ex Cathedrâ docuiſſe Honorium, cùm ſcilicet à tribus Patriarchis Sergio C. P. Cyro Alexandrino, Sophronio Hieroſolymitano ritè atque ordine conſultus, quartum quoque, Antiochenum Macarium in Monothelitarum errorem induxit; quippè qui *Honorium à Deo eruditum*, anteſignanum ac ducem ubique nominaret. Quandò igitur ex Cathedrâ pronuntiandum fuit, niſi cùm à toto Oriente conſultum Petri Suceſſorem confirmare fratres & teterrimum errorem compeſcere oportebat? An falli amabat, qui ſic interrogatus non eo ritu diceret, quo ſe falli non poſſe intelligebat? Hîc hæreant neceſſe eſt, niſi Bellarmino duce augurentur *fortaſſe illas epiſtolas eſſe confictas & infertas Concilio generali* *, *neque hoc temerè dici*, quod quidem tàm apertè falſum eſt, ut nemo probaverit.

Vid. lib. VII. cap. XXV. & ſeq. & not. Bell. de R. P. lib. IV. cap. XI. Gonz. diſp. XV. ſect. V. n. 2. Epiſtol. Honor. ad Serg. int. act. Conc. VI. act. XII. Tom. VI. p. 928.

Conc. VI. act. VIII. p. 741. 749.

Bell. de R. P. lib. IV. cap. XI. Bar. ann. 581. Tom. VIII. p. 549. & paſſ. * VI.

L V.

De falſatis actis Binii ex Baronio conficta narratio.

Vid.Conc. VI. act. XII. XIII. Bin.Tom. IV. in not. ad vit. Honor. pag. 572. Tom. V. in not. ad Concil. VI. p. 366. Gonz. diſp. XV. ſect. VI. parag. 2. n. 2. Bar.Tom. VIII. ann. 681. p. 551-552. edit. Rom.

RESTAT ergò ut Honorius meritò à ſanctâ Synodo damnatus eſſe credatur; eò quòd compertus ſit per omnia mentem Sergii ſecutus, & impia Dogmata confirmârit. Quâ de re ſic Binius à P. Gonzalez relatus loquitur: *Honorium in actis Synodalibus VI. & VII. Concilii velut hæreticum anathematiZari, & cum Monothelitis ibidem recenſeri, multùm huic noſtra communi orthodoxorum ſententiæ præjudicaret, ſi non* EVIDENTER CONSTARET, *acta VI. Synodi impoſturâ Theodori C. P. & Monothelitæ Epiſcopi corrupta eſſe.* Evidenter verò conſtat, id quod ipſâ ſtatìm rei narratione falſi deprehenditur. Sic enim ipſe Binius, Baronio autore, rem adornat: *Theodorus C. P. nactus originale exemplar Concilii eâ occaſione, ut illud autoritate Pontificiâ confirmandum, ad Leonem II. mitteret, ſuo ubique nomine expuncto, in odium Romani Pontificis, nomen Honorii, quem Monothelitæ ſuarum partium eſſe jactaverant, ubique ſubſtituit.* Hæc quidem Baronius, & ex eo Binius, quæ uno verbulo concidunt. Aderant enim Legati Apoſtolicæ Sedis, qui Synodo præſidentes, nec quid geſtum eſſet ignorabant, nec profectò tacuiſſent, & publicæ fidei Græculos illuſiſſe quererentur, non ſanè errorem ipſo ſilentio confirmarent. Sic eſt illud *evidens & conſtans*, quod de VI. Synodi falſatione commemorant.

L V I.

Actio falſi à Chriſtiano Lupo depulſa quam certis probationibus.

Chriſt. Lup. diſſ. in VI. Syn. cap. VI. Tom. II. p. 858.

SED præſtat audiri Chriſtianum Lupum eâ de falſatione diſſerentem: *Dura*, inquit, *iſta ſunt: Apoſtolicos Legatos arguunt manifeſtæ, in re longè graviſſimâ, prævaricationis. Quomodò in vitâ Joannis V. unius è Legatis, Anaſtaſius Bibliothecarius eos reduces affirmat, ab omni Eccleſiâ Romanâ ſuſceptos fuiſſe omni gaudio, ob Apoſtolicas vices feliciſſimè geſtas? Quomodo dicit de Leone II.* HIC SUSCEPIT SANCTAM VI. SYNODUM, IN QUA CONDEMNATI SUNT. CYRUS, SERGIUS, HONORIUS? *Quis Theodorus librum Pontificalem* (ab Anaſtaſio editum) *vitiavit? Quomodò nullus unquàm Romanus Pontifex, nullus per ea tempora Eccleſiæ Latinæ Pater impoſturam detexit, arguit, abraſit?* Videſis reliqua, quibus certò conſtat, Honorium & ab Adriano II. ex authenticis archivis Romanæ Eccleſiæ, & in ipſâ Romanorum Pontificum profeſſione, non niſi ex Concilii VI. autoritate damnatum. Quid igitur Binium cogitaſſe volumus, cùm diceret: *Multùm præjudicare ... Concilii VI. Decreta* adversùs Honorium, *niſi evidenter conſtaret eſſe falſata?* Atqui nedùm conſtiterit eſſe falſata, non eſſe falſata claruit. Quod ergò perfugium ſupereſt? Non erraſſe Honorium, qui veritatem Catholicam *in-*

ter nova, inepta, à fidei prædicatione eximenda decreverit? Falſum. Non ex Cathedrâ pronuntiaſſe, qui ritè interrogatus à tribus Patriarchis, toto Oriente promulganda reſponſa prodiderit? Falſum. Corrupta acta Synodalia, uti Baronius, & poſt eum Binius, tantâ ope extremi refugii loco ſtatuerint? Falſum; & ut nunc cætera omittamus, à Chriſtiano Lupo certis probationibus & actis confutatum. Quô ergò confugient? Nunquàmne tædebit viros egregios & eruditos, Binii, ac ſi autores Binii quærimus, Bellarmini ac Baronii fide, ad hæc incondita & abſurda cogi? Quos, ſint licèt viri maximi, tamen ſatis conſtat, dùm cauſæ omnibus modis ſerviunt, & ſibi res, non ſe rebus accommodare ſatagunt, optima ſcripta multis mendis dehoneſtaſſe. Hæc quidem de Bellarmino, & de celeberrimo annalium conditore memorare pigeat, niſi cauſæ neceſſitas & elucidanda veritas poſtularet.

LVII.

Ex actis Concilii Hiſpanici Toletani XIV. quæſtio de falſo clarè abſolvitur.

NEC tacere poſſumus Roccabertum, qui non rationum pondere, ſed novâ grandium voluminum mole nos premat. Nempè de Honorio implevit trecentas paginas: quo fructu? Cùm vel unum Hiſpanienſe Concilium Toletanum XIV. in novâ collectione, ex optimis exemplaribus ſingulari ſtudio recenſitum, grandem difflet machinam. Quo quidem in Concilio extant Leonis II. epiſtolæ, queis conſtet Honorium à VI. Synodo eſſe damnatum. Falſæ, inquit Roccabertus poſt Baronium & Binium. Quis ergò corrupit illas? An aliquis Theodorus Græcus Romam atque in Hiſpanias penetravit, ut Romana, ut Hiſpanicorum Conciliorum acta corrumperet? Ad hæc nos adactos volunt. In his Sedis Apoſtolicæ ac fidei Catholicæ præſidium reponemus? Abſit hoc ab Eccleſiæ majeſtate. Sanè doctiſſimus Daguirreus, quid de illis ſentiret epiſtolis indicavit his verbis: *Earum αὐθεντίαν Cardinalis Baronius expugnare conatus eſt, & alii poſt eum.* En *conatus* tantùm, nec plura dixit optimus Cardinalis, ſeque ipſe medio in curſu repreſſit, notaſque ſuas quarum ſpem injecerat, deſiderari eſt paſſus; credo, ne pro candore ſuo rectique judicii æquitate, certis inclitæ Hiſpanienſis Eccleſiæ monumentis, VI. Synodi acta adversùs Honorium munire cogeretur.

Roccab. Tom. II. lib. III. Apol.

Conc. Tol. XIV. Tom. VI. Labb. p. 1279. & ſeq.

Roccabert. loc. cit.

Daguir. not. in Conc. Tolet. XIII. Tom. II. p. 710.

LVIII.

Ex eodem Concilio Decreta à Romanis Pontificibus approbata, non niſi conſenſione factoque examine recipiuntur.

UTCUMQUE eſt, Patres ipſos Toletanos audiamus. Nempè ad eos perlata ſunt Concilii VI. Decreta autore Agathone geſta, à Leone II.

Vid. lib. VII. cap. XXIX.

confirmata, ad quam quidem VI. Synodum nec Hiſpani convenerant, ac nequidem convocati erant. Probant itaque Synodum VI. ſed Conciliorum Hiſpanienſium *Synodico examine*; ſed *diſcretâ autoritate*; ſed poſt illius acta Synodica iterùm examinatione decocta. Addunt: *Iteratò ea geſta probavimus; poſtcàquàm ea, examinatione conſtitit, Conſtantinopolitana & Epheſina fidei concordantia, Chalcedonenſis verò verbis edita vel libata:* nec niſi ſub illius examinis lege, VI. Synodo, cujus nulla pars fuerant, ſuæ conſenſionis complementum ac robur adjiciunt, eamque aliis quas noverant Synodis, adnumerandam putant; uſque adeò apud Hiſpanos, ſicut apud omnes, liquebat, probata circa fidem à Romanis etiam Pontificibus acta, ita quidem valere, ſi Eccleſiarum conſenſus accederet.

Conc. Tolet. XIV. cap. IV. V.

Daguir. Tom. II. p. 718.

Conc. Tolet. XIV. cap. V.

Nec mirùm à doctiſſimis ac fortiſſimis Hiſpanienſibus Epiſcopis ita geſtam eſſe rem. Cùm enim ad VI. Synodum vocati non eſſent, ut diximus, ut, quæ ſanctæ Synodo defuiſſent, pro ſuâ parte ſupplerent, id egerunt in Synodis ſuis particularibus, quod in ipſo generali Concilio VI. feciſſent: nempè ut pro recepto omnium Conciliorum more, ita omnia communi Epiſcoporum deliberatione agerentur: ut etiam de S. Agathonis Papæ ejuſque Concilii epiſtolis quæreretur, nec priùs admitterentur, quàm ſinguli Epiſcopi de illis rogati ſententiam dicerent.

Vid. Conc. VI. act. VIII.

LIX.

In fidei quæſtionibus Conciliorum generalium potior autoritas demonſtratur ex Conciliorum Actis, ac primùm ex Concilio III. & IV.

ATQUE is mos Conciliorum omnium diligentiſſimè obſervandus. Ante Epheſinam Synodum S. Cæleſtinus Papa Cyrilli epiſtolam dato judicio his verbis probaverat: *Omnia quecumque ſentimus ac tenemus, te itidèm ſentire, ac tenere perſpicimus.* Quin etiam omnia extrema decernit in Neſtorium, *niſi ea*, inquit, *prædices, quæ Cyrillus prædicat*; & tamen de illâ Cyrilli epiſtolâ in Epheſinâ Synodo in hæc verba quæſitum eſt: *Rectè ne & inculpatè hæc ſcripſerit an ſecùs.*

Vid. lib VII. cap. IX. & ſeq.

Epiſt. Cæl. ad Cyril. part. I Concil. Epheſ. cap. XV. Tom. III. p. 348. & ejuſd. epiſt. ad Neſtor. cap. XVIII. pag. 361. vid. Conc. Epheſ. act. I. p. 461.

Producta deindè eſt Neſtorii epiſtola, de quâ idem Cæleſtinus pro Sedis Apoſtolicæ autoritate ita pronuntiaverat: *Vidimus tuas literas apertam blaſphemiam continentes*; & tamen poſteàquàm univerſale collectum eſt Concilium, in eadem verba quæſitum eſt: *Numquid hæc ipſa quoque Nicænæ fidei conſonaret an non?* Ex eâ interrogandi formâ, Patres probanda Cyrilli, damnanda Neſtorii ſcripta ordine cenſuerunt; nec niſi deliberatione & examinatione factâ S. Cæleſtini judicium approbârunt.

Epiſt. ad Neſt. loc. cit.

Eodem ritu modoque de celeberrimâ illâ S. Leonis ad Flavianum epiſtolâ quæſitum propoſitumque ita eſt à judicibus: *Singuli reverendiſſimi Epiſcopi doceant ſi expoſitio CCCXVIII.* * *& CL.* **. *Patrum conſonat epiſto-*

Concil. Epheſ. act. I. p. 491.

Vid. ep.ſt. Leon. ad Flav. act. II. Conc. Chalc. Tom. IV. pag. 344. & int. epiſtol. Leon. XXIV, aliâs X.

* Nicænorum. ** Conſtantinopolitanorum.

la S. Leonis; neque eam Anatolius aliique Epiſcopi ſuſceperunt, niſi deliberato & explorato Leonis epiſtolam antiquioribus Conciliis conſonare. Concil. Calc. act. IV. p. 471.

L X.

Bellarmini & Baronii altercatio de Decretali ſancti Leonis epiſtolâ in Concilio IV. ritè examinatâ.

Hic autem exoritur inter egregios Cardinales Bellarminum & Baronium quæſtio ſingularis: hic enim, eumque ſecuti noſtrorum magna pars, Leonis epiſtolam ut fidei *normam ac regulam agnoſcunt*, quâ omnes Eccleſiæ tenerentur: Bellarminus verò ipſâ examinatione turbatus, quam negare non potuit, ſic reſpondet: *Leo epiſtolam ſuam miſerat ad Concilium, non ut continentem ultimam & definitivam ſententiam; ſed ut inſtructionem quâ adjuti Epiſcopi meliùs judicarent.* Atqui vir maxime, pace tuâ dixerim, Leo hanc epiſtolam, appellante Eutyche, Flaviano poſtulante, de ſummâ fidei condidit, & ad omnem, quâcumque patet miſit Eccleſiam, cùm necdùm quiſquam de Synodo cogitaret. Non ergò inſtructionem ad Synodum adornabat; ſed Apoſtolicam proferebat ſententiam. Scilicèt has inter anguſtias nullum aliud patebat effugium; nec ſinit Baronius ut alteri poteſtati quàm ſummæ & indeclinabili tribuatur epiſtola, tantâ Sedis Apoſtolicæ autoritate firmata; nec Bellarminus intelligit ſummæ & indeclinabilis autoritatis eſſe, quæ Synodali examini deliberationique ſubjecta ſit. In illo ergò conflictu quid ſupereſt, niſi ut pariter conſtet, & totâ Sedis Apoſtolicæ autoritate conſcriptam, & tamen Concilii univerſalis examini pro more eſſe ſubditam?

Vid. lib. VII. cap. XVIII. & Bar. an. 449 Tom. VI. p. 80. & Bellarm. lib. II. de Conc. aut. cap. XIX.

L X I.

Definitio S. Leonis, ipſo etiam teſte, non niſi ex Eccleſiæ conſenſu vim habet irretractabilem.

Qua in re nullum alium quàm Leonem ipſum autorem ſequimur, cujus ad Theodoretum ſcribentis hæc verba ſunt: *Quæ Deus noſtro prius miniſterio definiverat, fraternitatis univerſæ irretractabili firmavit aſſenſu, ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet quod priùs à primâ omnium Sede formatum, totius Chriſtiani orbis* JUDICIUM *recepiſſet.* En definitio juxta Baronium, non autem inſtructio juxta Bellarminum: en Orbis univerſi de Sedis Apoſtolicæ definitione *judicium*. Pergit: *Nam, ne aliarum Sedium ad eam quam cæteris Dominus voluit præſidere, aſſentatio videretur; aut alia qualibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi priùs ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent*: neque tantùm ab hæreticis, ſed etiam ab ipſis Synodi Patribus, ut geſta teſtantur. En in primâ Sede aſſentationis metus, ſi de ejus judi-

Vid. lib. VII. cap. XVII. & Epiſt. Leon. ad Theod. XCIII. al. LXIII.

Digitized by Google

ciis dubitatio vetaretur: denique, *ipſa quoque veritas clariùs renitеſcit & fortiùs retinetur, dùm quæ fides priùs docuerat, hæc poſteà examinatio confirmaret.* En apertis verbis *examinatio* Synodalis *de fide*, non in ſe, ut peſſimè objiciunt; ſed quam epiſtola decretalis exponeret. Ac demùm eadem *epiſtola* pro regulâ editur; ſed *univerſæ ſanctæ Synodi aſſenſu firmata*, ſive eum in modum quem ſuperiùs dixerat, poſtquàm *univerſæ fraternitatis irretractabili firmatur aſſenſu.* Ex quo tanti Pontificis dicto, Clerus Gallicanus ſua illa depromſerat: in fidei quæſtionibus *irreformabile* Tertulliani dictis, ſive Leonis verbis, *irretractabile eſſe judicium*, ſed tùm, *cùm Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.*

LXII.

Concilii VI. & VII. acta: VII. Synodi definitio ac ſumma autoritas conſenſione conſtans.

Sup. n. LVIII. vid. lib. VII. cap. XXIV. Conc. VI. act. VIII. Tom. VI. pag. 728. & ſeq.

EA conſuetudo, ſive praxim malueris, omnium Conciliorum fuit. In Synodo VI. jam diximus Decretales S. Agathonis epiſtolas, ex Romano, totoque, exceptis Hiſpanis, Occidentali Concilio, ad C. P. Concilium deſtinatas, ſummâ quidem reverentiâ ſuſceptas, ſed facto demùm examine comprobatas, poſteaquàm de illis in hanc formam ritè quæſitum eſt: *An earum ſenſus C. P. Epiſcopo & aliis Epiſcopis conveniret;* quâ de re ſinguli liberam & exquiſitam ſententiam ferrent.

Vid. lib. VII. cap. XXX. Conc. VII. act. II. Tom. VII. p. 127. 130.

In Synodo quoque VII. ſic ab ipſis Legatis Apoſtolicæ Sedis quæſitum rogatumque eſt: *Dicat ſancta Synodus, ſi admittat literas ſanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ an non:* ad quam rogationem tam claram, tam liberam, autore Apoſtolicâ Sede factam, Taraſius imprimis ac deindè ſinguli Epiſcopi reſponderunt: *Se Scripturam ſcrutatos & patriis doctrinis doctos*, facto ſcilicèt examine, *Apoſtolicis literis conſentire.*

Ibid. act. VII. defin. p. 551. Matth. XXVIII. 20.

Indè ergò firmitudo Synodalibus geſtis, ipſiuſque definitionis hoc initium, hoc fundamentum, hæc ſumma eſt: *Chriſtus deſponſatâ ſibi ſanctâ ſuâ Catholicâ Eccleſiâ, non habente maculam neque rugam, hanc ſe conſervaturum promiſit, ſanctiſque diſcipulis ſuis aſſeverabat, dicens:* VOBISCUM SUM OMNIBUS DIEBUS. *Hanc autem repromiſſionem, non ſolùm illis donavit, ſed etiam nobis, qui per eos credidimus in nomine ipſius.* Hanc promiſſionem fundamenti loco ponunt, non profectò ſolam Romani Pontificis venerandam licèt definitionem, de quâ ipſi deliberant. Quamobrem ſtatim ſubdunt: *Propter quod Dominus Deus noſter, ... nos Sacerdotii Principes beneficio ſuo undique convocavit, quatenùs Deifica Catholicæ Eccleſiæ traditio communi decreto recipiat firmitatem:* quæ verba clarè docent in iſto conſenſu vim Eccleſiaſtici judicii eſſe poſitam.

Definit. ibid. p. 554.

LXIII.

LXIII.

Concilii VIII. eadem praxis : duo ejus decreta.

IN Synodo VIII. de fide nihil actum : ſed æquiparanda fidei quæſtioni exorientis ſchiſmatis controverſia, Synodi univerſalis digna examine videbatur. Ergò de epiſtolâ Adriani II. Papæ *Sanctiſſimi Vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Eſt canonicè & ſynodicè acta epiſtola hæc ?* Solennis formula examinis, quam ab anterioribus Synodis repetitam, Legati Apoſtolici celebrabant. Ad hanc *Sancta & univerſalis Synodus dixit : canonica & ordinata & plena juſtitiæ eſt epiſtola quæ lecta eſt.* Niſi plena juſtitiæ, nempe ea haud legitima, neque canonica aut ſynodica haberetur. Vid. lib. VII. cap. XXXII. Conc. VIII. act. III. Tom. VIII. p. 1011.

Actione VI. introducuntur, ad Synodum ii qui *Epiſcopi Photii* dicebantur, ſive ab ipſo ordinati, ſive ipſi adhærentes; atque illi quidem Photio ſe obligatos putabant; ſed ea vincula Synodus reſolvebat his verbis : *Sanctiſſimi Vicarii ſenioris Romæ & nos qui reliquarum Sedium Vicarii ſumus, hæc omnia diſſolvimus, gratiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit nobis ſummi Sacerdotii poteſtatem, juſtè & congruè ligandi atque ſolvendi.* Cujus rei fundamentum tale adſtruunt : *Spiritus enim Sanctus qui locutus eſt in ſanctâ Romanâ Eccleſiâ, credimus quòd & in Eccleſiis noſtris locutus extiterit.* Sic omnibus, nec tantùm Romano Pontifici, data à Deo poteſtas ſolvendi ligandique autoritas communi ſententiâ, in eâque Spiritûs Sancti judicium eſt. Hæc dicit ea Synodus quæ Sedi Apoſtolicæ vel maximè faverit atque obedientiſſima fuerit. Sed per ea tempora nihil aliud cogitabant. Ibid. act. VI. p. 1049.

LXIV.

Bellarmini ſententia de Synodali examine : Chriſtiani Lupi aliorumque cavillationes : an in Conciliis de fide dubitatum, cùm de Pontificiis decretis quærerent.

HÆc igitur per octo ſæcula in generalibus Synodis conſuetudo, hæc autoritas viguit. Neque enim in primâ, ſecundâ, quintâve ſynodo, ulla quæ ad examen traherentur ſedis Apoſtolicæ Decreta præceſſerant : in tertiâ, in quartâ, in ſextâ ſecutiſque Synodis, certa Eccleſiaſtica praxis enituit. Sanè meminimus Bellarminum Conciliaris examinis autoritate victum ita ſtatuiſſe, ut ſancti Leonis epiſtola, quam alii definitionis irretractabilis loco eſſe voluerunt, inſtructionis tantùm fuerit, cùm ea & æquam cæteris præferat autoritatem, neque alio ritu quàm cæteræ omnes recepta legatur. Quare de omnibus æque cenſendum eſt, & eas à Romanis Pontificibus plenâ autoritate dictatas, & à Conciliis, non niſi quæſtione habitâ comprobatas. Sup. n. LX. vid. Bell. de Conc. aut. lib. II. cap. XIX.

Quo etiam argumento neceſſe eſt ut concidat, quod noſtrâ credo ætate;

Digitized by Google

Chriſt. Lup. Tom. I. ad Dec. Synod. generalis p. ad Canc. Calc. p. 912. commenti ſunt inanè figmentum. Sic nempè Chriſtianus Lupus: *hanc epiſtolam* [ad Flavianum ſcilicèt] *Leo permiſerat à Synodo diſcuti & cum ſanctorum Patrum ſcriptis conferri, ac tum ex ipſâ Eutychianas lites definiri mandârat;* ut illud examen permiſſionis tantùm, non etiam autoritatis & juris eſſe videatur. Hæc quidem Lupus judicat, ſed præter geſtorum fidem. Nam quod in Leonis epiſtolâ IV. Synodus, id poſteà in Agathonis, id in Adriani I. & II. Decretalibus omnes pòſteà Synodi præſtiterunt: id in III. Synodo circà S. Cæleſtini judicata præceſſerat, communi ubique formulâ certoque & uſitato Conciliorum more. Itaque non alicujus permiſſu atque indulgentiâ; ſed ſuo jure, nec aliâ, ut ab ipſis Synodis audivimus, quàm Spiritûs Sancti autoritate, judicium capeſſebant, ſibique tribuebant.

Diſſ. IV. parag. I. p. 214. ad obj. 2. & diſſ. III. parag. I. ad obj. 2. Neque proptereà quòd *Galliæ vindicatæ* Autor aliique paſſim objiciunt, de fide dubitabant. Abſit: ſed an ipſi Pontifices ſatis ex traditione rem gererent: an antiquam fidem ſatis exprimerent, ut Pontificis quidem officium fuerit toti Eccleſiæ prælucere, & Apoſtolicam proferre ſententiam. Cæterùm, quod ipſe Leo palàm profeſſus eſt, per examen Synodicum Decretis Pontificiis ultimum perfectumque & prorſus indeclinabile robur, Patrum ac totius Eccleſiæ conſenſu adderetur. Quo etiam factum eſt, ut poſt Pontificia Decreta in Synodis quidem œcumenicis quæſtio haberetur: Synodo verò geſtâ, nihil jam quæſtionis, nihil unquam examinis ſupereſſet. Sic Conſtantienſi Synodo omnes retrò œcumenicæ Synodi ac primis quóque ſæculis prætulerunt facem.

LXV.

S. Baſilii locus, atque in eum Chriſtiani Lupi contumeliæ.

Lup. Tom. I. not. ad Concilium Sard. cap. VI. p. 209. Baſil. epiſt. CCXXIX. Tom. III. Bened. p. 368. al. epiſt. X. NEQUE aliter extra Synodum quàm in ipſis Synodis actum eſſe ipſa Eccleſiaſtica geſta clamant. Vel Chriſtianum Lupum audiamus, hæc ex Magni Baſilii epiſtolâ exſcribentem: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit, qui veritatem neque norunt neque diſcere ſuſtinent? Verùm falſis opinionibus præpediti, illa nunc faciunt quæ priùs in Marcello: nempe cum iis qui veritatem ipſis annuntiant contendentes, hæreſim autem per ſeipſos ſtabilientes.* Quo loco idem Lupus de definitionibus Dogmaticis agī non obſcurè ſignificat.

Lup. ibid. p. 213. Itaque his commotus, hæc adverſùs Baſilium tanquam ex tripode pronuntiat: *Omninò culpandus eſt S. Baſilius, hac de cauſâ Damaſum Pontificem & omnem Occidentis Eccleſiam, quomodò & Julium Pontificem ob Marcellum arguens de patrato facinore, ſtabilitâ hæreſi, ignoratâ veritate.* Nos verò de tanto viro decernentem Lupum facile contemnimus: quid, fatente Lupo, Baſilius ſenſerit parvi facere non licet. Neque nunc ad rem pertinet, meritoſne an immeritos Baſilius reprehenderit. Hîc certè conſtitit, duobus Pontificiis de fide Decretis ab eodem Baſilio, nullâ excuſatione; interpretatione nullâ, rotundè ac ſimpliciter ſtabilitam hæreſim imputatum.

Digitized by Google

Neque aliud cauſatur Lupus, quàm, ſic Baſilium *locutum oculo per iram turbato*: ac ne quid contumeliæ deſit; *hinc*, inquit, *in iram frequenti jejunio ſtudentium more pronior Baſilius clamabat &c.* At quis te ferat, Lupe, tanto viro exprobrantem ſancta caſtaque jejunia, tanto interioris vitæ ac ſpiritualium exercitationum magiſtro contractæ ex jejuniis iracundiæ vitium tribuentem? Miſeros verò nos, qui ad ea tempora devenimus, quibus cuique liceat Sanctos Patres Baſiliumque ipſum etiam maledictis inceſſere, ac morum inſectari gravitatem. Lup. ibid. p. 209. Ibid.

LXVI.

Alius S. Baſilii de S. Damaſi decretis locus.

IDEM Lupus indicat aliam epiſtolam, in quâ de S. Damaſi adversùs S. Meletium Decretis agens Baſilius, *ſe illas literas, nec ſi de cælo deſcenderint, ſi quidem ad fidem rectâ viâ non incedant, admiſſurum, aut eum qui attulerit ad communionem recepturum negat.* En quantâ confidentiâ non jam Gerſon ejuſque ſequaces poſterioris ævi Doctores, ſed ipſo quarto ſæculo Baſilius Magnus de Decretis Pontificiis dixerit. Quis autem tanto viro ſuccenſuit? Quis ejus rei gratiâ incuſavit, tanquam de ſede Apoſtolicâ malè meritus eſſet, aut ejus Primatûs, quem ſummoperè coluit, infregerit autoritatem? Hæc quidem ad exemplum vulgò trahi nolumus, & extraordinariis caſibus accenſemus; & tamen certo argumento eſt, procul abſuiſſe illa tempora ab iis, in quibus nunc ſummam fidei conſtitutam putant. Sed anterioris ævi teſtes audiamus. Lup. de appell. cap. XXXII. pag. 333. Baſil. epiſt. CCXIV. al. CCCXLIX. p. 321.

LXVII.

Contentio de rebaptizatione inter S. Stephanum & S. Cyprianum; quæſtiones involvendæ rei factæ ab hâc diſputatione ſecernuntur.

SANCTI Cypriani Martyris cum Sancto Stephano Papâ æquè Martyre controverſia ſtatim Pariſienſes abſolveret, niſi contrariæ ſententiæ Autores, rem planam, variis concertationibus involviſſent. Hinc illæ quæſtiones tantis animorum motibus agitatæ: an Stephanus dixerit ex Cathedrâ nec ne: an excommunicationis ſententiam reverà, an per comminationem ediderit: quâ conſcientiâ Sanctus Cyprianus, S. Firmilianus cum tot ac tantis Eccleſiis Africanâ ſcilicet & Aſiaticis, Papæ de fide docenti ac præcipienti repugnaverint: an aliquandò reſipuerint: an eâ repugnantiâ, ſecluſis vocibus aſperioribus quæ excidere ſolent de re gravi certantibus, fuerit mortale peccatum, an veniale, an nullum; cùm optimâ fide Cyprianus, Firmilianus & eorum Epiſcopi agerent. Quas ambages, ſi reſolvere incipimus, imus Vid. lib. IX. cap. III. & ſeq.

in longum. Sed enim quæſtionibus prætermiſſis, id agemus tamen, ut quæcumque ſententia vicerit, noſtræ res facilè in tuto collocentur.

LXVIII.

In hàc Controverſiâ, quid certum ſit, ex Bellarmino ſtatuitur.

AC primùm quidem certum eſt hactenus extitiſſe neminem, qui nedum ſchiſmatis aut ſchiſmatici ſpiritûs Cyprianum tantum virum; tantum Epiſcopum, tantum Martyrem, ac per illa quoque tempora & pietate & doctrinâ totiûs Eccleſiæ lumen arguere ſit auſus. Bellarminus verò etiam à mortali peccato abſuiſſe probat; eò quòd Cyprianus *putavit Pontificem pernicioſe errare, & ſtante illâ opinione, tenebatur ei non obedire; quia non debebat contra conſcientiam agere:* quâ de re ſine gravi temeritatis notâ dubitare nemini licere credimus.

Bell. de R. P. lib. IV. cap. VII.

LXIX.

Galliæ vindicatæ & tractatûs de libertatibus Autores quid reſpondeant: an Cyprianus, ut in rebaptizatione, ita in Romani Pontificis autoritate erraſſe memoretur: Auguſtini locus.

Diſſ. IV. parag. I. p. 197. & parag. III. p. 283.

HIs ergo poſitis, quis pateat exitus inquiramus. Galliæ vindicatæ Autor ſic ſe expeditum voluit: *Nunc id ſolùm dico, Cyprianum ejuſque aſſeclas, ſi crediderunt Pontificem ex Cathedrâ docentem falli poſſe, omnino erraſſe; neque id mirùm eſt aut abſurdum. Si enim errarunt circa baptiſmum, cur non errare potuerint circa Pontificem; & ſi tu abſurdum & falſum eſſe non credis, cùm dicitur Cyprianum circa baptiſmum erraſſe, cur abſurdum & falſum eſſe credas, cùm dicimus erraſſe contra Pontificem?* Id etiam objicit Anonymus Autor tractatûs de libertatibus aliique plurimi. Fruſtrà. Sanè utrumque errorem, ſi uterque error eſt, æquè potuit errare Cyprianus: quis enim id negat? At rebaptiſationis errorem totius Orbis reprehenſio, alterum errorem nullum omninò fuiſſe, totius Orbis ſilentium probat. Hæc ultrò reſponderent omnes vel nobis tacentibus. Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, omnes uno ore Cyprianum rebaptiſantem accuſant: alterum errorem quis vel ſuſpicatus eſt? Cypriani nimios motus Auguſtinus non tacet: alterum illum errorem quis hominum memoravit? Idem S. Stephanus, eodem Auguſtino teſte, pro loci autoritate præceperat, Decretumque condiderat & ad omnes miſerat Eccleſias, *& abſtinendos putaverat qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur.* Quid autem Cyprianum his repugnantem excuſet idem Auguſtinus prodidit: nempe univerſalis Concilii, univerſalis conſenſionis expectatio. Nota Sancti Doctoris verba: *Neque nos ipſi*, inquit, *tale aliquid auderemus aſſerere:* (hæreticorum ſcili-

Anonym. lib. VII. cap. VIII. n. 10. p. 408.

Auguſt. de Bapt. cont. Donat. lib. V. cap. XXV. n. 36. Tom. IX. p. 158.

Digitized by Google

cet ratum eſſe baptiſmum) *niſi Eccleſiæ Catholicæ autoritate firmati, cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſibi daretur.* Duo dicit Auguſtinus: ceſſurum quidem fuiſſe Cyprianum, ſed univerſali conſenſioni tantùm, univerſalique Concilio: hoc primum ſit: alterum: nec ſe, Auguſtinum ſcilicet, ceſſurum fuiſſe, aut facere auſurum quæ à Stephano jubebantur, niſi eâdem conſenſione & autoritate victum; quod tamen non univerſim pronuntiatum voluerit, ſed in ambiguâ re, in *obſcurâ* quæſtione, *tantiſque*, ut ipſe docet, *altercationum nebulis involutâ*.

Ibid. lib. II. cap. IV. n. 5. p. 98.

Ibid. & cap. IX. n. 14. p. 104. & paſſ.

LXX.

An Stephanus excommunicaverit, an totâ ſuâ autoritate decreverit, fruſtrà quæritur; cùm ad eam excuſationem nec Firmilianus, nec Cyprianus, nec ipſe Auguſtinus refugerint.

HIc fruſtrà quæritur an Stephanus ex Cathedrâ pronuntiaverit, an excommunicaverit. Sanè doctiſſimus Daguirreus ſcripſit *anathema quibuſdam inuſtum; quibuſdam intentatum:* nec tamen magis ceſſerunt quibus eſt *inuſtum*, quam quibus *intentatum*. Autor verò *Doctrinæ Lovanienſium* hæc ſcribit: *Sanctum Firmilianum Cæſareenſem in Cappadociâ Archiepiſcopum Ponticæ Diœceſeos* (e) *S. Stephanus Pontifex communione ſuſpendit.* Idem S. Stephani reſponſum *ſummâ & irrefragabili ſedis Apoſtolicæ autoritate* editum eſſe contendit. Id autem alii negant. Quid noſtra? Vis Stephanum ab excommunicatione temperaſſe, neque rem totâ ſuæ ſedis autoritate tractaſſe? Age ut vis. Certè Firmilianus ad extrema quæque decurſum, nec tamen ſententiam mutandam credidit. Hæc enim ad S. Stephanum ſcripſit: *Excidiſti teipſum, noli te fallere; dùmque putas omnes à te abſtinere poſſe, unum te ab omnibus abſtinuiſti.* Neque Firmilianum contemnere liceat, quem ipſe Daguirreus, ipſe Chriſtianus Lupus aliique viri pii doctique, Sancti titulo inſignire ſoleant: quippè quem ab antiquo Patres Antiocheni, qui Paulum Samoſatenum condemnârunt, unà cum ſancto Dionyſio Alexandrino *beatæ recordationis virum* appellent. At ſi Firmiliani minor eſſe videtur autoritas, conſenſit ei Cyprianus, ejuſque epiſtolam Latinam fecit, & ad Eccleſias edidit. Utrique ergò nec Stephani præceptum, nec excommunicationem ſufficere putârunt, ut eos ab incœpto deſiſtere cogeret. Auguſtinus verò non id quod nunc proferunt, Cypriano excuſationi obtendebat non eum Cathedræ autoritate dixiſſe, neque aliud, idque luculentiùs aut validiùs Papæ judicium provocabat: Concilii generalis totiùſque Eccleſiæ Catholicæ appellabat fidem: in eâ autoritate fidei certitudinem reponebat: quòd ea deeſſet, Cyprianum eique adhærentes Aſianos Afroſque Epiſcopos innocuè obſtitiſſe, aſſerebat.

Daguir. diſſ. XLI. ſect. I. n. 5. Doct. Lov. pag. 50.

Epiſtol. Firm. ad Cypr. int. Cyprian. LXXV. p. 326. edit. Amſt. 1700. Vid. Euſ. lib. VII. cap. XXX. pag. 279. edit. Valeſ.

(e) *Diœceſeos*] Diœceſis non unâ provinciâ ſed pluribus conſtabat, quam regebat aut prætorii Præfectus, aut imperii Vicarius, & poſtea in uſu Eccleſiaſtico Primas.

LXXI.

An infallibilitati Pontificiæ detraxiſſe ſit illud veniale peccatum, cujus Cyprianum Auguſtinus accuſat.

Anonym. lib. VII. cap. IX. n. 9. 10. 11.

AUTOR Anonymus tractatûs de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſanè acutiſſimus & ſubtiliſſimus; ſed nimio acumine quidvis potiùs quàm verum aſſecutus, reſpondet: à S. Auguſtino, Concilii univerſalis urgeri autoritatem, quòd eſſet neceſſaria, *non quidem in ſe, ſed adverſus pertinaciſſimos Donatiſtas*. Bonam fidem! An non enim luce meridianâ eſt clarius, ab Auguſtino urgeri Concili univerſalis autoritatem, non tantùm ad frangendam Donatiſtarum pertinaciam; ſed etiam ad excuſandum Cypriani ante Concilium generale rebaptizantis errorem? Atqui Cyprianus amantiſſimus Chriſtianæ pacis ac Martyr ſanctiſſimus non erat pertinax, qui, teſte Auguſtino, Eccleſiæ Catholicæ autoritati ceſſurus eſſet. Non erat pertinax ipſe Auguſtinus, qui nec Cyprianum, nec etiam ſe ipſum ceſſurum fuiſſe docet, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimâ autoritate victum*. Ergò non tantùm pertinaces; ſed etiam pii ſanctique poſt Romani Pontificis judicium, aliud quid, hoc eſt ipſum conſenſum, ipſumque Decretum totius Catholicæ unitatis expectant.

Vid. Aug. de Baptiſ. cont. Don. lib. II. cap. IV. p. 98.

Quid autem Anonymo prodeſt illud quod Auguſtinus in Cypriano agnoſcit veniale peccatum? *Nempe*, inquit vir ſubtiliſſimus, *quæ potuit alia eſſe Cypriani culpa quam inobedientia erga Decretum ſummi Pontificis?* Falſum id quidem; tamen id quod vult viro acutiſſimo largiamur. Ergo Pontifici decernenti, infallibilitatem detraxiſſe *veniale* peccatum eſt, non exitialis error, qui ſedis Apoſtolicæ dignitatem evertat. Quid autem commemoras haud aliam in Cypriano culpam ab Auguſtino reprehenſam, qui toties apud hunc legeris: culpandum Cyprianum, quòd *commotior* ſcripſerit? Quòd autem poſt Stephani Decretum Eccleſiæ univerſæ deſideraret autoritatem, adeò non eſt illud ab Auguſtino reprehenſum *veniale* peccatum, ut etiam illud peccatum ſe quoque peccare Auguſtinus fateatur. Denique à viro erudito quærimus: illa inobedientia, quam *venialem* appellat, in re gravi an levi ſit? Certè in re levi eſſe oportet, quæ *venialis* habeatur: contrà, in re gravi neceſſe eſt ut ſit, cùm agatur de fide. Secluſis ergo vocibus commotioribus, in quibus Cyprianus, Auguſtino teſte, peccaverit: ſi rem ipſam ſpectes; aut mortale peccatum oportet eſſe, aut nullum.

Anonym. ibid. n. 1.

LXXII.

Nihil ad rem facit quærere an Cyprianus & alii reſipuerint necne.

Schelſtr. antiq. illuſt. p. 2. Sfond.

QUOD jam illud urgent à Schelſtrato tantoperè inculcatum: nempe Cyprianum & aſſeclas reſipuiſſe, quid noſtra? Non hîc quærimus an

Digitized by Google

Cyprianus reſipuerit, ſed quâ ratione eum adhuc errantem, tamen à ſchiſmate Auguſtinus purget. Et quidem de retractatione Cypriani adverſus Donatiſtas idem Auguſtinus ſcribit: *Fortaſſe factum eſt; ſed neſcimus*; ſed non ex dubio facto tanti viri innocentiam ſuſpendebat, verùm ex Concilii œcumenici juſtâ & neceſſariâ expectatione firmabat: eâ ratione non modò Cyprianum, verùm etiam ſeipſum tuebatur.

diſſert. I. art. 3. p. 199. Gonz. diſp. XVI. ſect. II. paragr. III. n. 6. Daguirr. diſp. XLI. n. 5. 6.

LXXIII.

Cavillatio.

QUÆRIT Galliæ vindicatæ Autor: *Quorum æquior cauſa ſit, adverſariorum, qui errantes Afros ſequantur, an noſtri, qui ſequimur pœnitentes?* Quàm tragicè! At in promptu reſponſio eſt: ſequimur pœnitentes in quo aut ſeipſi reprehenderint, aut ab aliis reprehenſi ſint: non rebaptizamus: non, ſi quid Cyprianus commotior ſcripſerit, approbamus: quem errorem in ipſis nemo reprehenderit, nemo viderit, ob eum nos ad pœnitentiam trahi, iniquum putamus, & ab Eccleſiæ regulis alienum.

Aug. lib. II. de Bapt. cont. Don. loc. citat. vid. epiſt. ad Vincent. XCIII. al. XLVIII. cap. X. n. 38. Tom. II. p. 246.

Diſſ. I. p. 199.

LXXIV.

Bellarmini ſententiæ duæ partes: prima Stephanum potuiſſe, nec tamen voluiſſe rem de fide facere, an Auguſtino congrua?

HÆC quidem clara ſunt, nec tamen rem omninò expeditam arbitramur, niſi Bellarminum horum omnium fontem diligentiùs audiamus. Igitur Cyprianum excuſat primùm ab hæreſi, deinde etiam, ut jam delibavimus, à peccato mortali. Ab hæreſi quidem: *Tum quia nec modò cenſentur manifeſtè hæretici qui dicunt Pontificem poſſe errare; tum quia ſine dubio Stephanus Papa non definivit tanquàm de fide, hæreticos non rebaptizandos.* Bell. de R. P. lib. IV. cap. VII. Duo hîc videmus: primùm id, ne nunc quidem *apertè hæreticos haberi, qui dicunt Pontificem poſſe errare.* Fortè ergo Cyprianus, non apertè forſitan, ſed ſaltèm obſcurè vel confusè, ejus rei cauſâ fuerit hæreticus. Quis autem hanc hæreſim in Cypriano ſenſerit, arguerit, ſuſpicatus fuerit, vir magnus edicat, & ſuâ gravitate atque doctrinâ dignum aliquid promat.

Alterum quod memorat, iſtud eſt: *Stephanum ſine dubio nihil definiſſe tanquàm de fide.* Id. ibid. Videamus ergo quid tandem egerit. Nempe, inquit Bellarminus, *non ſolùm imperavit ne rebaptizarentur ab hæreticis baptizati, ſed etiam cenſuit excommunicandos qui non obedirent.* Rogamus autem quid ſit definire ut de fide, niſi decretum condere, ad Eccleſias mittere, denique *imperare ſub excommunicationis metu* ut aliquid circa fidem fiat. Quid Bellarminus vult à Stephano imperatum? Ibid. Nempe ne rebaptizaret ab hæreticis

baptizatos: invalidè an validè baptizatos? Invalidè impium: validè ergò baptizatos ſupponebat, ac pro explorato ac definito dabat.

Ibid.

Quare ipſe Bellarminus ſancti Stephani decretum, *definitionem* vocat. *Fuit enim*, inquit, *poſt Pontificis definitionem liberum aliter ſentire, ut Auguſtinus dicit, quia Pontifex noluit rem ipſam de fide facere ſine generali Concilio.* An hæc quoque nobis credenda proponent, & Stephanum quidem potuiſſe ſi vellet, ſed tantùm noluiſſe, idque ab Auguſtino dictum? Atqui ab Auguſtino contraria audivimus. Egregii Doctoris verba repetamus; ſtatim perſpiciemus eum in re quidem ambiguâ, Concilii autoritatem & Eccleſiæ conſenſionem requiſiſſe: in eo poſuiſſe vim, ſi *obſcura* quæſtio *ad plenarii Concilii autoritatem roburque perducta eſſet*: ſi ad Stephani decretum accederet *potentior veritas de unitate veniens*: ſi Cypriani ſententiam *Catholicus Orbis terrarum robuſtiſſimâ firmitate conſenſionis excluderet.* Huic demum *firmitati*, huic *robori* ceſſurum fuiſſe Cyprianum, nec ſeipſum, Auguſtinum ſcilicèt, facilè crediturum quæ à Stephano juberentur, niſi *Eccleſia Catholicæ concordiſſimâ autoritate fundatum.* Hæc profectò ſcimus dixiſſe, repetiiſſe, inculcâſſe Auguſtinum: quæſtionis ambiguitati hoc unum remedium popoſciſſe, ſi tota Eccleſia conſentiret; non profectò ut rem pro libitu de fide faceret aut non faceret, ad Stephani arbitrium retuliſſe.

Aug. lib. II. de Bapt. &c. cap. IV. p. 98. cap. IX. n. 14. p. 104. lib. III. cap. II. n. 2. p. 108. Id. lib. II. loc. cit.

Interim, Bellarmino teſte, id certum firmumque ſit: non pertinere ad Cathedræ autoritatem, ſi Pontifex de fide *definiat*, ſi decretum ad omnes Eccleſias mittat, ſi pro imperio jubeat, ſi reluctantes abſtinendos putet: his quippe poſitis, *adhuc eſſe liberum aliter ſentire*, ac decretum ipſum, tanquam Divino mandato contrarium ac Scripturæ diſſonum, abjicere, ut Cyprianum cum aſſeclis feciſſe conſtat.

LXXV.

Secunda pars Bellarminianæ ſententiæ, à Cypriano non fuiſſe peccatum ſaltem mortaliter.

Sup. n. LXVIII. Bell. de R. P. lib. IV. cap. VII.

QUIN etiam, quod ſecundo loco obſervavimus, nec à Cypriano peccatum eſt *mortaliter*; quia non peccavit niſi ex *ignorantiâ*, eâque probabili, cùm *putaret Pontificem perniciosè errare, & ſtante illâ opinione teneretur ei non obedire, ne contra conſcientiam ageret.* Quid ergo jam litigant? Ecce confitentur Stephanum judicaſſe, decreviſſe, ad omnes Eccleſias tranſmiſiſſe decretum: excommunicatione dignos putaſſe qui non obedirent, & eam quidem inuſtam quibuſdam, ipſumque Firmilianum à communione ſuſpenſum. Quid ergo ampliùs à Stephano expectandum fuit, ut ſanctiſſimi ac doctiſſimi viri, humiles, pacifici, ad quævis martyria prompti in obedientiam cogerentur? Iidem tamen à nemine, aut ſchiſmatis, aut etiam peccati mortalis arguuntur, & ab Auguſtino purgantur eo tantùm nomine, quòd Orbis univerſi conſenſionem expectarent. In hoc ſtare liceat rebus ambiguis & in altercationum æſtu: obſecro, hæc ſumma ſit;

neque

Digitized by Google

neque fidei negotium ac Sedis Apoſtolicæ majeſtatem ad tenues exileſque formulas, atque ad minuta quæque redigant.

LXXVI.

Quo pacto intelligendum id quod dicit Auguſtinus à Cypriano expectatam Concilii generalis ſententiam: forma antiqui regiminis jam indè ab origine, etiam ſub perſecutionibus.

HIc exoritur difficultas: quo pacto Concilii generalis autoritatem Cyprianus & alii expectare potuerint, cùm primis illis ſæculis tales Synodos haberi perſecutio prohiberet: quo loco Autor anonymus tractatûs Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ multùm utitur, ut Conciliorum autoritati detrahat, & ut ne quidem veriſimile videatur *Chriſtum in Concilia ſola principalem Eccleſiæ regendæ poteſtatem contuliſſe.* Vid. lib. X. cap. XXXI. Anonym. lib. V. cap. XIII. n. 4. & lib. VII. cap. II. n. 2.

Sed hæc per inſcitiam rerum Eccleſiaſticarum piæque antiquitatis, involvendæ veritati dicta, facilè expedimus, perficimuſque paucis, ut vera ac præcipua Sedis Apoſtolicæ autoritas atque Eccleſiæ gubernandæ ratio clariùs eluceſcat. Quanquam enim perſecutionis tempore Concilia generalia nulla cogerentur, non minùs conſtat Eccleſiæ univerſæ ſumma negotia, Papâ quidem duce, communi Epiſcoporum Concilio ac judicio definita: per provincias literæ commeabant: rata habebantur ea, in quæ omnes Eccleſiæ conſentirent.

Ac de fide quidem quomodò rem gererent, vel unius Pauli Samoſateni exemplum luculentè probat. Is enim Antiochenus Epiſcopus Chriſtum nudum hominem prædicans, in ipſâ Antiochiâ Concilio habito, à vicinis Epiſcopis primùm, mox literis ad omnes Epiſcopos atque ad omnium principem Romanum Dionyſium deſtinatis, toto orbe damnatus eſt. Quare Alexander Alexandrinus Epiſcopus in epiſtolâ ad Alexandrum C. P. de Ario ſcriptâ, hæc ait: Paulus Samoſatenus, *Concilio & judicio omnium ubique Epiſcoporum ab Eccleſiâ ejectus eſt*; & tamen nulla Synodus univerſalis coacta erat: ſed omnium Epiſcoporum conſenſio, non ſolùm autoritate, ſed etiam nomine univerſalis Synodi ferebatur. Euſ. lib. VII. cap. XXVII. & ſeq. Epiſt. Alex. ad Alex. C. P. Tom. II. Conc. p. 18. vid. quoque Theod. lib. I. cap. IV.

Ab hæreſi ad ſchiſmatis caſum tranſeamus. Sanè ſchiſma ingens à Novatiano Pſeudo-Papâ adverſùs Cornelium Papam concitatum, quâ autoritate compreſſum ſit, S. Cornelii ſanctique Cypriani literæ indicabunt. Ac primùm quidem conſtat à Novatiano ejuſque aſſeclis *literas calumniis ac maledictis plenas per omnes Eccleſias fuiſſe miſſas*, quæ pene omnes Eccleſias perturbaſſent. Id teſtatur Cornelius. Hinc neceſſe fuit totius orbis intervenire autoritatem. Cyprianus id Antonianum adhuc nutabundum docet: *Venio nunc ad perſonam Cornelii collegæ noſtri, ut Cornelium noveris, non de detrahentium mendacio, ſed de Domini Dei judicio, qui Epiſcopum fecit, & de co-Epiſcoporum teſtimonio, quorum numerus univerſus per totum mundum concordi unanimitate conſenſit.* Ac paulò poſt; *Factus eſt Cornelius Epiſ-* Epiſtol. Corn. ad Cyp. int. Cyprian. edit. Oxon. XLIX. al. XLVI. Cyp. epiſt. LV. al. LII.

Digitized by Google

copus, cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, id eſt, locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate atque omnium noſtrûm conſenſione firmato, quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris ſit neceſſe eſt. En unde autoritas in gravi ſchiſmate, quo tota Eccleſia turbaretur: en Catholicæ conſenſus Eccleſiæ tam perſpectus in ipſo perſecutionum æſtu, quàm in altiſſimâ Eccleſiæ pace.

Jam quod ad diſciplinam generalem attinet: per eadem Cornelii ac Cypriani tempora, cauſa lapſorum, hoc eſt eorum qui in perſecutione defecerant, ea viſa eſt, quæ communi Eccleſiarum judicio, conſultâ imprimis Sede Romanâ, finiretur: *Quoniam*, ut ait Cyprianus, *non paucorum nec Eccleſiæ unius, aut unius provinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt.* Atteſtantur Romani Confeſſores: *grande delictum & per totum pene orbem incredibili vaſtatione graſſatum.* Itaque in cauſâ generali, Cyprianus, vacante Apoſtolicâ Sede, ad Clerum Romæ conſiſtentem ſcripſerat à ſe omnia de lapſis integra reſervari, *ut cùm, pace à Domino nobis datâ, plures præpoſiti in unum convenire potuerimus, communicato etiam vobiſcum conſilio diſponere ſingula & reformare poſſimus.* Preſbyteri ac Diaconi Romani ſic reſcribunt: *Perquàm nobis & oneroſum & invidioſum videtur, non per multos examinare quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & unum ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe, quoniam nec firmum Decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur conſenſum habuiſſe. Aſpice totum orbem pene vaſtatum, & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas; & idcirco tam grande expeti conſilium, quàm latè propagatum eſt malum.* Videmus quò ſpectarent in cauſâ communi, inque reformandâ generali diſciplinâ, quàm non unum tantâ re oneratum vellent, quàm infirmum videretur in ejuſmodi quidem cauſis, Decretum non à plurimis factum, quàm neceſſariò totus appellandus ſit orbis, ubi totum orbem cauſa ſpectat.

Id. epiſt. XIX. al. XIV.
Epiſtol. Moyſ.Max. &c. inter. Cyprian. XXXI. al. XXVI.
Epiſt.Cyp. XX.al.XV.
Epiſtol. Preſbit. & Diac.Rom. int.Cypria. XXX. al. XXXI.

Itaque hæ literæ Cleri Romani, teſte Cypriano, *per totum mundum miſſæ ſunt*, & in notitiam Eccleſiis omnibus & univerſis fratribus perlatæ ſunt, ut eſſet forma quædam in quam omnes Eccleſiæ convenirent.

Cyp.Epiſt. ad Anton. LV.al.LII.

Memoratu digna ſunt in epiſtolâ Romanorum Confeſſorum ad ſanctum Cyprianum ea verba, quorum partem retulimus: *Cùm grande delictum & per totum pene orbem incredibili vaſtatione graſſatum, non oporteat, niſi, ut ipſe ſcribis, cautè moderatèque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus & ipſis ſtantibus Laïcis:* ſtantibus, id eſt, in ipſâ perſecutione non lapſis.

Epiſtol. Moyſ. &c. ſup. cit.

Ne quis hîc mihi dixerit, pari gradu conſultos Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, ipſos etiam Laïcos. Facilè demonſtraremus in collegarum, id eſt, in Epiſcoporum ſententiâ vim fuiſſe poſitam: ſingulos Epiſcopos Preſbyterii ſibi aſſiſtentis, quam regerent ferre ſententiam, perferri omnia ad conſcientiam plebis, ſed docilis, quæque in Eccleſiaſticis cauſis nihil ſibi præter obedientiam vindicaret. Sed hæc alterius loci ſunt; nos verò his locis id demonſtratum volumus, etiam ſub perſecutorum tyrannide, ſemper imminente gladio, non tantùm hæreſis aut ſchiſmatis, verùm etiam alias graviſſimas cauſas extitiſſe, quæ cùm, non unius Eccleſiæ aut provinciæ, ſed totius orbis eſſent, totius etiam orbis judicio finirentur.

Digitized by Google

Non ita illæ cauſæ, quas per loca & provincias finiri oportere, ipſe Cyprianus memorat, quarum proinde rationem *unuſquiſque præpoſitus Domino redditurus eſſet.* Quod ubique Cyprianus inculcat: adeò per illa etiam tempora, ſecernebant peculiares unius Eccleſiæ aut provinciæ cauſas, ab iis quæ totius orbis eſſent, & communi judicio finiendæ. Cyp.Epiſt. ad Cornel. LVII. al. LIV.

Cùm autem Cornelius poſt diuturnam vacationem Sedis, Romæ Epiſcopus conſtitutus eſſet; Cyprianus, qui anteà cum Clero Romano, nunc cum ipſo Cornelio conſilia contulit. Quâ de re ad Antonianum ſcribens, ait: *Ac ſi minùs ſufficiens Epiſcoporum in Africâ numerus videbatur, etiam Romam ſuper hâc re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum pluri-mis co-Epiſcopis habito Concilio, in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſit*; & ad ipſum Cornelium: *Statueramus jampridèm participato invicem nobiſcum Conſilio*, &c. Quæ cùm ubiquè terrarum præpoſiti facerent, ac per provincias Romani Pontificis reſponſâ commearent, hinc nempè exiſtebat ille conſenſus, quem talia negotia poſtularent. Epiſt Cyp. ad Anton. LV. al.LII. Epiſtol. ejuſdem ad Corn. jam cit.

Sic in fide, in ſchiſmate totam Eccleſiam perturbante, atque in reformandâ generali diſciplinâ, qui caſus ad commune Eccleſiæ judicium à Synodo quoque Conſtantienſi relati ſunt, jam inde ab origine, ac ſub ipſâ tyrannide conſtituti, quanta per provincias poterant, Concilia celebrabant, cum ſede Apoſtolicâ, quæ omnium Eccleſiarum communicatione polleret, conſilia participabant, ejus operâ totius orbis ſententiam exquirebant.

Nam & illud Eccleſiarum communicationi imprimis inſerviebat, quòd Eccleſiæ omnes Eccleſiæ Principi, Romanæ ſcilicet, ſocietate connexæ, per eam ad cæteras conſilia ac decreta perferenda curarent. Hinc illud Arelatenſis Concilii primi ad ſanctum Sylveſtrum Papam: *Quid decreverimus communi conſilio charitati tuæ ſignificamus, ut omnes ſciant, quid in futurum obſervare debeant.* Quod quidem ad Romani Pontificis autoritatem pertinebat, ut tum ſcirent *quid obſervare deberent*, cum à Romano Pontifice, tanquàm omnium præſide Canones mitterentur. Quò pertinet illud in epiſtolâ ad eumdem Papam: *placere, ut per eum potiſſimùm, qui majores diœceſes teneret, omnibus fratribus inſinuari.* Quare hæc non ita accipienda ſunt, tanquam unum id eſſet Romani Pontificis miniſterium, ut veluti juſſus aliorum Decreta perferret ad alios: non ita; ſed ad eum perlata Decreta, cùm indè ad alios pervenirent, graviore autoritate aucta commeabant, Romanique Pontificis omnium capitis nomine ad omnes jam Eccleſias pertinebant. Hæc ſcripta ſunt anno Chriſti 314 cùm vix perſecutionis deferbuiſſet æſtus, antequàm ullum œcumenicum Concilium celebratum eſſet. Et cùm Concilium generale primum, Nicænum ſcilicet, tardiſſimè poſt natam Eccleſiam, atque anno demùm Chriſti 325. quarto ſæculo adunatum fuerit, nihil novi evenire ſenſit Eccleſia; quippe quæ jam inde ab origine in unum ſe ipſa colligeret, atque à particularibus cauſis ſecerneret res maximas quæ communi Epiſcoporum conſilio, Romano Pontifice totius Collegii duce finiri conſueviſſent. Nec mirum in rebaptizationis quæſtione ſub Stephano & Cypriano, perſecutione vigente, tamen ab Auguſtino deſideratam Concilii generalis autoritatem, cui Cyprianus acquieſceret. Etſi enim nondum Concilia ge- Conc.Arelat.I. Brev. Epiſt. ant. can. Tom. I. Conc. p. 1427. Epiſt.Syn. Arelat. ad Sylv. ibid. p. 1426.

neralia congregata erant, ſummâ tamen ipſâ valebat ea res, quæ ab iis cœtibus quærebatur; nempe conſenſio, cui certæ & exploratæ Cyprianus cederet.

Aug. Ep. CX . ad Opt.& paſſ. in ejuſ I.lib. cont.Pelag. Id. l.b.IV. ad Bonif. cap. XII.n. 34. Tom. X. p. 492. Ibid. & paſſ. Epiſtol. Capreol.ad Syn. Epheſ. int. act. Conc. act. I. Tom.III. p. 532. Aug. loc. ſup. cit. & paſſ.

Eodem ritu modoque Auguſtinus aliique commemorant Pelagianos à Romanæ ſedis Præſulibus Innocentio ac Zozimo, *cooperantibus Synodis Africanis*, omnibus ubique Epiſcopis ſubſcribentibus, *toto orbe damnatos*: neque enim, ut idem Auguſtinus ait, *congregatione Synodi* (univerſalis utique) *opus erat, ut aperta pernicies damnaretur.* Cur autem Pelagiani non eam Eccleſiæ neceſſitatem inferrent, eorum paucitas faciebat: *quorum* ſcilicet, eodem Auguſtino teſte, *profanas novitates Catholicæ aures quæ ubique ſunt horruerunt.* De quibus etiam extat illud inſigne Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi & Africæ Primatis in epiſtolâ quam Epheſina Synodus collaudavit: *Hos* (Pelagianos ſcilicet) *pridem expugnavit Eccleſia, hiſque temporibus repullulantes Apoſtolicæ ſedis autoritas Sacerdotumque in unum conſonans ſententia oppreſſit.* En in quo ineluctabilis judicii robur collocet, nempe in capitis membrorumque conſenſu; neque exquiſitiori diſſertatione, aut Conciliorum examine opus fuit, quòd in apertâ re, ut ait Auguſtinus, pauci contra omnes & contra univerſitatem ipſam ægra & exigua portio litigaret.

LXXVII.

Vanæ & inanes quæſtiunculæ de conſenſu Eccleſiæ, ipſâ regiminis Eccleſiaſtici formâ concidunt.

Diſq.Lov. art. VIII. n. 1.7. p. 38. Nicol. Dub.I.part. refut. &c. p. 78. Vid. lib. IX. & X.

Hic quærunt quid ſit ille conſenſus Eccleſiæ quo nitimur: totiúſne an partis? Quot Eccleſiarum, quot Epiſcoporum, quot Capitulorum, quot Abbatum, quot verò Regionum: etiamne Indiarum aut Japonenſium: quantæ moleſtiæ? qui ſumptus, ut Nuntii quocumque diſcurrant, allaturi authenticum conſenſûs inſtrumentum? Inanes quæſtiunculæ contra rem facti. Rogent Cyprianum, Auguſtinum, Capreolum, Leonem, alios quos narravimus in Eccleſiæ conſenſione repoſuiſſe vim: quærant quibus ſumptibus, quibus curis, curſoribus, nuntiis, tot regionum explorârint fidem. Nos autem ſuo loco facilè & ad cumulum hæc declarabimus; nunc vana & abſurda per ſeſe eſſe monſtramus.

Sic igitur ex antiquo & ab ipſâ Chriſtianitatis origine conſtituta eſt Eccleſia, ut ipſa Petri ſedes, caput orbis terrarum, ex Eccleſiarum communione prima perſentiſceret quænam eſſet omnium fides: ac ſi ab hoc vertice in pronos animos fidei Decreta decurrerent, paucique vel nulli obſiſterent, nihil ſanè prohibebat quominùs quæſtio ſtatim pro terminatâ haberetur.

LXXVIII.

Solennis acceptatio Decretorum Pontificiorum quàm uſitata & quàm neceſſaria: Romani Pontificis officium & autoritas ex Janſeniano negotio oſtenduntur.

HINC ergo illa celebratur, etiam à Theologis qui ſe ſedi Apoſtolicæ addictiſſimos videri velint, ſolennis acceptatio Decretorum quæ omnem poſteà dubitationem aut concertationem elidat. Sic Sanctus Antoninus Joannis XXII. Decretali Fraticellos premit, hæreticoſque ipſos eſſe teſtatur: *quòd aſſerant contra determinationem Catholicam factam per Eccleſiam & Joannem XXII. & per omnes ſucceſſores ejus veros Catholicos ſummos Pontifices, & omnes alios Prælatos Eccleſiæ, acceptatam, examinatam & approbatam ut veriſſimam:* quem locum ſuo loco fuſiùs expendemus. Hujus poſtrema verba rectè perpendentibus nunc ſufficere credimus. Sic Duvallium teſtantem audivimus, *definitiones Pontificis non eſſe de fide, donec univerſalis Eccleſia, quam de fide eſt errare non poſſe, eas acceptaverit.* Sic in nuperrimo Janſeniano negotio, in quo uno ore, omnes noſtri cenſores Epiſcoporum Gallicanorum pietatem ac fidem collaudarunt, tamen ab ampliſſimo Cleri Gallicani cœtu * communibus ſuffragiis conſtitutum: ut Innocentii X. Decretùm Apoſtolicum, *Deliberatione factâ eâque liberâ, ut eamdem conſtitutionem reciperent, firmarent, acceptarent omnique obſequio ac reverentiâ ſuſciperent quæ in eâ deciſa eſſent: poſteaquàm ſcilicet agnoverunt, Pontificiâ conſtitutione, firmatam antiquam Eccleſiæ fidem, à Conciliis & Patribus traditam, atque in Tridentino Concilio innovatam.* Non igitur, ut ferunt, priſcæ traditionis obliti Gallicani Patres: quæ quidem alibi editis geſtis exequemur. Nunc autem ſufficit, tanto exemplo approbaſſe quæ ſit illa conſtitutionum Pontificiarum acceptatio, quâ utimur.

Vid. in app. lib. II. cap. IV. & lib. X. cap. XVI. & Coroll. n. III. VIII. Anton. Sum. part. IV. tit. XII. cap. IV. paragraph. XXVIII. p. 208. Sup. n. XXI. quem vid.

* an. 1653. Relat. Deliber. Cler. Gallic. ap. Vitrè. 1661. p. 6. 7.

Neque propterea Cathedræ Petri atque Apoſtolicis definitionibus, aut S. Antoninus, aut ipſe Duvallius, aut Gallicani Patres derogatum volunt: abſit: cùm per eas habeant Eccleſiæ, quam ſequantur formam: autoritatem in quam omnes conſentiant: judicium quod communi ope exequantur, neque hæreſes uſpiam reſpirare ſinant. Habet etiam Romanus Antiſtes, totius Eccleſiæ caput, ſui Decreti exequendi pleniſſimum robur. Cùm enim Eccleſiaſticæ communionis princeps, ſuâ definitione nihil aliud promere velit quàm id quod omnes Eccleſias ſentire cognoſcat, omnia ordine & ex vero eſſe geſta, ſecuta conſenſio atteſtatur. Quâ doctrinâ aut praxi nihil infringi Apoſtolici Decreti autoritatem ac vim, ipſa experientia oſtendit. Quo enim loco, quâ in parte orbis magis quàm in Galliâ, Innocentii X. aliæque conſtitutiones de Janſenianâ re majori veneratione ſuſceptæ, aut potiori virtute in executionem deductæ ſunt? Certè Janſenii ſectatores ſeu occulti, ſeu publici, ne mutire quidem audent; nec ſi millies Concilia œcumenica appellarent, audirentur uſquam; ipſaque conſtitutio edita &

ſemel ubique acceptata, irrefragabilis judicii vim obtinet, quam Romanus Pontifex autoritate ſummâ & ipſe exequatur, & ab omnibus Epiſcopis exequendam mandet.

LXXIX.

Innocentii IV. locus: Concilii provincialis ſub Paſcali II. clara autoritas.

HINC vera & clara ratio affulget ab omni peccato purgandi Cypriani: cùm nempe poſt juſſa Stephani, tot Eccleſiæ, Africanæ ſcilicèt Aſianæque variarent, necdùm ejus epiſtolam Decretalem neceſſaria acceptatio conſecuta eſſet, eò magis licuit, teſte Bellarmino, in hoc certè capite, obedientiam recuſare, quòd Stephanum in jubendo *pernicioſè errare crederet, & ſtante illâ opinione teneretur ei non obedire, ne contra conſcientiam ageret.*

Bell. de R. P. lib. IV. cap. VII.

Vid. lib. VII. cap. XVIII.

Cujus rei fons eſt, illa apud omnes recepta & pervulgata ad imperia cujuſcumque mortalis exceptio: ut obediatur Superioribus, niſi divinæ legi adverſantia jubeant: quâ exceptione contineri Papæ quoque juſſa & in Cypriano, etiam in quæſtione fidei, Bellarminus agnovit. Et ſi quis Bellarminum ipſum eâ in re erraſſe dixerit, ſuccurrit major Autor Innocentius IV. Romanus Pontifex. Extat in caput: *Quanto de conſuetudine* ejus Pontificis clara interpretatio in hæc Chriſti verba: QUODCUMQUE LIGAVERIS, &c. *Quòd Papæ obediendum ſit in omnibus, in ſpiritualibus & in his quæ ad animam ſpectant, niſi contra fidem prohibita ſint.* En Papæ officio fungenti, quippè exercenti ſupremam poteſtatem his Chriſti verbis traditam, *Quodcumque ligaveris*, præcipitur obedientiâ, cum exceptione illâ, niſi contra fidem doceat aut vetet.

Lib. I. decret. Innoc. IV. tit. IV. fol. 33.

Clariùs adhuc in caput *inquiſitioni, de ſententiâ excommunicationis* quærit, quid agendum, Superioribus iniqua jubentibus: & quidem de Superioribus ſub aliorum poteſtate poſitis, facilè ſe expedit; ad majores enim Superiores recurrendum; ſed ubi ad Papam devenit, ſic objicit: *Quid ſi Papa injuſtum præcipit qui Superiorem non habet?* Quem nodum ſic ſolvit: *Poteſt dici quòd ſi de ſpiritualibus* (rebus) *vel Eccleſiaſticis perſonis aliquid præcipit etiam injuſtum, illud ſervandum eſt; quia nemini licet de ejus facto judicare.* 4°. diſt. Si Papa. q. 3. cuncta, *niſi mandatum hæreſim contineret, quia tunc eſſet peccatum, vel niſi ex præcepto injuſto vehementer præſumeretur ſtatum Eccleſiæ turbari, vel etiam fortè alia mala ventura, quia tunc peccat obediendo, cùm debeat futura mala præcavere, non juvare:* quæ ſanè interpretantem ac docentem Romanum Pontificem nemo reprehendit; imò collaudant omnes atque unâ voce conſentiunt. Quo quidem quid eſt clarius? Pro certo ſupponit ſummus Pontifex doctiſſimus, à ſummo Pontifice imperante pro loci autoritate ac ſupremi officii ratione, emanare poſſe juſſa *hæreſim continentia*, aut ſtatum Eccleſiæ concuſſura; & miramur in

Ibid. lib. V. titul. XXXIX. fol. 595.

Digitized by Google

rebus generalibus, præſertim fidei, recurri ad Eccleſiam, ultimumque refugium in eâ poteſtate ſemper fuiſſe poſitum, quæ docere contra fidem, quæ hæreſim jubere non poſſit?

Sub Paſcali II. in provinciali Viennenſi Concilio S. Hugo Gratianopolitanus, Gothofridus Ambianenſis, Guido ipſe Viennenſis, poſteà Calixtus II. ut regio genere, ita fortitudine & doctrinâ clarus, & mox Sedis Apoſtolicæ gubernaculis admovendus, poſteàquàm, *dictante Spiritu Sancto*, de inveſtituris proferunt ſententiam, & ab ipſo Pontifice extortum ſcriptum damnant, hujus Decreti ab ipſo Pontifice confirmationem petunt his verbis: *Si, quod minimè credimus, noſtræ paternitatis aſſertiones roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtra obedientiâ repelletis.* En perſpicuis verbis tot Sancti, Apoſtolico officio deeſſe poſſe profitentur Romanum Pontificem, etiam ab Epiſcopis ac provincialibus Synodis requiſitum: quo caſu apertè detrectant obedientiam. Quid autem Paſchalis? An perdita omnia & ad inobedientiam comparari viam exclamavit? imò collaudavit ut viros egregios: horum Synodum autoritate Apoſtolicâ confirmavit, ac pro certo reliquit, in iis quæ fidei aut univerſalis Eccleſiæ attinerent ſtatum, ipſius Eccleſiæ vim & autoritatem indeclinabilem, in ipſâ Eccleſiæ conſenſione eſſe collocatam.

Epiſtol. Conc. Vienenſ. ſub Paſc. I I. Tom. X. Conc. p. 785.

Epiſtol. Paſc. II. ib. p. 786.

LXXX.

Anonymi tractatus de Libertatibus Gallicanis circa Sedis Apoſtolicæ autoritatem fœda & improbanda commenta.

HANC Eccleſiaſtici regiminis, imò Eccleſiaſticæ Monarchiæ formam, ſi cenſores noſtri in animum inducerent, non in ea profectò incommoda inciderent, quibus Apoſtolicæ Cathedræ dehoneſtant decus. Hinc ille tractatûs de Libertatibus Gallicanis Autor anonymus in hæc verba prorupit: *In quo*, inquit, *repoſita eſſet Romani Pontificis autoritas, non ſatis clarè ſtatim omnibus perſpectum fuit; quia enim perſecutionum tempore, vel ſchiſmatum aliarumque calamitatum, impedita erat* EXTERIOR CAPITIS CUM MEMBRIS COMMUNIO, *ſtante ſemper fidei ac charitatis unione; vix à Romano Pontifice ad alios præſertim remotos paſtores, aut greges, primis tribus ſæculis aliud quàm quædam epiſtolæ pervenire potuit. Quamobrem Epiſcopi populos ac ſeipſos à tanto tempore* SUO JUDICIO, VEL CUM ALIORUM CONSILIO REGERE SOLITI, *Papæ autoritatem, ab impedimentis quibus diſtenta erat, ſolutam, non tàm ſubitò exceperunt:* SED ALII CITIÙS ALII TARDIÙS, NUNC IN ISTO, NUNC IN ILLO CAPITE, PROUT SESE OFFEREBAT OCCASIO, DONEC INTEGRAM LIBERTATEM CONSECUTA, SUUM UBIQUE ROBUR OBTINUIT. Me verò hæc legentem tædet novitiorum defenſorum Apoſtolicæ dignitatis, qui per ſummam rerum Eccleſiaſticarum inſcitiam dicam an incogitantiam, quaſi tantæ dignitati aliquod ab antiquitate metuendum ſit, eam his commentis obſcuratam volunt. Pergit: *Verùm, quia uſus opti-*

Anonym. de Liberr. &c. lib. VI. cap. III. n. 2.

Ibid. n. 3.

Digitized by Google

mus legis interpres, videndum eſt quæ fuerit autoritatis Pontificiæ praxis illis temporibus, cùm eâ liberè uti Papæ potuerunt, cùmque diligentiùs & clariùs cognita fuit. Quanquam enim omni ævo aliqua identidèm ejus ſpecimina edita fuerint; tamen, cùm per tria prima ſæcula, ferè omninò à tyrannis LIGATA FUERIT, *ideòque ejus exercitium*, QUASI NOVUM QUIDDAM *aliquoties Epiſcopos, præſertim Africanos commoverit, non potuit tam citò ſuum explicare fulgorem & omnibus innoteſcere.* Hæc Anonymus. Atque illi ſunt, ſi Deo placet, Sedis Apoſtolicæ unici defenſores, cui infeſtiora vix ipſi hæretici cogitârint.

LXXXI.

Prolatæ in anterioribus verbis in Sedem Apoſtolicam contumeliæ refelluntur.

ROGO enim quid illud ſit: *Quòd Epiſcopi populos ac ſeipſos à tanto tempore* (tribus ſcilicèt primis ſæculis) *ſuo judicio regere ſoliti eſſent.* An illi primi Eccleſiarum fundatores ac doctores, quid Chriſtus Petro ac ſucceſſoribus dediſſet neſciebant? Ejus judicium nulli expectabant? Per ſeipſos regendam ſuſcipiebant Eccleſiam, neque caput ſibi à Chriſto datum cogitabant? Id hæretici velint. Quid illud? Hinc factum ut ſequens ætas, quartum fortaſſè quintumve, aliaque ſæcula propiora, *non tam ſubitò exciperent Papæ autoritatem; ſed alii citiùs, alii tardiùs, nunc in iſto, nunc in illo capite:* ita ſanè *ut illius exercitium*, QUASI NOVUM QUIDDAM *aliquoties Epiſcopos præſertim Africanos commoverit.* Africana illa omnibus nota ſub Aurelio diſſidia ſpectat. Quis autem à Chriſto eſſe dicat ea quæ ſancto Aurelio, ſancto Alipio, ſancto Auguſtino atque aliis tot ac tantis Patribus doctrinâ ac ſanctitate conſpicuis, nova viderentur? *Alii*, inquit, *citiùs, alii tardiùs, nunc in iſto, nunc in illo capite eam autoritatem exceperunt.* Hoc hæretici clamant: hinc probatum volunt, Papæ autoritatem piæ antiquitati ignotam, creviſſe per tempora, humanam ſcilicèt, nec totam ab initio, ſed ſuis partibus hinc inde coalitam & conſarcinatam. Quid enim ſancti viri longèque doctiſſimi pro novis habebant ea, quæ à ſanctis quoque Pontificibus Zozimo ac Cæleſtino petebantur? Quid Nicænos Canones appellabant? aut *alii citiùs, alii tardiùs, alii in hoc, alii in illo capite, datâ occaſione*, agnoſcebant Papæ autoritatem; ſi ſemel animo imbiberant, ejus voluntatem ex Chriſti inſtituto pro lege eſſe debere, exceptione nullâ; cur ergo Canones allegandos putabant Romanis Pontificibus, quorum vis pro eorum arbitrio ſolveretur? Nempe hæc divina juſſa inſtitutaque ignorabant.

LXXXII.

Digitized by Google

LXXXII.

An ferendum Papæ & Eccleſiæ poteſtatem primis temporibus religatam & alia conſectanea dici ab eodem Autore?

JAM illud quis ferat, *per tria prima ſæcula Papæ poteſtatem à tyrannis ligatam fuiſſe, impeditam externam capitis cum membris communionem, atque à Romano Pontifice ad alios præſertim remotos, vix quidquam præter quaſdam epiſtolas pervenire potuiſſe?* QUASDAM autem? An quia non omnes ad nos per temporum injuriam devenerunt, paucas fuiſſe conſcriptas dicemus? Non enim facilè Romam, non Româ quaquaversùs literæ commeabant? Non quotidie Diaconos miſſitabant? Non denique neceſſaria negotia communicabant? Atqui vel unius Cypriani epiſtolæ docuerunt, quanta eſſet Eccleſiarum cum Eccleſiâ principe communicatio. His demonſtravimus quæ generalia eſſent, per illa quoque tempora, non niſi communicato cum omnibus Epiſcopis conſilio, geſta eſſe. Quot verò tales epiſtolas putamus fuiſſe perſcriptas quæ ad nos non devenerint? Quàm porrò infulſum illud: à Romano Pontifice *vix quidquam præter literas* perferri potuiſſe? An verò literæ non ſufficiunt? An neceſſe erat, ut ſua ipſi coram mandata traderent? Sic impedita, ſic ligata Romana autoritas à tyrannis fuit. Vid. ſup. n. LXXVI.

Hæc tamen omnia commenta admittamus: dic tandem quo demum ſæculo expedita? Poſt Conſtantinum ſcilicèt, perſecutione ceſſante: atqui tum vel maximè enituit atque invaluit Conciliorum autoritas. In his decreta Pontificum ad Scripturæ fidem, ad traditionis normam exigenda, & Patres examinabant, & ipſi Pontifices pro more ſolenni deferebant. In rebus fidei totius Eccleſiæ conſenſionem expectari, in rebus diſciplinæ Canones ubique receptos etiam objici ſibi æquo animo patiebantur. An & ipſi quod ſibi à Domino conceſſum eſſet ignorabant? Ligati impeditique à tyrannis nec ſeipſi intelligebant.

Nobis verò liceat non comminiſci quidvis, ſed antiqua venerari; neque ea torquere ad arbitrium, ſed ſimpliciter accipere. Neque tamen infringi volumus ampliſſima illa quæ Petri ſucceſſoribus, optimis parentibus ad Eccleſiæ commodum & pacem ſecuta ætas detulit: interim divinum illud ſummumque & immotum quod à Chriſto ineſſe credimus, in eo facilè reponimus quod omnium ſæculorum ſeries recognovit.

LXXXIII.

Gallicana ſententia per ſe ſtat, ſi aliena & affićta demantur: ac primùm de hæreticis non niſi Conciliari autoritate damnandis.

HÆC igitur nemini offenſionem paritura confidimus, ſi quæſtionis ſtatu rectè poſito, aliena & fictitia noſtris imputare ceſſant. Quo Gall. vind. diſſ. IV. n. 4. & ſeq.

loco Galliæ vindicatæ Autorem, alioſque doctos viros, imprimis verò doctiſſimum juxta atque optimum Daguirreum æqui bonique conſulturos ſcimus, quæ ſummo cum eorum honore, cauſæ neceſſitate, ſciſcitamur: quo pertinebat, decurſis omnibus retrò ſæculis, tanto niſu enumerare ſingulas hæreſes vel minutiſſimas, per ſummos Pontifices abſque œcumenicæ Synodi autoritate damnatas; tanquàm doctiſſimi Pariſienſes & Gallicani Patres, rem tam obviam ignoraverint, aut ſomniaverint unquàm, non niſi Conciliis congregatis condemnari hæreſes oportere? Id verò Pariſienſis Facultas, cujus ſuo loco geſta referemus, ſæpiſſimè quidem, ſed recentiſſimè adversùs Theophilum Brachet Milleterium, ut *hæreticum* improbavit: & perſpicuè Gallicani Patres, Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, non Concilii œcumenici conſenſionem poſtulabant. Ac Daguirreus quidem, eâ de re monitus, in præfatione dixit: à ſe confutatam conſenſionis quoque illius neceſſitatem: rectè; idque unum hîc poſtulamus ut à libro eruditiſſimo amputentur tot paginæ inanibus oppletæ probationibus.

Vid. cenſ. Theoph. Brachet. an. 1635.

LXXXIV.

Aliud imputatum de Synodis generalibus abſque Papâ congregatis: Turrecrematæ loci inſignes pro ſententia Pariſienſium.

Vid. in app. lib. III. cap. I. & lib. VIII. paſſ. Anony. lib. V. cap. V. VI. & ſeq. Turr. Apol. ſeu Reſp. ad Baſil. Tom. XIII. Conc. p. 1701.

AUTOR tractatûs de Libertatibus aliique paſſim omnes ita proponunt quæſtionem de Conciliorum generalium ſuperiori poteſtate juxta Pariſienſium ſententiam, ut ea Concilia ſecluſo Romano Pontifice habeantur; quod eſt falſiſſimum. Sufficit enim Pariſienſibus id quod eſt ab ipſo Turre-Crematâ pronuntiatum: *Si caſus talis contingeret quod Patres univerſi in Synodo univerſali convenientes unanimiter aliquam definitionem fidei facerent, cui ſola perſona Papæ contradiceret, dicerem judicio: quòd Synodo ſtandum eſſet & non perſonæ Papæ*; quam ſententiam ſemper inculcat, ut poſteà referemus.

Quod autem attinet ad Synodos habitas ſecluſo Pontifice: primùm quidem Pariſienſes ultrò conſentiunt ex antiquiſſimis regulis, Synodos generales abſque Romano Pontifice nullas eſſe & irritas: hinc Ariminenſia vana eſſe decreta, quòd huic Synodo Damaſi * autoritas defuit: hinc abominandum Epheſinum latrocinium, *quòd nemo ibi nomen Leonis*, nemo ab eo conſcriptam audivit epiſtolam. Harum ergò rerum, de quibus nemo dubitat, à cenſoribus noſtris tanto ſtudio conquiſitæ reſecandæ probationes. De extraordinariis caſibus hæreſis, ſchiſmatis, & aliis, nihil ſingulare Pariſienſes expoſcunt, uti jam diximus.

* Seu potiùs Liberii. Vid. Epiſt. Damaſ. ad Epiſc. Illir. ap. Theod. lib. II. cap. XXII. pag. 103. edit. Val. Conc. Calc. act. I. Tom. IV. p. 122. act. III. epiſtol. ad Imper. pag. 463. & elar. ad Pulch. p. 464.

Cæterùm non noſtra iſta eſt, ſed Turre-Crematæ reſponſio: *Cùm arguitur de Papâ facto hæretico & definiente pro hæreſi ſuâ, dupliciter reſpondetur: quidam enim volunt dicere quòd caſus non eſt poſſibilis: nobis autem videtur aliter reſpondendum: videlicèt, Quòd tùm Pontifex eſſe deſierit, ſimulque cadat à fide & Cathedrâ Petri, ac per conſequens, judicium quod faceret talis hæreticus, non eſſet judicium Apoſtolicæ Sedis, imò nec judicium alicujus autoritatis.* Quæ ſi adverſariis ſatisfaciunt, à Pariſienſibus dici nihil prohibet.

Vid. in app. lib. II. cap. II. Turr. Sum. de Eccl. lib. II. cap. CXII. fol. 260. mal. 258.

LXXXV.

Aliud imputatum: de Romanâ fide ac Sede Apoſtolicâ, Innocentii III. profertur locus: alii loci inſignes in memoriam revocantur.

LIBROS implent argumentis quibus demonſtrandum curant Petri ſedem & Eccleſiam, Romanam etiam non defecturam fidem; tanquam Pariſienſes fieri poſſe arbitrentur ut Petri ſedes fideſque ab Eccleſiâ abrumpatur, quod abominamur omnes. Et hic ergo indiligenter, ac, ne quid dicam gravius, invidioſè quæſtio conſtituta, quod & luculentiſſimè alias oſtendemus; & nunc ſufficere credimus id quod ex Turre-Crematâ & aliis audivimus: decreta ſi fiant fidei adverſantia, non ea eſſe ullius autoritatis, nec omnino Cathedræ Petri imputari oportere; nec minus inconcuſſam manere Romanam Eccleſiam ac Romanam fidem.

Vid. lib. X. cap. V.

Periculoſum aiunt ſedem à ſedente diſtinguere. Verùm diſtinctionem S. Leonis tuetur autoritas: *Aliud*, inquit, *ſunt ſedes, aliud Præſidentes*: rurſuſque ad Maximum: *Etſi enim diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen jura permanent ſedium.* Quâ regulâ utimur, non ut ſedem cum ſedente collidamus, quod eſſet ſchiſmaticum, ſed ut oſtendamus Eccleſiam Romanam ita eſſe à Chriſto inſtitutam, ut ſi quis ſedens erraverit, ſedes tamen integra, illæſa Pontificum ſeries maneat, & quod unus forte commiſerit, alterius diligentiâ ac fide facile farciatur. Sic namque in Honorio contigiſſe conſtat, ſancti Doni, ſancti Martini I. ſanctique Agathonis ſedulis erga Religionem obſequiis, queis fides Catholica & Romana ab Honorii decretis nil detrimenti cepit.

Leon. Epiſt. ad Anat. C. P. LXXX. al. LIII.
Id. Epiſt. ad Maxim. Antiochen. XCII. al. LXII. cap. III.

Non enim quovis excedente Pontifice, Romana interit fides: non in interregnis ac vacationibus, licèt ad multos annos durent, Romana fides vacat: non vacavit in Romanâ Eccleſiâ fidei præconium, *cum intruſi, invaſores, illegitimi* (verba ſunt Baronii) adeòque nulli caſſique Pontifices, per ſæculi decimi infamiam, longiſſimis temporibus Petri ſedem tenerent, neque in illo infando ſchiſmate *, cùm dubia inter incertos Pontifices nutaret Eccleſia, Romana fides, aut Eccleſia Romana, à Chriſto inſtitutum Eccleſiarum vinculum vacillabat; quin etiam depoſitis omnibus qui ſe pro Pontificibus gererent, non tamen Conſtantienſis Synodus Romanam fidem vacare ſenſit; imò verò hæreticos ad hanc formulam adigebat: *Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & huic ſacro Concilio profiteor in omnibus ad religionem Chriſtianam pertinentibus, prout ipſa Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sedes, & hoc ſacrum Concilium profitetur.* En ſedem amotis ſedentibus integram ac ſanam ad quam hæretici revocentur. Nec ſi viri egregii, atque etiam Romani Pontifices aliquando de ſuis factis futuriſve definitionibus, propterea de Romana fide dubitabant. Vel Innocentium III. Apoſtolicæ dignitatis retinentiſſimum audiamus. Is rogatus diſpenſationem contra Evangelium, dixit: ſibi quidem *ſi ſuper hoc abſque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaret, loci ſui periculum forſitan imminere.* Non, ſi ille poſſibile ar-

Vid. libr. IX. cap. XXX.
Bar. ann. 911. Tom. X. p. 679 & paſſ.
* XIV. Sæculi.
Abjurat. Hieronymi de Prag. in Concilio Conſt. Seſſ. XIX. Tom. XII. p. 164.
Innoc. III. lib. V. epiſt. CVI. Vid. lib. IX. cap. XXVI.

bitratur, ut ſecluſo Concilio, in reſponſis Pontificiis erret, ideò poſſibile quoque judicavit ut Romana fides intercideret.

Sanè ſub Urbani Papæ I. nomine profert Gratianus caput; *ſunt quidam* 25. q. 1. jam à nobis memoratum, & in eo capite hæc verba: *Si Romanus Pontifex, quod docuerunt Apoſtoli aut Prophetæ, deſtruere niteretur, non ſententiam dicere, ſed magis erraſſe convinceretur.* Ex quo capite Joannem XXII. determinantem audivimus, ejus ævi Scriptoribus conſentientibus, ſi ſui anteceſſores aliquid adverſus Evangelium definiſſent, conſtitutiones *illas* fore *erroneas* ideòque *invalidas* & infirmas: neque ideò collabeſcere Romanam fidem aut Sedem putabat, cùm illæ ſententiæ non jam ſententiæ, nec ſedi Apoſtolicæ imputandæ eſſent.

Sup. n. XLVIII.

Audivimus ſub Paſchali II. illud Povincialis Viennenſis Concilii à tot ſanctis viris proditum: *Nos à veſtrâ obedientiâ repelletis.* An ergo ſancti viri à ſedis Apoſtolicæ obedientiâ ac fide receſſiſſent, cùm eâ de re agi crederent quam ad fidem pertinere decernebant? Abſit: ſatis enim conſtabat, quidquid Paſchalis ageret, ſedem tamen Apoſtolicam perſtituram, & ſua damna continuò ſarcituram.

Sup. n. LXXIX.

LXXXVI.

SS. Monachorum ex Concilio Lateranenſi depromptus locus: item S. Auguſtini ad Bonifacium Papam.

Conc. Lateran. ſub Martino I. Secret. II. Tom. VI. pag. 117. Auguſtin. ad Boniſac. lib. II. cap. III. n. 5. Tom. X. p. 434. Leo Epiſt. ad Anat. C. P. ſup. cit.

QUID, quòd antiquioribus quoque temporibus, ii illi Abbates Orientales conteſtantur, ad S. Martinum I. *ſi quidquam ab eo definitum eſſet fidei corrumpens integritatem*, non id ſibi fraudi futurum? Quid, quòd ipſe Auguſtinus de Cæleſtiana hæreſi ſic ſcribit: *ſi, quod abſit*, ita tunc (ſub Papâ Zozimo) *fuiſſet de Celeſtio & Pelagio in Romanâ Eccleſiâ judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipſis & cum ipſis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronuntiarentur*, non id fidei nociturum? En eadem dubitandi veluti formula à tanto viro ad Bonifacium Papam perſcripta: neque propterea aut Auguſtinus aut ipſe Bonifacius Romanæ fidei, ac Sedi metuebant. Succurrebat enim ab ipſâ veritate inſitum quod Leo poſteà declaravit: *Aliud ſedes, aliud Præſidentes.* Hæc igitur à viris optimis atque ſanctiſſimis, ab antiquis, à recentioribus, ab ipſis Romanis Pontificibus, quaſi communi quâdam Eccleſiæ voce tradita memorantes, eò, credo, adigent, ut putemus ea omnnia per impoſſibilem ſuppoſitionem eſſe dicta. Credant ſanè, ſi poſſunt: à nobis tamen ſinant procul ab his minutiis ac diſtinctiunculis meliore loco conſtitui ſedis Apoſtolicæ & doctrinæ Catholicæ majeſtatem.

LXXXVII.

An hæc ſentientes fidem in ſuſpenſo teneant aut arma inobedientibus ſubminiſtrent.

FRUSTRA ergò objiciunt, ſi Eccleſiæ conſenſio expectetur, malè Conſuli fidei ſecuritati, in ſuſpenſo teneri fidelium animos, imò inſtigari ad inobedientiam, ac Pontificalia Decreta parvi pendi: hæc enim omnia objicienda veniunt non Pariſienſibus, ſed ſummis ex omni gente, ex omni ordine viris, quorum geſta produximus. Quid autem putemus malè conſuli fidei ſecuritati, ſi fides deniquè in illum articulum ſymboli Apoſtolici reſolvatur, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam?* An ſuſpenſi animi relinquuntur, qui in Eccleſiæ Catholicæ autoritate acquieſcunt? An Romanum Pontificem parvi pendunt, qui ejus autoritati poſt Chriſtum ſummæ, nihil aliud quàm ipſam Eccleſiam Catholicam ſive diffuſam ſive adunatam anteponunt?

At arma miniſtramus inobedientibus? Arma ergò miniſtrabant ſancti Epiſcopi qui ad Paſchalem II. ſcriberent: *Nos à veſtrâ obedientiâ repelletis*: arma miniſtrabat ipſe Bellarminus, cùm ab inobedientiæ vitio purgaret Cyprianum poſt Stephani juſſa cunctantem, imò repugnantem: arma miniſtrabat doctiſſimus Pontifex Innocentius IV. cujus eâ de re perſpicua verba retulimus. Abſit. Neque enim aut negandi ſunt, aut ad exemplum trahendi extraordinarii caſus, in quos incidere Eccleſiam ab alto ſublevandam, atque interim exercendam atque humiliandam, Chriſtus ipſe permittit.

* Concilii Viennenſis.

Supra n. LXXXV.

LXXXVIII.

Ex his potiſſimùm adverſariorum argumentum eliditur.

SANÈ ex antedictis cùm argumenta omnia refelluntur, tùm imprimis illud quod aſſiduè ingerunt, atque omnium validiſſimum arbitrantur. P. Thyrſus Gonzalez aſſiduè in hanc formam intorquet: Romano Pontifici de fide definienti debetur obedientia etiam interior, alioquin nutabit fides: atqui non debetur obedientia falſis: ergò Romanus Pontifex de fide definiens nunquam falſa proponit, ne ſcilicet falſis credere teneamur. Hoc inculcat centies: hoc cæteri omnes urgent acerrimè: hoc paginis omnibus, tanquàm invictiſſimum cauſæ firmamentum præferunt, quod tamen uno verbo Innocenti IV. ſequente Bellarmino, concidit: debetur obedientia, cum hâc exceptione: niſi nempe ejus juſſa contineant hæreſim, concedo: debetur obedientia ſine exceptione; nego.

Gonzal. diſp. II.

Supra n. LXXIX.

Hîc exclamant non agere Innocentium IV. (nam Bellarminum nihil moror) de Pontifice ex Cathedrâ pronuntiante. Sed unde hanc gloſſam de-

Digitized by Google

promunt? Nempè Innocentius negat obedientiam generalibus verbis *prohibenti contra fidem*, imperanti ea quæ *contineant hæreſim*: quæ quid efficiunt, niſi ut Pontifex, ſi hæreſim jubeat, quantùm ex altiore loco judicat, tanto majore veritatis ſtudio refellatur?

Pergit P. Thyrſus: atqui non cadunt exceptiones illæ in Pontificem qui omnes Chriſti fideles obligare intendat. Miram rem! An non enim quiſquis imperat, eos quibus imperat obligare intendit omnes? An ergò ſi Pontifex privatos quoſlibet ad hæreſim cogat, repugnare oportet; Eccleſiam verò totam ſi obligare velit, ea conticeſcet, neque quidquam opis adverſùs iniqua Decreta ſupererit? Quin potiùs expergiſcimini, viri omnium ordinum ſapientiſſimi, & cum Pariſienſibus, imò verò cum tot quos retulimus Pontificibus, Canoniſtis, Doctoribus agnoſcite: iniquum mandatum de hæreſi, quod adverſùs privatos eſt per ſe nullum, tantò magis eſſe nullum, cùm totam Eccleſiam iniquis legibus atque anathematis ligare nititur?

Quid igitur fiet, ſi res ad ea extrema deducitur ut Romanus Pontifex (quod abſit) mandata edat univerſalia, quibus intentato excommunicationis metu, totam in ſua verba adigat Eccleſiam: quid inquam fiet, niſi quod à Cypriano, laudante Auguſtino, Bellarmino etiam excuſante, factum eſt: nempè ut Eccleſiæ univerſæ conſenſus expectetur, cujus conſenſûs expectatio, ſi Cyprianum errantem in re quidem ambiguâ juvit, quantò magis ſublevabit qui vera tuebuntur?

Neque proptereà, quod ſæpè monuimus, pandemus oſtium inobedientibus. Præclarè enim Major noſter: aliud eſt quod fit extraordinariè & *caſualiter*, aliud quod fit regulariter & ordinariè. Neque proptereà Romana interibit fides ſedeſque, cùm ex Canoniſtis, ex Pontificibus, ex ipſo Turre-Crematâ aliiſque Doctoribus, qui ſedi Apoſtolicæ præ cæteris favere ſe volunt, iniqua, & falſidica adverſùs Evangelium fidemque ſententia, ſedi Apoſtolicæ imputanda non ſit, imò nec ſententiæ loco habeatur.

An ergò ſubditi judicem judicabunt ſuum? Aut quis diſceptabit inter Pontificem decernentem & Epiſcopos Fideleſque, ſi fortè caſus incidat, diſſidentes? Quis, inquam, diſceptabit, niſi ipſe ab alto Chriſtus, ipſa traditionis veritas, ipſum, ſi res tanti ſit, tamque ambigua, generale Concilium, ipſa denique Eccleſia, docente Spiritu, certiſſimâ veritatis luce colluſtrata? Hæc qui Eccleſiæ Catholicæ defutura credit, non ſatis agnoſcit quid ſit illud: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam.*

LXXXIX.

Hæc in opinione, non in fide eſſe poſita controverſiarum Doctores profitentur: ac primùm Cardinalis Perronius.

Vid. in append. lib. III. cap. XII.

QUÆ cùm ita ſint, jam ſatis perſpicuum eſt hanc quæſtionem, in quâ religionis ſummam collocatam volunt, ad pauca ac minuta, imò etiam nulla eſſe deductam. Quo etiam factum eſt, ut viri maximi, qui fidei controverſias optimè tradiderunt, perſpicuis vocibus totum illud judicarint in

Digitized by Google

opinione non in fide eſſe poſitum. Notum illud doctiſſimi Cardinalis Perronii in epiſtolâ ad Caſaubonum Apologiæ * præfixâ: *Eccleſiam Romanam radicem Epiſcopalis unitatis & Eccleſiaſticæ communionis eſſe, eique ab omni antiquitate delatum eſſe Primatum & præfecturam earum rerum, quæ ad religionem & Eccleſiam pertinerent*, IDQUE UNUM ESSE QUOD ECCLESIA POSTULET *ab iis qui ejus communionem amplectantur: quâ teſſerâ ſecernat ſocietatem ſuam à Græcis eorumque aſſeclis, qui ſe à viſibili ac miniſteriali Eccleſiæ capite ab aliquot ſæculis ſegregarunt.*

* Ad Angliæ Regem. Perronii Repl. in ep. ad Caſaub.

Ex his doctiſſimi Cardinalis verbis diſcimus: id quidem ab omnibus agnoſci oportere, quo Eccleſia ab hæreticis ſecernatur: non autem id quo ſcholæ Doctores à ſe mutuo differant; atque id vir maximus luculentiùs poſteà exponit his verbis: *Quæſtio de autoritate Papæ inter Catholicos agitata, ſive in ſpiritualibus reſpectu Conciliorum œcumenicorum, ſive in temporalibus reſpectu juriſdictionum ſæcularium, quatenus ſaluti animarum obſunt, non eſt quæſtio ejuſmodi, quæ res complectatur ab alterutrâ parte inter articulos fidei recenſitas, aut ab eis exigantur qui ad Eccleſiam redeunt, ita ut alii alios pro hæreticis habeant, aut à ſe mutuò quoad communionis vinculum ſeparentur. Quare ea omnia communioni Eccleſiaſticæ ſarciendæ impedimento eſſe non poſſunt, cùm ejus conditionis ſint, ut quamcumque partem Rex Sereniſſimus amplectatur, haud eò ſeciùs ab utrâque parte jus & nomen Catholici obtineat.* En quibus conditionibus tantus Cardinalis, nemine diſcrepante, maximo Regi Jacobo I. velut Eccleſiæ univerſæ nomine, jus Eccleſiaſticæ pacis & communionis offert. Ergò erroris, ſchiſmatis, atque omninò anathematis & excommunicationis metus, quocumque pretextu procul abeſt ab iis opinionibus; reique ſunt Eccleſiæ violatæ pacis, qui eas ſub excommunicationis metu prohibendas putant.

Repl. in lib. IV. p. 745.

X C.

Walemburgii fratres in Germaniâ Epiſcopi celebres atque ab iis citati Scriptores clariſſimi.

NOSTRA ætate recentiſſimè in Germaniâ floruerunt par eruditum fratrum Adrianus & Petrus Walemburgii, alter Adriano-Politanus, alter Myſienſis Epiſcopus, Coloniæ-Agrippinæ Suffraganei. (*f*) Horum extant de rebus controverſis egregiæ tractationes duobus tomis comprehenſæ, ac doctorum omnium calculo comprobatæ. Sic autem hunc locum tractant adverſùs Hermannum Conrigium *, ut de fide habeant id tantùm, in quod Catholici omnes Scholaque tota conſentiat, nempè iſtud: *Quidquid univerſa profitetur Eccleſia, quidquid in Concilio generali, cui præeſt ſummus Pontifex, credendum proponitur, eſt divinitùs revelatum.* Ac poſteà: *Si variæ ſunt ſententiæ circa infallibilitatem Concilii ſine Pontifice Romano, non poteſt ea res ad fidem Catholicam pertinere.* Variare autem ſententias inter Catho-

* Inter Proteſtantes Canoniſtam doctiſſimum, qui juris Profeſſor fuit in Academiâ Helmeſtadienſi.

Walemb. Tom. II. tract. III. de Eccleſ. part. III. n. 6. p. 134.

(*f*) *Coloniæ-Agrippinæ ſuffraganei.*] Nam poſt Adriani mortem, Petrus qui eodem munere fungebatur apud Trevirenſem Electorem, ad Electorem tranſiit Colonienſem.

Ibid.n.10. p. 135. Vid. Carr. cont. gen. fid. part.II. cap. II. p. 146. Ibid.

licos oſtendunt, ac teſtes adhibent primùm Raymundum Carron, qui quidem, *quia ex Catholicis plurimi docent infallibilitatem Pontificis non eſſe fidei, niſi cum Concilio generali definiat, admonitos vult Catholicos ne quæſtionem hanc* (utpotè adiaphoram, nec pertinentem ad fidei controverſias) *cum hæreticis ingrediantur*, quod alii quoque paſſim inculcent. Addit, quod notari volumus: *Quid enim ſit ex Cathedrâ definire nec inter partes convenit, alii volunt eſſe cum Concilio Romano definire, alii cum Concilio generali, & ita intelligit Cyprianus de unitate Eccleſiæ & Epiſt.* 40. Vides quem Patronum Pariſienſium ſententiæ dederit.

Idem Raymundus poſteà producitur in medium, docens definitiones adverſùs Pelagium ideò obtinuiſſe autoritate ſummâ, quòd *totâ Eccleſiâ acceptæ ſint*; quâ etiam in re Innocentii X. & Alexandri VII. de Janſenianâ re Decreta obtinuerint: cæterum *ſi Pontifex ſolus aliquam propoſitionem vel doctrinam prohiberet, ſchiſmaticum eſſe qui prohibitioni reſiſteret, niſi evidenter de errore conſtaret*: quo certum relinquit, Pontificem *etiam ut Pontificem* ſuoque jure prohibentem aliquem articulum, errore manifeſto labi potuiſſe.

XCI.

Iidem fratres quomodo Bellarminum à Gretſero explicatum prodant.

* Ex Dominicanor. familiâ. ** Jeſuitam doctiſſimum. *** Aut Whitakero Anglo & Proteſtanti, qui Theologiæ fuit Profeſſ. celeberrimus in Univerſitate Cantabrigienſi. Ibid.n.11. 12.

SECUNDO & tertio loco docti fratres Gravinam * & Marcellium Jeſuitam peculiarem amicum adducunt ſacræ Theologiæ Profeſſores: quarto loco Gretſerum ** egregium Bellarmini defenſorem. Is objicienti Wittakero *** ab eo Cardinale, Adrianum VI. inter eos repoſitum qui *Pontificem etiam ut Pontificem ſine Concilio definientem errare potuiſſe docuerit*: quam tamen ſententiam idem Cardinalis ait *videri erroneam & hæreſi proximam*, ſic reſpondet: *Non dicit Bellarminus hanc ſententiam eſſe hæreticam, aut parùm ab hæreſi diſtare*; SED VIDERI *erroneam & hæreſi proximam*. Diligentiſſimè omninò: ipſum enim *videri* cenſuræ vim infringit, & oſtendit Bellarmini opinionem certè, non tamen firmum fixumque judicium. Hæc Gretſerus & ex eo Walemburgii.

XCII.

Idem Gretſerus aliique ab iiſdem Walemburgiis citati.

Gravin. Cath.præſc. Conting.II. part. Tom. IV. quæſt. II. art. I. p. 69. & Marceil. de inexp. Reg. Chriſt.diſp.

EX eodem Gretſero ¶ pii fratres locum inſignem proferunt, quo docet: *autoritatem illam non errandi eſſe adæquatè in toto illo cœtu conflato ex Papâ & Epiſcopis, quem Concilium nominant.*

His

IV. art. VI. p. 122. Wal. ibid. n. 13. vid. Grets def. Bellar. Tom. II. lib. IV. cap. II. col. 1013.
¶ Ibid. n. 15. Grets. loco cit. colum. 1012.

Digitized by Google

His addunt ſocios Alphonſum à Caſtro, Tannerum, Stapletonum, atque horum omnium teſtimoniis, doctiſſimi fratres Catholicos pronuntiant qui unum illud pro Catholico amplectuntur, quod *univerſa profitetur Eccleſia, quod in Concilio generali, cui præeſt Pontifex, credendum proponitur.* Addunt ingenuè & candidè: *altera autem propoſitio, quidquid Romanus Pontifex ex Cathedrâ definit, illud omninò eſt infallibiliter verum, ad faſtigium fidei Catholicæ ab omnibus & ſingulis neceſſariò tenendæ, non aſſurgit.* Iterùm: *ſententiam de infallibilitate Concilii generalis incœpiſſe cum ipſo Eccleſiæ Chriſtianæ exordio, poſteà dabitur demonſtrandi locus; quandò cœperit ſententia de ſummi Pontificis infallibilitate, hùc non pertinet, quandò ſolum illud ſuſcipimus defendendum quod apud omnes Catholicos in confeſſo & fide Catholicâ certum eſt.* Vides quo diſcrimine habeant doctiſſimi Antiſtites utramque infallibilitatem: primam, Conciliorum ſcilicèt, ab ipſâ Chriſtianitatis origine innatam Eccleſiæ profitentur; alteram aliquandò cœpiſſe non negant; proindeque à fidei Catholicæ certudine excludunt. His finibus comprehendunt id quod eſt Catholicos inter & Hæreticos controverſum; nec licet ad ulteriora urgere Eccleſias perduelles, niſi fortè alia eſt fides quam inter Catholicos tueamur in Scholis, alia quam adverſùs Hæreticos propugnemus, quod à Theologiæ ſimplicitate & candore procul abſit. Ibid. n. 6. vid. quoq. n. 33. pag. 137. Ibid. Ibid. n. 27. pag. 136.

Patiantur ergò nos ſincerè & candidè docere Catholicos juxtà & Hæreticos antiquam & certam Eccleſiæ doctrinam, neque novam fidem condere, aut plus quàm jubeamur, funem intendere. Optamus ſanè ſingulis Romanis Pontificibus, optimis Parentibus, indefectibile veritatis lumen, ac ſi quid piis votis augurari licet, adfuturum ſperamus. Cæterùm haud minùs oportet certa ab incertis, à Divinis dogmatibus humanas opiniones ſecernere: neque Chriſtianos ad plura conſtringere quàm Chriſtus revelaverit, neque quidquam addere ad eam profeſſionem, quam ex communi conſenſione fidelium Pius IV. ediderit, atque ab errore redeuntibus proponi juſſerit.

XCIII.

Innocentii XI. Brevia Apoſtolica duo.

HOC fundamento fretus (quidni enim liceat non nihil de me quoque dicere?) Ego Epiſcoporum minimus, errantium charitate & fratrum Catholicorum ædificatione ductus, exiguum ſanè ac per ſeſe nullum, magni tamen pretii, Epiſcopali ſcilicèt, ac poſteà Apoſtolicâ autoritate fultum, edidi opuſculum *de expoſitione doctrinæ Catholicæ in rebus controverſis:* quo quidem in libello, cùm ad eum locum devenimus, quo de ſede Apoſtolicâ, vera Eccleſiæ fides exponenda eſſet, eam ita exponendam duximus, ut hæc ſtabilirem tantùm: *nempè Eccleſiam unitate niti: tuendæ ac firmandæ unitati Primatum Sancti Petri à Chriſto inſtitutum, ſedemque Apoſtolicam hujus unitatis centrum ac radicem eſſe; ac propterea Petri ſucceſſoribus deberi obedientiam eam quam Concilia & Patres ſemper agnoverint.* Hæc erant quæ certâ fide ex antiquis Decretis & modernorum quoque Controverſiſtarum ſenſibus. Expoſitio Doct. Cath. art. XXI.

Digitized by Google

ſtabilita eſſe vellem ; hoc eſt, ea tantùm in quæ omnes Catholici conſentirent. Quibus ritè explicatis, hoc inſuper addidi : *Quod attinet ad ea de quibus in ſcholis varia ſunt diſcrepanteſque ſententiæ ; etſi hæretici ea Eccleſiæ imputatare ſolent, ut Pontificiæ poteſtati invidiam conflent, nihil attinet hic commemorari, cùm de fide Catholicâ non ſint : ſufficit agnoſcere caput à Deo inſtitutum, ad gregem univerſum in viâ Domini gubernandum.*

Vides quid ſufficere profiterer ad inſtruendos Chriſtianos : ea nempè in
II. Cor. XII. 2. quæ omnes conſentiant : alia de quibus in ſcholis dubitatur, non eſſe neceſſaria, ut veri Chriſtiani Catholicique fiant. Factus ſum inſipiens, (coegit enim veritas cauſæque neceſſitas) qui mea commemorem ; ſed profectò non mea, quæ tot in linguas, etiam in Italicam Romæ quoque verſa typiſque Apoſtolicis excuſa, à tot Romanis Cardinalibus, Præſulibus, Doctoribus approbata, Innocentius XI. nunquàm ſine laude memorandus Pontifex, ſua fecit. Nec pigebit tranſcribere egregium & antiqui ſpiritûs Breve Apoſtolicum in hanc formam : *Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Libellus de Catholicæ fidei expoſitione à fraternitate tuâ compoſitus nobiſque oblatus,* EA DOCTRINA EAQUE METHODO AC PRUDENTIA *ſcriptus eſt, ut perſpicuâ brevitate legentes doceat, & extorquere poſſit etiam ab invitis Catholicæ veritatis confeſſionem. Itaque non ſolùm à nobis commendari, ſed ab omnibus legi atque in pretio haberi meretur. Ex eo ſanè non mediocres in orthodoxæ fidei propagationem, quæ nos præcipuè cura intentos ac ſollicitos habet, utilitates redundaturas, Deo benè juvante, confidimus &c.* Datum 4. Jan. 1679. Non hîc oſtentamus laudes quas in nos indigniſſimos Apoſtolica benignitas contulit ; verba notari volumus, quibus rem ipſam, *doctrinam* ipſam probat, *quæ extorquere poſſit etiam ab invitis Catholicæ veritatis confeſſionem.* Intellexit Sanctus Pontifex quanta vis eſſet Catholicæ fidei, ſi ut nihil demitur, ita nihil additur. Tantum ergò teſtimonium veritatis, libello iterùm edito præfigendum putavi (opera enim Dei ejuſque Pontificum prædicare eſt optimum) monitionemque addidi, in quâ ſic legitur : *Neque miretur quiſpiam tàm facilè approbatam Meldenſis Epiſcopi expoſitionem eam, quæ autoritatem ſedi Apoſtolicæ Divinâ inſtitutione conceſſam iis in rebus collocaret, de quibus ſchola Catholica omnes conſentirent. Nihil enim eget Cathedra Petri concertationibus noſtris ; quodque in eâ Catholici omnes unanimi conſenſione venerantur, planè ſufficit ad eam tuendam poteſtatem quam ſedes Apoſtolica ad ædificationem, non autem ad deſtructionem accepit.* Vides iterùm atque iterùm quid ſufficere docerem, Romano Pontifice præeunte, exiguus Epiſcopus. At hanc monitionem, uti diximus, expoſitioni præfixam, cùm pro debito, eidem verè ſanctiſſimo Innocentio XI. obtuliſſem, hoc reponſum tuli : *Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus libellum de Catholicæ fidei expoſitione quem piâ, eleganti, ſapientique ad hæreticos in viam ſalutis reducendos oratione auctam, reddi nobis curavit fraternitas tua : & quidem libenti animo confirmamus uberes laudes quas tibi de præclaro opere meritò tribuimus, & ſuſceptas ſpes copioſi fructûs exindè in Eccleſiam profecturi &c.* Datum Romæ XII. Julii, an. 1679.

Nihil hîc neceſſe eſt promere quod omnes vident, iterùm ab Innocentio XI. exigui libelli laudatum inſtitutum, comprobatam fidem : certè tacere

non poſſumus pietatem incomparabilem, charitatem, ac prudentiam ſingularem Sancti Pontificis, quòd quantùm in ipſo eſſet, omnes difficultates remotas eſſe vellet, quibus oves perditas laborare atque ex grege ſuo, id eſt Chriſti, aberrare intelligeret.

Nempè cùm alia multa vera & utilia ſummus Pontifex iterùm atque iterùm approbabat, tùm illud imprimis: ſedis Apoſtolicæ majeſtatem in iis rebus eſſe poſitam, de quibus Catholici conſentirent, idque ad ejus ſedis ſanciendam poteſtatem ſufficere teſtatus, ex eâ expoſitione uberes fructus expectabat.

Neque falſus animi eſt. Nam innumerabiles hæretici, non expoſitione noſtrâ, ſed ſancti Pontificis autoritate victi ad unitatem redierunt, & redire porrò pergunt: adeò neceſſarium erat, cum in omnibus articulis, tum in hoc vel maxime quem hæretici omnium invidioſiſſimè proponebant, id clarè edoceri, quod Eccleſia Catholica ut neceſſarium pariter ac ſufficiens poſtularet. Hoc enim facto, Catholicam doctrinam ex omni parte ſplendentem, nullo faſtu turgidam, ubique moderatam, atque inter prærupta & extrema tutò incedentem, agnitam dilexerunt, eique adhæſerunt, magiſque ac magis adhæſuros ſpem haud inanem gerimus.

Jam ſi reſcinderentur ea, & alia requirerentur quàm quæ ſancti Pontifices, & maxime Pius IV. & ipſe Innocentius XI. poſtulavit; quid aliud eveniret, quam ut tot hominum millia deceptos ſe eſſe ab Eccleſiâ Catholicâ quererentur, atque eorum, quod abſit, vacillaret fides, cæterorum verò odia concitarentur ea, quæ cùm nullâ reſponſione leniri poſſe viderentur, infelices animæ perderentur, ſediſque Apoſtolicæ, quam firmam & inconcuſſam ſtare oportet, labaſceret autoritas.

XCIV.

Inquiſitionis Hiſpanicæ Decreta ab eminentiſſimo Cardinale Daguirreo & P. Thyrſo prolata, Cardinalis Perronii autoritate confixa.

JAM ſi mille exiſtant adverſarii, ſi ſchiſmata, ſi hæreſes, ac teterrima quæque obſtrepant, non nobis in ipſâ fidei ac ſanctæ traditionis arce fundatis, ſed ipſis metuimus, qui præpoſteris Decretis Chriſtianam charitatem Eccleſiæque unitatem impunè à ſe violari poſſe putant. Refert Daguirreus Cardinalis, exaggeratione mirâ, Decretum recentiſſimum Inquiſitionis Hiſpanæ adverſus has theſes: primam: *Nec Papam, nec Eccleſiam habere ullam poteſtatem directam aut indirectam in jura temporalia Regum, ut proindè abdicare eos poſſit, aut ſubditos eximere ab obſequio promiſſo*: huic nota inuritur *erroris & ſchiſmatis*. Alteram; *Concilium habere poteſtatem ſuprà Papam certum & indubitatum*: hanc item *erroneam & ſchiſmaticam eſſe*. Tertiam: *Papam in dirimendis fidei quæſtionibus nòn eſſe infallibilem*: hanc *ut minimum* damnant, *ut erroneam & hæreſi proximam*; quæ Bellarmini cenſura fuit. Quæſiverim autem unde has deſumpſerint notas? An ullo ex Concilio? Quo?

Daguir. Diſp. X L. n. 18. 19. 20. p. 544

Digitized by Google

Lateranenſi, Florentino, alio quovis? Id quidem ſi verum eſt, nihil cunctandum erat quominùs diſertè & explicitè ſummâque autoritate declarata revelatio veritatis, ſummum fidei Catholicæ obtineret gradum, contrariaque ſententia non jam *hæreſi proxima*, ſed palàm hæretica diceretur. An aliquod eâ de re extitit decretum Apoſtolicum? Nullum appellant. Quin ipſe Daguirreus, ſi à ſede Apoſtolicâ res examinetur ut oportet, proditurum Decretum, non tamen prodiiſſe dicit, & à *directâ cenſura* temperandum putat, nihil cunctaturus, ſi Apoſtolico decreto deciſa res eſſet. Hiſpani ergò Inquiſitores nullo Decreto authentico freti, ex Bellarmino privato doctore, aliiſque æque privatis, poſtremam propoſitionem: ſecundam autoritate ſuâ, nec autore Bellarmino proferunt: primam de Pontificiâ in Reges poteſtate, ipſo adverſante, ut ipſe quoque Cardinalis Perronius in Bellarminum impensè pronus confitetur. Faceſſant ergò cenſuræ iſtæ: ſcitum illud: cenſuras nullâ autoritate fultas, mera convicia, non cenſuras eſſe.

Vid. Diſp. XXII. n. 2. & XXIV. n. 28.

Verba Perronii exſcribam: *Ipſe Bellarminus monet, id quod de Pontificis in temporalia poteſtate indirectâ docet, non à ſe haberi ut fidei doctrinam, aut ſub pœnâ excommunicationis aut anathematis tenendam.* Bellarmino hujus poteſtatis acerrimo defenſore Hiſpana Inquiſitio immitior, quæ erronei dogmatis, ut illa quidem cenſuit, ac ſchiſmatis reos, nullis non anathematis ac ſuppliciis devoveret. Sic agunt Inquiſitiones Hiſpanæ, queis præditas Gallias pius Cardinalis optat. At noſtri deprecantur. Laudat Cardinalis Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. de ejus conſtitutione * inſignem epiſtolam; at in eâ *ſpondent Epiſcopi* futurum neminem, quem non ad decreti Apoſtolici executionem compellant, *præſertim cùm in Galliis ad Epiſcopos in ſolidum iſthac cura pertineat, ubi nullos hæreticæ pravitatis Inquiſitores conſtitui patitur mos antiquus ex jure communi profectus.* Habeant qui voluerint novos mores atque extraordinaria jura, & inquirendam fidem Epiſcopis demant. Nobis placet mos antiquus, & ut Epiſcopis ſua conſtet autoritas, idque ad ipſos Pontifices liberè profitemur. Facilè caremus iis Tribunalibus, qui & privatorum cenſuras, ut libet in publicam autoritatem trahant, neque vereantur referre ad fidem à Deo revelatam, ut ſuis quoque Regibus majeſtas detrahatur, adimantur obſequia, populi ſubtrahantur; inſuper cùm hæc egerint, infallibilitatis privilegio gaudere ſe fingant.

Du Perron. Repl. lib. I. cap. XCI. p. 545. edit. Ant. Steph. 1622.

Daguirr. Diſput. II. Titul. V. n. 12. p. 9.

* Adverſùs Janſeniſmum.

Rel. Delib. Cler. Gall. &c. p. 37. edit. Vitré. 1661.

Procul hoc à noſtris & Eccleſiæ antiquæ moribus. Et de Regiâ quidem poteſtate viget apud nos antiqua doctrina theologiæ Facultatis totiûſque adeò Eccleſiæ Gallicanæ, quam in Sanctarellum eadem ſacra Facultas anno 1626. innovavit, anno 1663. duce Archiepiſcopo Pariſienſi, ad Regem detulit, recentiſſimè anno 1682. latâ in Malagolam cenſurâ confirmavit; quam ſanè ſententiam ſanctaque decreta eruditiſſimæ Facultatis facilè aſſeremus.

Vid. lib. I. Sect. Iâ. integr. & in app. lib. III. cap. XI.

XCV.

Regum Hiſpaniæ Philippi I. & Caroli V. Auguſti exemplo Hiſpaniæ Inquiſitio retunditur.

JAM ut magis magiſque Inquiſitionem Hiſpanicam retundamus, non piæ antiquitatis, non Eccleſiæ Gallicanæ, ſed ipſa recentiſſima Hiſpanici Regni exempla, Catholicoſque Reges Philippum I. & Carolum V. Auguſtum memorare juvat: & Philippum quidem I. in ſupremo magnoque Belgii comitio *conſidentem, ad tuendas ſuarum Provinciarum libertates, Procuratori ſuo generali ab omnibus bullis, cenſuris, monitorialibus literis, aliiſque Romana curiæ proviſionibus appellanti conſenſiſſe;* eique appellationi edito diplomate *adhæſiſſe* (g) 20. Maii 1497. Quæ ſatis oſtendunt, id quod nunc Inquiſitio Hiſpanica, ut *hæreticum ſchiſmaticumque* damnat, inter Hiſpanos & Belgas Patrum noſtrorum memoriâ commune & pervulgatum fuiſſe.

Anno 1526. Clemens VII. de Carolo Auguſto multa queſtus, quæ ad Italiæ libertatem pertinere arbitrabatur, miſſo etiam Brevi Apoſtolico ſignificavit: niſi ab incœptis deſiſteret, ſe juſta & ſancta arma moturum.

His acceptis literis Carolus ſolenni more rituque Clementi palàm renuntiavit: ſe quidem ea omnia *ad ſacri generalis Concilii totius Chriſtianitatis cognitionem & judicium remittenda cenſere atque omninò ſubjicere:* ſanctiſſimo Patri ſupplicat: *ut dignetur ipſum generale Concilium indicere & convocare in loco tuto & congruo, cum debitâ termini præfixione:* ſubdit: *Nos enim pro his omnibus ad ipſum ſacrum univerſale Concilium per preſentes recurrimus, ac à futuris quibuſcumque gravaminibus eorumve comminationibus provocamus & appellamus, petentes cum eâ quâ decet inſtantiâ, Apoſtolos & literas dimiſſorias:* quæ omnia memoramus, ne quid ab eo prætermiſſum eſſe videatur. Hanc deinde appellationem Nuntio Apoſtolico *penès ſe exiſtenti* ſignificari curavit: neque his contentus, dat ad Cardinales de cogendo Concilio ampliſſimas literas: *ut negante vel differente Pontifice, id ipſi debito ordine procedentes, præſtare non differant;* eas verò literas Cardinalibus in Conſiſtorio agentibus publicè *reddi, præſentari, & conſignari fecit*, ut edito hujus rei inſtrumento conſtat.

Collec. act. cum Princ. Car. Cæſ. Mog. 1627. vid. Sleid. lib. VI. edit. 1656. fol. 71. Polit. Imp. Gold. Tom. I. par. XXII. pag. 985. & ſeq. Ann. Eccl. Spond. an. 1526. n. 4. Vid. Gold. pag. 1010. 1011.

Quæ deinde ſecuta ſunt omnes norunt. Id interim conſtat Carolum V. famæ ſuæ vel maximè conſulentem, non ea editurum aut in acta publica relaturum fuiſſe, quæ Orbi Chriſtiano approbare non poſſet. Quare ex communi Chriſtianorum ſenſu agere ſe intelligebat, nemine improbante: antiqua exempla ſequebatur, quorum omnium obliti Inquiſitores Hiſpani Reges ſuos, eiſque adhærentes tot inclytas Provincias, imò tot Regna & Im-

(g) *Eique appellationi edito diplomate adhæſiſſe*] Hanc appellationem fecit Philippi I. Brabantiæ Archi ducis Procurator generalis, ut *abuſus* eos intercluderet, qui multi erant & graves, cùm in collatione Beneficiorum Pontificiæ bullæ veniebant exſequendæ. Vide ipſa verba quibus Philippus Procuratoris ſui appellationem ratam vult eſſe in libro cui titulus eſt: Ordonantien, Statuten &c. Antuerp. ap. Hendrik Aertſen. 1672.

peria erroris ſchiſmatiſque damnant; neque extra ſcholæ, aut ævi ſui limites, oculos attollere audent.

Atque hæc non eâ ratione in medium adducimus, quòd neceſſe nobis ſit de hujuſmodi appellationibus dicere ſententiam, quarum hiſtoriam & cauſas alibi referemus; ſed ut adversùs innocuam de Conciliorum ſuperiori poteſtate doctrinam, Regum quoque Hiſpanicorum exemplo, Inquiſitionis Hiſpanæ præceps cenſura evaneſcat.

Quin ipſa Lovanienſis Facultas illam impunè contemnit, ac recentiſſimè de eâ propoſitione: *Concilium eſt ſuprà Papam*, ſic cenſuit: *Non videtur cenſurâ ſaltem gravi digna, eò quòd diverſi Catholici eam doceant.* Quam quidem cenſuram eruditiſſimæ Facultatis ſuo loco integram proferemus: nunc ſufficiat nobis ex illâ docuiſſe: Pariſienſium doctrinam ab optimis fidei Catholicæ adversùs hæreticos defenſoribus, haud immeritò collocatam inter eas quæ in opinione, non autem in fide ſint, atque adeò innocuè & liberè aſſeri poſſint, quod unum nunc agimus.

XCVI.

Summa argumenti: de Orientali Eccleſiâ & Concilio Florentino pauca.

JAM argumenti hujus hæc ſumma ſit. Non ſuſcipit Eccleſia hæreticos, niſi fide rectâ ſanâque: ſuſcipit autem nihil profeſſos de iis quæ quærimus, imò etiam diſſentientes, cùm id ad fidem, quæ omnes obliget, non pertinere conſtet: ergò hæc omnia nihil ad fidem attinent. Iterùm alio modo perbrevi: cenſores noſtri non ſe doctiores haberi volunt Perronio Cardinale: quid ergò agerent? An exciperent Anglos eâ lege quam eorum Regi omnibuſque hæreticis tantus Cardinalis obtulit? Dicant ut voluerint: ſi ſuſcepturos negant; immites & iniqui: ſi fatentur: hæc ergò, velint nolint, ad fidem non pertinent.

Rursùs: Germaniæ Proteſtantes accedunt rogantque: an nos ſuſcipitis eâ lege quam poſt tantum Cardinalem, tot egregiis ſuccincti teſtibus Walemburgii noſtri dixêre? Si negatis; pii doctique Antiſtites cum totâ teſtium turbâ nobis illuſerunt: ſi admittitis; hæc igitur quæ fidei Catholicæ addita vultis omittite.

Tertiò: nos exigui & humiles ſciſcitamur an probetis admittendos, vel ſignatis admiſſos Proteſtantes Gallos, eo modo quem Innocentius XI. comprobavit: nempè ut ea credant de ſummo Romano Primatu in quæ Catholici conſentiunt, omittant cætera; immiſericordes, impii, pacis inimici, erga tantum Pontificem contumelioſi ſint, qui tam æqua, tam ſancta pacta diſſolvant.

Conc. Baſ. Seſ. XXIV. n. 11. Tom. XII. pag. 567. vid. — Denique Græci totaque Orientalis Eccleſia hâc lege pacem orant: *Non poſſe unionem fieri niſi in ſynodo univerſali, in quâ Occidentalis Orientaliſque*

Orat. Dog. Beſſ. Seſſ. XXV. Con. Flor. cap. 1. Tom. XIII. pag. 494. & ſeq.

Eccleſia conveniant : Eccleſiam in unum congregatam de rebus dubiis judicare : communi conſenſu ſententiam ferre : communiter hac agi, & qua communia ſunt communi conſenſu terminari : plurimorum ſententiam prævalere : ſanctam Eccleſiam in ſacris dogmatibus nullo modo poſſe errare, communi quidem ac ſynodicâ conſideratione utentem. Neque hæc fingimus, ſed in ipſo Concilio Florentino verè geſta atque à Græcis unanimi conſenſu propoſita referimus. Quid ergò agetis? An pacifica poſtulata repelletis? Adeòque in unum Papam vim ſummam conferetis, ut Patrum ſententiam pro arbitrio probare aut improbare poſſit? Eugenio IV. obſiſtetis, cui Græcorum poſtulata tàm æqua, tàm proba viſa ſunt, ut ad eos talia ipſe loqueretur : *Conveniamus ſimul fiatque Synodus : conficiat ſacrum Sacerdos : jusjurandum demus Latini pariter & Græci : proferatur liberè veritas per ſacramentum, & quod pluribus videbitur, hoc amplectamur & nos & vos.* Conc. Flor. Seſſ. XXV. pag. 387.

Id, inquies, fecit Eugenius, quia voluit, nullâ neceſſitate. Reſpondemus: imò fecit quia Græci tanquàm neceſſarium poſtulabant, ut vidimus.

Eâ ratione victi forſitan reſpondebunt valere iſta quidem, ſed ubi collecta eſt Synodus generalis. Inſtamus: ergò, jam collectâ Synodo, Papam ipſum in Synodi poteſtate eſſe recognoſcent, & præcipuâ ſuæ opinionis parte decedent: tùm; ſatis demonſtravimus, communi Græcorum Latinorumque ſententiâ haud minùs valere diffuſæ Eccleſiæ, quàm adunatæ autoritatem. Denique an urgebunt tanquàm fide Catholicâ certum, ut Pontificia decreta ſola per ſeſe, nullâ conſenſionis neceſſitate valeant? Atqui hoc eſt ipſiſſimum de quo inter Catholicos controvertitur: quod proindè Perronio aliiſque teſtibus, *ad eam fidem quæ ab omnibus exigatur non valeat aſſurgere.* Id Perronius aliique & ipſe Innocentius XI. poſt Florentina, poſt Lateranenſia, poſt Tridentina decreta comprobarunt. Ab his ergò Decretis Pariſienſium ſententia integra intactaque eſt. Quamobrem jacent omninò adversùs illam ſententiam privatorum novitiæ cenſuræ, nullo authentico Decreto fultæ, & confidenter dicimus, eâ profeſſione venientes, non niſi iniquiſſimè repelli poſſe à Catholicis quibuſcumque & cujuſcumque gentis. Suprà n. XCII. vid. Walemb. & Grets. locis cit.

XCVII.

Adverſariorum ultima reſponſio : ex hàc argumentum & concluſio operis.

VIDEO tamen cenſores noſtros id ſuffugium ultimum quæſituros; nempè à Perronio, & ab aliis haud immeritò prætermiſſa ea quæ ipſi poſtulant, quòd fide licèt vera ſint, nondùm tamen Eccleſiaſticâ definitione ſatis declarata eſſe conſtiterit. Agant ut volunt; at in majores turbas ſe ipſi conjiciunt. Quid enim vetuit, ſi tàm clara res eſt, ſi tàm apertè revelata quàm volunt, quid inquam, vetuit, quò minùs in certos articulos Catholicâ definitione referrentur? Aut quid Eccleſiæ proderit illa in quâ ſummam fidei collocant Pontificis ex cathedrâ definientis dubia, nec dùm à totâ Eccleſiâ aſſerta autoritas? Certè in Eccleſiæ Catholicæ ſeptimo decimo ſæculo vivimus,

Digitized by Google

nec dùm de illâ infallibilitate inter orthodoxos pioſque conſtitit: atque ut Conſtantienſem ac Baſileenſem Synodos omittamus, viri ſancti doctique ei reſtiterunt. Et quidem adversùs illos privati multi multa inclamarunt & incautas cenſuras profuderunt, Eccleſia Catholica ac Roma ipſa nihil egit, quo noſtri vel leviter notarentur; trecentique anni ſunt, ex quo de illâ controverſiâ innoxiè diſputatur. An Eccleſia ut tuta tranquillaque eſſet noſtram ætatem, ac propè jam elapſum ſeptimum decimum ſæculum expectabat? Ergò neceſſe eſt ut piorum animorum quietem tutiſſimam in ipſo Eccleſiæ Catholicæ conſenſu collocemus. Neque enim fieri poteſt ut in Romani Pontificis dubiâ infallibilitate penitùs acquieſcant. Neque in eâ acquievit qui eam pro viribus aſſeruit Duvallius; ſed eò quòd Pontificia infallibilitas de fide non ſit, eam ob rem ultimam fidei certitudinem in Eccleſiæ acceptatione conſtituit. Quin dubia illa infallibilitas, nec infallibilitas quidem eſt à Chriſto conceſſa, qui, ſi eam conceſſiſſet, Eccleſiæ quoque ſuæ jam indè ab initio revelaturus eſſet, ne in dubio relicta, nec ſatis revelata, nec perſpicuâ traditione fundata, eſſet inutilis.

Quid igitur, amabo, ad non neceſſaria, nec unquàm perſpicuè, quod & ipſi teſtantur, definita, tantis clamoribus miniſque nos adigunt; ac modeſtè recuſantes, neque quemquam condemnantes, majorumque ſcita innoxiè ſecutos diris devovent, & inſuper, ſi Deo placet, *aulicos* vocant, *apud quos omnia per adulationem ac metum peragantur?* Quaſi non liceat nobis adulationes alias, ſpes alias, metuſque alios, denique auliciſmos memorare; ſed hæc procul à nobis ſint. Omnia enim ab omnibus optimo animo geſta eſſe confidimus, gratulamurque Eccleſiæ, quòd per occaſionem diffidii noſtri, viros præcellentiſſimos in altiſſimâ ſanctæ civitatis parte (*b*) collocavit, ut toti præluceant; ſatiſque magnos & illuſtres putamus, quibus ingenuè & candidè veritatem tueri liceat. Hæc ergò omnia inter nos pacificè & Chriſtianè Epiſcopali charitate tranſigantur, certemuſque tantùm utri validioribus, purioribus, lucidioribus argumentis Romani Primatûs ac ſedis Apoſtolicæ autoritatem majeſtatemque vindicent.

(*b*) *In altiſſimâ ... parte &c.*] Jam dictum eſt Daguirreum & Sfondrarum, editis ſuis adversùs Declarationem libris, purpuram Romanam adeptos fuiſſe. Adi noſt. præfat.

DEFENSIO

DEFENSIO DECLARATIONIS
CLERI GALLICANI
DE
ECCLESIASTICA POTESTATE.

PARS PRIMA,

Quâ de Imperii in temporalibus ſupremâ poteſtate differitur.

LIBER PRIMUS.
SECTIO PRIMA.

Ex ſtatu quæſtionis, reique novitate, deponendorum Regum directa & indirecta poteſtas confutatur ad caput primum Gallicanæ Declarationis.

CAPUT PRIMUM.

Refertur caput I. Gallicanæ Declarationis.

PRIMUM: Beato PETRO ejuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicariis, ipſique Eccleſiæ, rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum: *Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; ac proinde ſtare Apoſtolicum illud: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim*

Joan. xviij. 36. Luc xx. 25. Rom. xiij. 1. & 2.

poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Reges ergò & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque autoritate clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omni modo retinendam.

CAPUT II.

Contrarium articulum ponunt adverſarii. Status quæſtionis: ex hoc intolerabilia incommoda; neque magis tolerabilior indirecta quàm directa poteſtas, cùm ſolis verbis differant: huic primo capiti Declarationis Gallicanæ, contrariam declarationem totidem verbis opponit Autor anonymus doctrinæ Lovanienſium, quem alii adverſarii ſequuntur, & indirectam poteſtatem aſſerunt: quæ ſententia quàm falſa ſit, ſtatim intelliget, qui vel ſtatum quæſtionis adverterit.

SCIENDUM ergò primum eſt extitiſſe quoſdam qui docerent Romanum Pontificem Chriſti Regis vicarium, directè, & jure divino Regem Regum eſſe, ac totius orbis Dominum. Quare exortâ Pontificiâ dignitate, ſtatim regna atque Imperia omnia in ejus Imperium conceſſiſſe, Reges omnes nonniſi Papæ vicarios eſſe; gladium temporalis æquè ac ſpiritualis poteſtatis propriè ejus eſſe, vicariâ licèt manu exerendum, atque ita in Pontificem omne tranſlatum eſſe dominium, ut Principes etiam infideles deturbare ſolio, eorumque regna, jure ſuo donare poſſit quibuſcumque voluerit fidelium.

Bellar. de Rom. Pont. lib. v. cap. i. Hanc ſententiam iiſdem ferè verbis refert Bellarminus, quod quidem à Nicolao Dubois obſervari velim. Fingit enim ſe incidiſſe in quemdam, qui iſtâ contenderet ſedi Apoſtolicæ tribui à nonnullis, ſeque continuò exarſiſſe: *Quis*, enim inquit, *Catholicus ſcriptor iſta ſancta ſedi aſſeruit? nomina unum, ſtringam calamum.* Qui profectò ſi vel Bellarminum legiſſet, nominatos ab eo inveniſſet, non unum, ſed multos in quos calamum ſtringeret, ac ſi piguiſſet legere Bellarminum, vel ſaltem legeret à ſe laudatum *illuſtriſſimi D. Nicolai Cevoli ex Marchionibus de Sarreto antigraphum*, in quo inveniſſet malè à Bellarmino eſſe dictum: *Pontificem ut Pontificem non habere directè & immediatè ullam temporalem poteſtatem, ſed tantùm indirectè*: imò *eſſe penitùs de fide tenendum ſummum Pontificem Romanum jure divino habere pleniſſimam poteſtatem in univerſum orbem terrarum, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in Politicis, & temporalibus; & ſic poſſe directè, ut Pontificem, quibuſcumque Principibus imperare.* Sic directam poteſtatem non tantùm aſſerit, ſed etiam *de fide tenendam* eſſe dicit. Neque tamen miror D. Dubois ejus ſententiæ abſurditate commotum facilè adductum eſſe ut crederet, ne unum quidem autorem eſſe potuiſſe qui talia tueretur.

Conſult. Theol. Jurid. iv. p. 23.

Antigr. p. 11.

Digitized by Google

Ac reverà certum eſt à Bellarmino & aliis eam ſententiam non modò rejectam fuiſſe, ſed etiam validiſſimè confutatam. Non enim Chriſtus aut hæreditario jure, aut datâ à Deo poteſtate, aut alio ullo modo Rex temporalis fuit, qui Regiam poteſtatem ad vicarios ſuos tranſmitteret. Quo admiſſo ſequeretur id, quod eſt abſurdiſſimum, Papam in orbe terrarum ipſo jure divino ſolum eſſe Regem, ac ſupremum Dominum temporalem, Epiſcopos etiam ubique terrarum ſuarum civitatum eſſe Dominos, Pontifici quidem ſubditos, ſed omnibus aliis imperantes, ac Reges, non jam Reges, ſed Romani Pontificis eſſe vicarios: quæ portenta doctrinæ in hominum animos incidiſſe, planè obſtupeſcimus.

Hanc ergò ſententiam de directâ Romani Pontificis in temporalia poteſtate Bellarminus, aliique paſſim rejiciunt: interim indirectæ poteſtatis nomine, ea in Romanum Pontificem conſerunt, quæ non minorem ipſi poteſtatem attribuant. Sic enim ipſe Bellarminus ac Lovanienſes ab Anonymo relati, aliique adverſarii de poteſtate indirectâ ſtatuunt.

Primùm: temporalia omnia ad ſpiritualia referri, ut ad finem, iiſque per ſeſe ſubordinata eſſe; tum: ita *ſubordinari facultates, ut ſubordinantur fines*; atque ideò qui fini præſit, eum etiam præeſſe mediis, adeòque poſſe & imperare omnia, quæ fini adipiſcendo neceſſaria videantur, & ea amovere quæ impedimento ſint: *Quare omnem ſæcularem poteſtatem eatenus in temporalibus eſſe Papæ ſubjectam, quatenus abuſio, aut negligentia Chriſtianorum Regum circa temporalia nata ſunt impedire finem ſpiritualem, in quem Papa habet univerſam Eccleſiam dirigere.* Quam Papæ poteſtatem ideò indirectam vocant, quòd non ſe extendat directè ad temporalia, ſed indirectè, quatenus ex temporalibus ſpiritualia promoventur vel impediuntur. (Bell. loc. cit. cap. vij. Doct. Lov. art. iij. pag. 82. — Bell. ibid.)

Hæc autem valere volunt, *quando utraque poteſtas Civilis, ac Spiritualis pars eſt ejuſdem Reipublicæ Chriſtianæ*; tunc enim ſpiritualem poteſtatem præeſſe civili ut *ſpiritum carni*. Quibus poſitis hæc docent conſequi: Reges ac Principes Chriſtianos poſſe ab Eccleſiaſticâ poteſtate, maximè à Pontificiâ, in quâ eſt apex hujus poteſtatis, privari Regno ac deponi, non modò propter hæreſim & apoſtaſiam à fide, verùm etiam quocumque ſcelere Eccleſiæ ac ſaluti animarum noceant. (ibid. cap. vj. vij.)

Quod alio quoque modò efficere ſe poſſe putant: quippe quòd Eccleſia excommunicare poſſit & anathematizare propter quodlibet ſcelus, omnem Chriſtianum incorrigibilem; quo jure comprehendi etiam Reges: *Eamdem enim eſſe juſtitiæ formulam, ſecundùm Evangelium, quâ Rex & miles cenſentur.* Factâ autem excommunicatione, ipſo ejus effectu omnes Chriſtianos Principes, omni poteſtate exutos eſſe, cum quibus videlicet nec liceat colloqui, neque quidquam habere commune. Quod quidem argumentum maximè urget D. Nicolaus Dubois; autor etiam Anonymus doctrinæ Lovanienſium laudat Lupum dicentem: *Septimi Gregorii tempore viguiſſe regulam, quâ Regem anno integro in Papali excommunicatione ſordeſcentem exuebat omni jure regni.* Quare ex eorum ſententiâ Reges non modò hæreſis, ſed etiam cujuſcumque ſceleris causâ deponi poſſe conſtat. (Doct. Lovan p. 82. Conſultat. iv. & viij. p. 28. 41. & ſeq.)

Hinc nempe factum eſt, ut Gregorius VII. (quo autore iſta omnia, nullo anteà exemplo, prodierunt) mulctaret Imperio Henricum & Rodulphum (Greg. VII. lib. iv. c. iij. xxiij. xxiv.)

Digitized by Google

de Imperio contendentes, ſi ſuum judicium detrectarent, ſuiſque Legatis viam intercluderent; [Id. ibid. lib. vij. ep. xxxv.] Philippo verò I. Francorum Regi depoſitionis pœnam intentaret, non modò Simoniæ cauſâ, quæ pro hæreſi in jure habetur, ſed etiam propter adulteria, & rapinas; [Id. ibid. lib. ij. epiſt. v. & xviij.] maximè verò quòd *mercatoribus infinitam pecuniam abſtulerit*; neque his contentus docuit (quàm juſtè alibi videbimus) autore Gregorio Magno, [Id. ibid. lib. iv. epiſt. ij. & xxiv. & lib. viij. ep. ij.] Reges ipſos dignitate cadere, qui vel *unius Xenodochii* privilegium violaſſent; quem locum ſancti Gregorii Magni omnes adverſarii pro Achille habent; adeò nullum flagitium eſſe putant propter quod poteſtas Regia depoſitioni non ſit obnoxia.

[Id. libr. viij. ep. xxj.] Quin etiam, quod majus eſt, aſſerunt Reges Chriſtianos, nullo commiſſo ſcelere propter quod excommunicentur, à Papâ deponi poſſe, [Bell. lib. v. de R. P. cap. vj. Doctr. Lovan. art. iij. & alii paſſ.] ſi ſaluti animarum & Eccleſiæ utilitati conducere videatur: Pontificem enim poſſe omnia quæ in eum finem conferant; laudantque Gregorium VII. dicentem à Zachariâ deponi potuiſſe Regem Francorum, Childericum ſcilicèt, *non tam pro ſuis inquitatibus, quàm pro eo quod tantæ poteſtati non erat utilis*; & Gloſſa [Cauſ. xv. q. vj. cap. iij.] quidem in Caput: *Alius* ex hoc Gregorii VII. loco depromptum ad verbum *inutilis*, ineptè & imperitè dixit: *Non intelligas* Inutilis, *id eſt inſufficiens, tunc enim debuiſſet ei dari coadjutor, ſed diſſolutus erat cum mulieribus & effeminatus.* Non tamen id Hiſtorici produnt: nullius enim ſceleris accuſatus, nedum convictus fuit; eratque *inutilis*, non tam ſocordiâ ſuâ aut culpâ, quàm quòd Majores-domus, ac Pipinus Regiam poteſtatem occupâſſent; neque ſaltem eſt admonitus, ut à ſocordiâ reſipiſceret, viginti circiter annorum adoleſcens, ſed ſtatim poteſtate exutus, detruſuſque eſt in Monaſterium, quod Pontifici licuiſſe Bellarminus & alii tradunt.

Item Irenen Auguſtam, fide præcellentem, quippe quæ Oriente toto inveteratam Iconoclaſtarum hæreſim contrivisset; omnibuſque modis faveret Eccleſiæ, neque excommunicatam, neque ullius ſceleris poſtulatam, aiunt tamen à Leone III. eo tantùm nomine Occidentis Imperio eſſe mulctatam, quòd id Eccleſiæ neceſſitas poſtularet; eâ enim cauſâ juſtè ademptum ei eſſe, atque in Carolum Magnum tranſlatum Imperium Bellarminus docet.

Neque enim tantùm privari indignos, aut ad Eccleſiaſticam utilitatem minùs idoneos Principes autoritate Pontificiâ; ſed alios etiam ſubſtitui poſſe [Bellar. de R. P. lib. v. cap. vj. viij. id. de tranſl. Imp. lib. j. cap. xij.] contendunt, quo jure à Zachariâ Pipinum Childerico, à Leone III. Irenæ Carolum eſſe ſubſtitutos volunt: omninò enim *Rempublicam ſpiritualem poſſe imperare temporali Reipublicæ ſibi ſubjectæ, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere Principes, atque alios inſtituere, quandò aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.*

[Bell. ibid. cap. xiij.] Et quanquam Bellarminus videtur id juris tribuere Eccleſiaſticæ poteſtati in Chriſtianos tantùm Principes, qui ſuſcepto baptiſmo Eccleſiæ ſint ſubjecti; tamen dogmatum conſecutio poſtulabat ut Eccleſia fini ſpirituali intenta, etiam infideles ac Paganos Principes ei fini adverſantes pari jure amoveret. [1. Cor. v. 12. 13.] Etſi enim Eccleſia, teſte Apoſtolo, in eos qui extra ſunt nullo jure pollet; tamen Bellarmini decreta poſtulabant, ne Eccleſiæ negaretur poteſtas tuendi ſuos, eoſque ab Infidelium jugo liberandi. Quare apertè aſſerit: [Bell. ibid.] *Non licere Chriſtianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſim aut infidelitatem*; atque addit: *Quod*

ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, & Diocletianum & Julianum Apoſtatam ac Valentem Arianum & ſimiles, id fuit, quia deerant vires temporales Chriſtianis, ut Martyrum illa invicta conſtantia totieſque laudata à priſcis Chriſtianis, illa in Imperatores etiam perſecutores inconcuſſa fides, non jam obedientiæ, ſed imbecillitati deputetur.

Et quidem Bellarminus ita ſententiam temperavit ſuam, ut nolit infideles deponi poſſe, niſi populum conentur avertere à fide, quam conditionem addi à ſe profitetur, *propter eos Principes infideles qui dominium habuerunt ſupra populum, antequàm converterentur ad fidem.* At alii contendunt eos æquè privari poſſe, etiamſi non conentur fideles à fide avertere, propterea quòd ſatis exemplo noceant. Ibid.

Imò Adrianus IV. datis ad Henricum II. Angliæ Regem literis Apoſtolicis, nullâ perſecutionis, aut cujuſcumque conatûs ad fidem evertendam factâ mentione, generatim hoc edixit: *Sanè omnes inſulas, quibus ſol juſtitiæ Chriſtus illuxit, & quæ documenta fidei Chriſtianæ ſuſceperunt, ad jus Sancti Petri & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (quod tua etiam nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere.* Quo jure Henrico Regi, *ſalvâ Beato Petro de ſingulis domibus unius denarii annuâ penſione*, concedit inſulam Hiberniam, quam idem Rex, *ad ſubdendum populum legibus Chriſtianis, & vitiorum inde plantaria extirpanda, intrare ſe velle* ſignificaverat. Adr. IV. ep. 1. Tom. Conc. x. p. 1143. Matt. Par. in Henr. II. an. 1156.

Ratio non ſinit ut Inſulæ alio jure, quàm cætera Regna, ac Provinciæ habeantur. Quare Nicolaus V. Caliſtus III. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Regibus Chriſtianis ea quæ poſtulaverant, infidelium Principum Regna, concedunt; quæ quidem non alio jure valere poſſint, quàm quod temporalia ſpiritualibus ſerviant. OdorRain. an. 1484. n. 82. anno 1493. n. 18. 19.

Quæ cùm ita ſint, non video cur tantoperè abhorreant à directâ poteſtate Pontifici tribuendâ. Indirectæ enim poteſtatis nomine idem juris continetur, ut nempè Pontifices de omnibus Regnis, ſive Chriſtianorum, ſive Infidelium ſuo jure decernant; cùm è re Eccleſiæ eſſe judicaverint.

Quin etiam indirectæ poteſtatis jure, id poſſe contendunt, non tantùm ut læſam fidem Catholicam, ac læſa juramenta, ſed etiam quæcumque ſint publicè commiſſa peccata ad ſuam cognitionem revocent, ac Principes, eâ cauſâ ſuis decretis parere recuſantes, ut inobedientiæ, atque adeò idololatriæ reos amoveant. Quo loco illud Samuelis commemorant dictum: *Quaſi enim peccatum hariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Atque ex eo Samuelis dicto Gregorius VII. Regibus ſibi repugnantibus paſſim non tantùm anathematis, ſed etiam depoſitionis pœnam intentat; ut profectò neceſſe ſit, etiam avaritiæ cauſâ deponi poſſe eos; cùm, teſte Apoſtolo, avaritia ſit *Idolorum ſervitus*. 1. Reg. xv. 23. Gregor. VII. lib. iv. epiſt. xxiij. xxiv. Epheſ. v. 5.

Hoc jure Pontifices de bello etiam, de pace, de tributis, de adminiſtrandâ juſtitiâ, denique de omni regimine, ſupremo judicio, ſub depoſitionis pœnâ judicare poſſent, cùm in omni ejuſmodi regiminis parte, officium ſuum Principes non ſine peccato eoque graviſſimo prætermittant.

Quin etiam Bellarminus docet, *Papam poſſe condere legem civilem, ſi ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere; & abrogare, ſi alia ſit noxia ſaluti animarum, & tamen Reges non velint eam abrogare.* Bellar. de R. P. lib. v. cap. vj.

Digitized by Google

Ibid. cap. vj. vij.

Quid autem conveniat ſaluti animarum, in poteſtatis Eccleſiaſticæ judicio eſt poſitum, cùm de fine cui præeſt, una judicare poſſit, eaque ſit ſubordinatio ſpiritualis ac civilis poteſtatis, ut illa imperare, hæc obſequi debeat: quæ profectò vel nulla ſunt, ac tollenda omninò eſt illa, quam urgent indirecta poteſtas, vel omninò fatendum Reges ſolo nomine ſupremos eſſe, atque omnia in Pontificum poteſtate eſſe, neque minùs Reges quàm Epiſcopos eſſe hujus potentiæ ſubordinatos.

Turrecr. Summ. de Eccl. lib. ij. cap. cxiij. p. 265.

Ait quidem Turrecremata id eſſe diſcriminis, *quòd Papa poſſit deponere Principem laicum, & Prælatum Eccleſiaſticum, non tamen æqualiter, quia Principem laicum non poſſit deponere ſine juſtâ causâ, & rationabili, alioquin privando nihil agit..... ſed in Prælatis Eccleſiæ ſecus eſt; quia non ſunt Domini, ſed procuratores, & ſuperior adminiſtrator poteſt inſtituere & deſtituere inferiores adminiſtratores, & tenet quidquid facit.... licèt ipſe peccet.* Quæ ut imperitè ac falsò de Epiſcopis, ita inutiliter decernit de Regibus, cùm cauſæ æquitas in Pontificis judicio ſit poſita, certumque remaneat ex illâ doctrinâ deponi poſſe Reges, quoties Pontifex Eccleſiæ id expedire judicaverit.

Quare bonum illud, quo ſupremæ poteſtates in temporalibus nulli niſi Deo obnoxiæ vivunt, indirectâ poteſtate omninò tollitur: quod tamen bonum tale eſt, ut eo ſublato nulla ſit pax; multoque ſit præſtabilius, peſſimos etiam Principes tolerare, quàm ſubdendo eos alteri poteſtati in temporalibus, legitimum Imperium in anarchiam vertere.

Valentia Tom. iij. diſp. j. qu. xij. punct. ij. p. 458. & ſeq.

Cæterum quod aſſeritur de Principibus deponendis propter bonum animarum, idem longè magis in privatos valet: meritòque Gregorius de Valentiâ, poſitis ſemel de indirectâ poteſtate decretis, eodem jure cives omni dominio privari poſſe dicit. Addunt etiam decimas, ac tributa imperari ab Eccleſiaſticâ poteſtate, quando rei Eccleſiaſticæ utile ſit: quæ quidem ſi valeant, nihil jam prohibet, quominùs Pontifex verè ut Rex Regum agnoſci debeat.

Quòd ſi cogitemus hujus doctrinæ autores, quàm ſummum Pontificem extollant, quàmque ab omni poteſtate etiam Concilii abſolvant; tum verò intelligemus, quale ſit illud Imperium quod univerſum orbem, in temporalibus æque ac in ſpiritualibus, complectatur, & de omnibus Imperiis atque negotiis ſummâ & indeclinabili autoritate decernat.

Jam ſi reſpondeant ſupremo eo, per indirectam poteſtatem, judice conſtituto, tamen revocari poſſe in dubium in particularibus factis judicii æquitatem; nihilo ſeciùs Imperia fluctuabunt, & quæ turbæ futuræ ſint nemo non videt; cùm ubi Regia nutat autoritas, extremum periculum, ipſumque, quo nihil exitioſius, anarchiæ malum, Reipublicæ immineat, aut potiùs adſit.

CAPUT III.

Horrenda atque ipſis adverſariis deteſtanda neceſſariò conſequuntur; à quibuſdam admittuntur; nec niſi extirpatâ radice reſecantur: HENRICI Borbonii Condæi *Principis oratio ad* LUDOVICUM XIII.

HORRET animus referre cætera quæ deindè conſequantur. Hæc tamen exponere neceſſe habuit Ludovico XIII. auguſtæ memoriæ Chriſtianiſſimo Regi, Ludovici Magni parenti, Henricus Borbonius Condæus, primus Regii ſanguinis Princeps.

Is enim, cùm in ſolenni Ordinum Regni conventu anno 1615. de hâc quæſtione magnis ſtudiis ageretur, in ipſo Regio Concilio, ac Rege præſente ita peroravit: *Haudquaquam eſt dubium, Rex, quin Papæ, ut ſupremo paſtori à Chriſto conſtituto, tua Majeſtas eodem jure ſubſit, quo cæteri fideles etiam infimæ ſortis, ita ut eâ poteſtate abſcindi ab Eccleſiæ membris, & excommunicari poſſis, ſiquidem id tua peccata mereantur: quâ quidem excommunicatione animâ Satanæ tradita, tu Rex, Eccleſiæ communione pulſus, Sacramentorum extorris, omni etiam Eccleſiæ limine arceare. Cæterùm quod attinet ad temporalia, tibi haud ſecus à ſubditis populis obedientia ac tributa deberentur, Chriſto, & Apoſtolis verbo & exemplo præeuntibus. Qui contrariam tuentur ſententiam, quamvis inimici Regiæ poteſtatis, non tamen eò uſque acti ſunt in rabiem, ut Reges cædi poſſe dicerent. At ſi rem penitus introſpiciamus, facilè intelligemus, nec tuam ſacroſanctam perſonam à cæde tutam eſſe. Fac enim admonitum, excommunicatum, depoſitum eſſe te, jam Ludovicum XIII. quandiu Rex erat, non potuiſſe cædi certum; at poſtquam exrex factus eſt, alio legitimo Rege conſtituto, ſi ſpretâ Papæ ſpirituali, & novi Regis temporali poteſtate pro Rege ſe gerat, invaſor profectò, & ut talis, reus, neci addictus, & ut publicus hoſtis à quocumque cædendus.* Mercur. Franc. tom. iij. an. 1615. p. 331. & ſeq.

Hæc in Regio conſeſſu pro ſui officii ac generis dignitate, primus Regii ſanguinis Princeps, pari in ſedem Apoſtolicam, ac Regiam majeſtatem obſervantiâ dixit. Conſtat enim apud omnes, eum, & ſedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimum fuiſſe, neque tantùm animi perſpicaciâ, verùm etiam doctrinâ commendatiſſimum. Quod autem Perronius Cardinalis reſpondebat, Reges etiam depoſitos à cæde eſſe tutos, *quâdam habitudine ad Regiam dignitatem, quippè quam emendati recuperare poſſent*; pace tanti viri, merum erat ludibrium. Fac enim ut ille depoſitus bella moveat, urbeſque ac provincias magno Reipublicæ diſcrimine ſollicitet, ſatis profectò conſtat à legitimo Rege quid privatus pati poſſit, quid perduellis debeat, nec enim efficere poteſt *habitudo* illa, ut non potior ſit unius perduellis ſalute totius Reipublicæ ſalus, neque res obſcura erat. Quanquam enim Perronius ab indirectæ poteſtatis defenſoribus nefariæ cædis invidiam omni arte amovebat, non tamen ita cæteri ſentiebant. Gregorius enim de Valentia ponit hanc Du Perr. Harang. au Tiers-Etat œuv. diver. pag. 639.

Digitized by Google

Valentia loc. jam cit.

aſſertionem 2am. *Poſſe aliquem Pontificis autoritate atque ſententiâ dominio ac prælatione privari propter apoſtaſiam*, quam deinde probat his verbis: *Probatur 1°. & quidem irrefragabiliter, iiſdem argumentis quibus quæſtione præcedenti probavimus poſſe hæreticos, & apoſtatas à fide privari etiam vitâ, per Eccleſiæ autoritatem; nam ſi vitâ poſſunt privari, multò magis aliis bonis, atque adeò prælatione in alios.* Addit 2am probationem ex Scripturæ loco, quo Athalia, quæ rerum in Judæâ potiebatur, juſſu Pontificis Joïadæ, *Regno & vitâ expoliata ſit, non ſolùm quia tyrannicè occupaverat Regnum, ſed ut apoſtaſia ejus coerceretur.*

Bellar. de R. P. lib. v. cap. viij. p. 893.

Vid. Bec. contr. Angl.

Quod quidem argumentum eodem modo ipſe Bellarminus urget: quàm falſò, & quàm repugnante Scripturâ, non eſt hîc dicendi locus. Becanus verò, hos ſecutus, libro, cui eſt titulus: *Controverſia Anglicana*, (*a*) anno 1612. Moguntiæ edito, rem apertiùs explicat his verbis: *Joiada Pontifex prius privavit Athaliam Regno, deindè vitâ. Itaque illam privavit Regno, ut Reginam, & publicam perſonam; privavit autem vitâ ut privatam perſonam*; ac poſteà: *Ex eodem ſic ergò argumentor: quidquid poteſtatis ac juriſdictionis permiſſum fuit Pontifici in veteri Teſtamento, hoc etiam in novo permiſſum eſt.*

Rectè ille quidem, ſi concedamus id unde iſta manant, deponi poſſe Reges. Neque enim Regi dignitate privato quidquam eſt reliquum, quo ſe à juſto ſupplicio tueatur, ſi Regem ſuum, optimo jure conſtitutum, rebellis, factioſus & Majeſtatis reus bello adoriatur, ac pro Rege ſe gerens ſcindat Imperium; cùm autem viderimus tot afferri cauſas cur Reges deponi poſſint, neque tantùm hæreſim aut apoſtaſiam, ſed etiam alia ſcelera; imò nullo ſcelere, ſolam neceſſitatem Eccleſiaſticam. Quæ quidem ſi fateamur Pontificibus dari, ſatis intelligimus quàm vario in diſcrimine, non modò Regum autoritas, ſed etiam vita verſetur. Et eam quidem doctrinam horruerunt omnes, Sedeſque Apoſtolica imprimis deteſtata eſt, ac Becani librum Paulus V. eodem anno 1612. ſub pœnâ anathematis prohibuit; *quòd nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa, & ſeditioſa reſpectivè in eo reperta eſſent.*

Hoc decreto noſtri, Nuntiis Apoſtolicis id poſtulantibus, à Rege prohibiti ſunt, ne parricidialem doctrinam ſuis notis configerent, quòd jam à ſummo Pontifice improbata, proſcripta, & damnata eſſet. Cùm verò impiam omnibuſque diris devovendam ſententiam deteſtati ſint Romani Pontifices, oramus & ſupplicamus, ut indirectam poteſtatem ex quâ hæc infanda profluunt, rejiciant, vel ſaltem à nobis rejici ſinant.

(*a*) *Controverſia Anglicana*] Defendit eo libro Bellarminum Martinus Becanus Jeſuita, adverſùs Jacobum I. Angliæ Regem, qui, edito opuſculo cum hâc inſcriptione: *tortura Torti*, conatus erat ea refellere, quæ Bellarminus, ſub *Torti* Capellani ſui nomine, nuper ſcripſerat, contra apologiam illius juramenti fidelitatis, quo Angli Catholici adigebantur.

CAPUT

CAPUT IV.

Sententia Gallorum; ex Cenſurâ SANCTARELLI, *quæ integra refertur.*

JAM ut oſtendamus de totâ eâ doctrinâ, quæ ſententia Gallorum ſit, non pigebit exſcribere latam à Facultate noſtrâ Cenſuram, in librum ANTONII SANCTARELLI 4. Aprilis 1626. ſic autem habet.

CENSURA SANCTARELLI.

„ SI quis in nos fines ſæculorum deveniſſe, ut loquitur Gentium Apoſ- 1. Cor. x.
„ tolus, fortè dubitet, poſtrema hæc tempora tantiſper expendat, eaque
„ cum prioribus componat. Is facilè deprehendet humani generis hoſtem,
„ in utrâque politiâ & Eccleſiaſticâ & Civili, nihil intentatum reliquiſſe,
„ quominus utramque non tam labefactare, quàm omnino peſſumdare vi-
„ deretur. Eccleſiam Chriſti ſponſam, quà ſtylo quà ferro conficere conati
„ ſunt impii illi, qui *poſuerunt in Cœlum os ſuum:* politiam illam civilem aliâ Pſ. lxxij. 9.
„ viâ aggreſſi dementati homines. Cùm enim poteſtatem ſæculi non ſine
„ cauſâ gladium portare viderent, libris nefandis, quaſi per clanculares in- Rom. xiij. 4.
„ ſidias, è medio tollendam exiſtimârunt. Hos S. Judas epiſtolâ canonicâ, Jud. epiſt. can. 8.
„ non aliâ notâ nobis dignoſcendos proponit, quàm quia *dominationem con-*
„ *temnant & Majeſtatem blaſphement.* Atque utinam de ſolo contemptu &
„ maledicâ oratione ageretur! Quin male feriati ſcriptores id genus, po-
„ teſtatis cujuſdam in Eccleſiâ temporalis prætextu, Reges arbitrio & nutu
„ Eccleſiaſtico, leviſſimis etiam de cauſis ac planè ridiculis, de ſolio detur-
„ bandos, alioſque vel annuos, vel etiam diarios, ſi ita libuerit, ſubſtituen-
„ dos contendunt. Quod cùm in univerſæ civilis politiæ ac potiſſimum Gal-
„ licæ Monarchiæ, ſub Chriſtianiſſimo, clementiſſimo & juſtiſſimo Rege
„ noſtro Ludovico XIII. perniciem, everſionemque, meditatum confec-
„ tumque videret Facultas Theologica Pariſienſis, ut Majorum veſtigiis in-
„ hærendo, ſuum erga pientiſſimum Regem noſtrum, iſtudque præſertim
„ Chriſtianiſſimum Regnum, animum ſtudiumque declararet, bonorumque
„ omnium votis ſatisfaceret, præ cæteris nuperum librum *Antonii Sancta-*
„ *relli Jeſuitæ, de hæreſi, ſchiſmate, apoſtaſia &c.* à quibuſdam ſelectis Docto-
„ ribus examinandum cenſuit, in Congregatione generali extraordinariâ,
„ decimâ ſextâ Martii immediatè præcedentis habitâ. Sed quoniam multa in
„ eo pertractantur, quæ ad rem quâ de potiſſimum agitur, minimè ſpecta-
„ rent, duo dumtaxat capita 30. & 31. Tractatûs *de hæreſi* excutienda ſe-
„ legit.

Itaque anno Domini 1626. die primâ Aprilis, poſt miſſam de S. Spiritu,
„ habitis ſolenni more uſitatis Comitiis in aulâ collegii Sorbonæ, audita eſt

» relatio Magiſtrorum ab eâdem Facultate ſelectorum, qui expoſuerunt in » duobus illis capitibus iſtas propoſitiones contineri: « *Summum Pontificem poſſe pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eoſque deponere & ſuis regnis privare ob crimen hæreſis, eorumque ſubditos ab illorum obedientiâ liberare, eamque ſemper in Eccleſiâ fuiſſe conſuetudinem*; & propter alias cauſas, *ut, pro delictis: ſi expedit: ſi Principes ſint negligentes: propter inſufficientiam & inutilitatem ſuarum perſonarum.* Item, *Pontificem jus & poteſtatem in ſpiritualia ſimul & omnia temporalia; & in eo eſſe de jure divino utramque poteſtatem, ſpiritualem & temporalem: credendum eſſe, Eccleſiæ ſummoque ejus paſtori conceſſam eſſe facultatem puniendi pœnis temporalibus Principes transgreſſores legum divinarum & humanarum, præſertim ſi crimen fuerit hæreſis.* Dixerunt etiam eundem Sanctarellum aſſerere, *Apoſtolos fuiſſe ſubjectos Principibus ſæcularibus de facto, non de jure*; quin etiam *ſtatim atque conſtituta eſt Pontificia Majeſtas, cœpiſſe omnes Principes eſſe illi ſubjectos.* Denique retulerunt eum explicare verba Chriſti: QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM *&c. non tantum de poteſtate ſpirituali, ſed etiam de temporali.* » Ipſumque Sancto Paulo imponere, verba illius, detractâ negatione, immutando, » & multis autoribus ab ipſo citatis. Alia etiam multa ſimilia retulerunt, » quæ ſibi videbantur gravi Facultatis animadverſione & cenſurâ digniſſima. » Re itaque in deliberationem à Decano adductâ, auditis omnium & ſingu- » lorum Magiſtrorum maturis deliberationibus, Facultas improbavit & dam- » navit doctrinam his propoſitionibus & horum capitum corollariis conten- » tam, tanquam novam, falſam, erroneam, Verbo Dei contrariam, Ponti- » ficiæ dignitati odium conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem, ſu- » premæ Regum autoritati à Deo ſolo dependenti derogantem, Principum » infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ per- » turbativam, Regnorum, Statuum Rerumque publicarum everſivam, ſub- » ditos ab obedientiâ & ſubjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, » ſeditiones & Principum parricidia excitantem. Datum in Sorbonâ die 4. » Aprilis 1626.

CAPUT V.

Quædam in Sanctarelli *doctrinam, atque in cenſuram notæ: articuli Facultatis toto Regno vulgati: Cenſura Malagulæ.*

HIc tria conſiderari volumus: primum: Sanctarelli, de indirectâ poteſtate in Regum depoſitione ſententiam, ea omnia continere, quæ nos ab hujus ſententiæ defenſoribus doceri ſuprà retulimus: tum diſertè reprobari eam ſententiam, non modo *tanquam novam, falſam, erroneam, Verbo Dei contrariam*, ſed etiam *tanquam ad factiones, rebelliones, ſeditiones, ac Principum parricidia excitantem*, quod verum eſſe claruit: deniquè per eam cenſuram à ſacrâ Facultate conſultum, non modo *paci publicæ*, ac Regum majeſtati, verùm etiam *Pontificiæ dignitati*, cùm & illi *odia conciliare* dicitur hæc ſententia, & *ſchiſmati occaſionem præbere.*

Suis decretis hæſit ſacra Facultas, dum articulos ſubſequentes per Dominum Harduinum de Perefixe Sorbonæ Proviſorem, atque Archiepiſcopum Pariſienſem deſignatum ad Ludovicum Magnum deferendos conſcripſit his verbis: primum: *Non eſſe doctrinam Facultatis, quòd ſummus Pontifex aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi autoritatem habeat, imò Facultatem ſemper obſtitiſſe iis qui indirectam tantummodò eſſe illam autoritatem voluerunt.* Secundum: *Eſſe doctrinam Facultatis ejuſdem, quòd Rex Chriſtianiſſimus nullum omninò agnoſcit, nec habet in temporalibus ſuperiorem præter Deum: eam ſuam eſſe antiquam doctrinam, à quâ nunquam receſſura eſt.* Tertium: *Doctrinam Facultatis eſſe quòd ſubditi fidem & obedientiam Regi Chriſtianiſſimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu diſpenſari poſſint.*

Quos articulos totâ Galliâ promulgatos magno conſenſu ubiquè fuiſſe receptos vidimus; ut dubium non ſit quin hæc ſententia, non jam Facultatis ſit, ſed totius Eccleſiæ Gallicanæ. In append. lib. iij. cap. xj.

Quare digni laude ſunt Gallicani Patres, qui communem Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam, ſuâ Declaratione firmârunt.

Et quidem in eâ Declaratione ab omni cenſurâ temperare placuit. Interim quod verba ipſa præ ſe ferunt, cum cenſurâ Sanctarelli ſummâ conveniunt, verbis licet mitioribus; Epiſcopali autoritate ac moderatione dignum eſſe arbitrati, nullâ cujuſquam offenſione, *veritatis depoſitum cuſtodire.*

Poſteà cùm quidam Malagula Dominicanus Italus, ſacræ Facultatis Baccalaureus, contra matris ſuæ ſolenni juramento ſuſcepta decreta, Pontificiam in temporalia poteſtatem fraudulenter affirmâſſet, vir temerarius Facultate pulſus eſt, confixaque propoſitio iiſdem notis quibus inuſtus fuerat Sanctarellus; ac ne quis in ſimilem errorem impingeret, Sanctarelli, magnâ totius ordinis conſenſione, repetita ac promulgata cenſura fuit, ex quibus ſatis demonſtratur Gallorum ſententia. Plura & antiquiora ſuo loco referemus.

CAPUT VI.

Hujus ſententiæ novitas in Sanctarello notata à ſacrâ Facultate: Scripturæ ſilentium: autoris Anonymi qui ſcripſit de libertatibus in Scripturæ locos gloſſæ.

QUI Sanctarelli cenſuram accuratè legerint, facilè obſervârunt primam notam ejus inuſtam doctrinæ, ac cæterarum omnium veluti caput, ac fontem fuiſſe, quòd ea doctrina *nova eſſet*: atque hinc ſtatim ſequi quod ſecundo loco eſt poſitum, *falſam* eam eſſe: quòd in Eccleſiâ Catholicâ ſemper antiqua ſit veritas, prævaleatque illud à Vincentio Lirinenſi, & ab omnibus orthodoxis celebratum: *quod ubiquè, quod ſemper.* Nunc de eâ novitate aliquid delibare animus eſt. Vinc. Lir. Comm. j. capit. iij.

Ac primum quidem viri Theologi mirabuntur hujus poteſtatis, quâ Regna mutentur, neque tantùm Reges, ſed etiam familiæ Regiæ, aliæ exturbentur, aliæ erigantur, unde conſequatur rerum humanarum tanta converſio; hujus, inquam, poteſtatis (cùm eam adverſarii ordinariam in Eccleſiâ ip- Tom. vij. Bibl. SS. Pat. p. 250.

Digitized by Google

ſiuſque Eccleſiaſticæ poteſtatis neceſſariam appendicem, eſſe velint) nullam tamen in Scripturâ vel minimam fieri mentionem; neque tantùm de deponendis Regibus, verùm etiam de adimendis cuique, etiam infimo, bonis temporalibus nihil uſquam à Chriſto, nihil ab Apoſtolis fuiſſe proditum: imò verò de Regibus id unum eſſe præceptum, ut iis etiam impiis, veræque religioni adverſantibus, ipſâ tamen religione, & conſcientiâ ducti Chriſtiani omnes, veram & ſinceram obedientiam exhiberent.

Nam quod Bellarminus aliique paſſim inculcant, tametſi Chriſtus, & Apoſtoli de poteſtate indirectâ nihil tradiderint, tamen eam conſequi ex ſpirituali clavium poteſtate quam explicuerant: id quidem ſuo, ſi Deus dederit, excutiemus loco. Interim ſatis admirari non poſſumus, hujus conſecutionis, quæ tanta ſit, tantiſque difficultatibus obnoxia, tam altum ubique eſſe ſilentium, neque uſpiam commonitos eſſe, aut paſtores Eccleſiarum, quid in temporalibus, quid in ipſos Reges poſſint, aut etiam Reges cæteroſque fideles, quid paſtoribus in eâ re debeant.

Quod autem commemorant Principes Chriſtianos Eccleſiæ ſubditos per baptiſmum, in Eccleſiæ poteſtate ita eſſe debere, ut ad ejus imperia etiam imperare ceſſent, ſi id è re eſſe ipſa Eccleſia judicet; iterùm admiramur arcanum illud baptiſmi, tot ejus miniſteriis ac dotibus revelatis, nullâ Scripturæ parte fuiſſe proditum. Ibi ſanè docemur baptizari nos ſubjicique Eccleſiæ, ut Regnum Cœlorum conſequamur, non ut terrena Imperia moderemur; quare baptizari vel non baptizari, ad Imperia quidem terrena nihil attinet.

At enim Cœlorum Regno terrena Imperia ſervire oportet; certè: & ita quidem oportet, ut qui cœleſti Regno Reges non ſerviant, ab eo Regno excluſi, ſempiternis ſuppliciis addicantur: id Scriptura clarè & ſæpè. Quòd autem propterea per ſacerdotale Imperium terreno mulctentur Imperio; ne ſemel quidem innuit.

De liber. Eccl. Gall. lib. iv. cap. iij. n. 2. Matthæus. xxviij. 18. 19. Joan. xviij. 36.

Autor anonymus qui *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* ſcripſit, miram gloſſam edidit in illa Chriſti verba: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terrâ: euntes ergò docete omnes gentes &c.* & ille quidem docet, ubi Chriſtus ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, ad Pilati mentem locutum eſſe, ne Pilatus Chriſtum bella geſturum, aut Regum vulgarium more imperaturum crederet: tum hæc ſubdit Anonymus: *At verò cùm Apoſtolis officium imponeret docendi & baptizandi, ne dubitarent collatam cum officio plenam autoritatem quacumque ad ſpirituale regimen neceſſaria eſſent præſtandi, non ſolùm in Cœlo, ſed & in terrâ datam ſibi omnem ſine exceptione poteſtatem aſſeruit. Ex primis enim verbis*, DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CŒLO, ET IN TERRA, *quaſi concludendo inſert*, EUNTES ERGO *&c. quia poteſtas Eccleſiaſtica, directè, ac præcipuè circa ſpiritualia verſatur; circa temporalia autem non niſi quatenus ſpiritualia requirunt.* Hæc à Chriſto prætermiſſa, ac nullibi expreſſa, ejus verbis aſſuunt. Et Chriſtus quidem aſſerit omnimodam ſibi in Cœlo & in terrâ conceſſam poteſtatem; tùm diſertè explicat, quam partem poteſtatis ejus aſſignet Apoſtolis, nempè ut doceant, doctrinæque conſectanea alibi expreſſa præſtent: quibus quidem verbis Apoſtoli intelligant quam ipſi ab eo qui omnia poſſit, habeant poteſtatem. At Ano-

nymus eò inflectit, ut & ipſi quoque cum Chriſto poſſint omnia etiam in temporalibus: tanquam eum, cui Rex dixerit, ego tibi ſupremâ, quâ in omnibus civilibus rebus polleo, poteſtate impero, ut exercitus ducas, aut inter cives judices, omnia poſſe oporteat, quæcumque Rex poſſit, non autem debeat ſe reſtringere ad ea quæ Rex imperaverit.

Ejuſdem generis eſt, quòd in hæc Chriſti, Apoſtolique verba: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* id commentum aſſuit, ut autore Pontifice, tyrannidi ſe ſubtrahere poſſint, *niſi aliunde mala graviora timeantur:* tanquam hæc dicta ſint, non ut omnimodè Reſpublica tuta ſit, ſed ut rebellandi tuta captetur occaſio. Quæ quàm aliena ſint ab Evangelii ſpiritu omittimus: cur à Chriſto, & Apoſtolis tanto ſtudio prætermiſſa ſint, quærimus.

Anon. ib. n. 6. Matt. xxij. 21. Rom. xiij. 1.

Jam quòd ad illam poteſtatem Principes deponentem, ab excommunicandi poteſtate ſuſpendunt, neque ipſi in eo ſibi conſtant: utque hæc, & alia ſuo loco memoranda omittamus, iterùm atque iterùm quærimus, cur tandem exiſtiment talem excommunicationis effectum tanto ſtudio in Scripturâ prætermiſſum fuiſſe; quod quidem eò diligentius vulgari oportebat, quò erat ab omni rerum humanarum uſu remotius.

CAPUT VII.

Primus Regum deponendorum autor GREGORIUS VII. *undecimo exeunte ſæculo: Orbis univerſus eà novitate commotus: explicatum obiter, quo ſenſu negarent, excommunicari poſſe Reges.*

AT enim quod Scriptura ſilentio prætermiſit de poteſtate indirectâ annexâ clavibus, fortè traditio explicavit. Ne id quidem: imò undecim ferè ſæculis, cùm tot Reges nefarii, infideles, hæretici, apoſtatæ, perſecutores fuerint, de iis amovendis, aut de excutiendo Imperii jugo, nec cogitatum unquam fuit; ac nequidem de laïcis quibuſvis, per Eccleſiaſticam poteſtatem ullâ rei ſuæ parte multandis.

Primus omnium quotquot extiterunt Gregorius VII. exeunte undecimo ſæculo, *anno* ſcilicèt *ab Incarnatione Domini* 1076. (quæ nota temporis Concilio III. Romano præfixa eſt,) in eo Concilio de Henrico IV. Teutonum & Italiæ Rege ita pronuntiavit, *ex ipſâ* ut quidem præferebat, *ligandi ac ſolvendi poteſtate à D. o tradita: ego Regnum contradico, abſolvo ſubditos, ne ut Regi ſerviant interdico.* Cujus quidem formulæ nullum anteactis tot ſæculis exemplum proferunt.

Conc. Roman. iij. Tom. x. Cōcil. p. 356.

Imò cùm paſſim legantur veteres, aut divina judicia, aut Eccleſiaſticas pœnas etiam Regibus intentâſſe, is primus omnium hæc addebat, Legatis quidem ſuis: *Vos ei, ſi oportet, noſtrâ vice reſiſtite, & totius Regni gubernacula contradicendo, tam illum quàm omnes ſibi conſentientes, à participatione corporis & ſanguinis Chriſti ſeparate.* Aliis etiam: *Aut Rex* * *ipſe repudiato turpi ſimoniacæ hæreſis mercimonio, idoneas perſonas, ad ſacrum regimen promoveri permittet, aut Franci pro certo, niſi fidem Chriſtia-*

Greg. VII. lib. iv. epiſt. xxiij. & xxiv.

* Philip. I. Ibid. lib. j. epiſt. xxv.

Digitized by Google

nam abjicere maluerint .... generalis anathematis mucrone percuſſi, illi ulteriùs obtemperare recuſabunt. Atque iterùm aliis de cauſis ad Epiſcopos ſcribens: *Quod ſi nec hujuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere, nulli clam, aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus Regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, tentemus eripere.* Oſtendant vel unum anteà Romanum Pontificem ab obſequio legitimi Principis cujuſcumque Epiſcopos retrahentem, aut adverſus Regna legitima talia molientem. At in Galliæ Regnum ſuâ ſtabilitate valentius, minas adhibuit tantùm: Germaniam nactus, civilibus diſſidiis laborantem, (pridem enim Saxones in Henricum rebellaverant, magniſque ſe animis ac viribus ſuſtentabant) apertè dixit; *Abſolvo, interdico Regnum, contradico.*

Ibid. lib. ij. ep. v.

Conc. Roman. iij. loc. cit.

Itaque id contigit quod ſolet rebus novis, atque inauditis; nempe ad rei novitatem obſtupuere omnes. Teſtis Otho Epiſcopus Friſingenſis (*b*) XII. Sæculi autor nobilis, doctrinâ, virtutibus ac genere clarus; ad hæc Hiſtoricus candidiſſimus, & Gregorii VII. laudator eximius; Sedi verò Apoſtolicæ ſic addictus, ut Romanos Pontifices, propemodùm impeccabiles faceret. Is enim de Henrico depoſito hæc ſcribit: *Cujus rei novitatem eò vehementius indignatione motum ſuſcepit Imperium, quò numquam ante hac tempora hujuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam noverat.*

Oth. Friſ. lib. vj. Hiſt. cap. xxxij. xxxv.

Quin ipſe etiam Otho, quantùm eâ novitate moveretur, his verbis teſtatur: *Lego & relego Romanorum Regum, & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio quemquam ante hunc,* (Henricum IV.) *à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum.*

Id. de geſt. Frider. I. c. j. p. 407.

Ac ne quis exiſtimet eum & alios fuiſſe nimios & apertè falſos, qui etiam de excommunicandi poteſtate dubitarent, diligentiſſimè obſervandum infigendumque memoriæ eſt, quam excommunicationem ab Imperatoribus Regibuſque amovendam intelligerent. Ea quippè erat, quæ vinculum omne humanæ etiam ac civilis ſocietatis incideret: *Quâ ſeparentur Principes ac milites ab Imperatoris ſui conſortio ſimul, & obſequio.* Sic enim disertè exponitur in apologiâ Henrici, quæ eſt apud Freherum. Quo etiam ſenſu in Gloſſâ ordinariâ & apud Sanctum Thomam legitur, *quòd Princeps & multitudo non eſt excommunicanda.* En igitur in quo quæſtionem reponerent. Reges in ſpiritualibus clavium poteſtati ſubjici non negabant.

Id. lib. vj. Hiſt. cap. xvxv.

Freh. pag. 163.

Gloſſ. in illud Matt. *Ne fortè col. uzan.*

S. Thom. Sup. quæſt. xxij. art. v. *Sed contra.*

Ipſe Otho Friſingenſis memorat Philippum ad breve tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatum, & Theodoſium à Sancto Ambroſio, propter cruentam cædem, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratum, ac de Theodoſio ſcribit ſic: *Hic eſt Theodoſius, qui ab Ambroſio Eccleſiæ liminibus arcetur, quod ipſe humiliter ferens, tamdiu à communione ſe abſtinuit, donec lacrymis ac bonis operibus, pœnitentiâ peractâ, à præfato Pontifice reconciliaretur.* Quibus profectò docet, niſi reſipiſceret, ac veniam impetraret, ab omni limine Eccleſiæ in perpetuum fuiſſe prohibendum.

Oth. loc. cit.

Ibid. lib. iv. c. xviij.

(*b*) *Otho Epiſcopus Friſingenſis*] Sancti Leodulphi Marchionis Auſtriæ & Agnetis, filiæ Henrici IV. Imperatoris, filius, potentiſſimorumque Germaniæ Principum conſanguineus, genere clarus eſt, pietate clarior, & mirâ morum urbanitate; atque, ut ea erant tempora, plurimâ doctrinâ. Vid. Oth. Friſ. Chron.

Idem Otho de Lothario (c) Rege juniore, Lotharii Imperatoris filio in celebri negotio Thietbergæ & Waldradæ hæc habet: *Verum Lotharius poſt crebras admonitiones, poſt violatum Sacramentum, à ſummo Pontifice, communione privatur, ex quâ cauſâ tam ipſi quàm toti Regno oritur graviſſimum diſcrimen.* Id. lib. vj. cap. iij. pag. 120.

Novitas ergò quâ omnes, atque ipſe etiam Friſingenſis Otho perculſi ſunt, in eo erat, quòd excommunicationem eam Gregorius tulerit, quæ fœdere omni humanæ ſocietatis abrupto, ad Regni privationem ſe extenderet. Ea eſt novitas ad quam Orbis obſtupuit, totoque elapſo ſæculo, poſt tot ſcriptiones, viri docti graveſque eâ movebantur.

Quominùs mirum eſt, ipſo Gregorii & Henrici ævo, cùm peracta res eſt, ingentes tumultus motuſque extitiſſe; tantaque omninò erat rei novitas, ut illi etiam, qui Gregorio VII. erant addictiſſimi, ab ipſo Pontifice hujus rei exemplum quærere cogerentur. Certè Herimannus Metenſis Epiſcopus is erat, qui ut Baronii verbis utar, *præ cæteris ultra montes poſitis Epiſcopis, ſemper adverſus ſchiſmaticos pro Sede Apoſtolicâ ſtetit defenſor acerrimus, & imperterritus.* Atque is tamen anno 1076, ſtatim atque prolatum eſt Gregorii VII. decretum, rei novitate turbatus, ab ipſo Gregorio quærebat, quid illis reſpondendum eſſet, qui dicerent: *Autoritatem Apoſtolicæ Sedis non potuiſſe Regem Henricum excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis ejus abſolvere:* excommunicare, eâ quidem excommunicatione, quæ vinculum omne civilis etiam ſocietatis abrumperet; quo ſenſu quæſtionem inſtitutam fuiſſe vidimus. Hujus ergò rei exempla & documenta à Gregorio VII. quærebantur. Bar. Tom. xj. an. 1081. p. 558.

Is, poſtquam ad illam quæſtionem reſpondit ampliſſimis atque accuratiſſimis literis, non tamen Herimanni animus conquievit; ſed rurſus anno 1081. quinque poſt annos ſcilicèt, ab eodem Gregorio de integro cœpit quærere de Regum depoſitione quid reſpondendum eſſet; adeò res nova & ambigua videbatur. Ep. Greg. VII. lib. iv. ep. ij.

Huic conſultationi reſpondet Gregorius longè adhuc copioſiùs, quàm ante fecerat. Quàm autem Herimannus hæc anxiè quæreret ejuſdem teſtantur datæ eâdem de re ad S. Gebhardum Juvanenſem, ſeu Saliſburgenſem Epiſcopum literæ. Habemus autem Sancti Gebhardi ad eas Herimanni literas reſponſum, quod ſic incipit: *Mandavit jam ſecundò charitas tua mihi, meiſque in perſecutione ſociis, indicare tuæ paternitati, quid in hâc Eccleſiæ diſſenſione tenendum ſentiendumque cenſeamus.* Quantis ergò difficultatibus, eâ in re laboraret, oſtendit, qui beatum Gebhardum ejuſque ſocios, iterùm atque iterùm, ipſumque Gregorium, imò jam accepto ampliſſimo reſponſo, ſecundò conſuluit. Id. lib. viij. epiſt. xxj. Gebh. ep. ad Herim. in lib. cui titul. *Vetera mon. Cont. ſchiſ.* Ingol. 1612.

(c) *De Lothario*] Is erat Lotharingiæ Rex, qui dimiſſâ uxore, duxit Waldradam. Hoc crimen ſeges fuit calamitatum earum, quibus, quandiù vixit, jactatus ille eſt. Varios Lotharii caſus vid. ap. Mez. & alios Hiſt.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quæ Gregorius VII. *hujus rei exempla & documenta protulit, rei novitatem probant.*

JAM operæ pretium erit inſpicere propiùs, quæ Gregorius VII. ab Herimanno Metenſi interrogatus, exempla, quæ Scripturæ ac Patrum documenta protulerit; ita enim facilè intelligemus quâ Scripturæ autoritate, quâ Patrum traditione nitatur.

Exempla omninò quatuor ex omni antiquitate protulit: primùm, qoòd Theodoſius Magnus à ſancto Ambroſio: alterum, quòd Arcadius, pulſo S. Joanne Chryſoſtomo, à Sancto Innocentio Papâ fuit excommunicatus; quâ de re infrà videbimus. Interim hæc exempla duo ad excommunicationem quidem, non ad depoſitionem valent. Satis enim conſtat, neque Theodoſium Magnum, neque Arcadium fuiſſe depoſitos; neque id quiſquam cogitabat. Quare exempla hæc duo adeò nihil proderant Gregorio Henricum deponenti, ut potiùs nocerent.

Greg.Mag. lib. xiij. indict. vj. ep. vij. al. lib. xj. ep. x.

At duo alia protulit: primum exeuntis VI. Sæculi in Gregorii Magni epiſtolâ ad Senatorem: *Si quis*, inquit, *Regum*, *Sacerdotum*, *Judicum*, *Perſonarumque ſecularium*, *hanc conſtitutionis noſtræ paginam (de privilegio Xenodochii Auguſtodunenſis) agnoſcens*, *contra eam venire tentaverit*, *poteſtatis*, *honoriſque ſui dignitate careat:* Alterum VIII. Sæculi, de S. Zachariâ Papâ Childericum deponente, ac ſubſtituente Pipinum. Sic è duobus exemplis, quæ Gregorius protulit, unum tantùm eſt, nempè Zachariæ, quod executionem ſonet, alterum minas tantùm continet, nullo unquam exemplo aut effectu conſecuto.

Verùm antequam iſta duo, queis tota cauſa nititur, ſuo loco diligentiùs exponantur, rogo bonâ fide, quem ſanâ ac modeſtâ mente præditum non pudeat, aſſerere, ob unius Monaſterii violata privilegia, juridico ordine deponi poſſe Regem, ac totam Rempublicam conturbari? Quare, vel hæc falſa ac ſubditita eſſe conſtat, quod multi contendunt, vel aliò pertinere, quàm quò referuntur.

Bar.Tom. xj. p. 685. ſub hoc titul. *Execrationes apponi ſolitæ ab uno quoque.*

Caus. xv. q. vj. cap. iij. *Alius.*

Nempè aliud eſt minari, ſeu potiùs imprecari, ut à malo deterreas, quod illis temporibus etiam laïci in excommunicationis formam, teſte Baronio, faciebant; aliud juridicam ferre ſententiam, cujus rei exemplum à Gregorio VII. quærebatur. Jam de Childerico, quem à Zachariâ verè eſſe depoſitum Gregorius VII. memorat, ut nunc alia omittamus, ne ipſa quidem gloſſa id patitur, quæ Gregorii VII. verbis commemoratis, Capit. *Alius*, ad verbum, *depoſuit*, hanc adhibet notam: *Dicitur depoſuiſſe*, *qui deponentibus conſenſit.*

Atque hæc dicimus, non quòd uno exemplo VIII. ſæculi, ſuperioribus ſæculis inſuper habitis, ſtare poſſit tanta res; ſed ut demonſtremus Gregogorio VII. omni ſtudio quærenti, ne unum quidem exemplum ex anteactis temporibus ſuppetere potuiſſe,

Autoritatem

Autoritatem verò Scripturæ paſſim affert eam, ubi Paulus dicit: *Neſcitis quia Angelos judicabimus? Quanto magis ſæcularia?* Quæ quàm ad rem pertineat ſuo loco exponemus; & nobis tacentibus nemo non videt, quàm parùm ad legitima judicia ſpectent, quæ de arbitris ſponte eligendis Apoſtolus memorat. Greg. VII. lib. viij. ep. xxj. I. Cor. vj. 3.

At Gregorius VII. ex omni antiquitate locum profert unum apocryphæ, falſæque ſcripturæ de ordinatione Clementis. * Quo ex loco Gregorius hæc verba deſcribit: *Si quis amicus fuerit iis, quibus ipſe* (Clemens ſcilicèt) *non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis qui exterminare Eccleſiam Dei volunt.* Quem quidem locum, magno Petri prolatum nomine, ſi verâ etiam autoritate polleret, non tamen ad neceſſariam obedientiam, ſed ad amicitias cum ſchiſmaticis diſſolvendas pertinere, ipſa res loquitur; taliſque omninò eſt is locus, ut jam eum allegare pudeat adverſarios. Hoc uno teſtimonio, hâc traditione Gregorii VII. de deponendis Regibus doctrina nititur. Greg. ibid. * Hanc epiſtol. ad S. Jacobum vid. ap. Cotel. p. 540.

Profert etiam* Julii I. falſam epiſtolam ad Orientales Epiſcopos, de primatu Petri, deque eâ poteſtate, quâ Cœlos aperit & claudit; quam profectò poteſtatem nemo negat. Quòd autem infert: *Cui ergò aperiendi claudendique Cœli data poteſtas eſt, de terrâ judicare non licet?* Item quod concludit ſic: *Porrò Exorciſtæ ſuper Dæmones à Deo imperium habent, quantò igitur magis ſuper eos qui Dæmonibus ſubjecti & membra ſunt Dæmonum? Si ergò his tantùm præeminent Exorciſtæ, quantò magis Sacerdotes?* Hæc, inquam, quis jam Theologorum vel confutatione digna arbitretur? Greg. lib. viij. ep. xxj. vid. epiſtol. Jul. j. ep. ij. ad Orientales. Tom. ij. Conc. pag. 484.

Hæc Gregorius bis interrogatus ab Herimanno, protulit. Hæc eum impulerunt, ut Reges deponi à ſe poſſe confideret. Jam cogitent omnes, an non pudeat inter Eccleſiaſtica dogmata recenſere, quæ non aliis fulta præſidiis, primùm in lucem prodierunt.

Eſt enim alia ratio quâ Gregorius VII. juramentum fidelitatis à Sede Apoſtolicâ ſolvi poſſe confirmat: *Quòd etiam*, inquit, *ex frequenti autoritate ſæpe agit Sancta Eccleſia, cùm milites abſolvit à vinculo juramenti, quod factum eſt his Epiſcopis, qui Apoſtolicâ autoritate à Pontificali gradu deponuntur.* Tanquam juramentum illud Epiſcopo, ut Epiſcopo factum, non ſtatim abeat, ſine diſpenſatione ullâ, cùm is Epiſcopus eſſe deſiit. Greg. loc. jam cit.

Non aliis tamen fultus argumentis Gregorius VII. in Concilio Romano IV. confidenter id dicit: *Sanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento conſtricti ſunt, Apoſtolicâ autoritate à Sacramento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus.* Cùm tamen prædeceſſorum ſuorum aliorumque Sanctorum ſtatuta nulla, autoritatem nullam, nulla exempla protulerit, niſi Epiſcoporum qui depoſiti fuerint, ut ſuprà vidimus, vanaque & apocrypha; & nulla collegerit, poſtquam bis interrogatus, ea, quæ ſuæ cauſæ faverent, operoſiſſimè conquiſivit. Conc. Rô. iv. Tom. x. Conc. pag. 370.

CAPUT IX.

De Gregorii Decretorum autoritate in Eccleſiâ dubitatum, neque ipſe ſibi conſtitit.

QUARE mirum non eſt, ſi poſt viſas lectaſque Gregorii VII. epiſtolas, totoque emenſo ſæculo Otho Friſingenſis hæſitabat adhuc, & exempla quærebat; cùm ipſe Gregorius nihil ſatis firmum aut idoneum protuliſſet. [Caniſ. antiq. lect. Tõ. vj. p. 1274.] Extat apud Caniſium Sancti Gebhardi Juvanenſis vita, ejus ævo ſcripta, per eum virum qui Gregorium VII. alterum Heliam appellat, cujus tamen hæc verba ſunt: *Hoc novum, ſive rarum in Reges anathema, utrum ex venditione Epiſcopatuum, & Abbatiarum, an ex aliâ infamiâ cauſas ſumpſerit, penes eorum conſcios ſit, & judices: nobis ſententia paſtoris timenda eſt, ſive juſta, ſive injuſta.* Hîc profectò videmus de ipſâ ſententiâ, juſtane an injuſta ſit, quàm trepidè loquatur vir Gregorio VII. addictiſſimus. Neque Gregorii epiſtolæ imbibitam animis novitatis opinionem exemerant, quam additâ raritatis voce mollirent.

Multos hîc prætermittimus æquè hæſitantes, ſuo loco memorandos. Neque verò tantùm cæteri dubitabant, ſed ipſe Gregorius, quantumcumque [Sup. cap. vij.] eſſet propoſiti tenax, hîc ut in re inauditâ & intentatâ hactenus, ſatis ſibi conſtare non potuit. Ecce enim anno 1076. in Concilio Romano Henricum ſimul à Regno depoſuit, & anathemate percuſſit; quâ ſententiâ animati perduelles, atque inde ſecutæ calamitates, effecerunt ut anno 1077. Rex Canoſſam profectus à Papâ veniam peteret, triſti omninò ac lamentabili cultu, rituque. Quid autem hîc geſtum ſit, exponit ipſe Pontifex [Conc. Rõ. vij. ſub Gregor. VII. Tõ. x. Cõc. p. 383.] in ſecundâ ſententiâ adverſus Henricum latâ anno 1080. *Confuſus & humiliatus* (poſt primam ſententiam ſcilicèt) *ad me in Longobardiam veniens, abſolutionem ab excommunicatione quæſivit; quem ego videns humiliatum.... ſolam ei communionem reddidi; non tamen in Regno, à quo eum in Romanâ Synodo* (tertiâ ſcilicèt) *depoſueram, inſtauravi, nec fidelitatem omnium, quam ſibi juraverant, vel erant juraturi, à quâ omnes abſolvi, in eâdem Synodo, ut ſibi ſervaretur, præcepi.* Sic teſte Gregorio anno 1077. Henricus communioni, non tamen Regno redditus, manebat depoſitus. Quâ in re Gregorium non ſibi conſtitiſſe duobus argumentis facilè omnes intelligent.

Primum quòd ipſe, quique eum ſequebantur, eo nituntur maximè, quòd excommunicatus, quicum nec licet colloqui, Regnare non poſſit, ab omni vinculo humanæ ſocietatis abſtractus. Atqui Gregorius anno 1077. communionem Henrico reddiderat; ergò depoſitio excommunicatione nixa ſtare non potuit. Neque reſponderi poteſt, jam alium Regem fuiſſe ſubſtitutum, cui Regnum adimi ritè electo non poſſet: hoc enim rebus geſtis non congruit, ut ſequentia docebunt.

Secundum ergò argumentum ex rebus poſteà geſtis exoritur; nam ſolutâ ſemel excommunicatione, ac rebus confirmatis, Henricus communioni

Digitized by Google

redditus, conſueto more Regiam poteſtatem exercuit. At Saxones, aliique earumdem partium cùm eum anno 1076. ut quidem arbitrabantur, ritè depoſitum, non aliud quàm exregem appellarent, anno 1077. Rodulphum Suevum Regem elegerunt. Hiſt. Saxon. bell ad anu. 1077. Freh. pag. 134.

Hîc Gregorius mirum in modum æſtuare cœpit. Et Saxones quidem electum à ſe Rodulphum, Legato Apoſtolico non modò præſente, ſed etiam approbante, aſſerunt; Gregorius nullo ſuo conſilio id factum etiam juramento firmavit: nos jurato Pontifici de ipſo credimus; de Legato, Saxonibus, rem uti publicam, affirmantibus, fidem negare vix poſſumus. Ibid. ad an. 1077. 1078. Conc. Rō. vij.

Utcumque eſt, ſiquidem Pontifex procul omni dubio eâ ſe poteſtate præditum ſentiebat, ut Henricum Imperio exueret, illum pro depoſito habere debuit, quoad Imperium reddidiſſet, quòque magis nitebatur Regnare depoſitus, eò magis neceſſe erat à Pontifice prohiberi.

Hoc fateamur neceſſe eſt à Gregorio VII. ſi ipſe ſibi conſtaret, reique bene geſtæ ſibi eſſet conſcius, agi debuiſſe. Quid autem egerit ſic ſcribit Hiſtoricus: *Domnus Apoſtolicus Apoſtolici vigoris oblitus, multum eſt à priore ſententiâ mutatus. Nam qui priùs Henricum cum omnibus adjutoribus Apoſtolicâ ſeveritate excommunicaverat, eique Regnandi poteſtatem potenter interdixerat, & omnes qui ei fidelitatem juràſſent abſolverat, & electionem novi Regis conſenſu ſuo confirmaverat, nunc per literas mandavit ut Conſilio facto, Rex uterque audiatur, & quem juſtitia Regnare permiſerit, altero depoſito, tutus in Regno confirmetur.* Exemplum literarum Gregorii ſubdit, in quibus Henricus & Rodulphus æquè Reges appellantur, ſedetque Pontifex medius, qui inter utrumque quis potiori titulo Regnet, ipſis petentibus æquo jure diſceptet. *Deſideramus enim*, inquit, *cum Conſilio Clericorum & Laicorum ejuſdem Regni cauſam inter eos, Deo favente, diſcutere, & cujus parti magis ad Regni gubernacula juſtitia faveat demonſtrare.* Hiſt. Saxon. ad an. 1078. Freh. p. 138. Greg. VII. lib. iv. ep. xxiij. xxiv.

Eadem iterat ſæpè, atque etiam in Concilio IV. Romano anno 1078. & variis epiſtolis. At ſi Henricus, quem depoſuerat, neque reſtituerat, verè certòque erat depoſitus, non erat inquirendum, an meliori jure regnaret, qui jure omni privatus, vi Regnum retineret; ſed Gregorius tantâ re attonitus, ejuſque novitate vel ipſe turbatus, neque minùs eventûs, quàm ſui dubius, nihil certi conſilii ſequebatur. Quæ profectò ſufficiunt, ut videamus Gregorium VII. Regum depoſitorem confidentiſſimum licèt, in tantâ re decernendâ præcipitem, in exequendâ trepidum & cunctabundum, ad extremum illud atque intentatum hactenùs, impetu potiùs quàm certâ ratione, atque conſilio deſcendiſſe; neque teneri nos ad id decretum tuendum, de quo ipſe decreti autor ambigeret. Id. lib. v. ep. xv. lib. vj. ep. j. &c.

CAPUT X.

GREGORIUS VII. *nimia & nova ſectatur: initia Regiæ poteſtatis ſuperbiæ ac diabolo aſſignat, repugnante Scripturâ; neque tantùm Patrum, ſed totius humani generis traditione.*

MIHI verò hæc omnia animo revolventi, id unum occurrit, nempè Gregorium VII. fervido ingenio præditum, cùm tam malos Principes, quos ea ætas tulerat, ægrè pateretur; neque Eccleſiaſticis pœnis jam ſatis commoveri cerneret terrenis rebus addictos, eò deveniſſe, ut aliis pœnis exterrefaceret, atque adeò de Imperio ipſis adimendo cogitaſſe, omnia nova & inſolita ſedi Apoſtolicæ vindicare nil quidquam metuentem.

Hinc illa extiterunt magnifica in ſpeciem, ſed ipſâ re vana, certè hactenùs inaudita, quæ in Concilio Romano protulit. Poſtquam enim Regnum iterato decreto ſublatum ab Henrico, in Rodulphum Suevum vice Apoſtolorum tranſtulit, hæc deindè depromit, ad ipſos Apoſtolos ſermone

Conc. Roman. vij. converſo: *Agite, nunc, quaſo, Patres & Principes Sanctiſſimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in Cœlo ligare & ſolvere, poteſtis in terrâ Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus & omnium hominum poſſeſſiones tollere unicuique & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Addiſcant nunc Reges & omnes ſæculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant parvi pendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ.* Sic Petri & Pauli nomine terrena omnia longo ordine recenſita ad ſuæ, & Eccleſiæ ſuæ Imperia revocabat; notus enim ſtylus antiquiſſimus, & Gregorio VII. utiquè frequentatus, Pontificum Romanorum tribuentium Petro & Paulo quod eorum ſucceſſores ſive vicarii, ut tunc ferè loquebantur, eorum autoritate ac vice agerent. Et quidem eo jure & canonico ordine Petrus & Paulus pridem Eccleſiaſticas dignitates auferebant & dabant; ſed hæc vetera & obſoleta erant. Novum aliquid perterrefaciendis Regibus ac populis ille cogitabat, atque humana omnia ſuo ſubdebat Imperio.

Greg. II. ep. ij. Tom. vij. Concil. p. 8. 7. At non ille, quem ſuo loco laudabimus, Gregorius ordine II. pietate, doctrinâ, fortitudine, nulli non comparandus; non, inquam, ita ille loquebatur, qui apertè ſcribit ad Leonem Iſaurum: *Pontifex poteſtatem non habet Regias dignitates deferendi*, quas nunc alter iſte Gregorius propriis nominibus appellatas dare & adimere aggreditur.

Neque verò hæc dicentes, Gregorii VII. pietati obloquimur; imò ejus commendatam Martyrologio Romano laudamus memoriam, & bono animo egiſſe omnia, quibuſvis petentibus haud inviti largiemur. Neque, quod paſſim objiciunt, ſchiſmaticorum ſectamur calumnias; ſed quæ ipſe ſcripſerit, ſimplici animo referimus. Neque his obliterari volumus, quæ pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ magna ac præclara geſſit, ac ne miracula quidem, quæ à quibuſdam Autoribus ipſi tribuuntur. Sed in Sanctis viris non om-

nia imitanda. Docti, legibus non exemplis regi nos petimus, neque coarctari ad ea, quæ Romanæ Eccleſiæ numquam adoptavit fides.

. Omninò Gregorium admiramur magno & erecto animo inſurgentem in Reges ſimoniacos & ſcelerum defenſores; ſed interim dolemus eum incitato ſemel animo ad extrema & nimia deveniſſe. Spiritualem poteſtatem longo intervallo temporali anteponit, & hoc ex Majorum ſcitis; iſtud verò non ex Patrum ſententiâ, quod addit: *Sed fortè putant quod Regia dignitas Epiſcopalem præcellat. Ex eorum principiis colligere poſſunt, quantum à ſe utraque differunt: illam quidem ſuperbia humana reperit, hanc divina pietas inſtituit:* & alibi explicatius: *Itane dignitas à ſæcularibus inventa, non ſubjicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem ſuum invenit?.... Quis neſciat Reges & Duces ab iis habuiſſe principium qui Deum ignorantes, ſuperbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidiis, poſtremò univerſis penè ſceleribus mundi Principe, Diabolo videlicet, agitante, ſuper pares licèt homines dominari, cæcâ cupiditate & intolerabili præſumptione affectaverunt?* Nullus Pontificum, Chriſtianorum nullus hactenùs dixerat aut cogitaverat, *Diabolo mundi Principe agitante*, legitima Imperia inter homines fuiſſe conſtituta, cùm pacis hoſtis Diabolus leges & ordinem, omneſque adeò legitimas poteſtates averſetur, quod eſt à beato Irenæo præclarè explicatum, his verbis: *Ad utilitatem gentilium terrenum Regnum poſitum eſt à Deo, ſed non à Diabolo, qui numquam omninò quietus eſt; imò qui nec ipſas gentes vult in tranquillo agere; ut timentes Regnum hominum, non ſe alterutrum homines vice piſcium conſumant, ſed per legum poſitiones repercutiant multiplicem gentilium injuſtitiam; & ſecundùm hoc Dei ſunt miniſtri, qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipſum ſervientes. Et, quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.*

Greg. VII. lib. IV. ep. ij.

Id. lib. viij. ep. xxj.

Iren. cont. hær. lib. v. cap. xxiv.

Ad magnam ergò contumeliam pertinet ſublimium poteſtatum, aſſerere ipſas, *agitante Diabolo, cæcâ introductas cupiditate & intolerabili præſumptione dominandi ſuper pares.* Tantum enim humanæ ſocietatis bonum, quo homines hominibus legitimo præſunt ordine, non ſuperbia, ſed recta ratio; non Diabolus, ſed Deus inducit. Neque verò dici ullo modo poteſt, niſi per ſummam rerum antiquarum imperitiam, legitima Imperia per ambitionem ac ſuperbiam hominum incœpiſſe. Præclarè enim Juſtinus Hiſtoricus rerum humanarum aggreſſus hiſtoriam, ſic orditur: *Principio rerum, Gentium, Nationumque omnium Imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant; fines Imperii tueri magis quàm proferre mos erat; intra ſuam cuique patriam Regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum veterem, & quaſi avitum Gentibus morem, novâ Imperii cupiditate mutavit &c.* Quæ initia & omnium gentium hiſtoriæ produnt, & ipſa Scriptura demonſtrat. Primus enim Nemrod nominatur, qui vicinas civitates, utique jam per legitima Imperia conſtitutas, invaſerit; peſſimo quidem exemplo, ſed quod non ſtatim omnia humana pervaderet. Permanſit enim diutiſſimè apud multas Gentes mos probus & antiquus, Deo ac naturâ duce, conſtitutus. Quod humanæ ſocietatis tam excellens bonum, ſi Diabolus, omnis operis Divini

Juſt. Hiſt. lib. j.

Gen. x. 9. 10.

Digitized by Google

interpolator poſteà occupavit, haud propterea malum, quo optima inſtituta corrupta ſunt, priùs bono fuerit; cùm præſertim Regii, ac ſupremi Imperii, in ipſa patriâ poteſtate, forma præceſſerit primos inter homines, quorum familiæ per longiſſimam parentum vitam, in quædam veluti modica ac modeſta Regna ſucreſcerent. Grave igitur illud, quod Gregorius VII. dum in ſuperbos Reges inflammatur, progreſſus extra metas protulit; nec ipſi dignitati à Deo ordinatæ, aut Apoſtolicæ doctrinæ ſatis conſulebat, quâ ſemper apud omnes conſtitit, *Sublimiores poteſtates à Deo eſſe*; & quidem à Deo propitio; quippè quæ mala opera dato gladio coerceant, ac publicæ paci, Deo ita providente ac jubente, inſerviant. Sed hæc ſuo loco luculentius declarabimus.

Rom. xiij. 1. 1. Tim. ij. 2. 1. Pet. ij. 13.

CAPUT XI.

Aliæ GREGORII VII. *novitates: Novum excommunicationis genus, quo victoriam ab* Henrici IV. *exercitu arcet: Nova doctrina de omnium Pontificum Romanorum ſanctitate.*

S. Chryſ. Hom. v. in ij. ad Tim. cap. ij. Tô. xj. Ben. p. 687. Conc. Roman. iv. Lib. 6. ep. j. Ib. ep. xvj.

SCITUM illud Chryſoſtomi: *Novitas novitatem parit.* Gregorius VII. novæ depoſitionis ſententiæ novum excommunicationis addebat genus; hoc ſcilicèt: *Quicumque temerario auſu hujus noſtræ conſtitutionis violator extiterit, vinculo eum anathematis obligamus; & non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ, Apoſtolicâ poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus.* Quo decreto facto, hæc ſcribebat: *In prædictâ Synodo jam omnes excommunicationis & anathematis vinculo innodati, & ut nullam victoriam poſſint obtinere, poteſtate ſancti Petri ſunt alligati.* Quâ formulâ delectatus, iterùm ſic decernit: (*d*) *Illi cujus culpâ vel ſuperbiâ pax iſta remanſerit, gratiam S. Petri auferimus, eumque ſicut membrum Diaboli, & deſolatorem Chriſtianæ religionis, cum omnibus fautoribus ſuis feſtinabimus à communione Chriſtianæ ſocietatis abſcindere; ita ut nullam deinceps victoriam in bello, nullam proſperitatem habere poſſit in ſæculo.*

Conc. Roman. vij.

Eo ſenſu anno 1080 adverſus Henricum nominatim hæc ſtatuit, ad Petrum & Paulum ſermone converſo: *Iterùm Regnum Teutonicorum, & Italiæ, ex parte omnipotentis Dei & veſtrâ interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem Regiam ei tollo, & ut nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat, interdico &c.... Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni belli congreſſione, nullas vires, nullamque in vitâ ſuâ victoriam obtineat.* Sic ab adverſantibus omnem proſperitatem erat poteſtate Apoſtolicâ propellebat; ſic victoriæ imperabat. At Deo non erat placitum hæc in manu ſuâ poſita, ad formulam revocari. Quare eodem anno, & Henrico victoriam conceſſit, & Rodulphum, cui Gregorius Petri & Pauli vice Imperium donaverat, in prælio cædi voluit; & poſteà Gregorium fugari Româ permiſit, & Salerni

(*d*) *Iterùm ſic decernit*] Nempè in epiſtolâ ad Berengarium Gerundenſem Epiſcopum, in quâ ei mandatum dat, ut, obortas inter duos Comitis Raimundi filios diſcordias, curet ſedare.

obire victum; ſuo quoque tempore ulturus Henricum, falſo & apoſtatico Pontifice conſtituto Guiberto Ravennenſi, autorem infandi ſchiſmatis, & poteſtatis verè Eccleſiaſticæ contemptorem.

Ad ejus victoriam pertinent hæc Sigeberti verba: *Hildebrandus Papa, quaſi divinitùs revelatum ſibi prædixit, hoc anno falſum Regem eſſe moriturum, & verum quidem prædixit, ſed fefellit eum de falſo Rege conjectura, ſecundùm ſuum velle, ſuper Henrico Rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congreſſu, falſus Rex Rodulphus cum multis Saxoniæ Principibus extinguitur.* Quæ Sigeberti narratio à Gregorii dictis, decretiſque non abhorret. Sigeberti Chron. an. 1080.

Exemplo Gregorii VII. Alexander III. Friderico I. depoſito, & excommunicato, *inhibuit autoritate Dei, ne vires ullas amodò in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur*: tanquam hæc in hominum poteſtate Chriſtus eſſe voluerit. Ad hæc nimia, ac melioribus ſæculis inaudita, Alexander III. egregius alioquin Pontifex, Gregorio VII. autore deductus eſt. Adeò vana cogitant, quibus poſterioris ætatis exempla ſufficiunt. Conc. Lateranen. ſub Alexan. iij. Tō. x. Conc. l. p. 1450.

Ne grave videretur, non modò omnia Imperia ſed etiam omnem rerum Divinarum humanarumque curſum in unius hominis arbitrio collocari, ac ne de tantâ poteſtate genus humanum aliquid iniqui metueret, docebat Gregorius VII. *ad Apoſtolicam Sedem ritè ordinatos, meritis beati Petri meliores effici, atque omnino ſanctos.* Et id quidem ex decretis Symmachi Papæ repetebat, quæ ſanè decreta, commodâ interpretatione molliri, non exaggerari, & ad extremum urgeri oporteret. Addebat Gregorius: *Licèt experimento ſciamus*, nempè Papam ſanctum eſſe, quod hactenùs nemo præſumpſerat. Sic profectò Gregorius, dum omnia humana ac Divina trahere ad ſe nititur, & dignitatem Regiam infringebat, & Pontificiam novis, neque duraturis titulis commendabat. Lib. viij. ep. xxi.

Quòd ſi certâ fide credere nos oportet deponi poſſe à Pontificibus Reges, quòd depoſitionem talem in Concilio Romano Gregorius promulgârit, eâdem profectò fide teneamus, poſſe Pontificem autoritate ſuâ ab excommunicatis auferre victoriam, ac proſperitatem ſæculi; cùm id non tantùm in privatis epiſtolis, ſed etiam decreto edito, Gregorius VII. & Alexander III. pronunciârint. Conc. Roman. vij. Tom. x. p. 384.

Item eâdem fide admittere debemus illud in Concilio Romano editum: poſſe à Pontificibus, ut Patriarchatus & Epiſcopatus, ita & *omnes hominum poſſeſſiones pro meritis tolli & concedi*; quæ nempè Pontifices ſolos Reges, ſolos Imperatores efficerent; quale Imperium humana conditio neque gerere, neque tolerare poſſit.

Placet autem hîc in anteceſſum exponere quæ ſuo loco probaturi ſumus, Gregorium VII. alioſve Pontifices, à quibus hæc geſta decretaque ſunt, nunquam decreto ad omnem Eccleſiam edito docuiſſe, eam ſententiam, quæ Eccleſiaſticæ poteſtati talia vindicaret, ad integritatem fidei Catholicæ aut Eccleſiaſtici dogmatis pertinere. Moderabatur animos ille qui Eccleſiam regit, ſpiritus veritatis, ne humilis Chriſti grex in tentationem

eam incideret. Quare etiam ii qui Pontificiam infallibilitatem vel maximè tuentur, ab hâc ſententiâ abhorrere, deque his, ut & de aliis Pontificum geſtis, liberè diſputare poſſunt.

Si quis tamen libentes nos ad ea adduci putat, fallitur. Neque enim ii ſumus, quibus Eccleſiæ vulnera nullâ neceſſitate retractari placeat; ſed rurſus non ſumus eorum numero, qui ubique trepidi & infirmâ fide, hæc quantacumque vulnera, tanquam ſint Eccleſiæ ipſi lethifera, perhorreſcant.

Satis enim ſcimus Eccleſiam Catholicam ſedemque Apoſtolicam in Petrâ fundatam ſtare firmiùs, quàm ut his commoveri poſſit; & quantumcumque hæc adſcititia humaniſque conſiliis quæſita concidant, ipſam tamen Petram, Chriſto autore poſitam, inconcuſſam ſtare: quâ fide ſecuri, & ſuperiora diximus, & alia haud minùs neceſſaria proſequemur.

CAPUT XII.

Quâ occaſione Gregorius VII. Regum depoſitionem aggreſſus ſit: Quove Imperii ac Regnorum ſtatu: Quam univerſalis Monarchiæ etiam temporalis ideam animo informârit: Ejus mores, ingenium, & in omnia Regna variæ molitiones; ac 1°. in Imperium Romano-Germanicum, in Galliam, in Angliam, in Daniam; de iiſque quæri, nihil imminutâ Sedis Apoſtolicæ Majeſtate.

GREGORIUS VII. novæ poteſtati, quam in temporalibus exercere ſe poſſe confideret muniendæ, humana undequaque ſubſidia conquirebat, atque omnia Regna in ditionem ac proprietatem Sedis Apoſtolicæ vindicare ſatagebat.

Poſteaquam enim Caroli Magni domus inclinata eſt, toto Occidente Regia labaſcere ac nutare cœpit autoritas: Proceres paulatim omnia occupare, & prope æquiparari Regibus; Epiſcopi, Procerum anteſignani, ad hæc inſitâ religioni reverentiâ validi, pleraque Reipublicæ munera ad ſe trahere: Regna in varias Dynaſtias, ſeu Eccleſiaſticas, ſeu Sæculares ſcindi, quæ quidem Dynaſtiæ jura Regalia multa, eaque maxima, ſibi tribuebant, gravi imminutione Regiæ Majeſtatis: Reges precariam veluti poteſtatem exercere, eò uſque depreſſi, ut ſæpè cum ſubditis ac vaſſallis æquo jure bellare cogerentur. Sic Imperiis propemodum in anarchiam verſis, bellis, cædibus, fœdis populationibus omnia replebantur: quæ rerum inclinatio nono ſæculo cœpta, decimo & undecimo in deteriora vergebat; ut Gregorii VII. tempore vix ullus Regum eſſet, qui Regiam Majeſtatem, ac veram Imperii vim retineret. Etſi enim Othones in Germaniâ & Italiâ magnis animis ac viribus ſeque ac Rempublicam ſuſtentâſſe videbantur, res tamen in pejus ſuo veluti pondere deflectebant; ac ſub Henrico IV. urbes genteſque effræni licentiâ rebellabant. Inclytum Francorum Regnum, quod omnibus ferè reliquis imperaverat, etſi ſuo ſtatu atque hæreditariâ ſucceſſione valentius

tius, communibus tamen incommodis laborabat; nec dum ſe Capetii ſatis confirmaverant, neque Capetiorum quartus Philippus I. qui tum imperitabat, tantæ Majeſtati animis atque ingenio reſpondebat. Guillelmus ille victor atque Conqueſtor, recens Angliam occupaverat, validus quidem viribus, atque imperandi certus, ſed tamen Imperio nondum conſtabilito: res Hiſpaniæ tenues, Saracenis prementibus, Chriſtianis etiam in diverſa Regna diviſis: reliqua Europæ Regna, alia aliis caſibus fluctuabant.

Eâ rerum ac temporum neceſſitudine, Gregorius VII. è Sanctâ Cluniacenſis Monaſterii diſciplinâ, per varios dignitatum gradus, ad Cathedram Petri evectus eſt: acerrimi ingenii, magnique animi vir, probis moribus, integrâ famâ, Eccleſiaſticæ libertatis ac poteſtatis ſtudioſiſſimus, & qui potiùs ultra conceſſa tenderet, quàm aliquid de ſuo jure remitteret. Is ergò optimum factu ratus, ut Sedi Apoſtolicæ, quæ caput religionis eſſet, Regna omnia etiam in temporalibus ſubderentur, non modo poteſtate clavium, ſibi ſummam deponendorum & conſtituendorum Regum ac Principum poteſtatem vindicabat; ſed etiam eos ſingulatim adortus, quâcumque arte poterat, vectigales ſuos, atque etiam ſuos *homines*, ut tum loquebantur, facere cogitabat.

Et de Imperio quidem Romano-Germanico res facilior videbatur, cùm Romani Pontifices in illud Imperium peculiare jus quoddam ſibi vindicarent; imò verò illud, ſi quidem Bellarmino & Baronio credimus, à Gregorii V. tempore datis Electoribus, atque impoſitis legibus ordinâſſent. Certè memoratu eſt dignum id, quod Gregorii VII. tempore, ab Autore apologiæ Henrici IV. Imperatoris proditum: cùm ſe Saxonibus perduellibus, nonnulli è Longobardis, Francis, Bavaris ac Suevis conjunxiſſent, eos omnes apud Gregorium VII. accuſaſſe Regem: *Non decere tam flagitioſum, plus notum crimine quàm nomine, regnare; maximè cùm ſibi Regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ jus ſuum in conſtituendis Regibus reddi: provideret Apoſtolicus & Roma ex conſilio Principum, cujus vita & ſapientia tanto congrueret honori: quâ deceptione deluſus Apoſtolicus, ſimul & honore creandi Regis, quem ſibi fallaciter obtulerant, impulſus, Regem banno innodavit, & Epiſcopis aliiſque Principibus, ut à communione excommunicati Regis ſe ſubtraherent denunciavit: ſe citò venturum in Teutonicas oras, ubi de negotiis Eccleſiaſticis & de Regno tractaretur.* Quæ quidem aliena non ſunt ab eo Pontifice, qui tam excelſos ſpiritus gereret; neque abſimile vero eſt talem virum Romanæ potentiæ gloriâ delectatum, quâ ſedis Apoſtolicæ dignitas amplificari videretur, atque illi omninò placuiſſe amplitudinem etiam religionis titulo coloratam. Intentus autem erat vel maximè Teutonico Regno, cui Romanum Imperium junctum eſſet, quod etiam Regnum per Saxonum rebellionem fluctuabat. Itaque Gregorius, Henrico IV. Imperatore depoſito, Teutonum, atque Italiæ Regem, qui Imperator futurus eſſet ita conſtitui decernebat, ut tale ſibi præſtaret juramentum: *Ab hâc horâ, & deinceps fidelis ero beato Petro Apoſtolo ejuſque Vicario Papæ Gregorio, & quodcumque mihi ipſe Papa præceperit, ſub his videlicet verbis,* PER VERAM OBEDIENTIAM, *fideliter ſicut oportet Chriſtianum obtemperabo,... & eo die quandò illum primitùs videro, fideliter per*

Bell. de R. P. lib. v. cap. viij.

Baron. an. 996. tom. x. edit. Rom. p. 908.

Apolog. Henr. IV. ap. Urſt. p. 382.

Greg. VII. lib. ix. ep. iij.

manus meas MILES *Sancti Petri & illius efficiar.* Quod quidem eſt *ligium*, ut vocant, & perfectiſſimæ dominationis *hominium*, dataque eſt formula *per veram obedientiam*, quæ juſſis adhibita indetrectabile imperium deſignaret.

De Francorum Regno poſt hominum memoriam longè nobiliſſimo, atque auguſtiſſimo, unde etiam Imperium, quale apud Latinos eſt, manâſſe noverat, hæc Legatis ſuis agenda decernit: *Dicendum autem eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquaque domus, ſaltem unum denarium annuatim ſolvant beato Petro, ſi eum recognoſcant patrem & paſtorem ſuum, more antiquo.* Rationem addit: *Nam Carolus Imperator, ſicut legitur in tomo ejus, qui in archivo Eccleſiæ beati Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille ducentas libras ad ſervitium Apoſtolicæ Sedis.* * Nos eum tomum ignoramus, nihil ſimile in Caroli Magni, ac ſecutorum Principum hiſtoriis, geſtis, capitularibus, aut in Conciliis aliiſque actis publicis, aut privatis, qualia ejus ævi ſunt innumerabilia, legimus, & Pontifici impoſitum fuiſſe credimus ab iis qui talia ſuadebant.

Id. lib. viij. ep. xxiij.

* *Aquiſgrani, apud Podium Sanctæ Mariæ & apud Sanctum Ægidium.*

Carolus ſedi Apoſtolicæ multas Provincias devictas donavit, at Regnum nemini vectigale aut cenſuale fecit; neque quiſquam ex ejus ſucceſſoribus tale quid aut cogitavit, aut paſſus eſt; Francique Reges ſedi Apoſtolicæ omnium religioſiſſimè in ſpiritualibus obtemperabant: omnium ſtudioſiſſimè ſuam in temporalibus dignitatem tuebantur. Quare Gregorius, adhibitâ licèt formulâ, *per veram obedientiam*, quâ imperium indetrectabile ſignificatum fuiſſe vidimus, nullum unquam cenſum à Gallis impetravit; ſed neque per Legatos, juſſos licèt, quidquam eâ de re poſtulatum fuiſſe legimus: ut totum illud in auras penitùs evanuiſſe videatur.

In eâdem Gregorii epiſtolâ ſic legitur: *Idem magnus Imperator Carolus Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio, & poſuit ſignum devotionis & libertatis.* Offerre beato Petro, conſueto hujus ævi ſermone, hoc erat proprietati ſedis Apoſtolicæ adſcribere; at Carolus Magnus nuſquam ſcripſit, nuſquam dixit ſe beato Petro devictam obtuliſſe Saxoniam, ſed tantùm in devictâ Saxoniâ primam Eccleſiam conſecratam, quam inquit, *pio Chriſto & Apoſtolorum ſuorum Principi beato Petro obtulimus.* Sic Petro non Saxoniam, ſed in Saxoniâ, pro gratiarum actione primam Eccleſiam obtulit; & quidem erecto templo Apoſtolorum Principem ritè veneratus, eam tamen Provinciam nullius mortalis Imperio quàm ſuo vindicavit.

Vid. cap. Caro. Mag. tom. j. edit. Baluz. pag. 246.

Cæterùm annualem cenſum ſemel impoſitum Gregorius VII. facilè in argumentum proprietatis ac dominii trahebat: quare Guillelmo Conqueſtori, Angliæ Regi, modis omnibus delinito ſuadebat, ut Regnum Angliæ, quod anteriores Reges ſolo voluntariæ pietatis ſenſu, nullo temporalis ſubjectionis animo ſedi Apoſtolicæ cenſuale fecerant; ipſe temporali *hominio* ſubderet. At Guillelmus ita reſpondit: *Hubertus Legatus tuus ad me veniens ex tuâ parte admonuit, quatenùs tibi, & ſucceſſoribus tuis fidelitatem facere, & de pecunia, quam anteceſſores mei ad Romanam Eccleſiam mittere ſolebant, meliùs cogitarem; unum admiſi, alterum non admiſi: fidelitatem facere nolui, nec volo; quia nec ego promiſi, nec anteceſſores meos anteceſſoribus tuis id feciſſe comperio.* Sic de fidelitate inverecundum petitorem acriter

Guill. ep. int. Lanf. & ap. Baron. tom. xj. an. 1079. pag. 53[illegible].

refutabat : de denario beati Petri avitam conſuetudinem recto ſenſu intellectam prompto animo ſequebatur.

Quod autem à Guillelmo Anglorum Rege, idem à Danorum Rege Sueno, ut ab ejus parente, atque etiam ab ipſo promiſſum, Gregorius poſtulabat, neque hujus poſtulati ullam unquam videmus habitam eſſe rationem. Greg. VII. lib. ij. epiſt. lxxj. lxxv.

Interim *opulentam Provinciam*, Romanæ urbi vicinam, *quam viles & ignavi Hæretici tenerent*, ei pollicetur. Quo jure ſuam non ſignificat, niſi Hæreticorum omnia, ſua eſſe duceret.

CAPUT XIII.

De Hiſpaniâ & Sardiniâ quid GREGORIUS VII. *decreverit.*

ERAT tum Hiſpania ferè tota ſubdita Saracenis, à quorum manibus nobiliſſimum Regnum recuperare multi undique Chriſtiani Principes ſatagebant. Ad hos Gregorius VII. ſic ſcribit : *Non latere vos credimus Regnum Hiſpaniæ, ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuiſſe, & adhuc, licèt diù à Paganis ſit occupatum, lege tamen juſtitiæ non evacuatâ, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere.* Addit conceſſiſſe ſe Evulo Comiti habendam Sancti Petri nomine, certis conditionibus, quamcumque ab infidelibus terram recepiſſet. Id. lib. j. ep. vj. vij. Baro. tom. xj. an. 1073.

Cæterùm id juris & Hiſpani neſciebant, & hujus oblitteratam fuiſſe memoriam ipſe Gregorius fatebatur; ſic enim poſteà ſcripſit *Regibus, Comitibus, cæteriſque Principibus Hiſpaniæ : notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem tacere non eſt liberum, vobis autem non ſolum ad futuram, ſed etiam ad præſentem gloriam valdè neceſſarium, videlicèt Regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus beato Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in jus & proprietatem eſſe traditum : quod nimirum hactenùs & præteritorum temporum incommoda, & aliqua anteceſſorum noſtrorum occultavit negligentia. Nam poſtquam illud Regnum à Saracenis & Paganis pervaſum eſt, & ſervitium, quod beato Petro indè ſolebat fieri, propter infidelitatem eorum, & tyrannidem detentum, ab uſu noſtrorum tot annis interceptum eſt, pariter etiam rerum, & proprietatis memoria dilabi cœpit.* Promittit tamen Gregorius Legatos à ſe miſſos rem omnem demonſtraturos *aſſertione certâ :* denique adhortatur : *Ut ad honorem beati Petri & Romanæ Eccleſiæ promptos & magnificos ſe exhibeant ;* quod profectò fecerunt; multique Hiſpanorum Principum Eccleſiæ Romanæ annuas penſiones ſpoponderunt, eique ſe ultrò ut ſpirituali Dominæ ſubjecerunt. Lib. iv. ep. xxviij. vid. & lib. j. ep. vij.

Id verò an excuſſis titulis potiùs quàm ultroneâ pietate fecerint, non ſatis mihi conſtat. Stricto jure feciſſe probat Baronius, allato exemplo *Berengarii Comitis Barcinonenſis, qui anno*, inquit, 1091. *Urbani Papæ IV. cùm recuperâſſet Tarraconenſem civitatem occcupatam à Mauris, eandem obtulit Eccleſiæ Romanæ.* Quæ vana eſſe omnia facilè comprobabit ipſum à Baronio productum inſtrumentum : quippe quo legimus à Comite Berengario Tar- Bar. tom. xj. an. 1073. p. 424.

Digitized by Google

Ibid. an. 191. p. 627. raconenſem civitatem, non à Mauris recuperatam, (*e*) ſed *jure paterno*; ac bonorum paternorum *diviſione* ſuam; non ſedi Apoſtolicæ redditam, ſed *in Dei nomine ſpecialiter donatam fuiſſe*: quæ adeò non firmant, ut potiùs evertant jus illud in Hiſpanias venditatum.

Marc. Hiſt. Bearn. lib. iv. p. 331. 332. At verò Petrus de Marcâ, vir doctiſſimus, ex antiquis monumentis probat Gregorio VII. à Comite Beſalvenſi Bernardo, atque etiam ab Aragonum Rege annuam conceſſam fuiſſe penſionem: id verò ab iis factum, antiquis excuſſis ac recognitis titulis, acta non memorant.

Greg. VII. lib. ix. ep. xij. Neque item docent, an ſtricto jure potiùs quàm voluntate ſit factum; quod idem Bernardus *ſe militem ac vaſſallum Sancti Petri fecit.* Id enim eo tempore ab aliis etiam, ut à Comite Provinciæ, ac Barcinonenſi ultrò ac nullâ obligatione factitatum fuiſſe, ejus ævi acta memorant: quòd ii Comites, ubi ſe ſedi Apoſtolicæ addixiſſent, eo patrocinio tutiores, atque etiam adverſus Dominos ſecuriores eſſent.

Marc. loc. cit. Refert etiam Petrus de Marcâ ſecutis ſæculis, cùm eam penſionem, quam Aragonenſes conceſſerant, Romani curiales violentiùs exigerent, à Regibus Aragonenſibus planè denegatam; conſenſiſſe tamen illos ad illam penſionem voluntariè perſolvendam; non autem *contractu infeodationis inito, aut obligatione pactâ.*

Caſtellæ verò Reges nihil quidquam ſolviſſe, nihil peculiaris juris in ſede Apoſtolicâ recognoviſſe legimus: quo conſtare videatur ea, quæ Gregorii VII. tempore ab aliis Hiſpanis facta ſint, voluntariè potiùs, quàm ſtricto & antiquo jure fuiſſe impoſita. Neque propterea Gregorium antiqua Eccleſiæ Romanæ jura in Hiſpaniæ Regnum memorantem, deceptorem putamus; ſed falſis titulis, quales omni ævo multi confecti ſunt, decipi potuiſſe confitemur.

Quænam certè ejus Legati rei oblitteratæ, atque omni hominum elapſæ memoriâ, documenta protulerint, neque uſquam legimus, neque animo aut conjecturâ aſſequi poſſumus, aut omninò intelligimus quomodò ſtare poſſint. Gregorius enim memorat antequàm Regnum illud à Saracenis pervaſum eſt, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* in jus & proprietatem fuiſſe traditum, ac *certa ſervitia fuiſſe conſtituta*: atqui anno Chriſti 713. invaſio Saracenorum contigit, quo tempore illa ex Feudorum jure orta ſervitia, atque proprietas, ne nomine quidem erant cognita. Neque verò Hiſpaniam ſedi Apoſtolicæ Gothi Ariani tradidiſſent, neque poſtquàm Reges anno 588.

(*e*) *Non à Mauris recuperatam.*] Utrum id Baronio rectè objiciat D. Bossuet, ambigi poteſt. Nam 1°. in ipſo donationis diplomate, Berengarius eos nominat Principes, *qui ſecum inſudaverint ad præfatæ urbis reſtaurationem.* 2°. Urbanus II. reſcribens Berengario, ſic dicit p. 628. *Ecce jam tranſactis 390. annis, ex quo præfatam urbem Agarenorum gens propè ſolitariam fecerit &c.* 3°. Hæc vocabula *reſtauratio*, &, *reſtitutio*, quæ paſſim occurrunt in diplomate & in epiſtolâ, ſignificabunt quidem, ſtrictè accepta, Tarraconenſem civitatem denuò ædificatam fuiſſe; ſed diligenter perpendenti verba & ſeriem, hæc duo certa erunt: unum quod affirmat D. Bossuet, hanc civitatem non *redditam* fuiſſe, ſed *ſpecialiter donatam* Eccleſiæ Romanæ: alterum quod negat, hanc civitatem non multò antè *è Sarracenorum manibus fuiſſe vindicatam.* Certè, Berengarius dicit hanc civitatem *ſibi ex paterno jure competiſſe*; quomodò probè ac verè diceret Ludovicus XV. Navarræ Regnum, ſi illud bello recuperaret, *ſibi ex paterno jure competere.* Jura enim Regum, illâ quam vocant præſcriptionis lege, non tolluntur.

Catholici ſunt facti, tale quidquam egiſſe, tot Concilia, tot acta, tot hiſtoriæ, tot epiſtolæ innnunt: cùm ſedis Apoſtolicæ poteſtas, ſed ſpiritualis illa atque cœleſtis, omnibus paginis celebretur: neque à Rege Pelagio, recidivi poſt Saracenicam invaſionem Hiſpanorum Imperii fundatore, ejuſque ſucceſſoribus, aliiſque Hiſpanienſibus Regibus per trecentos ac ſexaginta annos, qui à Pelagio ad Gregorium effluxêre, tale quidquam poſtulatum fuit: ac Reges Hiſpaniæ per ea tempora haud minùs quàm alios abſoluto jure regnâſſe, omnia monumenta teſtantur. Jam quod ait Baronius: *His juribus potitam Apoſtolicam ſedem anno Chriſti* 701. *ſub impio Rege Vitizâ horum jacturam eſſe paſſam*, neque cum Gregorio VII. convenit, qui hanc jacturam ad Saracenorum invaſionem refert, neque cum Tudenſi Lucâ, quem unum Baronius teſtem adducit. Is enim poſteàquam autore Vitizâ canones diſſolutos, ſacraque omnia conculcata memoravit, hæc addit inſuper: *Et ne adverſùs eum inſurgeret Sancta Eccleſia, Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & cæteris Eccleſiæ Chriſti Miniſtris, carnales uxores habere præcepit, & ne obedirent Romano Pontifici, ſub mortis interminatione prohibuit.* Quæ ad evitandum Canonicæ atque Eccleſiaſticæ diſtrictionis metum manifeſtè referri, rerum oſtendit ſeries: ad ſolvenda Romani Pontificis, ut ſupremi etiam Domini, imperia pertinere, neque Lucas Tudenſis ſignificat, neque alii ſcriptores, neque Gregorius VII. ſuſpicatur. Bar. loc. cit. & tom. viij. anno 701. p. 640. 641. Luc. Tud. ap. Bar. loc. mox cit.

Utcumque eſt, illud animo capere vix poſſumus, quod is Pontifex mavult Hiſpaniam ſervire infidelibus quàm illud qualecumque jus ultrò remittere. Sic enim ipſe ſcribit ſuprà dictâ epiſtolâ, *ad Principes in terram Hiſpaniæ proficiſci volentes: hoc neminem veſtrum ignorare volumus, quoniam, niſi æquâ pactione perſolvendi juris Sancti Petri in Regnum illud animadvertere ſtatueritis, potiùs vobis Apoſtolicâ autoritate, ne illuc tendatis, interdicendo contra feremur, quam Sancta & univerſalis mater Eccleſia, idem à ſuis filiis quod ab hoſtibus patiendo, non jam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſaucietur.* Quaſi vulnus illud remiſſione ſpontaneâ temporalis tributi curare non poſſet. Sed iſta non reputat, & ovem in feræ faucibus palpitantem non eripere, ſed tondere cogitat. Atque hæc facit abſtinentiſſimus, & innocentiſſimæ vitæ Pontifex, dum ſedis Apoſtolicæ jura etiam temporalia, quæ ſemel animo præceperat, tantiſper imminui pejus omnibus malis arbitratur. Greg. VII. lib. j. epiſt. vij.

Neque minùs dura ſunt, quæ Sardinienſibus ſcripſit. Cùm enim in animum induxiſſet, ut aliquid ab eis commodi temporalis ferret, primam ad eorum judices dedit epiſtolam: *Romanam Eccleſiam omnium matrem, privatam tamen eis debere ſollicitudinem; at anteceſſorum negligentiâ friguiſſe charitatem illam, quæ antiquis temporibus inter Romanam Eccleſiam & gentem illam fuit, maximo inter ipſos Chriſtianæ religionis detrimento: atque omninò neceſſarium ut de ſalute animarum cogitent, Romanamque Eccleſiam ut matrem recognoſcant, atque antiquam devotionem impendant: ſe quidem non modò ut eorum animæ, ſed etiam patria ſalva eſſet, ſollicitè invigilare: ſi ſua verba reciperent, gloriam & honorem & in præſenti & in futurâ vitâ conſecuturos eſſe: ſin aliter agerent, ſuæ culpæ imputarent, ſi quid periculi contigiſſet: Legatos coram acturos quæ de ſalute eorum & honore tractaret.* Id. ibid. epiſt. xxix. Vid. Bar. tom. xj. an. 1073. pag. 433.

Digitized by Google

Ibid. epiſt. xli. Quid eſſet *illa ſalus honorque*, quem ipſis quæreret, ſequentia demonſtrabunt. Nam paulò poſt de ſui Legati poſtulatis hæc ſcribit: *Niſi in hoc anno certâ nobis ſuper hac re ratione reſpondeatis, nec ampliùs veſtra reſponſa queremus, nec tamen ulteriùs jus & honorem Sancti Petri irrequiſitum relinquemus.* Cenſum ac vectigal ſatis apertè iſta ſignificant: eò primùm illa verba lenia, eò denique minæ ſpectabant.

Ibid. lib. vij. ep. x. Graviùs poſteà urget, ſcribitque hæc *glorioſo judici Calaritano Orſocco: nolumus ſcientiam tuam latere, nobis terram veſtram à multis gentibus eſſe petitam: maxima ſervitia, ſi eam permitteremus invadi, fuiſſe promiſſa; ita ut medietatem totius terræ noſtro uſui vellent relinquere, partemque alteram ad fidelitatem noſtram ſibi habere: cùmque hoc non ſolùm à Normanis, & à Thuſcis, ac Longobardis, ſed etiam à quibuſdam Ultra-montanis crebrò ex nobis eſſet poſtulatum, nemini eâ de re unquam aſſenſum dare decrevimus, donec ad vos Legatum noſtrum mittentes, animum veſtrum deprehenderemus.* Nempè ille Legatus exploraturus erat quo tributo oblato ſe ab invaſorum deprædatione redimerent. Pergit enim: *Igitur, quia devotionem beato Petro te habere, in Legato ſuo monſtraſti, ſi eam ſicut oportet*, (quid autem oporteret ſatis apertè ſignificaverat) *ſervare volueris, non ſolùm per nos, nulli terram veſtram vi ingrediendi licentia dabitur, ſed etiam ſi quis attentaverit, & ſæculariter & ſpiritualiter prohibebitur à nobis, ac repulſabitur.* Quid ſi denegaverint quæ Gregorius poſtulabat? Nempe hoſtibus prædæ erunt. Tantine erat tributum Romanæ Eccleſiæ perſolvendum, ut propter eam cauſam miſeros inſulanos, *datâ licentiâ*, lupis paſtor exponeret!

Cæterùm quid in eâ inſulâ juris ſibi eſſet, ne verbo quidem ſignificat, jurium etiam temporalium vehementiſſimus ubique, ut videre eſt, oſtentator. Sed ut concedamus Sardiniam Inſulam jam tum in Eccleſiæ Romanæ ditionem conceſſiſſe, utque id vel maximè non tantùm jactaret Gregorius, ſed etiam inſulani ſeu metu, ſeu veri conſcientiâ faterentur; tamen in tributis exigendis nullâ Gregorius poſſeſſione nitebatur; antiqua, confuſa, obſoleta, generalibus verbis, uti vidimus, venditabat, diriſque comminationibus novum ſibi titulum comparabat.

CAPUT XIV.

De Hungariâ: de aliis Regnis ac Provinciis, quibus cauſis impulſi, Pontificiæ ditioni ſe ultrò ſubjecerint: arbitraria jura etiam in infideles Principes protenduntur.

Lambert. Schaf. ap. Bar. Tom. xj. an. 1071. p. 464. Greg. VII. lib. ij. ep. xiij. SALOMON Hungariæ Rex infans Andreæ patris juſſu, atque omnium ordinum applauſu ritè coronatus, mox patre mortuo, propter infantiam pulſus, ac per Henricum IV. Imperatorem, cujus ſororem duxerat, ſæpe Regno reſtitutus, eidem Henrico Hungariam fecit tributariam. Id neceſſitate geſtum Gregorius Regi crimini vertit: quòd *Regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium, à Rege Stephano olim beato Petro, cum omni jure*

ac poteſtate ſuâ oblatum, & devotè eſſet traditum. Addebat probationem, quòd nempè Henricus III. Imperator Henrici IV. pater, *victo Rege* Hungaro, *& factâ victoria, ad corpus beati Petri lanceam & coronam tranſmiſit, & pro gloriâ triumphi ſui, illuc Regni direxit inſignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit.* Quare gravia minabatur: nec aliter beati Petri gratiam aut ſuam benevolentiam ſpondet, *niſi ſceptrum Regni*, inquit, *correcto errore tuo, Apoſtolicæ, non Regiæ Majeſtatis beneficium recognoſcas.* Sic ſi quis beatum Petrum honorâſſet, Regni proprietatem, atque omnia deinde jura feudorum ſedi Apoſtolicæ vindicabat; quamquam ejus proprietatis nulla in annalibus ad ea quidem tempora mentio reperiretur.

Si quando diſſidia inter fratres de Regnis ac Provinciis orirentur, ut in Barcinonenſi Comitatu evenerat, *ſancti Petri inexpugnabile* pollicebatur *auxilium* ei parti, quæ in ſedis Apoſtolicæ poteſtate futuram ſe eſſe profitebatur.

Id. lib. vj. ep. xvj. vid. Lamb. ap. Baron. an. 1075.

Afflicti ac pulſi Reges ſedi Apoſtolicæ ſua Regna tradebant, ejus autoritate reſtitui ſe poſſe confidebant. Sic à Rege Ruſſorum Demetrio, cùm is à fratre pulſus eſſet, traditum Regnum Gregorius VII. ſuſcipit, *exhibitâ Sancto Petro fidelitate.*

Id. lib. ij. ep. lxxiv.

Neque exiguum tutamen erat ab Apoſtolicâ ſede Regnum accepiſſe. Scribit enim Vezelino adversùs Dalmatiæ Regem inſurgenti: *Scias nos de prudentiâ tuâ multùm mirari, ut qui te eſſe dudum beato Petro, & nobis fidem promiſeris, contra eum, quem in Dalmatia Regem autoritas Apoſtolica conſtituit, tu modò coneris inſurgere. Quapropter nobilitatem tuam monemus & ex parte beati Petri præcipimus, ut adversùs jam dictum Regem arma capere non præſumas, ſciens quidquid in illum auſus fueris, procul dubio te in Apoſtolicam Sedem facturum.*

Id. lib. vij. ep. iv. ap. Baron. an. 1079.

Hæc incepit Gregorius VII. his ac ſimilibus ad Regna ſedi Apoſtolicæ tradenda hortabatur, & ad Geyſam ſcribebat Hungarorum Ducem *: *Regnum Hungariæ, ſicut & alia nobiliſſima Regna in propriæ libertatis ſtatu eſſe debere, & nulli Regi alterius Regni ſubjici, niſi ſanctæ, & univerſali matri Eccleſiæ Romanæ, quæ ſubjectos non habet, ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos.*

* *Salomonis* cujus Regnum invaſerat avunculum.

Id. lib. ij. ep. lxiij.

Quare Salomoni Hungarorum Regi ademptum à Deo Regnum prædicabat quòd is contempto nobili dominio beati Petri, *cui erat proprium Hungariæ Regnum*, ſe Regi Teutonico, quamvis neceſſariò ſubdidiſſet, ſubditque rationem: *Petrus enim à firmâ petrâ dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore deſtruit, & diſſipat quidquid obſiſtit.* Quæ dicta adversùs hæreſes, & alia vitiorum monſtra, per Chriſti Imperium debellanda, ad terrenam ditionem quotidie amplificandam, & ad comparanda ſibi Regna, vertebat.

Id ibid. ep. lxx.

Eam univerſalis Monarchiæ etiam temporalis ideam animo informaverat, quæ ſpirituali addita poteſtati, tale Imperium conderet, quale res humanæ ferre non poſſent.

Iiſdem veſtigiis inſiſtebat Innocentius III. magnus alioquin Pontifex, cùm Joannem *ſine terrâ* Angliæ Regem depoſitione mulctaret, Barones An-

Vid. Odor. Rain. anno 1212. & ſeq. vid. quoque Hiſtor. Angliæ Rapin Thoyr. lib. viij. & ep. Innoc. III.

gliæ ac Philippum Auguſtum adverſùs eum invitaret, donec Joannes ſedi Apoſtolicæ Regnum traderet, uti ſuo loco memorabimus.

Inf. lib. iij. cap. xxj. Non ergò mirum ſi paſſim in ſervitium ruerent Duces, Comites, ipſi etiam Reges in ſede Apoſtolicâ ſuis rebus tutelam, atque etiam, proh dolor! ſuæ cupiditati ad vicinos invadendos titulum quæſituri. Quæ quantùm rei Chriſtianæ offecerint, lectori æſtimandum relinquimus.

Nec alia moliebatur Adrianus IV. dum illud à nobis ſuprà memoratum jus edidit; nempe *Hiberniam & omnes Inſulas, quibus ſol juſtitiæ Chriſtus illuxit, ad jus ſancti Petri & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere.*

Vid. ſup. cap. ij. & tom. x. Concil. p. 1143. Poſtea ad libitum arbitraria jura crevere; quo factum eſt, ut Nicolaus V. Callixtus III. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. tanta terrarum ſpatia infidelibus detracta, Chriſtianis Regibus concederent.

CAPUT XV.

Regna infidelium, quo jure conceſſa BELLARMINUS *aliique defenderint: hæc, & alia de Regibus deponendis geſtâ, nullo religionis periculo impugnari poſſe.*

HIS in conceſſionibus tuendis Bellarminus maximè laborabat, cùm negaret infideles, juſtos ſcilicèt dominos, legitimâ poſſeſſione deturbari poſſe, niſi conarentur avertere à Chriſti fide ſubditos. At profectò illi Reges, quorum Alexander VI. aliique Pontifices partiebantur Imperia, de fide Chriſtianâ nequidem cogitabant. Quem nodum Bellarminus & alii ſic exſolvunt. Alexandrum VI. cùm Regna infidelium daret, non id providiſſe, *ut Reges Chriſtiani, Reges infideles debellarent, & eorum Regna occuparent; ſed ſolùm ut eò adducerent fidei Chriſtianæ Prædicatores, & protegerent ac defenderent, cùm ipſos Prædicatores, tùm Chriſtianos ab eis converſos:* ac ſi Reges infideles reſiſterent, Chriſtianis jus eſſet bellum inferendi. O novos Apoſtolos & novo more tuitos! O novam & Apoſtolo inauditam Chriſtianorum militum armaturam! At ſi Chriſti Apoſtolos hìc omitti placet, quòd infirma Eccleſia nondum hæc fortia auderet, mirum cur Gregorius Magnus, validâ jam Eccleſiâ, Chriſtiano Imperio, totque Chriſtianis fultâ Regibus, à Reginâ Brunechildi non tale ſatellitium, Auguſtino ſuo in Angliam profecturo, impetrârit. Cur non talibus Diaconis ſuccinctus Sanctus Bonifacius Moguntinus Germaniæ intulerit Evangelium? Aut cur eum Pipinus ipſi devinctiſſimus, pro fide Chriſtianâ obtruncari permiſerit? Cur Willebrodi, Wilfridi, Swiberti, Adalberti, & alii innumerabiles, qui per eamdem ætatem barbarica nomina Martyrii gloriâ illuſtrârunt, nullo tali munimine prædicandam ſuſceperint religionem Chriſtianam? Denique hujus cuſtodiæ Evangelicis prædicatoribus datæ, bellique in liberam gentem eâ cauſâ ſuſcepti, quòd verbi divini præcones reſpuiſſet, nullum apud antiquos exemplum eſt. Qui Caroli Magni Saxonica bella commemorant, cogitare debuiſſent Saxones Francici Imperii perduelles, novâque ſemper contumaciâ rebellantes, victos, captos, deditos, patriæ, libertati, vitæ redditos,

Bell. de R. P. lib. v. cap. ij.

Vid. Bar. ibid. anno 716.

Ibid. an. 719. 731. 749. & paſſ. tot. hoc ſæcul.

redditos, ſi Evangelio obedirent: poſtremò occiſos, atque diſperſos, quòd fidem Salvatori Chriſto, atque optimo Regi Carolo datam ſefelliſſent, regionemque eorum aliis conceſſam incolis; atque hi Catholicam religionem ad ea uſque tempora propagârunt, quibus eos ad infandum Schiſma Lutherus abripuit.

Neque verò me fugit quanti ſint nominis, à quibus hæc Bellarminus, aliique hauſerint: ſed Doctores poſtremis ſæculis natos, per librorum penuriam, ne alias commemorem cauſas, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non ſatis gnaros, atque ideò non vitâ, ſed doctrinâ degeneres, antiquis placitis & exemplis poſtponi oportere, clarâ voce dicimus.

Nec putamus Sanctum Thomam, cujus autoritate utuntur, ad prædicandam gentibus fidem tali unquam auxilio profecturum: nec Sancti Franciſcani ac Prædicatorii ordinis Martyres: nec poſtremo ſæculo Sanctus Franciſcus Xaverius, Indiarum Apoſtolus, atque ex eodem ſodalitio tot inclyti Martyres hæc ſectati: nec ævo noſtro tot Sancti Epiſcopi, atque Preſbyteri, quos ad Barbaras gentes noſtra Gallia, ac tota Europa ſummittit. Quin etiam Bellarminum alioſque, ſi talia præſidia offerentur, toto animo putamus fuiſſe averſaturos; ut meritò contemnamus eam doctrinam, à quâ conſectandâ vel ipſi abhorrerent.

Neque magis probamus quod dicunt: ab Alexandro VI. Chriſtianos inter Reges diſtributas eſſe terras, *ut impediret contentiones, & bella Chriſtianorum, qui in illis regionibus negotiari volebant.* Neque enim, ſi vel maximè placeat Romanos Pontifices, non verbi tantùm, Apoſtolico more, ſed etiam commerciorum, ac negotiationum eſſe duces, & ad eorum arbitrium reſtringi imperia commerciorum, ac gentium libertatem: non, inquam, ſi iſta vel maximè placeant, talem explicationem Alexandri VI. decreta ferre poſſunt: *Omnes enim*, inquit, *& ſingulas terras firmas, & inſulas remotas & incognitas verſus partes Occidentales, & mare Oceanum conſiſtentes repertas, & reperiendas in poſterum, quæ ſub actuali Dominio temporali aliquorum Dominorum Chriſtianorum conſtitutæ non eſſent, cum omnibus illarum Dominiis, civitatibus, caſtris, juribus, & juriſdictionibus univerſis, vobis, hæredibuſque, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum, tenore præſentium, motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine donavimus, conceſſimus, & aſſignavimus.* Quo decreto inter Reges ductâ lineâ diſpertiit Orbem, ex *Apoſtolicæ*, inquit, *gratiæ largitate, motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ merâ liberalitate.... ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.* Quæ profectò nihil aliud ſonant, quàm meram donationem. Quare alii rotundè magis Bullas eas referunt ad ea, in quibus Pontifices, ut in facto particulari, conſenſu omnium errare potuerint.

Bar. loc. jam cit.

Bull. i ſ. Alexan. vj. ad Ferdin. Hiſp. Reg. in Bull. Roman. edit. Lug. 1655. tom. j. pag. 467.

Quo exemplo nos quoque noſtro jure poſſumus, non tantùm hæc ab Alexandro VI. totque ejus anteceſſoribus ad eamdem formam edita decretaque de infidelium terris dividendis; verùm etiam alia de ſupremis poteſtatibus deponendis geſta, exigere ad regulam & ad Majorum fidem, adque ea decreta, quæ totis mille, & quod excurrit annis, intacta manſere.

Turr. apol. pro Eug. ad calc. tom. xiij. Conc.

Placet enim omninò id quod Turrecremata aliâ occaſione dixit : *Nec iſta conſequentia eſt bona : factum fuit ſic , ergò legitimè factum fuit ; nos enim non debemus reſpicere quod factum eſt in præterito , ſed quod juridicè fieri debuerit in futurum.*

Du Perr. Repl. lib. j. c. xcj. p. 545. vid. diſſert. præv. not. lxxxix. Vid. Bell. de R. P. paſſ. Du Perr. œuv. diver.

Hæc certè omnia ſalvâ fide quæri , uti prædiximus , Perronius quoque Cardinalis confitetur , & Bellarminum teſtem adducit ; & certè Bellarminus cenſor audentiſſimus cujuſcumque doctrinæ , quam ſedi Apoſtolicæ non ſatis æquam putat , huic noſtræ ſententiæ nullam notam infert tractatu ampliſſimo de eâ re edito ; & Perronius celebri oratione in Conventu ordinum Regni habitâ , id agit ut hæc quæſtio *inter problematicas* habeatur. Quare licebit nobis , vel ipſis concedentibus , antiquam ſententiam noſtræ Facultatis , imò antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ , ſub Cleri Gallicani , atque etiam auguſtiſſimi Regis , totiuſque adeò Regni felicibus auſpiciis , nullâ cujuſquam contumeliâ propugnare.

Hæc autem diligentiſſimè exequimur , excuſſis omnibus utriuſque partis argumentis : non quòd Galli noſtri hac tractatione egeant ; vix enim quiſquam inter Gallos in dubium revocat ſupremam poteſtatem , atque ut ita dicam , Regiæ Majeſtatis independentiam , quâ pax Reipublicæ continetur : ſed tamen cæteris ſatisfacere nos oportet , omnique ſtudio amovere à Theologorum ſcholis , alienam à Chriſtianâ modeſtiâ , ac melioribus ſæculis inauditam , de deponendis Regibus ſententiam. Quod quidem dum facimus , ſedis Apoſtolicæ dignitati conſulimus , nedum ejus privilegia imminutum eamus. Quis enim inter ſedis Apoſtolicæ privilegia reputet , quòd poſſint de Regibus amovendis vana & irrita , & omnibus jam populis contemnenda decreta conſcribere ? Aut quis non videat apud cordatiores hanc totam de temporali Pontificum poteſtate ferè obſoleviſſe ſententiam : ut qui eam tuentur adhuc , ultimorum ſæculorum exemplis abrepti potiùs , quàm certâ ratione ducti eſſe videantur ? Non ita effluxere quæ Romani Pontifices de rebus Eccleſiaſticis condidere decreta : his ceſſere hæreſes ; contuſi , fractique ſunt , qui Eccleſiæ fidem , autoritatemque invaſerunt. Fides quippe poſt hæreſes ſplendet puriùs ; contempta ab Hæreticis Eccleſiæ autoritas firmiùs invaleſcit. At quid Pontificibus profuerunt , quæ ad Reges in temporalibus ſubjugandos tantis molitionibus ſuſcepêre ? Nempè hæc omnia conciderunt , caſſaque & irrita nihil ſedi Romanæ , præter invidiam atque odia ; nihil toti Eccleſiæ , præter bella , cædes , ſchiſmata pepererunt. Tanti refert , quid Deo autore , quid humanis conſiliis moliare. Sed nos hæc meliùs exempla edocebunt. Rem ergò totam ab ipſis Eccleſiæ , totiuſque adeò humani generis initiis , explicare aggrediamur.

CAPUT XVI.

Ipſam quæſtionem aggredimur : hæc tractatio bifariam diſtributa : quinque propoſitiones ordine comprobandæ.

QUÆRIMUS igitur an Eccleſiaſtico ordini ipſique ejus Capiti Romano Pontifici, ſit jure divino conceſſa poteſtas, quâ ſupremas poteſtates ſolio amovere poſſit. Ac ſupremas poteſtates dicimus, non tantum Reges, ac Monarchas, ſed quemcumque ordinem, ac cœtum, qui ſupremâ autoritate in civilibus ac temporalibus gaudeat. Quamquam enim Reges plerumque nominamus, Apoſtolorum exemplo, eo nomine complectimur illos omnes, qui ſummâ autoritate gaudeant.

Hoc ſtatu quæſtionis conſtituto, claret quàm ineptè & imperitè, nec bonâ fide agat D. Nicolaus Dubois, cùm dicit & inculcat, vereri nos debere, ne feudis, aliiſque juribus temporalibus excidamus Eccleſiaſtici, ſi Cleri Gallicani Declaratio valeat. Hæc fœda, & inſulſa procul à nobis abſint. Nos enim ſatis ſcimus Romanis Pontificibus & Sacerdotali ordini, Regum conceſſione, ac legitimâ poſſeſſione bona quæſita, jura, Imperia ita haberi, ac poſſideri, uti quæ inter homines optimo jure habentur ac poſſidentur. Imò ea omnia, ut dicata Deo, ſacroſancta eſſe debere, nec ſine ſacrilegio invadi, rapi, & ad ſæcularia revocari poſſe. Sedi verò Apoſtolicæ, Romanæ urbis, aliarumque terrarum conceſſam ditionem, quò liberior, ac tutior poteſtatem Apoſtolicam toto Orbe exerceat, non tantùm ſedi Apoſtolicæ, ſed etiam toti Eccleſiæ gratulamur, votiſque omnibus precamur ſacrum Principatum omnibus modis ſalvum, & incolumen eſſe. Ac ſi contendant Romanis Pontificibus, quale in utrâque Siciliâ, aut in Sardiniâ, aliiſque fortè Regnis, tale ſibi aut majus etiam, aut aliquatenùs ſimile uſu, conſuetudine, poſſeſſione legitimâ, in Imperio Romano-Germanico ordinando quæſitum eſſe jus ; illud Germani, & quorum intereſt omnes, & juris civilis interpretes quærant, & decidant utcumque libuerit : nihil hæc ad nos pertinent, neque ullam eâ de re quæſtionem movet Clerus Gallicanus. Id enim tantùm declarat, *Reges & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque* AUTORITATE CLAVIUM *Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos à fide, atque obedientiâ, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolvi poſſe.*

Conſultat. vij. n. 54. Conſultat. x. n. 93. & ſeq.

Decl. Cler. Gall. cap. j.

Patet ergò quæri quid in Regna & Imperia ſacer ordo, ejuſque ordinis Caput Romanus Pontifex, poſſit Chriſti *ordinatione* atque *clavium autoritate*, & quid Eccleſia eâ de re ſenſerit. Quod ut ſit apertius, quemadmodùm in ſacro Cleri Gallicani cœtu, illuſtriſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi autore, factum recolimus, univerſam hanc tractationem in duas partes diſtribuimus. Ac primum inquirimus, quid traditum eâ de re ab initio fuerit uſque ad Gregorii VII. tempora, tum quid ab eo tempore decretum, geſtum, dictumque ſit. Ac primis illis temporibus cauſæ noſtræ firmamenta maximè continentur ; in poſterioribus, quæ validiſſima ſunt ad-

Vid. act. Cler. Gallic. 1682.

verſariorum objecta apparebunt. Porrò ſanam doctrinam comprobare aggredimur certis propoſitionibus, quæ ſibi mutuò lucem roburque præſtent, Geometrico more, & quantâ poterimus perſpicuitate conſtitutis. Quo rerum ordine, id profectò aſſequemur, ut ſi quis eſt error, facilè deprehendi & confutari poſſit: ſin autem à Deo datur ſummo ſtudio quæſitam exponere veritatem, id ſperamus fore, ut nullâ prorsùs arte valeat obſcurari, nullo deinceps argumento labefactari poſſit.

Placet autem hic ſtatim ponere propoſitiones illas, ut ſummâ diſputationis conſtitutâ, quid deinde probari debeat, omnes faciliùs animo comprehendant.

Prima Propoſitio. Regia, ac ſuprema poteſtas ordinandis rebus temporalibus præſtituta, jam inde ab initio legitima eſt, etiam inter infideles.

Secunda. Ea poteſtas, etiam inter infideles, eſt à Deo.

Tertia. Regia ac ſuprema poteſtas jam inde ab initio, etiam inter infideles, ita eſt à Deo conſtituta, ut ſit à Deo ſecunda, hoc eſt, in ſuo genere, rebuſque ſuis ſub Deo, & poſt Deum prima: neque Deus conſtituit aliam poteſtatem, à quâ illa deponatur, aut in ordinem redigatur.

Quarta. Per inſtitutionem Sacerdotii Legalis non immutavit Deus rationem ac ſtatum Principatûs, ſeu Regiæ ac ſupremæ poteſtatis; imò luculentiùs declaravit eam poteſtatem à Deo eſſe ſecundam, & in ſuo genere, rebuſque ſuis primam.

Quinta & ultima. Neque per inſtitutionem Sacerdotii Chriſtiani quidquam immutatum fuit in jure regnandi: imò diſſertè explicatum in novo Teſtamento, ac Patrum traditione, Pontificibus Chriſtianis nullam eſſe à Chriſto attributam poteſtatem, quâ temporalia ordinare aut quemquam Imperio mulctare, vel donare poſſint.

His propoſitionibus doctrinæ noſtræ ſumma continetur: jam eas ſuo ordine confirmamus.

Digitized by Google

DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER PRIMUS.

SECTIO SECUNDA.

Quâ expenduntur Scripturæ loci, & Patrum traditiones illuſtrantur, ad caput primum Gallicanæ Declarationis.

CAPUT PRIMUM.

PRIMA PROPOSITIO *probatur: quòd Regia ſeu ſuprema civilis poteſtas jam inde ab initio ſit legitima, etiam inter infideles.*

PRIMA noſtra propoſitio ſic habet: *Regia ac ſuprema poteſtas, ordinandis rebus civilibus præſtituta, jam inde ab initio legitima eſt, etiam inter infideles.* Hic duo dicimus: primùm eam poteſtatem eſſe legitimam, tum eſſe legitimam inter infideles.

Legitimam vocamus, quæ non tantùm lege, ſed etiam juſtâ bonâque lege nititur; atqui bona lex eſt, quæ præcipit homines per juſta & legitima Imperia adunari, dirigi, coërceri; unde exiſtit pax & tranquillitas publica. Quo factum eſt ut Propheta ſcriberet: *Quærite pacem civitatis ad quam tranſmigrare vos feci*, (Babylonis ſcilicèt, impiæ illius & omni idololatriâ contaminatæ) *& orate pro eâ ad Dominum: in ipsâ enim eſt pax vobis.* Nulli enim plebi pax vera obtigit, niſi pacato Imperio, ſub quo degit. Atteſtatur illud Apoſtolus præcipiens *obſecrationes fieri pro Regibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus.* Quem locum interpretatus Tertullianus, ſic Imperatores alloquitur: *Cùm enim concutitur Imperium, concuſſis etiam cæteris membris ejus; utique & nos.... in aliquo loco casûs invenimur.* Ac ſublato legitimo, ſummoque Imperio, cædes, latrocinia, ſcelera omnia impunè graſſari nemo diffitetur.

Jeremiæ xxix. 7.

1. Tim. ij. 1. 2.

Tert. apol. cap. xxxj. p. 27. edit. Prior. 1675.

Digitized by Google

Unde conſequens eſt, ut lex illa, quâ ſunt ſupremæ poteſtates inter homines conſtitutæ, à naturali lege ducat initium. Naturâ enim duce, homines pacem bello, perturbationi ordinem anteponunt; quo fieri neceſſe eſt, ut legitimo colla Imperio ſubmittant. Quare nulla gens eſt, niſi penitùs non tantùm barbara, ſed etiam fera & belluino more vivens, quæ ſupremas poteſtates aliquas non agnoſcat; adeòque illa lex infixa eſt mentibus, ut non niſi extremâ cœcitate atque feritate obliterari poſſit. Hoc primum quod diximus: ſupremas poteſtates eſſe legitimas.

Alterum: legitima Imperia etiam inter infideles floruiſſe exponimus tantùm, non probamus id quod per ſe omnes vident, idque ab initio generis humani. Neque enim, ut ait beatus Auguſtinus, ita ratio in hominibus vitiis, atque impietate ipſâ detrita eſt, ut non ejus ſupereſſent ſaltem extrema veſtigia; Deoque bono placuit, ut etiam inter homines, qui ab eo deſciviſſent, remaneret bonum ſocietatis humanæ. Quare Abraham cum Sodomæ & Gomorræ, & aliis infidelibus Regibus, uti legitimo ordine conſtitutis, fœdus iniit: *Hi enim pepigerant fœdus cum Abraham*; & eoſdem fœderatoriis tuetur armis. Et ſanctus ille Joſeph Pharaonis Imperium, Ægypto jam corruptâ per idololatriam, uti legitimum adminiſtrat. Neque neceſſe eſt uberiùs confirmare propoſitionem, ex ſeſe perſpicuam, cùm præſertim apertè contineatur in his Domini verbis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Diſertè enim præcipit Cæſari infideli Principi, atque infidelis civitatis ſupremo magiſtratui præſtare obedientiam. Accedit Petri autoritas: *Subjecti eſtote.... propter Deum, ſive Regi tamquàm præcellenti, ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: hæc eſt enim voluntas Dei:* & Paulus: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Hæc omnibus ſine ullâ diſſenſione probata revocamus in memoriam, tantùm ut doctrinæ connexio eluceſcat. Pergamus ad ſecundam propoſitionem à primâ manantem.

Auguſt. lib. ij. de Ord. cap. xj. tom. j. pag. 344.

Geneſ. xiv. 13.

Matt. xxij. 21.

1. Pet. ij. 13. 14. 15.

Tit. iij. 1.

CAPUT II.

SECUNDA PROPOSITIO, *quòd Regia & ſuprema poteſtas etiam inter infideles ſit à Deo: Reges Sacro-ſancti: juratum per eorum ſalutem: religio in Principes: Tertulliani loci.*

SECUNDA *propoſitio. Ea poteſtas inter infideles eſt à Deo.* Hanc quoque confitentur omnes; eſt enim Apoſtoli dicentis: *Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Loqui autem eum de civili poteſtate ſequentia docent, ubi gladium ac vindictam publicam, vectigal, tributum, civilis poteſtatis inſtrumenta & jura commemorat. Ergò eæ poteſtates, quas Paulus à Deo eſſe, à Deo ordinatas eſſe docet, ſunt Reges ac Principes.

Rom. xiij. 1.

Neque omittendum id, quod quidam objiciunt: à Deo ordinatas dici poteſtates, quòd ſub digniore minus digna, civilis ſcilicet ſub Eccleſiaſticâ

à Deo ordinata ſit; aliter enim non conſtare ordinem. Verùm eo ratiocinio non utitur Apoſtolus, neque is locus poſtulabat, ut de illo ordine diſſereret; ſed ita agit Paulus, ut ordinatæ intelligantur à Deo illæ poteſtates, quæ civilibus præſint officiis, quòd ſint à Deo conſtitutæ: unde præmittit: *Non eſt poteſtas niſi à Deo:* cui connexum illud: *Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt;* & infert: *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi re-* Ibid. 5.
ſiſtit: & : *Subditi eſtote non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Jam ſi de ordine philoſophari placet, alibi philoſophandum: hic quidem ex Apoſtolo conſtat, quæ civilibus præſint *poteſtates*, eas etiam inter infideles *à Deo conſtitutas*, & *ordinatas eſſe.*

Erant namque tum, qui ſummis præerant poteſtatibus infideles, & idololatræ, quos tamen nihilo ſecius *Miniſtros Dei* vocat Paulus, & gladium, Ibid. 4.
à Deo traditum eſſe Principi docet, ut Dei Miniſtro: *Non enim*, inquit, *ſine cauſâ gladium portat: Dei enim Miniſter eſt.*

Quare meritò Sacro-ſanctæ habentur ſupremæ Poteſtates, ut quæ à Deo conſtitutæ, vices Dei agant: quâ in re magnum venerandumque *Dei* Greg. Naz.
myſterium in Regibus S. Gregorius Nazianzenus agnoſcit; unde eorum in- orat. xxvij.
columitas, ſaluſque in juramenti religionem aſſumitur. Jurant enim Urias, tom. j. edit. Par. 1630.
& illa ſapiens Thecuitis, *per ſalutem* David, neque eo ſeciùs Joſeph ſe- p. 471.
mel atque iterùm *per ſalutem Pharaonis*, impii licèt Regis & idololatræ: II. Reg. xiv.
quod in Regio miniſterio, etiam inter infideles magnum Dei Sacramen- Gen. xlij.
tum ſit. Id ſecuti Chriſtiani, hæc Tertulliani ore ad Romanos Principes 15. 16.
Chriſtianæ Religionis hoſtes, loquebantur: *Juramus* autem, *ſicut non per* Tert. apol.
genios Cæſarum, ita per Salutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis.... cap. xxxij.
Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit; id in eis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.

Hinc etiam idem autor *religionem atque pietatem Chriſtianam in Impera-* Ib. xxxiij.
torem celebrat: quòd Imperator, uti Sacro-ſanctus, Deique vice functus, religioſo quodam honore coleretur, quam *religionem ſecundæ Majeſtatis* Ib. xxxv.
haud minus piè quàm eleganter vocat. *Grande* ergò; eodem teſte, *Impe-* Ib. xxxiij.
ratoris nomen, quod à Deo traditur: grande Imperatoris officium, divino numine conſtitutum.

CAPUT III.

Quo ſenſu ſuprema civilis poteſtas ſit à Deo, quodve diſcrimen Sacerdotium inter & Imperium.

SUNT autem ſupremæ poteſtates à Deo non tantùm eo nomine, quòd Imperium nemo capeſſat, niſi Providentiâ Divinâ duce, & autore; verumetiam duplici alio titulo, primum, quòd, uti prædiximus, legitima Imperia ſint exorta naturâ ipſâ duce, hoc eſt, autore Deo naturæ conditore. Habent enim homines hoc à naturâ inditum, ut ordinem colant, quo eis incolumitas & tranquillitas conſtat: qui ordo nullus eſt, ſi deſint legitimæ poteſtates.

2°. Ad legem naturalem haud dubiè acceſſerit doctrina per manus jam inde ab initio hominibus tradita, quâ legitimis Imperiis coerceri ſe neceſſarium ducerent, cùm genus humanum ſtatim atque poſt diluvium per terras fuit diffuſum, ſtatim ſe ultrò in Regna, civitateſque redegerit, quod tantum generis humani bonum, nonniſi à Deo traditum, inſpiratum, propagatumque eſſe Patres docent. Chryſoſtomus: *Quoniam honoris ac conditionis æqualitas pugnas, & diſſidia plerumque inducit, Deus multos fecit Principatus multaſque ſubjectiones, viri & uxoris, filii & patris, ſenis & adoleſcentis, ſervi & liberi, Principis & ſubditi:* atque hæc ultima *Principis & ſubditi*, ad formam paterni Imperii facta eſſe creduntur; nec immeritò: ab ipſo enim generis humani exordio, Reges parentum loco habitos, vel illud Regibus Palæſtinis commune *Abimelechi* nomen oſtendit. *Abimelech* enim Latinè vertitur, *Pater meus Rex;* quæ nota & obvia argumentis confirmare non eſt animus.

Chryſoſt. Hom. xxiij. in epiſt. ad Rom. tom. ix. edit. Ben. pag. 686.

Quare hæc conſtitutio ſupremarum Poteſtatum etiam inter impios & infideles, Deo autori adſcribitur ab Apoſtolis ac Patribus. Cyrus Rex Perſarum, æque ac Saul, & David, & Salomon, *Chriſtus Domini appellatur:* certumque eſt omninò eam legem, quâ res humanæ ordinantur, tam ſanctam, tam neceſſariam, tantâ conſenſione generis humani ab initio inolitam, & ubique diffuſam, non niſi divinâ autoritate fuiſſe conſtitutam. Quo etiam factum eſt ut obliget conſcientiam, meritòque Apoſtolus huic ſententiæ: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo:* & *Miniſter eſt Dei:* ſubnectat illud ut conſectaneum: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

Iſai. xlv. j.

Rom. xiij. j. 4. 5.

Hujus autem rei cauſa eſt divina bonitas, quæ, uti prædiximus, homines quamvis à verâ religione deſciverint, non omninò deſerit: imò verò malis tam bene conſulit, ut ipſo autore, maneat inter eos ſocietatis humanæ tam excellens bonum. Quod ab Irenæo præclarè eſt explicatum his verbis: *Quoniam*, inquit, *abſiſtens à Deo homo in tantùm efferavit, ut etiam conſanguineum, hoſtem ſibi putaret, & in omni inquietudine, & homicidio, & avaritiâ ſine timore verſaretur, impoſuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoſcebant timorem Dei) ut poteſtati hominum ſubjecti, & lege eorum adſtricti, aliquid aſſequantur juſtitiæ, & moderentur ad invicem, in manifeſto propoſitum gladium timentes, ſicut Apoſtolus ait:* NON ENIM SINE CAUSA GLADIUM PORTAT: DEI ENIM MINISTER EST.

Iren. lib. v. cont. hær. cap. xxiv. n. 2. p. 321. edit. Ben.

Sup. Sect. j. cap. 10.

Huc pertinet illud, quod ſuprà retulimus, ibidem ab Irenæo memoratum: quòd ſumma Imperia, quibus pax inter homines conſtat, non ſint à Diabolo pacis inimico, ſed à Deo pacis autore, peſſimèque factum ab iis, qui tot Regum permoti flagitiis, ſcelere, libidinibus, Regium Imperium ad Diabolum autorem referebant. Satis enim conſtat legitima Imperia non ita, Diabolo inſtigante, & gliſcente ſuperbiâ eſſe corrupta, quin in ipſo bono pacis ac ſocietatis humanæ, maximum Dei munus facilè recognoſcas. Quare Divinum opus, à Diaboli opere ſecernendum erat cum Joanne Chryſoſtomo: namque *Magiſtratus conſtituere*, inquit, *fuit Dei opus; quod autem improbi ad eos provehantur, & eis, non ut decet, utantur, eſt hominum improbitatis.*

Chryſ. in Pſ. cxlviij. t. m. v. pag. 496.

Adverſùs

Adversùs manifeſtiſſimam veritatem Gregorii VII. ævo objiciebant paſſim illud Ozeæ Prophetæ: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi:* quæ multi interpretes, illique graviſſimi, intelligunt de Jeroboam, & Iſraëliticis Regibus, per ſeditionem, ac perfidiam adversùs legitimos Reges inſurgentibus, Deo quidem permittente, ſed ad meritam Salomonis ultionem. Hæc tamen ſi ad legitimos quoque Reges pertinere poſſe putant, facilè referentur, non ad Imperii inſtitutionem, ſed ad ejus exercendi modum: ut ſcilicèt Reges condemnentur qui non ex Dei legibus nutuque adminiſtrant eam poteſtatem, quæ divino eſt numine conſtituta. Oz. viij. 4.

Quæres quid jam interſit Sacerdotalem inter & Civilem poteſtatem, ſi utraque eſt à Deo. Multum per omnem modum. Primò, quia Sacerdotalis poteſtas in Lege & in Evangelio à Deo ipſo præſente atque conſpicuo fuerit inſtituta: civile autem Imperium, quamquam ſuo modo à Deo vel inditum, vel inſtitutum ſit, haud pari præſentiâ Divinæ Majeſtatis: tum Sacerdotalis Principatûs forma & regimen expreſsè ſunt à Deo inſtituta: civile Imperium generatim tantùm traditum eſt, & hominum arbitrio forma relicta, ſive illa Monarchica, ſive Ariſtocratica, ſive Popularis foret. At verum quidem Sacerdotium illiuſque poteſtatis legitima adminiſtratio cum verâ religione conjuncta eſt: Imperia verò legitima & apud infideles vigent: denique ritus conſecrandi Sacerdotes omninò Divinus, atque inter ſacramenta à Deo inſtituta numeratur, valetque interventu proprio & expreſſo Divini numinis, ac ſpiritûs: at Regum conſecratio neque à Deo eſt univerſim inſtituta, neque huic officio abſolutè neceſſaria, ſive, ut aiunt, eſſentialis eſt: quæ, ut in re clarâ leviter attigiſſe ſufficiat; cùm ſatis ſuperque conſtet apud Chriſtianos legitima Imperia à Deo eſſe, & quidem, uti memoravimus, à Deo propitio, ac rebus humanis conſulente. Nunc quæ inde conſequantur, ordine exponamus.

CAPUT IV.

TERTIA PROPOSITIO: *quòd Regia ac ſuprema poteſtas nulli alteri poteſtati Dei ordinatione ſubjecta: omnium gentium in eam rem conſenſio: Druidæ, Augures, alii ejuſmodi fruſtrà advocati ad præſidium indirectæ poteſtatis.*

TERTIA *propoſitio: Regia ac ſuprema poteſtas jam inde ab initio etiam inter infideles ita eſt à Deo inſtituta, ut ſit à Deo ſecunda, hoc eſt, in ſuo genere rebuſque ſuis ſub Deo, & poſt Deum prima; neque aliam Deus poteſtatem inſtituit, à quâ illa deponatur, aut in ordinem redigatur.*

Hæc propoſitio facilè deducitur ex antecedente: cùm enim conſtet Regiam ac ſupremam poteſtatem, etiam inter infideles à Deo eſſe, non minus certum eſt huic poteſtati nullam ſuperiorem à Deo fuiſſe impoſitam. Quam enim? An civilem aliam? Sed hæc verè Regia ac ſuprema eſſet, quam Deo

autori tribuimus, & à Deo ſecundam eſſe dicimus. An verò ſacerdotalem? At ea inter infideles non à Deo, ſed à Diabolo eſt; neque Melchiſedech, ſummi Dei Sacerdotem, eo nomine quidquam in Reges potuiſſe legimus; & ipſum Regem quidem, ſed ſuo & ſingulari Regno præpoſitum fuiſſe ſcimus. Quod autem antea paſſim, ſive primogeniti, ſive patres-familias, ſive quivis alii ſacrificia offerebant, delibatâ eâ parte Sacerdotalis officii; nihil hoc ad regenda Imperia pertinebat. Legale autem ac proprii jam nominis Sacerdotium per Moſem inſtitutum, longè poſt conſtituta Regna legitima floruit, neque ad ullam gentem præterquam Judaicam pertinebat. Ergò vigebat jam inde ab initio Regia ac ſuprema poteſtas, ſic à Deo conſtituta, ut eſſet omninò in ſuo ordine rebuſque ſuis ἀνυπεύθυνοι, hoc eſt, nulli alteri quàm divinæ obnoxia poteſtati; quæ noſtra eſt propoſitio.

Quare omninò ſibi, ſuæque poteſtati Deus reſervabat, ut impios Reges pœnâ coërceret. Populum enim ſuum Pharaoni, & Ægyptiis, cauſâ maximè religionis exoſum, jam tum docuerat non inſurgere in Principem,

Exod. ij. 23. j. Reg. xij. 8.

quamvis ſævientem, ſed *clamare ad Deum:* adire Regem: commonere: urgere prodigiis territum: nihil aggredi manu; ipſe enim unus extento brachio in mirabilibus, & terribilibus magnis Pharaonem adortus eſt: quem

Exod. ix. 16. Rom. ix. 17.

utpotè Regem ſuæ ultioni reſervaverat. *In hoc enim ipſum*, inquit, *excitavi te* tantâ poteſtate, tantâque contumaciâ præditum, *ut oſtendam in te virtutem meam.*

Hæc ergò vox, hic ſenſus eſt totius generis humani: neque enim aliter vigere poterat illa pax, illa ordinatio rerum humanarum, quam à Deo eſſe vidimus; niſi eſſet aliqua divino numine conſtituta ſuprema poteſtas, cui cedere omnes, ut à Deo ſecundæ, nullique alteri obnoxiæ tenerentur.

Hoc jure apud Romanos, hoc jure apud Græcos, Indos, Perſas; hoc jure apud omnes gentes adminiſtrata Reſpublica eſt. Nulla erat ſupra civilem poteſtatem à Deo conſtituta poteſtas, cujus arbitriis Imperia ſolverentur.

Vid. Cæſ. de bell. Gall. lib. vj.

Nam quòd Druidas commemorant, quorum *judiciis decretiſque* in omni controverſiâ Galli noſtri *parerent*, quòd Augures afferunt, ipſumque Ciceronem augurem de hujus ſacerdotii dignitate pleno eloquentiæ flumine differentem; quid ad nos attinet? Nempè Druidæ, Augures, Aruſpices, Extiſpices non erant, puto, divino numine conſtituti; tam falſi Sacerdotes, quàm falſa erant numina, quibus ſerviebant: civitatum ac Principum autoritate jus eorum invaluit. Quis autem dubitat partem aliquam publicæ poteſtatis in eos lege latâ conferri potuiſſe, cùm etiam legamus in quibuſdam civitatibus cum Sacerdotio Regnum fuiſſe conjunctum?

Quòd autem eam Sacerdotum, ac maximè Augurum poteſtatem illuſtriſſimus Baronius eò refert, *ut jure naturæ cuncti populi edocti ſint, penes Sacerdotes ſummam rerum eſſe*; id quàm apertè eſt nimium, tam apertè eſt falſum.

Cic. lib. ij. de legib.

At enim, inquiunt, teſte Cicerone poterant Augures *à ſummis Imperiis ac poteſtatibus comitia tollere; decernere ut magiſtratu ſe abdicarent Conſules; legem, ſi non jure rogata eſſet, tollere.* Hæc qui objiciunt, nequidem cogitant quo fonte iſta manârint.

Nempè in fulguribus, inque fulminibus, à fragore tonitruum, in avium volatu, ac tripudiis, in victimarum extis, ſignificationem eſſe peculiarem putabant divinæ voluntatis; cui ita patefactæ niſi obtemperarent, diram imminere ultionem. Quare neque haberi comitia, neque iniri Magiſtratus, neque quidquam rei publicæ, privatæve, agi poſſe, niſi aves addixiſſent: Deos enim immortales eo indicio, atque eloquio prodere quid vellent; cujus Divini eloquii intelligendi artem penes Aruſpices, atque Augures eſſe. Hæc ſi jure naturæ valent, malè nobiſcum actum eſt, qui talia contemnamus; neque in Sacerdotes, bella, judicia, comitia, omnia denique privata ac publica conferamus.

At jubebant Augures Conſulem abire Magiſtratu. Certè, ſi vitio creatus, ſi diremtis aliquo portento comitiis, ſi inauſpicato, ac Diis apertè, ut quidem exiſtimabant, abnuentibus, Magiſtratum iniiſſet. Quòd ſi hæc ad deponendos Eccleſiaſticâ autoritate Reges conferre non pudet, dicant noſtros Pontifices indiciis expreſſis, propalatam Divini numinis explicare voluntatem: aut, quandoquidem jure Augurum delectantur, doceant eo jure Regem aliquem jam inauguratum, jam agnitum, (Regem autem dico) doceant vel ſaltem Conſulem, annuum Magiſtratum, ſuſcepto ſemel conſenſione civitatis Imperio, abdicare juſſum. Sed in his diutiùs immoramur; neque tamen omittenda erant, quæ tantos viros, dum cauſæ ſuæ undique ſuffragia quærunt, commemorare non piguit. Jam ergò ad noſtras propoſitiones revertamur.

CAPUT V.

Ex tribus primis propoſitionibus Corollarium: *quòd ſine verà religione, veroque Sacerdotio, civile regimen perfectum, ac ſeipſo conſiſtens, atque in rebus ſuis ab omni aliâ poteſtate abſolutum: an in eo jure aliquid immutatum per Legale aut per Chriſtianum Sacerdotium, quartà & quintà propoſitione quæritur.*

HIC tria quidem hactenus à nobis conſtituta: primum illud: ab ipſâ rerum humanarum origine viguiſſe, etiam inter infideles, legitimo ordine ſuprema Imperia ac legitimos Magiſtratus: alterum, eorum Magiſtratuum poteſtatem à Deo eſſe: tertium, ita iis Magiſtratibus ſupremam poteſtatem à Deo eſſe traditam, ut ſint à Deo ſecundi, in ſuo ordine primi, nullâ aliâ à Deo poteſtate conſtitutâ, cui in rebus ſuis obnoxii viverent. Hæc nemo diffitetur. Jam certis propoſitionibus addimus haud minus certum

COROLLARIUM.

Perfectum regimen, quod attinet ad ordinem, & jura ſocietatis humanæ, ſine vero Sacerdotio, ac ſine verâ Religione eſſe poteſt. Explicamus, & ipſâ explicatione probamus,

Regimen perfectum dicimus conſideratione duplici: 1°. In ordine morali, ſive in genere moris: 2°. In ordine politico, ſive in genere civilis ſocietatis.

Itaque aſſerimus ſine verâ religione eſſe perfectum regimen, non in ordine morali: neque enim boni mores ſine verâ religione, verâque beatitudine, qui morum ac vitæ humanæ finis eſt, eſſe poſſunt; neque, ut præclarè Auguſtinus, aliundè eſſe poteſt beata, ac perfecta civitas, aliundè homo, cùm civitas nihil ſit aliud quàm hominum certo fœdere conjuncta ſocietas. Nullum ergò regimen in ordine morali ſine verâ religione perfectum eſſe poteſt.

Auguſt. de Civit. libr. xx. cap. viij. & alib. paſſ.

At perfectum eſſe poſſe dicimus in ordine politico, ſeu quantum attinet ad jura ſocietatis humanæ: perfectum enim eſt eo reſpectu regimen, quod primùm eſt legitimum, tum verè eſt à Deo, omnique animæ piæ colendum; denique in ſe ſupremum, nullius alterius Imperii indigum, nulli alteri obnoxium poteſtati. Tale autem fuit, & eſt regimen etiam apud infideles & impios; ergò perfectum illud regimen ſine verâ religione, veroque ſacerdotio eſſe poteſt.

Cùmque apud infideles non niſi falſum, & illegitimum Sacerdotium eſſe poſſit; veri tamen ac legitimi, & à Deo ordinati Magiſtratus præſunt: ſuntque ab ipſo Deo, cùm religio, tùm Imperium ita conſtituta, ut & vera religio ſine adjuncto ſibi Imperio, & verum ac legitimum Imperium ſine adjunctâ ſibi verâ religione eſſe poſſit.

Vera religio ſine adjuncto ſibi Imperio, imò Imperio plerumque adverſante, ſub Pharaone, ſub Nabuchodonozore, Baltaſſare, cæteris Aſſyriis, Perſiſque & Græcis Regibus, penes Hebræos: ſub tot impiis Imperatoribus penes Chriſtianos ſuit: verum Imperium ſine verâ religione ubique terrarum nititur.

Eſt ergò Imperium, ſeu civile regimen, religioni ſubordinatum, & ab eâ pendet in ordine morali, non autem in ordine politico, ſeu quod attinet ad jura ſocietatis humanæ: cùm hoc poſtremo ordine & religio & Imperium ſine ſe invicem eſſe poſſint.

Quæ cùm omnes fateantur, illud eſt conſectaneum, utcumque religio ſe habeat: utcumque Sacerdotes, qui religioni præſunt, de Principe, qui civili ſocietati præſit, egerint, decreverint, edixerint, nihilò ſeciùs manere Principi integra ea omnia jura, quibus civilem ſocietatem ordinet ac regat; neque omnino poſſe à Sacerdote deponi Principem, qui in ſuo ordine ſub Deo primus ſit à Deo conſtitutus.

Hæc, inquam, certa ſunt, niſi Deus in ſupremis poteſtatibus à ſe conſtitutis, eorumque juribus aliquid immutaverit, inſtituto ſcilicèt Legali, aut Chriſtiano Sacerdotio, attributoque jure deponendi Reges ac temporalia ordinandi. An autem id fecerit propoſitiones quarta & quinta luculenter edocebunt.

Digitized by Google

CAPUT VI.

QUARTA PROPOSITIO : *Per inſtitutionem Sacerdotii Legalis nihil immutatum in Regiâ ac ſummâ poteſtate ; nihil ad eam deponendam juris Sacerdotibus attributum : probatum ex* Deuteronomio , *Regumque libris.*

QUARTA *propoſitio : Per inſtitutionem Sacerdotii Legalis non immutavit Deus rationem , ac ſtatum Principatûs , ſeu Regiæ ac ſupremæ poteſtatis ; imò luculentiùs declaravit eam poteſtatem à Deo eſſe ſecundam , & in ſuo genere rebuſque ſuis primam.* Hac ergò conſtabit, Sacerdotali ordini per legem Moſaïcam inſtituto , nihil juris à Deo attributum fuiſſe ad ordinanda temporalia, deponendoſque Reges, ſive directè, ſive indirectè, ſive apud fideles, ſive apud infideles.

Et de infidelibus quidem certum : cùm Legale Sacerdotium nihil ad eos ſpectet: de fidelibus quoque idem facilè probatur, vel hoc uno argumento, quòd in totâ lege, cùm Sacerdotale inſtituitur àtque explicatur officium, nihil tamen ei à Moſe in Regiam poteſtatem fuerit attributum; tametſi ipſe Dominus eam poteſtatem inter Hebræos futuram pronuntiaverit his verbis in Deuteronomio : *Cùm*, inquit, *ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illâ, & dixeris : conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, &c.* Deuteron. xvij. 14.

At multa quidem hìc futuro Regi præcipit : ne multiplicet equos : ne uxores, ne divitias congerat : ne revertatur in Ægyptum : ut deſcribat ſibi legem, accepto exemplari *à Sacerdotibus ;* neque enim illud prætermiſſum eſt, quod ad commendationem Sacerdotalis officii pertineret. In Sacerdotali verò officio deſcribendo, Moſes ad minutiſſima quæque deſcendit : de tanto illo jure Sacerdotii depoſituri Reges, de obedientiâ tantâ præſtandâ à Regibus, ut depoſiti loco cederent, nihil omninò ſcriptum : cùm profectò id eò magis memorandum eſſet, quò erat ex ſeſe maximum, magiſque ab omni hominum conſuetudine abhorrebat. Quin etiam in Deuteronomii loco disertè expreſſum illud : *Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes :* quibus verbis demonſtratur civilem poteſtatem, eo, quo erat apud omnes, loco relinquendam, neque per legem Moſis quidquam immutatum.

At forte Sacerdotale illud jus ad deponendos Reges ſibi Deus exponendum, decernendumque reſervabat eo tempore, quo Reges, ac primum eorum Saülem conſtituturus eſſet. Imò verò populus dictorum Domini memor, ſic ait ad Samuelem : *Conſtitue nobis Regem ut judicet nos, ſicut & cateræ habent nationes :* & iterum ; *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis ;* prorſùs eo ſenſu quo Deus in Deuteronomio dicturos prænuntiaverat : *Conſtituam ſuper me Regem ſicut habent cateræ per circuitum nationes :* ſcilicèt nihil novi cogitabant, neque aliam animo 1. Reg. viij. 5. Ibid. 19. 20.

informaverant ideam Principatûs, quàm quæ apud cæteras gentes invaluerat. Quare æquè ſupremam, æquè abſolutam intelligebant ab omni aliâ poteſtate. At qualem Regem poſtulabant, talem Deus conceſſit. *Dixit enim Deus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi:* & iterum: *Nunc ergò vocem eorum audi.* Ergò inter fideles æquè ac inter infideles, pari jure, nullâque Majeſtatis imminutione regnatum eſt. Sanè apud fideles id additum, quòd ſacrâ unctione Majeſtas facta eſt auguſtior & ſanctior, & in Chriſti Domini imaginem Reges CHRISTI habiti, ſanctiore titulo conſecrati ſunt.

Ibid. 7. Ibid. 9.

CAPUT VII.

An unctio Regum, eorumque deſignatio per Samuelem interdum ac Prophetas facta, in ordinandis civilibus aliquid Sacerdotibus juris attribuat? De Concilio Sanhedrin BARONII *ſententia expenditur.*

AT fortè ea unctio quam à Sacerdotibus Reges Iſraëlitici accepturi erant, eos Sacerdotibus peculiari titulo ſubmittebat: eratque Pontifici peculiare jus, ut ad deſignandos, ſic etiam ad amovendos Reges attributum. Neutiquam. Si enim rem ab origine repetamus, primus omnium Samuel, ne quidem Sacerdos, nedum Pontifex, ſed Levita tantùm, mandato Dei, juſſuque ſpeciali Saülem deſignavit & unxit, & ad Regnum evexit; & poſteà reprobatum, haud minùs ſpeciali mandato, Regno amovendum edixit, & Davidem in Regem unxit: nihil ergò hîc quidquam in admovendo amovendoque Principe, Sacerdotali & ordinario jure: nihil, niſi Prophetico & extraordinario officio à Samuele eſt factum; ut profectò mirum ſit Baronium hæc extraordinaria, ad ſtabiliendam ordinariam Pontificum poteſtatem detorquere voluiſſe.

1. Reg. viij. 22. ix. 15. 16. x. 18. 20. xv. 26. xvj. 13.

Bar. tom. ix. an. 800. p. 489.

Neque verò poſteà Salomon à Sacerdote, ſed à Davide electus eſt: ac poſteà juſſu Davidis à Sadoc Sacerdote eſt unctus. Sic enim David jubet: *Vocate mihi Sadoc Sacerdotem & Nathan Prophetam, & Banaiam filium Joiadæ: qui cùm ingreſſi fuiſſent coram Rege, dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & unget eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſrael.* Ordinario miniſterio Sacerdotis, Propheticum quoque & extraordinarium adjungitur Nathani officium; quòd aliquid hîc extraordinarium interveniſſet, ac Salomon natu minor, juſſu Domini ad Davidem per Nathanum perlato, ad dignitatem Regiam eſſet provehendus.

iij. Reg. j. 32. 33. 34.

Non ergò Sacerdos, ſed David à Prophetâ monitus, jure Regio deſignat ſucceſſorem, verèque eſt illud à Bethſabee dictum: *Verumtamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſraël, ut indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* Neque quidquam aliud poſteà Pontificibus attributum, niſi ut eos ungerent, quorum hæreditario jure eſſet Imperium.

Ibid. 20.

Digitized by Google

Nihil ergò juris in lege Moſaicâ Sacerdotibus attributum eſt, quo Regia Imperia ſolverentur, ſive cùm Sacerdotale, ſive cùm Regium inſtitueretur, ac deſcriberetur officium; eſtque omninò Regia ac civilis poteſtas, Legali etiam Sacerdotio inſtituto, in ſuo ordine rebuſque ſuis prima & abſoluta.

Neque ullâ ratione ſtare poſſunt ea, quæ ait Baronius de Collegio ſeptuaginta duorum Seniorum à Moſe inſtituto, cujus officium eſſet *de lege, Rege, atque Prophetâ judicare*, quo factum ſit, ut *Reges ſubjecti eſſent ſummo Pontifici, qui ſuo arbitrio moderabatur magnum illud Conſilium, cujus Conſilii judicio Herodes Rex poſtulatus eſt*, ut Joſephus teſtatur. Hæc, inquam, nullo modo ſtare poſſunt.

Bar. tom. j. an. 31. p. 99. an. 57. p. 436. vid. etiam tom. ix. loc. cit.

Primùm enim nihil tale in Scripturâ legimus, nec cùm inſtituti ſunt à Moſe Magiſtratus, conflatumque ex illis eſt, aut aliter quomodocumque, Deo jubente, inſtitutum illud Senatorum ſeptuaginta Conſilium: non eos conſtitutos fuiſſe videmus, ut de Regibus, ſummâque poteſtate decernerent, ſed ut Moſem ſub judicandi populi onere fatiſcentem, in privatis controverſiis diſceptandis adjuvarent: neque à tali Conſilio ullum unquam Judicem, (*a*) ullum Regem judicatum fuiſſe in Judicum, aut Regum, aut Paralipomenon libris legimus; neque Joſephus prodidit, in recidivo ſub Machabæis Judæorum Imperio, eum Senatum ad Reges in ordinem cogendos quidquam fuiſſe molitum; nec, ſi Rabbini quidam dixerint ab eo Conſilio de Rege judicatum iri, nempè ſi qui de Regno litigâſſent, id ad Reges deponendos trahi poſſit, cùm jure regnant: (*b*) neque Herodes,

Exod. xviij. 18. 21. Num. xj. 14. 15. 16.

(*a*) *Ullum judicem.*] Etenim Judices, qui populo Iſraelitico ante Regnum conſtitutum præfuerunt, puta Othoniel, Gedeon &c. eâ poteſtate gaudebant supremâ, quâ deindè Reges, ut nulli alteri quàm Divinæ obnoxii eſſent poteſtati. Sed Senatores illi de quibus hìc agitur, à Moſe fuerant plebi prælati, eò ut *judicarent minora tantummodò, & ad ſe quidquid majus eſſet referrent.* Exod. xviij. 22. Ergò allucinatur Baronius.

(*b*) *Herodes quem ad id Conſilium &c.*] Nonnulla notanda veniunt in eo exemplo quod profert Baronius. Et quidem, ut obſervat D. Bossuet, Herodes tunc temporis Rex non erat, ſed Galilææ Procurator. Porrò cùm ille quoſdam è Galilæâ latrones occidiſſet, multi, qui patrem ejus Antipatrem, ſub Hircano Rege Regni adminiſtrum, atque adeò autoritate & opibus plurimùm valentem oderant, Hircano perſuaſerunt, ut juberet Herodem ſiſtere ſe coram Sanhedrin. Erat autem Sanhedrin Senatus, ſeu magnum Conſilium Judæorum, in quo ſedebant Judices primores populi ex unâquâque Tribu delecti, quos inter vincebant, cùm autoritate, tùm numero, ex Tribu Levi Sacerdotes & Levitæ. Igitur Hircanus, homo propè ſtolidus, qui, ſi vir fuiſſet, de Herodis facto ipſe judicâſſet, hunc vocat ad Sanhedrin Conſilium. Hircano quidem paruit Herodes; ſed venit non ſordidatus; verùm id quod Sameas conquerebatur, purpuratus & Regio cinctus ſatellitio; queis oſtendebat, quod de ſe judicium laturi eſſent, ſe non multum curare: imò vindictam ſumpturum, ſi damnationis ſententiam ferre præſumerent. Ergò Herodes, injecto Judicibus timore, ipſe, non expectato judicio, profectus eſt Damaſcum, ubi palam dixit, ſe ad judicium, ſi iterùm vocaretur, non adfuturum; neque narrat Joſephus ullam adversùs Herodem latam fuiſſe ſententiam. Itaque quanquam Herodes Rex fuiſſet, nil pro Baronii cauſâ rectè poſſet concludi ex illâ in jus vocatione per invidorum hominum conſpirationem factâ, quam Herodes adeò ſprevit, ut palàm pronuntiaret ſe non adfuturum, ſi denuò vocaretur, quamque demùm nulla ſententia ſubſecuta eſt. Attamen Baronius illo gaudet exemplo, & illud tertium quartumque iterat; quod tamen ſeorſim ſi conſideretur, deprimeret potiùs quàm extolleret Sacerdotalem poteſtatem. Etenim in tanto Sacerdotum numero, nihil gravitatis ineſt, nihil magni animi, nihil fortitudinis: unus eſt Sameas dignitatis ſuæ memor. Addit Baronius: *Summum Pontificem ſuo arbitrio moderari ſolitum magnum illud Conſilium.* Verumtamen ne unum quidem nominat ex Pon-

(Joſeph. antiq. lib. xiv. cap. xvij.) quem ad id Conſilium reum citatum eſſe idem Joſephus memorat, Regiâ tunc poteſtate erat, ſed & ipſe, & Antipater ejus parens, ſub Hircani Pontificis Principatu vivebant, ejuſque autoritate omnia poterant; ſtetitque judicio Herodes, ejuſdem Hircani Pontificis pariter ac Principis juſſu. Nec ſi concedamus huic Conſilio datum eſſe ut de Regibus decerneret, idcircò eam poteſtatem in Pontificem transferimus, cùm eſſet is cœtus ex omnibus Tribubus conſtitutus: neque verò Pontifex in omnibus præerat: (ij. Paral. xix. 11.) ſed disertè præſcriptum eſt à Rege Joſaphat, *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmaël, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent:* nec ſi concedamus Pontificem in omnibus præſediſſe, ideò etiam pro Imperio decreviſſe fateamur; neque magis probat Baronius Reges Pontifici, quàm totius gentis Conſilio eſſe ſubjectos: ut quæ ille dicit non modò falſa ſint, ſed etiam ejus inſtituto non congruant.

CAPUT VIII.

Bellarmini argumentum ex Deuteronomii loco.

(Deuteron. xvij. 14. 15.) EODEM vitio laborat *Bellarmini* argumentum ex Deuteronomii loco repetitum: *Cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam.... & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus:* hoc eſt, ejuſdem gentis, ac veræ religionis conſors. Quo ex loco vir maximus ſic (Bell. de R. P. lib. v. c. vij. p. 891.) ratiocinatur: cùm ejuſdem periculi ſit eligere, & non deponere, utrumque æquè vetitum eſſe, intelligendum; ac proinde deponendos Principes veræ religionis exſortes.

Sed hoc argumentum, primùm quidem nihil ad rem. Agimus enimverò de poteſtate Pontificis, de quo in hoc Deuteronomii loco ne verbum quidem. Agit Moyſes de toto populo terram ingreſſuro, & Regem electuro abſque ullo peculiari interventu Pontificiæ poteſtatis, ut & ipſa Moſis verba demonſtrant, & Samuëlis non Pontificis, ſed Prophetæ extraordinaria, quam commemoravimus, ad officium deſignandi Regis, delegatio confirmat.

2°. Argumentum illud nimis probat: probat enim alienigenas ac veræ religionis exſortes non modò non eligendos, ſed nec etiam tolerandos eſſe; quod nec ipſe Bellarminus admittat: quippe qui retinendos doceat infideles

tificibus, cui de hoc Conſilio tantùm licuerit: quantò minùs licuiſſet Hircano imbecilli, qui non tàm regit quàm ipſe regitur, nunc ab Antipatre & Herode, nunc ab eorum æmulis; quique illorum ſemper partes fovet, qui in capiendo levi ejus animo ſunt callidiores & promptiores? Nam ſi Herodis adverſatiorum impulſu, hunc ad judicium vocat, ipſe illi ſuaſor eſt, ut ſpreto Conſilio, nec expectato judicio, ſtatim abeat. Nil ergò firmum fixumque eſt in totâ Hircani agendi ratione; neque, ut optimè annotavit D. BOSSUET, ullum poterat Baronius exemplum adſciſcere, quod iis quæ ipſi probanda erant, congruens minùs cohærenſque eſſet. *Vid. Joſeph. lib.* xiv. *cap.* xvij.

infideles Principes, eâ conditione, ſi populum à fide non avertant; at eos profectò eligere non licet, cùm lex generatim edicat: *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater.* Falſiſſimum ergò eſt, vel teſte Bellarmino, deponi poſſe eos qui eligi vetentur.

Ac profectò Judæi Babylonios, Medos, Perſas, Græcos, Romanos, cùm non eſſent fratres, eligere non poterant; quos tamen colere debuerunt, poſtquàm in eorum manus legitimo ordine devenerunt. Procul dubio enim alienigena & infidelis erat Cæſar, de quo tamen Chriſtus dixit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ergò non abjicere, aut deponere, ſed colere debebant, quem eligere, utpotè alienigenam, ex legis interdicto vetabantur.

Hoc de infidelibus & alienigenis: jam verò de ipſis fratribus, ſi exiſtimaveris eum, qui ad Regnum evehatur veram religionem ſecutus, deponi debere, poſtquàm ab eâ deſciverit, haud minùs abſurdum erit: cùm nemo auſit dicere Achaz, Manaſſen, & alios, poſt Regnum adeptum, ad Idola converſos, deponi neceſſariò debuiſſe, quos Prophetæ ac pii omnes pro veris Regibus coluerint.

Ac multa omninò ſunt quæ, re integrâ, facere non liceat, propter grave periculum: facta, propter gravius periculum, mutare non licet: quale eſt periculum in deponendis Regibus, ubi ſolutâ Imperii vi, unà cum Republicâ religio periclitatur.

CAPUT IX.

Quæ antè dicta ſunt, Judæorum hiſtoriâ recenſitâ, luculentiùs explicantur: Judæorum Regum, etiam ad Idola cogentium, inviolata Majeſtas: Reges Aſſyrii, Medi, Perſæ, pari cultu obſervati: erga eos egregia, Alexandri Magni tempore, Judæorum fides: JOSEPHI *locus: eadem obedientia in Alexandrum & Græcos Syriæ Reges.*

HÆC per ſe luculenta magis eluceſcent, ſi populi Iſraëlitici hiſtoriam paucis retexerimus.

Vixit populus ille ſub Moſe primùm, qui utramque complexus poteſtatem, Sacerdotale officium in Aaronem, ejuſque filios hæreditarium tranſtulit; civile Imperium moriturus in Joſue contulit. Hiſce temporibus, ipſe Deus Regem agebat; quo factum eſt, ut, populo Regem petenti, ad Samuelem dixerit: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* j. Reg. viij. 7.

Interim cùm opus eſſet, Deus extraordinariè delegabat, qui civile Imperium exercerent: quo jure Judices Rempublicam adminiſtravêre. Et quidem Heli Pontifex Maximus eo munere functus eſt, ſed ad id ipſe quoque vel populi conſenſione, vel quod illis temporibus magis congruit, Divino numine delegatus. Certè ſi quid ei Pontificatûs jure, idem etiam cæteris Pontificibus competiſſet. Succeſſit tamen illi Samuël, neque Pontifex, neque Sacerdos, ſed Levita tantùm, ut diximus: quæ profectò res vetat, ne civile Imperium cum Sacerdotali officio conjunctum arbitremur.

Tomus I. S

Sub Samuele Regium eſt conſtitutum Imperium, eo quidem ad omnia præeunte; ſed, ut id præſtare poſſet, extraordinariè delegato: quare Leviticæ tribui nulla eſt peculiaris in Reges attributa poteſtas.

Exinde Hebræi fuêre ſub ſuis, ac ſub extaneis Regibus: ſub ſuis à tempore Saülis uſque ad Sedeciam, quo tempore Reges paſſim Idolis ſervierunt, templum Domini occluſerunt, in pios ſævierunt, Prophetas cæciderunt; neque interim de iis deponendis, aut Sacerdotes unquàm, aut ullus hominum cogitavit: ſed ab omnibus ſunt habiti pro veris Regibus, etiam à Prophetis, qui à Domino miſſi tantâ autoritate, tantâque præſentiâ Divini Spiritûs, Divina oracula nuntiabant; & cùm in lege ſcriptum eſſet, ut quicumque ex Iſraëlitis Deos alienos coleret, capitali ſupplicio puniretur, nemo tamen eſt ſuſpicatus, à quoquam, niſi à Deo, animadverti poſſe in Reges: ergò Regia poteſtas ſacro-ſancta, & ab omni aliâ, præterquàm à Divinâ poteſtate abſoluta habebatur.

Pſ. l. 6. — Ambroſ. apol. j. Dav. cap. x. n. 51. tom. j. pag. 692.

Item lege cautum erat, ut adulteri & percuſſores morte morerentur, & tamen David adulter & percuſſor dicebat: *Tibi ſoli peccavi.* Quem in verſum, notum eſt illud Ambroſii: *Rex erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum: neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti ſub Imperii poteſtate: homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.*

Hîc verò notandum Reges à legis præſcripto generali, nullâ clauſulâ exceptos, ipſâ majeſtate Regii nominis pro exceptis habitos. Ergò intelligebant ſoli Deo reſervatos, & ab omni aliâ poteſtate immunes.

j. Reg. xv. 10. 16.

Si ventum eò eſt aliquandò, ut Reges Regno extorres futuri declararentur, quemadmodùm Saüli contigit: id verò Samuel Prophetico miniſterio extraordinariè, ac peculiari revelatione juſſus præſtitit, nullique unquàm ordinariæ poteſtati talia conceſſa ſunt.

B[illegible]. tom. ix. [illegible] 800. p. 489.

Eodem Prophetico atque extraordinario officio, & Jeroboam, & Jehu, & alii ſciſſarum tribuum Reges amoti & ordinati: quæ Baronius more ſuo ad ordinariam Pontificum poteſtatem ſtudioſiſſimè confert. Nos melius concludimus talia de Regibus, non niſi extraordinariè ac peculiari juſſu, Divinitùs deſignari.

j. Reg. xv. 23. — Ibid. 30. — Ib. xxiv. 6. — ij. Reg. j. 14. — j. Reg. xxvj. 10. 11.

Quin etiam Reges à Deo reprobati, quamdiu in vivis erant, ab omnibus colebantur; etiam Saül, à Samuele, dictâ licèt ſententiâ hac in nomine Domini: *Abjicit te Dominus ne ſis Rex;* & ab eo Samuel diſceſſurus, manſit tamen à Saüle rogatus in hæc verba: *Peccavi, ſed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Iſrael;* ne Majeſtas Regia in homine reprobo vilis haberetur: & in illâ ſpeluncâ, Davidem jam Regem & unctum *percuſſit cor ſuum, eò quòd abſcidiſſet oram chlamidis Saul*, & Chriſtum Domini licentiùs contigiſſet: denique & mortuum eſt ultus, ut Chriſtum Domini, quemadmodum anteà conteſtatus erat: *Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, propitius mihi ſit Dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini:* adverte, *niſi Dominus percuſſerit eum*, quo demonſtrat Regem, quantumvis impium & apertè reprobatum, Deo tamen ultori reſervatum, & quamdiù à Deo eſt incolumis, pro Chriſto Domini eſſe colendum.

Jerem. lij. 2. iv. Reg. xxiv. 19.

Quare Jeremias Sedeciam Regem, de quo & ipſe ſcripſerat: *Fecit malum coram Domino*, ut anteceſſores ſui idola ſecuti: eum, inquam, Regem, jam

Digitized by Google

everſo Regno, Nabuchodonoſori traditum à Domino, proſequitur lacrymis, & Majeſtatem Regiam in eo conculcatam luget: *Polluit*, inquit, *Regnum & Principes ejus*; & addit: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*, ſive, ut alii vertunt: *Chriſtus Domini* (Sedecias) *captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus in umbrâ tuâ vivemus in gentibus.* Nempè Regis impii calamitatem, non ejus, ſed populi, ſuiſque peccatis tribuit; eumque haud minùs vitâ, ac ſpiritu charum, etiam inter hoſtes, ſuis ſolatio & præſidio futurum veneratur ac diligit: quæ quidem adeò magnifica ſunt, ut Chriſtum ipſum adumbrent. Eo honore ab Iſraëlitis, atque etiam à Prophetis, Regia Majeſtas in impio Rege, victo, ſpoliatoque habebatur. Lam. ij. 2. 6. 9. Ib. iv. 20.

At poſtquàm everſo Regno Judaico, infidelibus Regibus Hebræi ſubjecti ſunt, haud minore fide eos obſervârunt, juſſi à Prophetis quærere *pacem civitatis ad quam* tranſmigraverant (Babylonis ſcilicèt & Regni Babylonici) *& orare pro vitâ Nabuchodonoſor Regis Babylonis*, & *pro vitâ Balthaſar filii ejus; ut ſint dies eorum ſicut dies Cœli ſuper terram, & ut*, inquit, *det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbrâ Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbrâ Balthaſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Jerem. xxix. 7. Bar. j. 11. 12.

Tranſlato deinde ad Medos & Perſas Imperio, Judæi ad eos fidem & obſequium tranſtulêre, & adversùs Aſſuerum (c) Regem Perſarum, quicumque ille ſit, edicto propoſito eos neci addicentem, omnes nulla arma comparârunt, præter jejunia, piaſque ad Dominum preces. Eſth. iij. iv. xiij. xiv. Ibid. v. vj. vij. xvj.

Sic inflexus Rex ad miſericordiam: Aman Judæorum hoſtis ultimo ſupplicio affectus eſt; quo facto, victores Judæi cepêre per urbes ultionem de hoſtibus, eoſque trucidârunt, ſed Aſſueri autoritate & edicto. Ibid. v. vj. vij. xvj.

Neque veriti ſunt victoris Alexandri, ſubſidia poſcentis in obſidionem Tyri, iram provocare, ut Perſarum Regibus ſuis dominis, fidi obſequenteſque viverent. Reſpondit enim Jaddus Pontifex Maximus Alexandri Nuntiis: *Sacramento ſe obligatum Dario, ne arma contra eum caperet, idque ratum fore, quandiu Darius ipſe viveret.* Sic ipſi Pontifici videbatur illud inviolabile ſacramentum, neque per Pontificiam poteſtatem, præſente licèt Synagogæ totius tantâ utilitate, imò neceſſitate ſolvendum. Joſep. ant. lib. xj. cap. viij.

Rerum potienti Alexandro, obſtrictâ ſemel fide, paruerunt; & poſt Alexandrum, Syriæ Regibus attributi, in obſequio manſerunt, nuſquàm Imperio ſollicitato, tametſi Reges populum ad Idola ſectanda omni arte pellicerent, vimque perſæpe intentarent.

(c) *Adversùs Aſſuerum &c.*] Quis ſit ille Aſſuerus lis eſt inter doctos. Alii conjiciunt eſſe Artaxerxem qui μακρόχειρ, alii qui μνήμων cognominabatur, nonnulli Darium Hiſtaſpis filium patrem Darii Medi. Tot inter diſcrepantes ſententias, fortè ſatiùs eſt nullam ſequi. Vide tamen eos qui librum Eſtheræ commentati ſunt, & Dionyſ. Petavium de Doct. temp. Lib. xij. atque imprimis Hieronymum, qui putat hunc Aſſuerum eſſe ipſum Artaxerxem *Ochum* filium Artaxerxis cognomento μνήμων Vid. Comm. in Ezech. lib. j. cap. iv. tom. iij. p. 720. edit. Ben. & lib. iij. Dial. adv. Pelag. tom. iv. p. 139. Cæterùm pleri que exiſtimant nomen Aſſueri, ſive quod idem eſt Artaxerxis, omnibus Perſarum Regibus fuiſſe commune, quomodò antea Regibus Ægypti Pharaonis, ac deindè Romanis Imperatoribus, Cæſaris nomen promiſcuum fuit.

CAPUT X.

Recidivum ſub Machabæis Imperium peculiari Dei inſtinctu à Mathathiâ inchoatum, à filiis ſtabilitum: Romani ac Cæſares eodem jure, Chriſto approbante, regnârunt.

Du Perr. Har. œuv. div. p. 627. AT enim, inquiunt, ad extremum ſub Antiocho Epiphane arma cepe-runt, autore Mathathiâ Sacerdote. Hoc argumentum quidam ſupra modum efferunt: ſed fruſtrà. Et quidem illud exemplum Bellarminus meritò prætermiſit; neque enim Mathathias ſummus Pontifex fuit, qui de his pro poteſtate decreviſſe fingatur, neque Sacerdotali poteſtate quidquam egit, ſed inſtinctu Divino, quemadmodùm Phinees *Zelo Dei commotus*. Sic enim ſcriptum eſt in Machabæorum libris: *Acceſſit quidam Judaus in omnium oculis ſacrificare Idolis ſuper aram in civitate Modin, ſecundùm juſſum Regis; & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram: ſed & virum, quem Rex Antiochus miſerat, qui cogebat immolare, occidit in ipſo tempore, & aram deſtruxit; &* ZELATUS EST LEGEM, SICUT FECIT PHINEES JAMRI, FILIO SALOMI, *& exclamavit Mathathias voce magnâ in civitate, dicens: Omnis qui Zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.* Hoc ergò egit eo inſtinctu, quo actus eſt Phinees, hoc eſt, peculiari, ac planè Divino, quod Doctores omnes ſummâ conſenſione tradunt; quo inſtinctu Aod Eglonem; quo inſtinctu ipſe Moſes Ægyptium interfecit: *Exiſtimabat enim intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipſius daret ſalutem illis:* ut eſt à ſancto Stephano in Actis proditum; quo inſtinctu tam multa extraordinaria, neque in exemplum trahenda, facta eſſe legimus. Neque verò, ſi fanatici homines inſtinctum Dei mentiuntur, ideò mendacii coarguere debemus ea, quæ Deus ipſe à ſe inſtigata teſtatur; at Deus inſtinctum Mathathiæ multis miraculis, *& è cælo factis illuminationibus*, confirmavit; tale illud eſt in Machabæorum libris traditum: *Cùm vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſariis de cælo viri quinque........ ducatum Judæis præſtantes; ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum incolumen conſervabant: in adverſarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant:* ut omittam quot victorias, tot fuiſſe miracula. Quin etiam per Divinum *ac fide dignum ſomnium*, ſcimus *extendiſſe Jeremiam dextram, & dediſſe Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël:* quæ verè Divina fuiſſe, ſecutæ victoriæ demonſtrârunt.

Num. xxv. 11.
j. Macc. ij. 23. & ſeq.
Judic. iij. 21.
Exod. ij. 12.
Act. vij. 25.
ij. Macc. ij. 22.
Ibid. x. 29. 30.
Ibid. xv. 11. 14. 15.

j. Macc. vj. i. Macc. ix. Huc etiam facit de Anthiocho, Judæorum perſecutore ſæviſſimo, manifeſtâ Dei ultione ſumptum ſupplicium; quâ ultione perterritus, & ipſe confeſſus eſt Deum apertè favere Judæis, ut non tantùm Judæi, ſed etiam hoſtes, in tot mirificis geſtis, ultricem Dei manum, ac Divinam poteſtatem agnoſcerent. Conſtat ergò Judæos adversùs ſævientem Regem, non anteà arma cepiſſe, quàm inſtinctu peculiari, totque Divinis teſtificationibus ad

id incitati ſunt : quare malè ea referri ad ordinariam poteſtatem luce clarius eſt.

Huc accedit Eccleſiæ & Synagogæ diverſa conditio, diverſus ſpiritus : ut iv. Reg. j.
ab alterâ ad alteram conſecutio non valeat. Non enim ſi Divino impulſu 10. 12.
Elias è cœlo ultricem flammam elicuit, ideò hæc novo Teſtamento congruunt, dicente Domino ad Apoſtolos Eliæ ſimilia cogitantes : *Neſcitis cujus* Luc. xij.
ſpiritûs eſtis : tum veteris Synagogæ tempore ſtatutum erat, electum popu- 54. 55.
lum ex eòdem tantùm Abrahami genere propagari; ſacrique fœderis ac religionis pars erat vel maxima, ut terram Chananæam patribus jejurando promiſſam incolerent; cultus quoque religionis affixus erat ei loco, quem elegerat Dominus, extra quem locum non vota, non feſta ſolennia, non ipſa ſacrificia, ac ſacra reliqua, ſancta rataque eſſent. Quare cùm Dominus tranſmigrari ad Babylonem voluit, miſſo Jeremiâ Prophetâ, ac peculiari juſſu indicta migratio eſt : ſimul datum promiſſum, ne ultra ſeptuaginta annos eſſet duratura, neve poſteà unquàm, ſtante certè fœdere, à locis religioni addictis moverentur : quæ nunc omnia vacant. At ea omnia, quibus antiquum fœdus conſtaret, Antiochus evertebat : hæc enim Mathathias lamentatur : *Væ mihi! ut quid natus ſum, videre contritionem populi mei, & con-* j. Macc.ij.
tritionem civitatis ſanctæ, & ſedere illic, cùm datur in manus inimicorum, 7. 8,
ſancta in manus extraneorum facta ſunt : Templum ejus ſicut homo ignobilis : quæque alia vir ſanctus deploravit. Ac poſteà magis magiſque mala increvêre, cùm ſcilicèt Lyſiæ mandavit Antiochus, *ut mitteret exercitum ad con-*
terendam & extirpandam virtutem Iſraël, & reliquias Jeruſalem, & AUFE- Ibid. iij.
RENDAM MEMORIAM EORUM DE LOCO, *& ut conſtitueret* HABITATORES 35. & ſ.q.
FILIOS ALIENIGENAS *in omnibus finibus eorum, &* SORTE DISTRIBUERET TERRAM EORUM. . . . . *& audierunt mercatores Regionum, & acceperunt argentum & aurum multum valde, & venerunt in caſtra ut acciperent filios Iſraël in ſervos :* mittebatque Antiochus totâ Judæâ, qui *omnes perfectæ ætatis in-* ij.Macc. v.
terficerent, mulieres, ac juvenes venderent extraneis. Quibus perpetratis, ter- 24.
râque Chanaan alienigenis traditâ, nec fœdus, nec religio ſtare poſſet, templumque ipſum, cui Domini juſſu affixa religio, titulo Domini in æternum abolito, non alio deinceps quam *Jovis Olympii* titulo cognominaretur.

Quo loco cùm res eſſent, non tamen aliter niſi peculiari inſtinctu arma ſumpſerunt : & Deus ad hæc omnia, quæ memoravimus à Judâ & à fratribus, ſuo ſuſcepta numine, Regum quoque Syriorum conſenſionem accedere voluit : Jonathaſque & Simon non modò purpurâ, Principatu, con- j. Macc. x.
ſeſſu Regio, verùm etiam iis omnibus, queis Regiæ poteſtatis vis conſtat, 18. 19. 25.
cudendæ pecuniæ, muniendarum arcium, armandi exercitus jure ; Judæi 62. 63. 65.
quoque immunitate & libertate donati ſunt. Sic ad novum Principatum ſta- xj. 3. xiij.
biliendum, Divina & humana jura cumulantur, atque extraordinaria in or- 36. 41. 42. xiv. 38. xv.
dinariam poteſtatem deſinunt ; ac demùm ſupremum apud Judæos Impe- 2. 6. 7.
rium ab univerſo populo, annuentibus Regibus, in Simonem eſt collatum, poſtquàm, eo maximè autore, ablatum eſt jugum gentium ab Iſraël. Ibid. xiij.

Neque Simon, Pontifex licèt, Principatûs honorem ac vim, Sacerdotii 41.
ſui jure ſibi vindicavit, ſed *in conventu magno Sacerdotum, & populi, & Prin-* j. Macc.
cipum gentis & ſeniorum Regionis ; totius gentis decreto ac veluti lege Re- xiv. 28.

giâ, in ſe collatum accepit: quâ unâ conſenſione cum Sacerdotali officio, Regium conjunctum Imperium eſt.

Poſt centum & quinquaginta annos, in Judæâ Romani regnârunt, datis etiam Regibus Herode & ejus liberis, ſub quibus Cæſares partem Regni, ipſamque Jeroſolymam, Regni ac gentis caput, Romano Imperio vindicârunt: certè nuſquam obnoxii Pontifici Judæorum, qui eorum Imperia ſolveret. Nemo enim id his temporibus, vel per ſomnium cogitabat: quod

Matt.xxij. 21. quidem Imperii jus ipſe Dominus confirmavit dicens: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo:* nihil interpellatâ ſcilicèt Cæſarum poteſtate, ac tantùm decreto edito, ut Deo ac religioni debita obſequia ſervarentur.

Quare Regnum & Sacerdotium, diſtinctas poteſtates, in ſuo quamque ordine ſupremas eſſe, non autem Sacerdotali Regiam obnoxiam, ab ipsâ Sacerdotii Legalis origine, uſque ad Chriſtum Dominum, & excidium gentis, omnes Hebræorum hiſtoriæ, omnia monumenta clamant; neque ullum Dei præceptum, ullàm populi Judaici traditionem, ullum exemplum, quod huic doctrinæ adverſaretur Baronius & Bellarminus aut alii protulêre.

CAPUT XI.

An ATHALIÆ *cæſæ exemplum his obſit.*

Bell. de R. P. lib. v. c. viij. iv.Reg.xj. j. Paralipo. xxij. xxiij. DUo tamen exempla Bellarminus objicit: ac primùm memorat Athaliam Reginam, uxorem Jorami, Regis Judæ, Joiadæ Pontificis juſſu fuiſſe interfectam, non modò quòd nepotes ſuos, & *omne ſemen Regium* occiderit, ac Regnum invaſerit; ſed quòd idolis ſervierit. Quorſum iſta, obſecro? An ut intelligamus ſupremas poteſtates Pontificum juſſu interfici poſſe? Abſit. At id probas, vel omninò nihil probas. Jam exempla quærimus ſupremarum poteſtatum, quæ à Pontificibus loco dejectæ fuerint; at profectò Athalia non gaudebat ſupremâ illâ poteſtate, eamque habebat non legitimo ordine, ſed invaſione ac parricidiis. Porrò ſupererat è ſanguine Regio Joas, quem ſoror Joſabeth ex Athaliæ manibus clàm ereptum, Joiadæ viro ſuo cuſtodiendum, educandum, & in avito ſolio aliquandò reponendum tradiderat. Quid ergò mirum eſt, ſi Pontifex ſub Rege ſeptenni, quem neci exemerat, quem in templo educaverat ab incunabulis, quem filii loco habuerat, quem Regno reſtituerat tutorem agens Regis, in impiam Athaliam Regiæ majeſtati ſubditam, ejuſdemque læſæ ream, pro poteſtate animadvertit? Neque enim aliter conſtitura erat Regi, Regnoque ſalus. Eſto damnata quoque ſit idololatriæ nomine: quid enim noſtrâ refert, pro aliis quoque ſceleribus damnari Regis & Regni hoſtem, publicæ poteſtati ſubditam?

Atque id ſibi juris ſub Rege minore extraordinariè & ſummâ neceſſi-

ij. Paralip. xxiv. tate, & conſenſu omnium Pontifex vindicabat: quo jure & *Regi uxores accepit*, & omnia adminiſtravit. Si ergò efficere aliquid volebat Bellarminus,

Digitized by Google

aliquem oportebat Regem ex tot idololatris proferre in medium, de quo ſimile ſumptum ſupplicium fuerit, ſolâ Sacerdotali autoritate: quæ cùm exempla deſint, imò cùm contraria adſint, nullum in Athaliâ præſidium eſt.

CAPUT XII.

De Ozia *propter lepram ejectô.*

Verisimilius objicitur leproſus Ozias, hujus morbi causâ per Sacerdotes ex præſcripto legis primùm templo ejectus, tum hominum ſocietate, ac Regni adminiſtratione depulſus: ſcriptum enim in lege erat: *Quicumque maculatus fuerit leprâ, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis.... omni tempore, quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Ergò Pontifici in Regem ea ſunt conceſſa, quibus etiam Regni adminiſtratione privaretur. Hinc conſecutio: id ſi fieri potuit in veteri Teſtamento, propter lepram corporalem, quantò magis in novo, propter ſpiritualem, id eſt, hæreſim? Duo hîc conſideramus: primùm, eventum ipſum extraordinarium ac planè ſingularem, quem in exemplum trahere non liceat: alterum, allegoriam occultamque ſignificationem in facto ipſo latentem, ex quâ Theologicum dogma conſtitui Theologi non ferant. iv. Reg. xv. 5. ij. Paral. xxvj. 19. 20. 21. Levit. xiij. 44. 45. 46.

Certum ergò eſt lege fuiſſe præſcriptum, ut quivis leproſus arbitrio Pontificis ſeparatus, ſolus extra caſtra urbeſque degeret. Jam ſi fas Pontifici ea exequi, quæ lex apertè ac directè præſcripſerit, haud propterea liceat ad alia & alia, ex conſecutione jus illud extendere. Atque hîc ſi conſiſtam, tota vis argumenti ſponte concidat.

Quid, quòd Sacerdotes nihil ſibi aliud vindicârunt, quàm ut Oziam è domo Domini propellerent? Lege Paralipomenon librum ſecundum, quo iſta narrantur, nihil aliud invenies: cætera lege Regni à Joatham Regis filio facta. Quid, quòd nec Oziæ Regnum ablatum eſt; ſed illius, tanquàm Regis nomine, à Joathamo filio Regni ſuſcepta adminiſtratio, ut ſolet ſub inſanis deliriſque Regibus? Scriptura atteſtatur his verbis: *Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ & habitavit in domo ſeparatâ plenus leprâ, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porrò Joathan filius ejus rexit domum Regis & judicavit populum terræ.* Quid autem vetabat ne, ut Regis nomine, ita etiam Imperiis, quod lex fieri non vetabat; cùm nec niſi patre mortuo regnâſſe memoretur: *Dormivit enim Ozias cum patribus ſuis .... regnavitque Joatham filius ejus pro eo;* parque omninò eſt credere nullum erga parentem ab optimo viro Joathamo prætermiſſum, quod lege præſtare ſineretur; ut non Regno depulſum Oziam, ſed tantùm per filium regnâſſe appareat. Sed quanquàm hæc proba ſunt, tamen rem altiùs inveſtigare placet. Cap. xxvj. Ibid. 21. & ſeq. Ibid. 23.

Quæro enim an de leproſo Principe aliquid nominatìm in lege edictum fuerit? Neutiquam; ſed lex eſt generalis, inquies, quâ ſimul comprehendi Principem oporteat. At ego jam poſtulo quidni Princeps intelligatur etiam comprehendi eis legibus, quibus univerſim dictum erat de adulteris, de per-

cuſſoribus, deque Idololatris eſſe ſumendum ſupplicium? Nempè Reges inde nulla legis clauſula exceperat; at ſi Majeſtate ſolâ excipi intelliguntur, non video perfectò, cur non eodem titulo, eâdemque Majeſtate Regii nominis, è lepræ quoque legibus eximantur, niſi aliquid peculiare hìc intervenerit.

Et perfectò clarum eſt interveniſſe manifeſtam & extraordinariam teſtificationem Divinæ voluntatis. Rex enim temerarius ſancta penetraverat, thuribulum manu ceperat, obſtantibus Sacerdotibus minabatur. Hìc Dominus ſacrilego in fronte lepram immiſit, quo miraculo moti Sacerdotes, tanquàm ſigno accepto Divinæ voluntatis, Regem templo expulerunt. Ipſe amens,
Ibid. 20. exterritus, ſceleris, Divinæque tam patentis vindictæ conſcius, *acceleravit egredi, eò quòd ſenſiſſet illicò plagam Domini.* Acceſſere & alia portenta, quæ
Zach. xiv. 5. Amos j. 1. Dei manum demonſtrarent. Nam contremuit terra, teſte Zachariâ, & Amos, quam Dei ultionem ad ſacrilegos Oziæ auſus pertinere tradunt interpretes. Ergò manum Domini extraordinariis ſignis demonſtratam eſſe conſtat, teſtificatuſque eſt Deus, qui à tot aliis legibus Reges exemerat, velle ſe huic Regi lepræ legem imputari: id, inquam, teſtificatus eſt, dato extraordinario voluntatis ſuæ indicio, ne quiſquam præter ipſum in Reges animadvertere poſſe videretur. Atque hìc profectò certum eſt, non tam Pontifices, quàm Deum ultorem, edito miraculo, fuiſſe, qui minanti ac ſuperbienti lepram primùm, deinde terrorem ipſi quoque, & terræ tremorem immiſerit.

Jam ſi facti ſignificationem, atque latentem doctrinam quærimus, multa occurrunt: meritò inuſtum fronti ſuperbæ ignominiæ ſignum: meritò amiſiſſe honorem Regium, qui Sacerdotii inconceſſos honores ſibi vindicabat: conturbari terram, ac rerum humanarum fundamenta concuti, cùm Sacerdotale officium & Regium confunduntur.

Lepra ſignificari hæreſim ultrò concedimus: alia quoque peccata eo morbo adumbrari paſſim tradunt Patres. At propter hæreſim, aut quæcumque peccata expelli poſſe Principem, ac Regno deturbari nunquam allegoria efficiet. Poteſt enim allegoria rem aliundè firmatam declarare, rem per ſe ipſa conficere & probare non poteſt. Neque quiſquam ſanus ſibi perſuaſerit, plus poſſe ad exturbandum Principem, aut hæreſim, aut ejus imaginem lepram, quàm tot alia ſcelera, atque ipſe idolorum cultus, quem Judæi in Regibus, eorum Majeſtate ſalvâ, toties pertulêre.

Quid autem eo exemplo licere ſibi putarent Chriſtianæ religionis Antiſtites, ſanctus Lucifer Calaritanus in Sardiniâ Epiſcopus, docuit libris adversùs Conſtantium editis; ſanctum autem voco, cujus feſtum diem, ſede Apoſtolicâ approbante, ab omni Patrum memoriâ Calaritani, aliique Inſulares agant. Quanquam enim in quibuſdam vehementior fuerit, ejuſque inclito nomine, quidam ejus diſcipuli atroces ac ſuperbi, ſchiſma conflaverint; multis tamen argumentis demonſtratum eſt, eum in Eccleſiæ communione obiiſſe. Utcumque eſt, libros profero, quos cùm ille ſcripſit, Catholicis omnibus, magnoque illi Athanaſio admirationi fuit: proferam au-
Lucif. Cal. Tō. iv. Bibl. Pat. p. 227. tem hìc librum, cui titulus: *De non parcendo in Deum delinquentibus:* quo libro ſic compellat Conſtantium, arrogantiæ ac ſuperbiæ Catholicos Antiſtites

tiſtites incuſantem: *Quæ iſta noſtra, Conſtanti, ſuperbia eſt, quæve arrogantia? Si quia te videamus morbidum eſſe, peſtiferum quippe Arianum, Elephantiam in te eſſe; quia iſtam conſideremus, illam, quam Arius habuerit; quòd urgeamus te ſecedere à populo Dei, ſicut illi Sacerdotes Domini Oziam de templo compulerint egredi; quia te ita cogamus Deo dare honorem. Si enim Oziam Dei Sacerdotes idcircò pellebant ex aulâ Dei, quia meminiſſent Divinitùs præceptum, leproſos ante expiationem ingredi templum prohibitos; quantò magis nos dignè te, conſpice, ex Eccleſiâ pellere Chriſti, de domo Domini, quia non ſit licitum hæreticum convenire cum Catholicis, inſanum cum ſanis, plenum immundis ſpiritibus cum eis in quibus inhabitat Spiritus Dei.* Ib. p. 218. Eatenus igitur Oziæ exemplo Patres utebantur, ut hæreticum Imperatorem templo Dei, domo Dei, Eccleſiâ Chriſti arcerent; non ut Imperii adminiſtratione deturbarent. Conſtantium certè à Catholicis omnibus, & ab ipſo Lucifero, pro legitimo Imperatore ſemper habitum, & fatentur omnes, & infrà referemus. Hoc exemplo Oziæ docebat: hiſce finibus coercebat is, quem vehementiſſimum, atque interdum nimium fuiſſe conſtat.

Neque aliter alii ſentiebant. Exſtat Hincmari Rhemenſis epiſtola ad Carolum Calvum Regem, quâ monet, ne Oziæ exemplo, *manum extendat ad ea quæ Sacerdotali ordini Spiritus Sancti dono commiſſa ſunt.* Hincmar. tom. ij. ep. x. pag. 316. Ibi fusè relatâ ſeparati per Sacerdotes Regis hiſtoriâ, addit ex Apoſtolo: *Hæc autem in figurâ contingebant illis; ſcripta ſunt autem propter nos;* j. Cor. x. 11. ac denique concludit: *Sic & eorum judicio, quibus dicit Dominus,* NON VOS ESTIS QUI LOQUIMINI, SED SPIRITUS PATRIS MEI QUI LOQUITUR IN VOBIS, Matt. x. 20. *voluntariè atque ex deliberatione, quiſcumque violans & convellens conſtituta divina; quia docente Petro:* NON EST PERSONARUM ACCEPTIO APUD DEUM: j. Pet. j. 17. *ab Eccleſiæ corpore ſeparatus, niſi per pœnitentiam & Sacerdotalis indulgentiæ reconciliationem, eidem Eccleſiæ fuerit reincorporatus, erit ab æternâ Eccleſiâ ſeparatus.*

Non aliud Patres noſtri in Oziâ viderunt, quod ad Chriſtianiſmi tempora pertineret: de terreno Regno per ſpiritualem lepram adimendo nihil cogitabant; ſeparari poſſe putabant Reges id meritos per Sacerdotale officium, ab Eccleſiâ quidem, & à Regno cœleſti, quorum Reſpublica, Regnumque Judaicum figura fuit. Quæ nunc de ſuo addunt, ea nos à Patribus ſpreta rejicimus.

Hæc ex vetere Teſtamento Bellarminus, & alii proferunt, caduca per ſeſe, ac nequidem ſibi ſatis cohærentia; non quòd indocti ſint qui ea objecere; ſed quòd, ſemel ſuſceptâ cauſâ, per occupationem animi neceſſe ſit vana ſectari, quibus valida & vera argumenta deſint.

Stat ergò propoſitio: per inſtitutionem Sacerdotii Legalis non fuiſſe immutatum ſtatum Principatûs; neque alteri poteſtati quæ Reges deponeret, ac temporalia ordinaret, Regiam poteſtatem directè vel indirectè fuiſſe ſubjectam. Jam ad novi Teſtamenti Sacerdotium veniamus.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Quinta Propoſitio : *Neque per inſtitutionem Chriſtiani Sacerdotii quidquam fuit immutatum in regnandi jure : id probare aggredimur ex Evangelicis Scripturis : explicatur poteſtas quam Chriſtus Apoſtolis tradiderit.*

Quinta propoſitio : *Neque per inſtitutionem Chriſtiani Sacerdotii quidquam fuit immutatum in jure regnandi ; ac Pontificibus Chriſtianis nulla à Chriſto attributa poteſtas, quâ temporalia ordinare, aut quemquam Imperio mulctare vel donare poſſint ;* patet ex antecedente. Si enim religionis cauſâ in terrenis Imperiis, atque in ſupremarum poteſtatum juribus aliquid fuit immutandum, id maximè fieret per religionem Moſaicam terreno Imperio, terrenis promiſſis nixam : atqui non id factum eſt, neque Regiam poteſtatem, in rebus quidem ſuis, Moſes Sacerdotio fecit obnoxiam : multo ergò minùs Chriſtiana religio, promiſſis tantùm nixa ſpiritualibus, id faceret, aut Imperiorum jura mutaret.

Sed quandoquidem in hac maximè propoſitione quæſtio vertitur, eam diligentiùs Scripturis primùm, deinde Eccleſiæ traditione ac praxi confirmamus. Quibus in locis pertractandis nemo à nobis poſtulabit, ut demonſtremus deditâ operâ confutatam eam poteſtatem, quam nullus hominum cogitaret, ſed ut perſpicuè pateat nullam hujus in Scripturis, nullam in primis ſæculis fieri mentionem, cùm id res vel maximè poſtularet, tum verò eam cum Patrum, Chriſtianæque doctrinæ placitis non poſſe cohærere. Sic duabus profectò cauſis contraria ſententia concidet, & quòd nova, in Eccleſiâ Chriſti ac prioribus ſæculis inaudita, & quòd à Chriſtiano, atque Eccleſiaſtico ſpiritu alieniſſima proferat.

A Scripturis inchoamus : quærimuſque quam Chriſtus Apoſtolis dederit poteſtatem ? Et quidem Magiſter ac Dominus duplicem in Apoſtolos, miniſtros, ac vicarios ſuos contulit poteſtatem, extraordinariam & ordinariam :
Luc. ix. 1. 2. utramque complexus eſt his verbis : *Convocatis Jeſus duodecim diſcipulis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia, & ut languores curarent, & miſit illos prædicare Regnum Dei, & curare infirmos.* Edere miracula, extraordinariæ poteſtatis ; prædicare Regnum Dei, poteſtatis ordinariæ fons & caput eſt.

Jam cujus generis eſſe putant illam poteſtatem deponendi Reges ? Certè ordinariam : nam extraordinariam, quæ per miracula ſe exerat, nihil moramur. Quo verbulo refellimus adverſarios paſſim ingerentes & areſactam
Marc. xj. 21. ficum, & immiſſos porcis dæmones, & Ananiam & Saphiram Petri voce
Matt. viij. 31. percuſſos, quæ quidem Nicolaus Dubois, & alii haud minùs inani quàm
Act. v. 1. 2.

Diſq. art. iij. n. 33. & ſeq.

ingenti operâ congerunt: nam quò iſta pertinent? An ut Pontifices patrare miracula ſuo jure, ac pro Cathedræ ſuæ poteſtate poſſint? Ne id quidem cogitant. Quare cùm hæc proferunt, nihil aliud faciunt, quàm ut vera argumenta deeſſe demonſtrent, qui tantâ operâ falſa, & nulla colligunt.

Quin etiam commemorant flagellis verberibuſque ejectos è Templo vendentes & ementes. Quid autem probaturi? An quia Chriſtus templi contemptores templo ejecit, ideò Pontifices Regnis ejecturi ſunt eos, qui religionem contemnant? Aut quoniam Chriſtus flagellis eſt uſus, ideò ejus miniſtri atque vicarii ad bella in Reges movenda Chriſtianos compellent? Aut verò id volebat Chriſtus, ut Eccleſiaſtici linguæ verbere, ac prædicationis flagello non contenti, ipſi per ſe vi agerent, atque arma corriperent? At id nemo cogitavit unquam. Quare hæc, quæ congerunt, extraordinariè geſta, vel ipſi fateantur neceſſe eſt ad rem non pertinere. Marc. xj. 15.

Ad ordinariam poteſtatem veniamus. Hujus caput eſt verbi prædicatio, Eccleſiaſtici miniſterii baſis. Hanc deinde conſequuntur Sacramenta conſecranda, adminiſtranda dignis, quodque eſt conſectaneum, indignis pro poteſtate adimenda: tum hæc omnia complexum regimen Eccleſiaſticum, monere, increpare, arcere ſacris, ſive, ut ait Tertullianus, *exhortatio, caſtigatio ac cenſura Divina*; hæc Scripturæ exequuntur copioſè, luculenter, nullâ temporalium cuiquam, ſive dandorum, ſive adimendorum mentione factâ. Apol. cap. xxxix.

Paſcendi poteſtatem latè patere volunt. Certè. Non ita tamen quin iis contineatur finibus, quibus ſe Chriſtus ipſe continuit. Pavit autem oves Chriſtus, *ut paſcua invenirent*, vitæ verbum ſcilicèt & vitam æternam per verbum: *Oves enim meæ vocem meam audiunt & ego cognoſco eas, & ſequuntur me & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu meâ*. Ad hoc pavit Chriſtus, ad æterna perduxit, temporalia cuivis, ac ſuis cuique legibus habenda, utenda, adimenda permiſit. At ſi ad hæc pavit Chriſtus, ad hæc paſcat Petrus: *Paſce* enim, inquit, *oves meas*, ſed meo more *meas*. Ne ergò paſtores ad temporalia, eo quo erant jure locoque à Chriſto relicta, conceſſam à Chriſto poteſtatem conferant. Joan x. 9. Ib. 27. 28. Ib. xxj. 17.

At enim Matthæi XVI. & XVIII. poteſtatem ligandi ac ſolvendi tradidit, ſed peccata ſcilicèt: ſic enim ipſe Chriſtus interpretatur Joannis XX. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: Quæ ad poteſtatem ligandi ac ſolvendi pertinere, eoque referri, & Theologi omnes, & ipſa Tridentina Synodus intellexit. Piget verò referre in re notâ & obviâ Patrum autoritates. Uno verbo dixerim: qui hanc poteſtatem ligandi atque ſolvendi ad peccata referant, omnes invenias; qui ad temporalia danda vel adimenda referat, mille & amplius annis omninò neminem. Matt. xvj. 19. xviij. 18. Joan. xx. 23. Concil. Trid. Seſſ. xiv. c. viij. & can. x. xv.

Jam illud à Chriſto prolatum, quo maxime ſe in Chriſtianos contumaces poteſtas Eccleſiaſtica exerit: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, fruſtra referas ad temporalia, quorum ullam partem detractam Ethnicis aut Publicanis fuiſſe, non ipſi Judæi, nedum cæteri intellexerint. Matt. xviij. 17.

CAPUT XIV.

Locus Evangelii: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.

HIs ergò præſtruximus, quam Chriſtus Apoſtolis dederit poteſtatem; ampliſſimam illam quidem, & omninò Divinam, ſed in ſpiritualibus ac cœleſtibus; in terrenis quidem ac civilibus nihil præcepit, niſi ut obtemperarent iis, qui rerum potirentur.

Neque enim bonus Magiſter eam prætermiſit partem veræ pietatis, ac diſertè dixit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo;* ne quis Rempublicam conturbaret, aut conſtituta ſollicitaret Imperia: quâ breviſſimâ, abſolutiſſimâque ſententiâ complexus omnia eſt, quæ civili poteſtati deberentur; nempè obtemperandum in omnibus, quæ Divinis præceptis non repugnarent.

Matt. xxij. 21.

Multi enim è Judæis putabant Romani Imperii, ac Romanorum Cæſarum, utpotè infidelium, iniquam, violentam, tyrannicam, atque omninò nullam in populum Dei poteſtatem eſſe: quorum turbulentos ſpiritus Magiſter optimus hâc ſententiâ compreſſit. Cùm enim id agerent inquieti homines ut religionis ſpecie, legitima Imperia commoverent, id è contra Chriſtus docuit, nihil ad vim ipſam religionis pertinere, quis imperet, atque omninò religione relinqui Imperia eo loco, quo ſunt gentium ac populorum juribus conſtituta.

Hoc autem perfecit oſtenſo numiſmate, atque imagine Cæſaris; ut quoniam Reſpublica, ac civilis ſocietas ſtat commerciis ac permutationibus, quarum inſtrumentum eſt nummus, ſeu publica pecunia; ideò omnes intelligerent in ejus poteſtate neceſſariò permanendum, cujus numiſmatis uterentur; quod profectò non ſic præcisè & abſolutè diceret, ſi aut intelligeret Pontificum ac Synagogæ autoritate legitima Imperia ſolvi poſſe, aut talem poteſtatem ſuis, ſuæque Eccleſiæ ipſe aliquandò eſſet conceſſurus.

Quod ergò nunc interpretantur: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari;* hoc eſt, *ſi ipſe Cæſar, quæ Dei ſunt, Deo reddat*, vanum eſt & illuſorium, imò contrarium Chriſti inſtituto, cùm juberet parere iis, quos Idololatras & impios, Deo, quæ Dei erant, non reddere certum eſſet.

Neque minùs vanum eſt, quòd alii hæc aſſuunt: REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, *niſi noceat religioni, atque Eccleſiæ, aut niſi ipſe Cæſar per Eccleſiam ac Pontifices deponatur.* Quæ quidem aſſumenta captioſam, quod abſit, & illuſoriam Chriſti reſponſionem facerent.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Prævisis malis quæ ab impiis Regibus Eccleſiæ eſſent eventura; quæ Chriſtus & Apoſtoli auxilia reliquerint; & an aliqua præter patientiam?

NEque verò quis negaverit à Chriſto eſſe præviſa, cùm omnia incommoda Eccleſiæ nocitura, tum vel maxime ea quæ à malis Regibus evenirent, quæ quidem & ipſe expertus eſt; teſtanturque Apoſtoli impletum Act.iv.26.
in ipſo Jeſu id quod erat à Davide pronuntiatum: *Adſtiterunt Reges terræ* Pſ. ij. 2.
& Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus. Neque ignorabat manatura ad diſcipulos, quæ in Magiſtro præceſſiſſent: *Ad Præſides* enim, inquit, *& ad Reges ducemini;* neque id Apoſ- Matt.x.18.
tolos fugiebat, cùm & à Domino commoniti eſſent, & jam vim Regiam toti Eccleſiæ gravem ipſi experirentur, & ſæviora quæque imminere cernerent.

Cùm ergò eum Magiſtrum, eoſque duces habeamus, qui mala nobis totique Eccleſiæ, à mundi poteſtatibus obventura animo præviderent, experimento probarent; videndum plane nobis adversùs hæc mala, quæ præcepta, quæ remedia aut auxilia comparârint.

Hæc autem in Evangelio luculenter apparent. Ecce enim præviſo malo, ac longè ante denunciato: *Ad Præſides*, inquit, *& ad Reges ducemini*, ſtatim addit, *in teſtimonium illis:* hoc primùm; aperta profeſſio veritatis: unde &
illud: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis,* Ibid. 27.
prædicate ſuper tecta: & illud: *Omnis ergò qui confitebitur me, confitebor &* Ibid. 32.
ego eum. Primùm ergò ſuccurrit nobis ipſa fiducia profitendæ veritatis: tum
idonea verba, quibus adverſarii revincantur: *Ego enim dabo vobis os &* Luc. xxj.
ſapientiam, quibus non poſſint reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. 15.
Accedit certa promiſſio ſalutis conſequendæ, quæcunque ſupplicia inferan-
tur: unde Chriſtianis invicta firmitudo, infixumque animo, *non timere eos* Matt.x.28.
qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Quo certa ſalus ani-
mæ conſtat, ſed propter patientiam: *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas* Luc. xxj.
veſtras; neque tantùm animas, ſed ſuo etiam tempore, ac loco ipſa cor- 19.
pora: *Capillus enim de capite veſtro non peribit.* Summa ergò eſt, ne quid Ibid. 18.
timeant, ne quid amittere ſe poſſe putent: hac ſpe invicti perſiſtant, nec veritatem prodant: hoc eſt, ne in malis pareant. Ut autem quovis autore in ipſos inſurgant, aut in civilibus, juſſa detrectent, ne quidem innuit; imò verò id apertè vetat, cùm nihil aliud indicit, quàm pati, quantumvis ſævituri ac nocituri eſſent. Hæc promiſſa, hæc præcepta, hæc adversùs poteſtates ac mundum ſævientem invicta auxilia ſubminiſtrat.

Neque tamen propterea ultrò ſe neci ſint objecturi Chriſti diſcipuli:
Cùm enim perſequentur vos in civitate iſtâ, fugite in aliam; ſic adversùs Re- Matt.x.23.
ges & Præſides ac legitimos Magiſtratus Chriſtus Magiſter, nihil præter fu-

Digitized by Google

gam relinquit, ut Divina præſidia, in invicto fidei Spiritu; humana verò, in fugâ habeamus. Nihil prætereà Chriſtianis adversùs Reges & Magiſtratus conceſſum eſt. Sic declinare vim Regiam, eique obluctari licet.

Rom. xiij. 1. Magiſtrum ſequuntur Apoſtoli, & Paulus: *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Cavillantur adverſarii, dum reſpondent, præcipi quidem ab Apoſtolis uti obediatur Regibus, quandiu Reges fuerint; non autem prohiberi quominùs, ſi Eccleſiæ adverſentur, deponantur à Pontificibus Chriſtianis: quaſi non Pontifices Paulus his dictis complexus ſit: *Omnis anima;* quod & Chryſoſtomus hìc, & res ipſa indicat. *Oſtendit enim*, inquit, *quòd iſta imperentur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non tantùm ſæcularibus, id quod ſtatim in exordio declarat, cùm dicit:* OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUPEREMINENTIBUS SUBDITA SIT, *etiam ſi Apoſtolus ſit, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fuerit.* Puto ergò non excipi Apoſtolicam poteſtatem, cùm etiam antiquum Pontificem audiamus, ex Apoſtolico throno, hæc de Regibus prædicantem: *Quibus nos etiam ſubditos eſſe Sacra Scriptura demonſtrat.* Atqui abſurdiſſimum eſt quem pari cum cæteris obedientiâ Paulus obſtrinxerit, eum non modò poſſe reſiſtere, ſed etiam deponere. Mirum profectò à Paulo non eſſe explicatam exceptionem illam, tum cùm Neroniano gladio imminente diceret: *Ego jam delibor & tempus reſolutionis meæ inſtat.* At nec ſic à Regis, quantumvis ſævientis, obedientiâ Chriſtianos amovebat, nec deponendum eum, ſed colendum docebat.

Chryſoſt. Hom. xxiij. in epiſt. ad Rom. tom. ix. p. 686.

Pelag. Pap. Tom. v. Cõc. Labb.

ij. Tim. iv. 6.

CAPUT XVI.

An generali præcepto obediendi Regibus, Chriſtus & Apoſtoli aliquam exceptionem attulerint, & quam?

CERTE generali præcepto obediendi Regibus neceſſariam exceptionem Scriptura non omittit: obediendum ſcilicèt, niſi Deo adverſa jubeant. Ac Paulus quidem ad Titum: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Quo docet in bonis tantùm parendum eſſe, &, quod ſæpe dicemus, mala imperantibus obedientiam non ſimpliciter, ſed in malis denegandam. Et alio loco: *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.... Dei Miniſter eſt tibi in bonum.* Quare jubentibus quæ pietati adverſentur, libere reponendum Apoſtolicum illud: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Tum ſi vim ultimam inferrent, ſuccurrit ultimum reſiſtendi genus, fuſo ſanguine: *Nondum enim*, inquit, *uſque ad ſanguinem reſtitiſtis adversùs peccatum repugnantes.* Huc uſque reſiſtere datur: hanc exceptionem Scriptura adhibet generali præcepto obediendi Regibus: nova illa exceptio de deponendis Regibus Scripturæ ſuperſtructa, atque aliena eſt.

Tit. iij. 1.

Rom. xiij. 3. 4.

Act. v. 29.

Heb. xij. 4.

Eſt ergò ſummum illud Chriſtianæ repugnantiæ, ut prava juſſi facere, ad mortem uſque reluctentur: ulteriùs progredi vetitum; mittunturque Chriſ-

Digitized by Google

tiani *inter lupos*, ſed *ſicut oves*, inermes ſcilicèt, qui ſint *prudentes ſicut ſerpentes*, expoſito corpore, ut caput ſervent, id eſt, animæ ſalutem, teſte Auguſtino paſſim; & *ſimplices ſicut columbæ*, quæ gemendo Deum, patiendo inflectant homines, atque iras modeſtiâ, & humilitate frangant; cæterùm nunquàm ſæviant. Neque enim adverſus lupos ac feras ovibus aut columbis arma ſuppetunt.

Matth. x. 16.

Auguſtin. quæſt. vij. in Matth. Tom. iij. part. ij. p. 277. Enarr. in Pſ. lvij. n. 10. Tom. iv. pag. 548. &c.

Neque aliter ipſe Chriſtus egit, cùm *teſtimonium reddidit*, *ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem*; neque enim Judæi quidquam aliud agebant, quàm ut crucis metu deterreretur Chriſtus à profitendâ illâ veritate, quòd nempè ipſe eſſet Chriſtus, Rex verus Judæorum. At Chriſtus, & ſe Regem Judæorum eſſe, & ne quid Pilatus Cæſari, reique Romanæ metueret, Regnum ſuum de hoc mundo non eſſe profitetur.

1. Tim. vj. 13.

Hìc ergò videmus circa Reges & Præſides, quid Evangelica diſciplina præcipiat, quid excipiat. Non enim hoc excipit, ut ad mala cogentibus abſolutè & in omnibus obedientia denegari, aut quâvis autoritate ſubtrahi poſſit; ſed hoc excipit tantùm, ne obediatur in iis quæ iniquè imperant, quibuſque ſe Deo ſuperiores eſſe velint: quæ exceptio regulam firmat, evincitque in omnibus aliis præſtandam obedientiam, honorem, vectigal, omnia quæ ſunt Cæſaris; eo fine ſcilicèt, quemadmodùm ait Tertullianus, *ut Rex honoretur cùm ſuis rebus inſiſtit.*

Tertull. Scorp. cap. xiv. p. 499. edit. Prior.

CAPUT XVII.

Adverſariorum effugia: diſtinguunt tempora infirmæ & adoleſcentis, à temporibus robuſtæ, & jam prævalentis Eccleſiæ: an hæc Chriſtianis digna?

QUÆ ſupra diximus, hæc quidem adverſarii fere confitentur; ſed duo reponunt: primùm quidem, his Chriſti & Apoſtolorum præceptis comprehendi ea, quæ incipienti & infirmæ, non autem ea, quæ adultæ, ſuiſque jam viribus confirmatæ Eccleſiæ conveniant: rectè enim juſſam eſſe tolerare Reges, quos compeſcere infirma non poſſet. Quo loco ſi urgeas, ac petas demonſtrari tibi, quænam illa ſint robuſtæ jam & adultæ Eccleſiæ præcepta reſervata, nulla quidem proferunt, ſed illud ſecundo loco addunt: qui finem præſcripſerit, ab eodem idonea ad finem conſequendum comparata media: quare Petrum & ſucceſſores, clavibus datis Regni cœlorum, ligare, ſolvere, paſcere juſſos ad æternam ſalutem, id quoque accepiſſe, ut & ea quæ huic fini conducerent adhibere, & ea quæ nocerent amovere poſſent: atque ideò jus eſſe ut abjiciant malos Principes, qui animas procurantibus tanto ſint obſtaculo. Hæc duo ſunt in quibus adverſarii ſuæ cauſæ præſidium ponunt.

Sic grande illud Chriſtianæ religionis arcanum, vimque omnibus retro ſæculis inauditam, quâ unius Pontificis judicio, non modo deponantur Reges, verùm etiam ipſa Imperia transferantur, tantæ poteſtatis inſtitutor Chriſ-

tus, ac primi adminiſtri Apoſtoli conticeſcunt: ſecuturis ſæculis longâ argumentorum conſecutionumque ſerie colligenda atque inferenda relinquunt. At profectò ſi Chriſtus & Apoſtoli paterentur, quæ tempori congruebant; admonerent ſaltem quid, aliis temporibus, adulta jam Eccleſia ac robuſta faceret; ne neceſſariam doctrinam, ſi quidem talis eſt, de deponendis Regibus, generali decreto, de præſtandâ obedientiâ, atque etiam exempli ſui autoritate premerent.

Neque enim homines intellecturi erant, amiſſis ſpiritualibus, temporalia ſtatim excidere, quod eſt falſiſſimum: aut eâdem poteſtate utraque ſimul donari vel detrahi poſſe, quæ tam diverſo jure haberentur. Et quidem ſi uſpiam ſcriptum eſſet univerſim, qui ab Eccleſiâ & ſpiritualibus ſeparentur, eos bonis etiam temporalibus poſſe mulctari per Eccleſiaſticam poteſtatem, an eo quoque decreto Reges concluſi eſſent, dubitaretur forſitan, propter pacem rerum humanarum, & convellendæ, non ſine ingenti animarum etiam ſtrage, Reipublicæ graves metus. Cùm verò nec uſpiam ſcriptum ſit patres familias, etiam infimæ ſortis, per Eccleſiaſticam poteſtatem, vel uno ſervulo mulctatos, aut mulctandos fuiſſe; quis in animum induceret mulctandos Imperiis ipſos quoque Reges, de quibus eò clariùs decerni oportebat, quò facilius, tanto loco poſiti, Eccleſiæ autoritatem, vel Reipublicæ tranquillitatis ſpecie eluderent?

Jam ut adverſarios ſtrictiùs urgeamus, pudet profectò me diſcriminis illius, quod inter incipientem & adultis jam viribus robuſtam Eccleſiam eſſe
Matth. x. 16. volunt. Scilicèt cùm prædicat Dominus: *Ecce ego mitto vos ſicut oves*; &, *in*
Luc. xxj. 19. *patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras*, nullumque adversùs legitimos Magiſtratus, niſi in fugâ præſidium, ſic intellecturi ſumus: fugite, ſed quoad viribus convaleſcatis: unam præſcribo patientiam adversùs Præſides & Reges, ſed infirmis & invalidis: cæterùm cùm prævalere dabitur, excutite jugum, & adversùs legitimas poteſtates, quæ luporum more ſæviant, non jam oves & columbæ, ſed leones ultrò inſurgite; vel cùm edixit Petrus, cùm Paulus ſublimioribus poteſtatibus obtemperandum eſſe, eo quoque
Rom. xiij. 5. tempore, quo in Chriſti gregem ſæviebant: *Neque tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, propter Deum, propter religionem, ſic eorum mentem interpretabimur: nos quidem nunc nihil præſcribimus præter obedientiam: de depoſitione conticeſcimus; ſed hæc aptata temporibus, non in perpetuum valitura. Parete, obedite, *propter conſcientiam* & religionem, donec adoleſcamus, atque Eccleſia roboretur: tunc enim ſumptis viribus, autoritate noſtrâ Reges deponentur, aliis dabuntur Imperia, arma indicentur, vi agi decernetur: tanquam hoc ſit parere *propter Deum & propter conſcientiam*, majores expectare vires, quibus inſurgere in eos, & arma etiam expedire poſſint.

Hæc tot retrò ſæculis inaudita, ac poſtremis demum nata temporibus, cujuſcumque Doctoris nomine prodeant, ſi pati cogimur, colere certè non
Luc. ix. 55. poſſumus; atque apertè opponimus Evangelicum illud: *Neſcitis cujus ſpiritûs eſtis*: neque enim magis eſt Evangelici ſpiritûs, ignem è cœlo elicere adversùs Samaritanos, quàm adversùs legitimos Principes bellorum incendia concitare.

CAPUT

CAPUT XVIII.

An eludi poſſit locus Evangelii: Regnum meum non eſt de hoc mundo.

ELUDUNT Dominicum illud: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & *Regnum meum non eſt hinc*; & in Declaratione Cleri Gallicani perperam allegatum eſſe contendunt, ac diligenter advertunt non eſſe à Domino dictum: *Regnum meum non eſt hic*; ſed *Regnum meum non eſt hinc*: neque item dictum: *Regnum meum non eſt in hoc mundo*, ſed *non eſt de hoc mundo*. Quæ quis neſciat? Certè enim ſcimus nobis à Domino dictum: *Regnum Dei intra vos eſt*, qui profectò in terrâ verſamur, & Regnum cœlorum Eccleſiam eſſe, quam toto terrarum orbe diffuſam certâ fide colimus, & nunquam deſtituram credimus. Illud non intelligunt, quò Chriſtus reſpiciat, iſta dicens: *Regnum meum non eſt hinc*. Nempè intelligebat id agere Judæos, ut eum apud Pilatum invidioſo Regis Judæorum nomine premerent: *Neque opus ei erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*; ac jam id mente præceperat quod Judæi ſtatim inclamaturi eſſent: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris; omnis enim qui ſe Regem facit contradicit Cæſari*. Hæc ergò videns, antequàm clarè edicat: *Tu dicis, quia Rex ſum ego*: hæc ultrò præmittit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem Regnum meum non eſt hinc*; atque his quidem verbis, Cæſaris Regnum, cui Pilatus ſerviebat, olim à ſe commendatum cùm diceret: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, nunc à ſuo Regno tutum ac ſecurum præſtabat. Neque tantùm Pilato miniſtro Cæſaris, ſed etiam venturis Regibus teſtabatur, nihil unquàm terrenis Regnis à ſui Regni legibus, aut à miniſtris ſuis metui velle, neque quidquam eſſe in Evangelio, atque per Evangelium traditâ poteſtate, quod Rempublicam commoveret. Quæ Chriſtiano ſpiritu digna profectò corruunt, ſi jam autoritate Chriſti Reges deponuntur, Imperia transferuntur, bella civilia concitantur.

Conſultat. vj. — Luc. xvij. 21. — Joan. ij. 25. — Ibid. xix. 12. — Ibid. xviij. 37. — Ibid 36. — Matt. xxij. 21.

Non ergò in eo vim ponimus, quòd Regnum ejus non ſit *hic*, ſed quòd tametſi ſit *hic*, *non eſt hinc*. Tamen & *de mundo non eſt*, ac terrena Regna non mutat diverſiſſimi generis & ordinis Regnum. Præclarè enim Auguſtinus: *Rex Chriſtus, quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quòd in Regnum Cœlorum, credentes, ſperantes, amanteſque perducat*: à quo profectò Regno, terrenis Regibus nihil periculi, plurimum firmamenti eſt.

Auguſt. in Joan. tract. lj. n. iv. tom. iij. part. ij. p. 635.

Quæ ut luculentiùs demonſtraret, prodit quidem Rex Chriſtus, ſed ipſâ purpurâ illuſus, coronâ ſpineâ, ſolio cruce, eâque unâ Regium titulum præferente; venitque in mundum, nil magnificum, nil Regium ſpirans: mundi quidem victor, ſed uno vanæ pompæ deſpectu; quin ipſâ nativitate ſubjectionem Imperio & Imperatori profeſſus. Notant paſſim & mirantur ſancti Patres humilitatem novi Regis terreno Imperio ſervientis, ipſâ ſubjectione omnibus imperantis: atque hæc mente complexi, vanos Pilati, va-

nos Herodis, vanos poſteà Romanorum Principum irriſerunt metus, quòd terrenis Regnis ab humili Chriſti Regno metuendum aliquid exiſtimarent.

Refut. art. viij. n. 52.

Sedul. tom. vj. Bibl. Par. p. 459.

Neque verò à Nicolao Dubois Theologiæ Profeſſore contemni decebat Advocatum, qui talia objiceret: *Non eripit mortalia qui Regna dat cæleſtia:* non decuit, inquam, contemni Advocatum, qui talia objiceret, ac Breviarium legeret laicus. Quaſi hominum incuria perficere potuerit, ut officium Eccleſiaſticum, ſummo olim ſtudio etiam à laicis frequentatum, nunc ad ſolos Clericos redigatur. Quis autem deſpiciat id quod Sedulius (*d*) Preſbyter initio V. ſæculi cecinerit, alii Patres inculcârint, ac totâ jam Eccleſiâ accinente ubique celebretur? Planè non eripit Chriſtus Regna mortalia, nec Regibus hoc nomine eſt metuendus; neque ejus vices agit, hoc quidem in negotio, qui hæc à ſe metui velit.

CAPUT XIX.

An ad rem pertineat ille ab adverſariis objectus locus: data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, *& ille locus*, Rex Regum.

Apocalyp. xix. 12. 16.

Pſ. ij. 9. Apoc. xix. 15.

Ibid. ij. 26. 27. 28.

Ap. Euſeb. lib. vj. cap. xlij. p. 241. edit. Valeſ.

NEc valet, quod objiciunt: Chriſto tradita omnia in manus, & poſt reſurrectionem ab ipſo dictum: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ*, &: *In capite ejus diademata multa*, &: *Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Non enim quærimus, quam etiam homo Chriſtus habeat poteſtatem, ſed cujus poteſtatis vicarium Petrum, ejuſque ſucceſſores reliquerit. Illius profectò quâ peccata remittit, quâ veritatem docet, quâ ſacramenta tradit, non autem illius, quâ *regit gentes in virgâ ferreâ, ac tanquam vas figuli confringit eas; & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Hæc enim poteſtas non decretis, non canonibus, non externis miniſteriis, ac formulis, ſed omnipotentiſſimâ atque occultiſſimâ efficaciâ conſtat. Hujus poteſtatis non reliquit vicarios Epiſcopos, eorumque caput Romanum Pontificem; ſed conſortes adſciſcit Sanctos omnes, qui mundum vicerint: *Qui* enim *vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper gentes:* &: *Reget eas in virgâ ferreâ, & tanquàm vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo:* Quod quidem eſt egregiè à ſancto Dionyſio Alexandrino explicatum his verbis: *Divini martyres nunc aſſeſſores Chriſti ſunt, & Regni illius conſortes, ac judicii participes, & cum ipſo judicantes.* Hos conſortes Chriſtus adſciſcit ſupremæ illius occultiſſimæ, atque omnipotentiſſimæ poteſtatis.

(*d*) *Sedulius*] Cœlius carmen de vitâ Chriſti compoſuit, cui titulum fecit: *Carmen Paſcale*; quia nimirùm Chriſtus omnium Chriſtianorum eſt Paſcha. Id carmen, quod apud antiquos pluri..i habebatur, ſtilo fluit eleganti & bene Latino. Vid. Dup. Bibl. Sæc. vj. & Sedulii carmen Bibl. Pat. edit. de la Big. tom. viij. pag. 638. & edit. Lug. tom. vj. pag. 459.

CAPUT XX.

Locus Evangelii : quis me conſtituit judicem ſuper vos ?

EXTERNO autem miniſterio quid in terrenis poſſit, in Lucæ Evangelio luculenter exponit ; ubi nempè hæc legimus : *Ait ei quidam de turbâ : Magiſter dic fratri meo, ut mecum dividat hereditatem. At ille dixit illi : Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos ?* Quæ verba ſi perpendimus, ſtatim intelligimus finitam hanc, quam tractamus, de temporalibus quæſtionem.

Luc. xij. 13. 14.

Ac primùm qui ſic petebat : *Domine, dic fratri meo*, apertè à Chriſto petebat, uti ipſe pro poteſtate decerneret : cùm autem Chriſtus reſpondit, *Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos*, apertè item negat eam poteſtatem ullo modo pertinere ad illud officium, quod in terris gerebat, cujus vicarios Apoſtolos relinquebat.

Et quidem Chriſtus alludit ad illud olim Moyſi dictum : *Quis te conſtituit Principem, & judicem ſuper nos ?* Quamque in ipſo poteſtatem ille homo de turbâ requirebat, eam ultrò Chriſtus ab officio ſuo amovet dicens : *Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos ?*

Exod. ij. 14. Act. vij. 27. 35.

Fixum enim illud ab Apoſtolo dictum : *Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron : ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum : Filius meus es tu :* &, *Tu es Sacerdos in æternum.* Quâ ergò ratione Pontificiam ſibi vindicat autoritatem, Pontifex à Deo conſtitutus, eâdem ratione amolitur à ſe in civilibus rebus judiciariam poteſtatem ; quòd horum à nemine judex conſtitutus eſt.

Heb. v. 4. 5. 6.

Hinc exiſtit argumentum : Chriſtus Apoſtolos non alterius reliquit officii vicarios, quàm ejus quod tum gerebat in terris ; at ad illud officium pertinere negabat eam, quam ille homo de turbâ deferebat, res terrenas ac civiles dijudicandi poteſtatem : ergò ea ad Apoſtolicum officium nihil pertinet.

Quorum certè judices à Chriſto conſtituti ſint, in Evangelio legimus ; *Tibi ?* inquit, *dabo claves Regni cælorum ;* & *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Conſentanea loquitur, qui officio ſuo terrenorum poteſtatem abjudicans, vicariis ſuis cœleſtia tantùm ſuo nomine judicanda committit.

Matt. xvj. 19. Joan. xx. 23.

Quare eum quem tractamus locum Bernardus excutiens : *Quis me conſtituit diviſorem ſuper vos*, & cum illo comparans : *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ad Eugenium Papam hæc ſcribit : *In criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra ; quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claves Regni cœlorum.* Ac Bernardi quidem locum alibi legemus integrum, eoque doctrinam noſtram luculentiſſimè confirmabimus. Illud quidem habemus interim, clavium poteſtatem in terrenis poſſeſſionibus minimè verſari, neque propter eas Apoſtolis eſſe traditam ; quâ profectò ſententiâ vel unâ vincimus, niſi fortè Apoſtolicam poteſtatem à terrenis poſ-

Bern. de Conſ. lib. j. cap. vj. tom. j. Ben. pag. 412.

Digitized by Google

ſeſſionibus dijudicandis abſtinere juſſam, propter Regna conceſſam putemus, ac jam Imperia diſtribuant vicarii, quorum Dominus, ne agros quidem dividendos, ſibi attributos eſſe docet.

Hæc verò non ad contumeliam dicimus Sacerdotalis officii. Bernardo enim aſſentimur, hæc negari Pontificibus, *non quia indigni illi ſint, ſed quia indignum illis talibus inſiſtere, quippe potioribus occupatis.* Paria Ambroſius in eumdem Lucæ locum: QUIS ME CONSTITUIT JUDICEM? *bene terrena declinat, qui propter Divina deſcenderat, nec judex eſſe dignatur litium & arbiter facultatum, vivorum habens & mortuorum judicium, arbitriumque meritorum.* Et paulo poſt: *Meritò refutatur hic frater, qui diſpenſatorem cœleſtium geſtiebat corruptibilibus occupare.* Ergò in Eccleſiaſticam poteſtatem non modò aliena, ſed etiam indigna conferunt, qui terrena quævis illius ſubdere ſatagunt Imperio.

Ambr. lib. vij. in Luc. n. 122. tom. j. Ben. pag. 1418.

An fortè hùc afferent ſuum illud, *directè* & *indirectè?* Quaſi non licuerit Chriſto *indirectè* dividere eam de quâ rogabatur, hæreditatem; aut verò ignoraret, quod nunc aſſiduè jactant, quantum temporalibus ſpiritualia juventur. At ipſe univerſim à ſe negotium amolitus, cauſas incidit omnes, quibus hæc ad Eccleſiaſtica judicia revocentur, nullamque rerum terreſtrium poteſtatem pertinere docet ad illud officium, cujus Apoſtolos miniſtros ordinabat.

CAPUT XXI.

Reſpondetur ad objecta Capitis XVII. an impii Reges ab Eccleſiâ impuniti, ſi tuti à depoſitione habentur.

JAM ea quæ ſunt objecta ſuperiùs facilè diſſolvemus. Objiciebant enim ſic: Eccleſiæ ſuppetere debere media ad ſalutem animarum procurandam, atque adeò remedia adversùs malos Principes, qui earum ſaluti nocerent. Hæc argumenta quibus ſeſe maximè efferebant, nunc ſpontè concidunt. Repetimus enim more Scholæ argumentum, atque ad illud: debent Eccleſiæ ſuppetere media atque remedia, diſtinguimus: media atque remedia, quæ Chriſtus ipſe tradiderit, ipsâ quæſtione, ut vidimus, in medium adductâ, fatemur; media ac remedia, quæcumque ipſi per nos excogitare poſſumus, negamus ac pernegamus. Neque enim illud verum eſt, quod tantâ confidentiâ aſſumere videntur: Chriſtum qui præcepit finem, ſalutem æternam ſcilicèt ab Eccleſiâ promovendam, ſtatim indulgere omnia, quæ ad finem conducere, aut impedimenta amovere poſſe videantur. Imò ab ipſo audiendum quæ media, quæ remedia conceſſerit optimus ipſe proviſor animarum, ac providentiſſimus Divinæ rei procurator. Nec enim dubium quin ea remedia dederit, quæ Chriſtianæ diſciplinæ idonea ſibi viderentur. At & ipſe, & Apoſtoli ea quæ nunc paſſim novi Theologi venditant remedia tacuere; & Chriſtus quidem diſertè præſcripſit quid eſſet agendum, cùm *ad Præſides & Reges* pro Evangelio vincti traheremur: cùmque ipſe & Apoſtoli prævidiſſent, imò experirentur quanta pati oporteret à mundi poteſtatibus pietatem profeſſos, non aliud quidquam præter obedientiam imperârunt, ſal-

vâ quidem conſcientiâ, quæ uni Deo pareret. Ergo alia omnia, quæ tanto poſteà intervallo excogitârunt homines, nempè ut temporalia adimerent, jugum excuterent, bella concitarent, procul à piorum animis, atque ab Eccleſiæ modeſtiâ ac fide abeſſe voluerunt.

Neque propterea Chriſtianam Fidem profeſſos, ipſoſque etiam Reges ab Eccleſiæ autoritate immunes reliquerunt. Tametſi enim nec temporalibus, nec terreno Regno; at cœleſtibus & æterno Regno mulctant, & amandant Chriſti vice ad Ethnicos, & ligatos addicunt ſuppliciis ſempiternis. An Leonem Iſaurum, ut hoc octavi ſæculi exemplum in anteceſſum demus, an, inquam Leonem Iſaurum Gregorius II. (e) Pontifex impunè dimittebat, qui pro Apoſtolicâ poteſtate minabatur ſe impium Principem Satanæ traditurum? An hæc parùm valebant, quòd interim de terreno Regno directè aut indirectè adimendo nullas jactaret minas: atque etiam Imperium à ſuâ poteſtate intactum & immune eſſe fateretur dicens: *Neque Pontifex introſpiciendi in palatia, neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi habet poteſtatem*? An verò gravior, aut verendus magis Gregorius VII. quòd prorsùs omnia, terrenaque non minùs quàm cœleſtia, ſibi vindicaret? Imò verò ille nempè Gregorius II. tantò validiùs feriebat, quantò magis ab alienis abſtinens, ſua tantùm intorquebat.

Greg. II. ep. ad Leon. Iſaur. tom. vj. Concil. p. 26. & ap. Bar. Tom. ix. p. 74.

Quid ſi anathemata ſpernant, inquies? Quid ſi depoſitionum ſpernant ſententias? Quid ſi, ut tam ſæpè factum eſt, opponant arma atque victorias? Quid proderit jactare Principem depoſitum verbis, rerum potientem? Sanè cùm excommunicant Romani Pontifices, ſtat, valetque ſtatim ipſâ vi ſuâ adversùs contumaces ac rebelles, quocumque loco poſitos, excommunicatio, Deo ligante in cœlis, quæ Divinitùs traditâ poteſtate in terris ligata ſunt. At cùm depoſitionis quocumque apparatu proferunt ſententias, niſi ſtatim ſuppetunt exercitus, profectò, ſi verum dicere volumus, quò magnificentioribus, eò inanioribus verbis ludunt. Sed quid his immoramur, tanquam neceſſe ſit eam à Chriſto in Eccleſia inſtitutam fuiſſe poteſtatem, quæ omnia incommoda propulſaret: non autem pars ſit vel maxima Chriſtianæ doctrinæ, multa incommoda ſubortura, adversùs quæ nullum ſit humanum remedium, ſed quæ vel precibus amoliri, vel demiſſo animo pati debeamus: ut ſcilicèt ad illud ſuſpiremus Regnum, quo, nullo obſtaculo, nullo incommodo perturbemur? Quòd ſi alia præſidia quærimus, alia ex aliis incommoda conſequentur, perficieturque præpoſteris curis, ut malis oppreſſi, remediis quoque graviùs laboremus. Certè cùm Pontifices Eccleſiæ conſulere cœperunt, deponendo Reges, ſecutæ ſunt eæ calamitates, quibus doceremur, quàm conſultò Chriſtus ab iis remediis temperârit.

(e) *Gregorius II.*] ut cenſet Baronius cum turbâ Hiſtoricorum, ſcripſit ad Leonem Imperatorem has epiſtolas duas, quas tamen D. FLEURY ann. 731. tom. ix. pag. 236. edit in 4°. Gregorio III. adſcribit. Quod cur fecerit, non docet. Has epiſtolas eſſe Gregorii II. firmis rationibus probat Fronto-Ducæus, qui illas in Bibliothecâ Cardinalis Lotharingii à ſe repertas primùm, edidit Græcas & fecit Latinas. Vid. ejus notas tom. vij. Conc. pag. 21. & ap. Baron. Tom. ix. pag. 71.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De excommunicationis effectu: an privet temporalibus: quid ſit illud, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: *Interdicta de vitandis excommunicatis in literis Apoſtolicis contenta expenduntur.*

SED nihil planè eſt quo vehementiùs illam poteſtatem conſutemus deponendi Reges, quàm cùm intuemur, quâ in re ipſe Chriſtus Eccleſiaſticæ poteſtatis arcem collocaverit. Eſt autem in ipſo anathemate, cujus vim ex Scripturis exponere nos oportet; ut cùm intellexerimus quouſque ſe protendat ſummum id, quod Eccleſiæ à Chriſto conceſſum ſit, cætera ut aliena reſpuamus.

Matt. xviij. 17. 18. Vim autem anathematis Chriſtus explicuit his verbis: *Dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

Hîc autem primùm quærimus quid illud ſignificet: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Certè illud: ut quemadmodum Eccleſiæ, ita ſit Regni cœlorum extorris; undè Chriſtus addit: *Quæ alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Ligant ergò illos, non modò ut communione fidelium, ſed ut cœlo excludantur.

Jam ſi quis exiſtimet his verbis, *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, non modò ſpiritualia, ſed etiam temporalia adimi; id dicat neceſſe eſt, temporalibus rebus privari Ethnicos ac Publicanos: quod non tantùm riſu, ſed etiam anathemate dignum eſſet.

Nam illud à Chriſto tantâ autoritate prolatum: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, ſatis demonſtrabat quàm jure obtinerent, non modò reliqua temporalia bona, verùm etiam Imperia, qui veram religionem averſati, idolis ſerviebant. Quare nihil vetabat etiam regnare eos, qui ad conditionem Ethnicorum redacti eſſent.

Jam de Publicanis haud minùs clara res eſt, dicente Zachæo Publicano:
Luc. xix. 8. 9. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Ergò alia bona legitimo jure Publicanus poſſederat, & ſua non aliena egenis tribuebat: *Dimidium*, inquit, *bonorum meorum.* Neque aliud quid ab eo Dominus repoſcebat dicens: *Hodiè ſalus domui huic facta eſt.*

Quare nec famulitio privabantur, quæ pars erat bonorum maxima; præcipitque diſertè Apoſtolus manere fideles in Dominorum etiam infidelium poteſtate; quominùs admirere manſiſſe integram in Ethnicis publicam poteſtatem, cùm etiam Hærilis (*f*) manſerit. j. ad Tim. vj. 1.

Neque quiſquam ſomniabat, his atque aliis bonis temporalibus privatos eſſe Ethnicos aut Publicanos, ut proptereà iiſdem bonis mulctati intelligantur Chriſtiani, qui excommunicati Ethnicis & Publicanis accenſentur.

(*f*) *Herilis*] poteſtas ea erat, ut Domini poſſent impunè ſuos ſervos cædere & interdum occidere, nullâ facti ſui redditâ ratione. Vid. paſſ. Aut. profan. Græc. & Lat.

Sanè ex eo Chriſti decreto conſtat, quoad fieri poteſt, vitandam eorum eſſe conſuetudinem, nec eſſe ſalutandos, nec iniri cum illis debere convivia. Vitabant enim Judæi cum Publicanis cibum ſumere: unde illud in Evangelio paſſim Apoſtolis exprobratum: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Et Zachæi occaſione *murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet.* Conſentiunt interpretes Maldonatus, Eſtius & alii paſſim; alluſumque eſſe conſtat ad Judæorum mores, *qui ab Ethnicorum & Publicanorum, quos pro publicis peccatoribus habebant, conſuetudine abſtinebant; ita ut nec ſalutandos putarent.* Matt.ix.11. Luc.xix.7. Maldon. in Matth. xviij. 17. Eſt. in j. Cor. v. 2.

Ergò indicebat Chriſtus excommunicatos vitari eo ritu, modoque, quo à Judæis Ethnici ac Publicani vitabantur; ut eos nec ſalutarent, nec cum eis cibum ſumerent: unde Apoſtolicum illud: *Scripſi vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, &c. cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Quò pertinet etiam illud ad Theſſalonicenſes: *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſceri cum illo, ut confundatur:* Et illud Joannis: *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, neque ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* j.Cor.v.11. ij Theſſ. iij. 14. ij. Joan. 10. 11.

Hæc ſunt interdicta de excommunicatis vitandis, quæ quidem in Evangeliis, atque Apoſtolicis ſcripturis habemus. Eccleſiaſtica, quæ inde manârunt, ex his interpretari nos oportet; neque res obſcura eſt. Satis enim conſtat hæc interdicta ad bonos mores, non ad ea pertinere, quæ civili jure continentur.

Ad mores, inquam, hæc pertinent. Debet enim vir bonus abſtinere à malorum hominum conſortio, eò quòd, ut ait Apoſtolus, *corrumpunt mores bonos colloquia mala;* & quòd vir bonus probare videtur illius doctinam vitamque, cujus conſuetudine delectatur: unde Joannes: *Qui dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.* j. Cor.xv. 33. ij. Joan. 11.

Quòd ſi malos vir bonus per ſeſe quantùm poteſt vitat, quantò magis eos malos, qui Eccleſiaſtico judicio ut mali notati ſunt? Quo ſenſu Auguſtinus, eumque ſecuti paſſim Latini Doctores intelligunt Apoſtolicum illud: *Non commiſceri cum eo qui frater, nominatus adulter ſit.* Sic enim Græca ad verbum habent. Ita autem interpretatur Auguſtinus: ut vitemus fratrem, qui ſit adulter nominatus, hoc eſt, Eccleſiaſtico judicio notatus: quam Auguſtini interpretationem cum Græco textu egregiè conſentire demonſtrat Eſtius. Auguſtin. cont. Parm. lib. iij. cap. ij. tom. ix. pag. 62. j Cor. v. 11.

Pertinet etiam ad bonos mores illud: *Nolite commiſceri cum illo, ut confundatur;* hoc eſt, ut pudore victus ab iis actibus abſtineat, quorum gratiâ viris bonis horrori ſe eſſe intelligit. Ergò excommunicatus Evangelicâ atque Apoſtolicâ autoritate, humanæ ſocietatis exſors eſt, quatenus humana ſocietas ad bonos mores ſpectat, manentque integra, quæ civili lege continentur, niſi aliter lex ipſa caverit. ij. Theſſ. iij. 14.

Quòd autem poſteà inter Chriſtianos excommunicati, niſi reſipiſcant, ſint infames, inteſtabiles, ad quædam vitæ civilis officia inhabiles, id ex eo ortum eſt, quòd Chriſtiani Principes, quoad fieri poteſt, leges ſuas ad bonos mores, atque Evangelicam diſciplinam aptent, non quòd excommunicatio per ſe ullo temporali jure bonoque privet.

Neque aliter intellexerunt Patres. Notum illud Tertulliani in Apologe-

Tert. apol. cap. xxxix. tico : *Ibidem* (in ſacris ſcilicèt Chriſtianorum conventibus) *exhortationes*, *caſtigationes*, *& cenſura Divina : nam & judicatur magno cum pondere*, *ut apud certos de Dei conſpectu ; ſummumque futuri judicii præjudicium eſt*, *ſi quis ita deliquerit*, *ut à communione orationis & conventûs*, *& omnis ſancti commercii relegetur.* Notanda hæc poſtrema verba : *Omnis ſancti commercii*, quibus etiam comprehenditur converſatio & conſuetudo cum ſanctis. Sancti enim, hoc eſt, Chriſti fideles, idcircò maximè inter ſe converſari debent, ut ſancta tractent, etiam in familiari colloquio; atque ideò ab eorum abhorrent conſuetudine, quibuſcum hæc tractare non poſſunt. Sic mali Chriſtiani, & per Eccleſiaſticam ſententiam notati ut tales, non modò à communione orationis & conventûs, ſed etiam ab omni ſancto commercio, & à ſanctorum conſuetudine relegantur. Nihil ultra licitum Chriſtianis Eccleſiaſticâ poteſtate, juraque temporalia excommunicatis per Eccleſiam in tuto ſunt. Scilicèt Chriſtus animam per baptiſmum ſponſam, ac poſteà adulteram, facto divortio, repudiat : ſua ſibi habeat jubet. Chriſti ergò bona donaque, & eorum omnem uſum amittit, reliquis integris & illæſis.

CAPUT XXIII.

Alius excommunicationis effectus : tradi Satanæ ad interitum carnis : *argumentum pro noſtrâ ſententiâ ductum ex memoratis in Scripturâ excommunicationis effectibus.*

JAM quid ex eo Chriſti cum animâ divortio conſequatur, exponit Apoſtolus, de illo Corinthio dicens : *Ut tollatur de medio veſtrûm*, *qui hoc*
I. Cor. v. 2. *opus fecit ;* & paulo poſt : *In nomine Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *congregatis*
Ibid. 4. 5. *vobis & meo ſpiritu*, *cum virtute Domini noſtri* JESU, *tradere hujuſmodi Satana in interitum carnis*, ut qui Chriſti, & Sancti Spiritus ſit exſors, ſpiritui nequam tradatur; quippe cùm, teſte Auguſtino, *extra Eccleſiam ſit Diabolus*, *ſicut in Eccleſiâ Chriſtus.* Sanè Apoſtolicis temporibus, quemadmodùm ad Apoſtolicæ manûs impoſitionem Spiritus Sanctus etiam manifeſtè deſcendebat ; ita manifeſtè exercebat Satanas vim ſuam in virum Eccleſiaſticâ poteſtate ſibi traditum. Cæterùm hæc ad tempus : firmum illud & æternum, quòd intus, & per impoſitionem manûs, ſancto Spiritui ; & per excommunicationem, Satanæ addicantur.

Auguſt. de verb. Dom. ſerm. cxliv. n. 6. tom. v. p. 695.

Si bonis privatus fuiſſet ille Corinthius Satanæ traditus, non id Apoſtolus prætermiſiſſet, qui etiam commmemorat traditum eſſe *Satanæ ad interitum carnis ;* quod quidem de ulcere peſſimo, aliove gravi malo per Satanam inflicto Chryſoſtomus hîc & alii paſſim intelligunt.

Chryſoſt. Hom. xv. in I. ad Cor. n. 2. tom. x. p. 127.

Cùm ergò & Chriſtus, & Apoſtoli, quo loco explicant Eccleſiaſticæ poteſtatis, cenſuræque vim ſummam, nihil de adimendis temporalibus juribus aut rebus edicant ; ſatis profectò conſtat non id ad Eccleſiaſticam poteſtatem pertinere. At ratio non ſinit, ut quæ autoritas in ſuorum bonorum, ac jurium poſſeſſione relinquit privatos, ea depellat Reges. Ergò excommunicati, redactique ad Ethnicos eo jure regnabunt, quo etiam Ethnici Cæſares, Chriſto approbante, regnârunt.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Objectum ex interdicto de vitandis excommunicatis, per exceptionem moralis, quam vocant, ſive civilis neceſſitatis, ex omnium Theologorum doctrinâ ſolvitur: eà in re GREGORII VII. *tempore manifeſtus error, nunc communi conſenſu refutatus.*

JAM verò nullo negotio ſolvimus id quod objiciunt: vitandos excommunicatos, ruptum cum eis humanæ conſuetudinis vinculum, neque excipi Reges, ſi fortè hæretici, aut excommunicati ſunt: non ergò colendos pro Regibus, quos ne alloquio quidem & ſalutatione dignari nos oportet.

Hoc illud argumentum eſt, quo uno Gregorii VII. temporibus viros bonos doctoſque permotos fuiſſe videbimus, ut ab Henrici IV. Regis excommunicati obedientiâ recederent; ſed, quod apud omnes conſtat, errore manifeſto. Certiſſimum enim eſt conſenſione Theologorum, & decretis Pontificum, illud interdictum de vitandis excommunicatis, quatenus ad humanam conſuetudinem pertinet, exceptionem neceſſitatis, non Phyſicæ tantùm illius, quam vocant, & ineluctabilis, ſed etiam moralis ac civilis admittere. Hinc ea decreta variis ſubinde ſunt emollita modis, queis factum eſt, ut jam cum hæreticis & ſchiſmaticis propter neceſſitatem verſemur innoxiè, quos tamen quo minùs audiunt Eccleſiam aperti ejus hoſtes & contemptores, eò magis pro Ethnicis & Publicanis haberi oportet. Quare cùm interdictum de vitandis excommunicatis erga privatos quoque causâ neceſſariâ temperetur; urgeri erga Reges, tanto incommodo rerum humanarum ac Reipublicæ periculo, ſupra quàm dici poſſit, abſonum abſurdumque eſt. Quo etiam factum eſt, ut hoc argumentum Regum deponendorum ab excommunicatione depromptum, Bellarminus prætermitteret, tot inter argumenta, quæ undecumque congerit. Atque hæc ſufficerent ad eam difficultatem, ſi qua eſt, explicandam. Cæterùm ne omittamus ea, quibus viri graves moti olim ſunt, quæque D. Nicolaus Dubois inculcare & inferre non deſinit; quæ ſit vis interdicti de vitandis excommunicatis, quantùm ad rem noſtram attinet, exponamus; & hujus quoque Juris fontes recludamus. Bell. lib. v. de R. P. cap. vj. vij. viij. Conſ. viij. & alibi paſſ.

CAPUT XXV.

Ejuſdem interdicti vis diligentiùs quæritur: probatur Evangelicis Apoſtolicìſque literis, quòd exceptionem neceſſariæ cauſæ admittat, neque ab obſequiis Regum arceat.

TRIA ſunt in quibus excommunicatis communicari vetitum: in malis, in ſacris, in quotidianâ conſuetudine. Mala autem hîc dicimus ea quidem propter quæ excommunicati ſunt, quod *crimen criminoſum* vocant.

Jam hæc tria inter ſe magno habentur diſcrimine. Primùm enim in malis ſacriſque qui communicaverit, pari excommunicatione percellitur, *majore* ſcilicèt, quæ non tantùm Sacramentis, ſed etiam conventibus ac ſuffragiis privet: qui autem in hoc tertio, nempè in quotidianâ conſuetudine, communicaverit, is jam, ex Eccleſiaſticâ diſciplinâ, aliud genus incurrit excommunicationis, quam *minorem* vocant; & Sacramentis quidem, non tamen ſuffragiis, aut fidelium cœtu ac ſocietate caret.

Húc accedit diſcrimen alterum, quod magis ad rem noſtram ſpectat: nempe interdictum de non communicando in malis, atque etiam in ſacris, poſtquàm adhibiti ſunt conſtituti ab Eccleſiâ ritus, nullam exceptionem habet: quippe cùm illud ſit primus & principalis excommunicationis effectus, primus internus ac præcipuus finis. At verò quod attinet ad vitæ conſuetudinem, quæ eſt tantùm excommunicationis appendix, exceptionem, hujus quam diximus neceſſitatis, admittit. Id autem exponimus, primùm ex Evangelicis Apoſtolicisque Scripturis, tùm ex primâ antiquitate, poſteà ex Gregorio VII. cujus tempore hæc maximè urgebantur, poſtremò ex temporibus conſecutis.

Quod attinet ad Evangelicas Apoſtolicaſque Scripturas, res ex antedictis liquet. Perſpicuè enim vidimus Ethnicos & Publicanos, ad quos excommunicati relegantur, ut nullo temporali bono ac jure, ita nec etiam civili ſocietate privatos fuiſſe. Ac de Ethnicis quidem, quis dixerit civili ſocietate fuiſſe privatos, qui regnare juberentur? Quo neceſſariò fiebat ut Judæi & venerarentur imperantes, & juſſa capeſſerent, & ſæpe ſupplicarent, & miſſos ab eis Præſides, Magiſtratus, Milites ſuo quemque gradu, locoque acciperent, & cum iis civilia negotia tractarent; quod & Paulus fecit, nullâ Judæorum offenſione; quippè cùm id paſſim etiam ipſi factitarent. Idem Apoſtolus ad Tribunum Lyſiam miſit adoleſcentem ſororis ſuæ filium, de avunculi vitâ & incolumitate tractaturum. Pari modo à Publicanis, ſi qui etiam Judæi eſſent, quales fuerunt illi quos Joannes baptizabat, & ipſe Zachæus, non uxores, non liberos, non ſervos, non colonos quiſquam abſtrahebat. Vendebant, emebant, contrahebant; quòd illi in Republicâ quidem communi cum aliis jure viverent. Quare in Ethnicis atque Publicanis, nec publica, nec patria, aut herilis poteſtas ullo jure læſa aut immutata erat.

Act. xxiij. 16. 17.

Vetita ergò intelligimus, non quæ neceſſitas poſtularet, ſive erga Principes ac Magiſtratus, ſive erga Dominos, ac parentes, ſive etiam erga cives; ſed quæ voluntariæ ac peculiaris neceſſitudinis ac familiaritatis eſſent indicia: ſalutare, convivari, hoſpitio accipere; quæ etiam Apoſtoli diſertè explicant. Neque enim aut Paulus aut Joannes vetant ne contrahatur, ne ematur, ne vendatur, ubi neceſſitas id expoſcit; ſed ne commiſceantur cum notatis ac nominatis fratribus; ne ſcilicèt utantur eis familiariter, ne tecto, ne menſâ, ne ſalutatione aut oſculo excipiant; quæ non neceſſitatis, ſed ſpontanei officii ſunt; quæ quidem Judæi cum Ethnicis & Publicanis religiosè omittebant.

Neque tamen hæc quoque ad ſupremos juris apices exiguntur. Quis enim Apoſtolico præcepto repugnare jam ſe putet, ſi Calviniſtas hæreticos ſalutârit? Quòd nempè tam multi ſint, tamque obvii, ut quoddam diſcordiæ

publicæ genus eſſet, ſalutationem & communis vitæ officia tot civibus denegari. Id autem nec Apoſtoli præcepiſſe videntur; quippè qui ita pronuntient: *Si is qui frater nominatus: Si quis hanc doctrinam non affert*; ut nempè intelligamus hanc interdicti partem, quæ communis vitæ officiis excommunicatos arceat, ad paucos pertinere, ne ad magnam quoque multitudinem pervagata civile diſſidium pariat. At ſi ea neceſſitas adversùs cives valet, qui negaverit valere adversùs Principes, næ ille quid civis, quid Princeps ſit, ne nomine quidem intellexerit.

j. Cor. v. 11.
ij. Joan. 10.

CAPUT XXVI.

Idem probatur ex Sanctis Patribus.

HÆC autem ab ipſâ Chriſtianitatis origine manâſſe ad omnem deinde Eccleſiam, Juliani Apoſtatæ & Valentis Ariani, aliorumque hæreticorum Principum exempla demonſtrant. Notum illud erga Julianum, ejurato non tantùm baptiſmo, ſed etiam Clericatu, omnibus deteſtatum, Valentiniani poſteà Auguſti, qui, *cùm Lanciarios ad Palatii cuſtodiam conſtitutos, Tribunus regeret*, Julianum *in templum Genii publici intrantem præcedebat. At aſperſam chlamydi luſtralis aquæ guttam conſpicatus, Æditum pugno percuſſit, inquinatum ſe dicens, non autem purgatum:* quo facto ablegatus, pro Confeſſore eſt habitus, quòd cùm in neceſſario officio Imperatori præſto eſſet, in ſacris tamen, aut potiùs in ſacrilegiis, ab ejus ſocietate & communione abhorreret.

Theod. lib. iij cap. xvj. pag. 139.

Sanctus Gregorius (*g*) Nazianzenus refert Cæſarium fratrem apprimè Chriſtianum, Sanctique Epiſcopi filium, *glorioſa cupiditate ductum*, *atque*, ut Cæſarius ipſe profitebatur, *quo urbi ſuæ præſidio eſſet*, *in aulam ſe contuliſſe*, ad Julianum Apoſtatam ſcilicèt; & quidem in aulâ Medicus *militavit*, ſeque peculiari obſequio Imperatori dedidit, Chriſtianos alios ſecutus, qui paſſim in diverſis muneribus innoxiè miniſtrabant, eò quòd obſequia in Principem inter neceſſaria Reipublicæ officia habebantur. Quo quidem à conſilio, Gregorius Nazianzenus datâ epiſtolâ deterret Cæſarium, non tamen eò quòd tali conſortio à Chriſtianâ pietate excideret, cùm etiam apertè teſtetur factam ab eo rem, *ſibi quidem ingratam*, *non tamen reprehenſione dignam.*

Greg. Naz. epiſt. xvij. pag. 779.

Id. orat. x. pag. 165.

Memorat ſanctus Ambroſius quendam ſub Juliano judicem, à quo *ille damnatus qui aram dejecit & turbavit Sacrificium*, *martyrium fecerat: itaque*, inquit Ambroſius, *nunquam ille judex* (*h*) *qui audivit eum*, *niſi perſecutor eſt habitus; nemo illum congreſſu*, *nemo illum unquam oſculo dignum*

Ambroſ. epiſt. xl. ad Theodor. Aug. n. 17. tom. ij. p. 951.

(*g*) *Gregorius*] refert quoque Cæſarium publici ærarii curam ſuſcepiſſe.

(*h*) *Ille Judex*] Baronio ſi credimus, an. 362. & ejus ſequacibus, ipſe erat Capitolinus Thraciæ Præfectus, qui teſte Theodoreto lib. iij. cap. vij. Æmilianum martyrio confecit. Quiſquis ille Judex fuerit, conſtat ab ejus communione Chriſtianos non abhorruiſſe, niſi in ſacris; id eſt, *in ſancto oſculo ſanctoque commercio.* Vid. eâ de re Albaſp. lib. ij. de veteri polit. cap. xv. & ſeq. & Card. Bona de reb. Liturg. cap. xvj.

Digitized by Google

putavit. Omiſſa officia quæ non eſſent neceſſitatis docet: ab ejus tribunali abhorruiſſe Chriſtianos, ſi neceſſitas expoſceret, aut eum pro judice non fuiſſe agnitum non docet.

Sanctus Baſilius ſcribit Præſidem Lybiæ à Magno Athanaſio condemnatum anathemate, *omnibus averſandum & execrabilem futurum; ita ut nec ignis, nec aqua, nec tecti communionem cum illo ſint habituri.* Cæterùm nec eum ab officio Præſidis, nec proinde Chriſtianos à neceſſariis obſequiis prohibebat.

Baſil. tom. iij. ep. lxj. alias xlvij.

Idem Andronico contigit patriæ Præfecturam à Theodoſii liberis conſecuto. Eum Syneſius, patriâ Cyrenenſis, factus Ptolemaidis Epiſcopus, inauditæ crudelitatis ac blaſphemiæ reum, adhibito Preſbyterii conſilio, excommunicavit, decretumque Ptolemaidenſis Eccleſiæ, de vitando eo, ad ſorores tranſmiſit Eccleſias in hanc formam: *Andronico & Thoanti eorumque ſociis, omnis religioſa ædes, omnia ſepta clauſa ſunto; privatos omnes ac Magiſtratus hortor ut nec ejuſdem cum illo tecti, neque menſæ participes eſſe velint; tùm Sacerdotes imprimis, qui nec viventes illos ſalutabunt, nec mortuos funebri pompâ deducent. Qui Eccleſiam noſtram contempſerit, & ab eâ damnatos receperit, hic, ſive Levita, ſive Preſbyter, ſive Epiſcopus, apud nos eodem cum Andronico loco cenſebitur, neque cum eo dexteram jungemus, nec eâdem ex menſâ veſcemur unquam; tantùm abeſt ut cum iis arcana myſteria communicemus, qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habere voluerint.* En quibus communicari vetitum excommunicato Magiſtratui: primùm ac maximè in ſacris, tùm etiam in voluntariis officiis, ſalutationis ſcilicèt, menſæ tectique conſortio. Hæc explicitè Syneſius. Non profectò prohibet ne Præfectum habeant, ne cauſam dicant, ne juſſis pareant, ne conſueta ac neceſſaria Reipublicæ officia adeant atque obeant.

Syneſ. ep. lviij. p. 203.

Quis autem vel fando audiit, tot inter hæreticos ac ſchiſmaticos, qui paſſim in urbibus inter Chriſtianos viverent, quemquam unquam fuiſſe à ſervorum, ſi quos haberet Catholicos, poſſeſſione dejectum, aut uſpiàm Catholicos prohibitos quominùs ſibi neceſſaria emerent, venderent, agerent? Nonne ergò eos, Julianumque ac Valentem, ex præcepto Domini, pro Ethnicis ac Publicanis habebant, qui Eccleſiam non audirent & apertè contemnerent? Certè. Sed in malis ſacriſve, exceptione nullâ: in vitæ communis officiis exceptam neceſſitatem noverant.

An fortè illud dicent, non fuiſſe Julianum ac Valentem nominatìm ac publicè excommunicatos; quare nec vitandos fuiſſe? Quaſi non ſatis apertè Eccleſiam contemnerent, aut neceſſaria eſſet adversùs publicos perſecutores denunciatio, aut poſterioris ævi de denunciatione decreta in eam quoque ætatem transferri poſſent. Sed quandoquidem vani homines etiam hæc obtrudunt, quid de Anaſtaſio dicent, quem teſtatur Baronius in Concilio Romano à ſancto Symmacho Papâ, ut hæreticum nominatìm excommunicatum fuiſſe? Quid autem de Leone Iſauro, quem idem Baronius memorat à Gregorio II. nominatìm percuſſum anathemate? Quos vitatos fuiſſe, cùm certo jure imperarent, quis vel ineptiſſimus dixerit?

Bar. tom. vj. an. 502. p. 547. Id. tom. ix. an. 726. pag. 6.

Sanè Baronius defeciſſe ab Iſauro memorat Occidentis Imperium, quod

quidem nos ex eodem Baronio refellemus. Sed quid ad nos interim, cùm Orientis Imperium, tùm ſanè Catholicum non neget Baronius in Imperatoris obedientiâ permanſiſſe, nec profectò vitaſſe in civilibus ſocietatem ejus, cui tam prompto ſtudio obediret? Hæc quidem ſuo loco fuſiùs exponemus. At dare in anteceſſum juvat, quæ peſſimam cauſam, Baronii quoque teſtimonio jugulent.

Vid. inf. lib. ii. cap. xij. & ſeq.

Vid. ibid.

Anaſtaſii mentio reduxit in animum id quod in ſancti Hormiſdæ Papæ indiculo, ſeu commonitorio Legatis dato, legimus. Sic autem præcipit de damnatis Epiſcopis, qui Chalcedonenſe Concilium, ac ſancti Leonis epiſtolam contemnebant, & excommunicati Acacii (*i*) nomini in ſacris communicabant: *Si Epiſcopi voluerint occurrere, in quâ decet eos veneratione ſuſcipite, & ſi voluerint ſeceſſionem parare* (domum quò divertatis) *nolite ſpernere, ne judicetur à laicis, nullam vos cum illis velle habere concordiam: ſi verò vos ad convivium rogare voluerint, blandâ excuſatione declinate, dicentes: Orate ut myſticam illam menſam primùm mereamur habere communem, & tunc erit nobis iſta jucundior: victualia & quæ alia offerre voluerint, exceptâ tamen ſubvectione, ſi cauſa popoſcit, nolite ſuſcipere.* Sic convivia vitant, alloquia frequentant: victualia reſpuunt, accipiunt ſubvectiones, ac domos quò divertant; atque illud interdictum, ne quis cum hæreticis excommunicatiſque verſetur, ne ſalutet, ne munera accipiat, ita ſervant, ut neceſſariâ cauſâ aliquâ prætermittant. Adeò hæc præcepta, eorum numero non eſſe putabantur, quæ ſtrictè & ad ſummos apices exigenda ſint, ſed quæ ad perſonarum, temporum, rerumque convenientiam, per Chriſtianam prudentiam, charitatemque ſint temperanda.

Vid. tom. iv. Conc. Labb. pag. 1426.

CAPUT XXVII.

Idem probatur ex Hincmari inſigni reſponſione ad Hadrianum II. vetantem ne cum Carolo Calvo Rege communicaret.

QUARE cùm Hadrianus II. ſub anathematis pœnâ, Hincmaro Rhemenſi præcepiſſet, ut, niſi Carolus Calvus Pontificiis juſſis obtemperaret, ſe ab ejus, ut excommunicati, alloquio, ſalutatione, præſentiâ,

(*i*) *Acacii*] C. Pi. Patriarchæ quanta fuerit honorum inexplebilis cupiditas norunt omnes. Quapropter diſſimulabat, aſſentabatur, quin & pietatem ſimulabat. A Simplicio & Felice Romanis Pontificibus laceſſitus, eò quòd in Alexandrini & Antiocheni Patriarchatum jura invaderet & hæreticis ſe jungeret, illos diu luſit Pontifices. Sed tempus opportunum nactus, Zenoni Imperatori ſuaſit, ut conſcriberet *Henoticon* illud, quo Eutichianis faveret apertiſſimè. Felix Pontifex exauctoravit Acacium, qui iterùm convertit ſe ad artes, quas ut ſenſit inutiles, tum Romanis Pontificibus palàm inimicitias denuntians, juſſit Orientis Epiſcopos ſubſcribere *Henoticon*, neque illi refugerunt. Mortuo Acacio, diſcordiæ, quas vivus Orientem inter & Occidentem concitaverat, ſedatæ non ſunt, ut probant tot Romanorum Pontificum anathemata in Imperatores & Epiſcopos Orientis nominis Acacii communicatores, id eſt, qui ejus nomen in ſacris dypticis inſcribi ſinebant, ex quibus tandem deletum eſt an. 519. Juſtino imperante & Hormiſdâ Pontifice. Vid. Till. tom. xvj. Dup. Fleur. &c.

Digitized by Google

Hincmar. opuſc. xlj. tom. ij. p. 693. ſequeſtraret; Hincmarus in hæc verba reſpondit: *De hoc quod ſcripſiſtis, ſi ipſe Rex Carolus in obſtinationis ſuæ perfidiâ perſiſtere maluerit, ab illius me communione atque conſortio ſequeſtrem, &, ſecundùm Apoſtolum, ne ave ei dicam, ſi veſtræ communionis volo eſſe particeps, & præſentiam ejus, modis omnibus devitem;* ij. Joan. 10. *cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam & Eccleſiaſtici, & ſæcularis ordinis viri, qui diverſis de Regnis, Rhemos civitatem plurimi convenerint, improperando dixerunt, & dicunt: nunquam hujuſmodi præceptionem ab illâ Sede ulli deceſſorum meorum miſſam fuiſſe:* & paulo poſt: *Sed & Domino noſtro Regi Carolo ad exaggerationem dicitur à quibuſdam, quòd nec pro Lothario, publico adulterio denotato & apud ſedem Apoſtolicam accuſato, talem præceptionem & comminationem ab anteceſſore veſtro, nullus Epiſcoporum in iſto Regno acceperit, nec etiam ab Hæreticorum vel Schiſmaticorum ſive tyrannicorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arianus, ac Apoſtata Julianus, & Maximus Tyrannus, præſentiâ & ſalutatione, ſive collocutione, ſedis Apoſtolicæ Pontifices, vel alii magnæ autoritatis, ac ſanctitatis Epiſcopi, cùm locus & ratio & cauſa exigit, ſe ſubtraxiſſe leguntur.* Ergò hæc de ſalutatione, atque alloquio omittendo, non ſtrictè exiguntur, ſed prout *locus & ratio & cauſa exigit*, temperantur.

Hincmar. ibid. p. 698. Quod ut demonſtret non aliter poſſe fieri, addit: *Neſcio quomodò ipſius Regis, vel inter quos habito, præſentiam & communionem & conſortium* (externum illud ſcilicèt) *valeam devitare, cùm Rex & cohabitantes ſecum unà cum Rege, non ſolùm in Parochiam, verùm & in civitatem meam ſæpè conveniant, & ibi tamdiu, ſicut Regi complacet, degant. Eccleſiam & plebem mihi commiſſam deſerere, & aliorſum, ut mercenarius non valeo fugere; nec quò extra Regnum ejus fugiam habeo; ſed Regio cultu eo recepto, de Eccleſiaſticis facultatibus, ſicut præcipit, & quandiu præcipit, illi & ſibi obſequentibus ſervio. Dicit enim hanc poteſtatem ſuos deceſſores habuiſſe, quam ipſe nullâ interdictione dimittet.* Quæ cùm ille quæſiſſet, *conſulendo qualiter erga Regem ſe gerere deberent*, ut Apoſtolicæ ſententiæ de obſervandis Regibus obedirent; nempè illa, de omittendâ ſalutatione, ac negandâ Regi præſentiâ, evanuerunt. Hæc ſi cogitâſſent, qui Gregorii VII. tempore, tantâ imperitiâ interdictum de vitandis excommunicatis explicabant, facilè intellexiſſent, quàm neceſſariò juſtæ atque idoneæ cauſæ exceptionem expoſceret.

CAPUT XXVIII.

Idem efficitur ex Gregorii VII. decretis.

IPSE etiam Gregorius VII. cùm vel maximè urgeret ſecedendum ab excommunicatis, ut Henrico IV. excommunicato obedientiam omnem adimeret, tamen coactus eſt hanc interpretationem ſequi. Hæc enim legimus in Concilio Romano IV. anno 1078. *Quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſâ excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantiâ, partim etiam nimiâ ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſi-*

Tom. x. Conc. pag. 370. & Decret. part. ij. quæſt. iij.

tate: deviƈti miſericordiâ, anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, opportunè temperamus. Apoſtolicâ namque autoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus: videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſervientes, & omnes alios, qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator (k) (loca pia orationis cauſâ frequentans) *ſive peregrinus aut viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus; & ſi quis excommunicatis pro ſuſtentatione, non ſuperbia, ſed humanitatis cauſâ, aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus.*

Tot exceptiones patitur interdiƈtum de vitandis excommunicatis, autore Gregorio VII. vehementiſſimo, ſi quis unquam fuit, hujus interdiƈti exaƈtore atque executore. Has exceptiones docuerunt omnes deinde Pontifices, totaque Theologorum & Canoniſtarum ſchola duobus verſiculis notiſſimis has celebrat. (l) Summa eſt: ſenſum interdiƈti eum eſſe, ut vitandos intelligamus excommunicatos in communi etiam conſuetudine, cum hac exceptione, niſi cauſa adſit neceſſaria. Quæ cùm à Gregorio VII. ipſa neceſſitas expreſſerit, quis non jam inter cauſas neceſſarias reputârit obſequium in Principes ac Magiſtratus, ſine quo Reſpublica ſtare non poſſit? Quare illius ævi hominibus perſuaſum fuiſſe, ut liceret magis colonis ac ſervis, patrem familias, quàm civibus Regem, ac Magiſtratus in civilibus ac neceſſariis colere, incredibile diƈtu eſt, ſummamque eorum temporum imperitiam, aut incogitantiam prodit. Quæ iterùm atque iterum notari volumus adversùs eos qui eorum temporum autoritate nos premunt.

Notari etiam volumus in decreto Gregorii duo quædam: primùm, quòd Gregorius ſignificet hæc ſe indulgere *Apoſtolicâ autoritate*, *miſericordiâ viƈtum*; quaſi non hæc extorqueat ipſa neceſſitas; aut verò quiſquam unquam cogitarit, per excommunicationem abſtrahi à patre familias ſervos aut colonos, nedum uxorem, ac liberos. An verò etiam ad miſericordiam, non autem ad neceſſitatem pertinet illud, de non excommunicandis iis, *qui ignoranter excommunicatis communicant*, aut illud, ut qui inter excommunicatos verſetur rerum omnium inops, ab iis accipiat neceſſaria? Et tamen Gregorius (pace tanti viri dixerim) quaſi pro magno id largitur: *Licentiam*,

(k) *Orator*] In illo decreto, idem eſt ac peregrinus; qui quidem ſignificatus, apud autores infimæ latinitatis frequentiſſimus eſt. Male D. DUPIN *Traité de l'Excomm.* Part. j. pag. 263. *Ambaſſadeur.* Nam ea verba: *Qui non habet unde ea emat quæ ſunt ad viƈtum neceſſaria*, in Principis *Legatum* non conveniunt; & infrà diƈta declarant *Oratorem* eſſe *peregrinum.*

(l) *Canoniſtarum Schola duobus verſiculis .... celebrat*] quinque modis vetitum eſſe, ne quis pius cum excommunicato communicet:

Si pro deliƈtis anathema quis efficiatur;
Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Quinque etiam modis licitum dicunt, ut pius cum excommunicato communicet:

Hæc anathema quidem faciunt ne poſſit obeſſe;
Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

inquit, *damus ab excommunicatis accipiendi;* tanquàm non id per ſe liceat; aut ante eam licentiam, oporteret virum bonum & Catholicum enecari fame. Hoc quidem eſſet, non jam excommunicatos, ſed fideles & Catholicos mulctare peſſimè. Quare hanc Gregorii miſericordiam, veniam ita intelligimus, ut id quod jam eſſet per ſeſe licitum, ad omnem eximendum ſcrupulum clariùs indicaret. Certè utcumque eſt, claret non eſſe jure Divino interdicta quæ à Pontifice concedantur.

Secundò, notari volumus illa Gregorii verba de curialibus, ut abſolvantur ab anathemate, *qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur;* quibus ſignificat impunè verſari in aulis ac miniſteriis Principum atque Optimatum excommunicatorum, eos, à quibus non ſoleant de exequendis ſceleribus exquiri conſilia. Quid ſi exquirantur, & illi pro officio ſuo, bona ſuadeant, atque ab omni malâ re abſtineant? An quia Principes excommunicati ſunt, Reipublicæ deeſſe debeant in neceſſariis juſtiſque officiis? Nemo profectò id niſi ineptiſſimus dixerit. Summâ ergò in ignorantiâ verſabantur, qui Gregorii VII. tempore Henrico IV. excommunicato Regi, neganda putabant obſequia etiam Reipublicæ neceſſaria, eoque ſolo nomine ab ejus imperio, atque obedientiâ recedebant.

CAPUT XXIX.

Idem probatur ex ſecuta Pontificum omnium, atque Eccleſiæ praxi: inſigne exemplum ſub GREGORIO IX. *ac* FRIDERICO II. *Imperatore: huic præſtitum obſequium, negatâ interim menſâ & oſculo.*

QUARE nec ſecuti Pontifices exiſtimârunt ſolâ excommunicatione, aut anathemate ſolvi obedientiam. Poſtquam enim exemplo Gregorii VII. id ſibi tribuerunt ut Reges deponerent, non propterea ſemper pro depoſitis habuerunt eos Reges, quos etiam nominatim anathemate percuſſiſſent. Id innumeris exemplis demonſtrabimus, ubi ad eorum temporum hiſtoriam venerimus. Nunc in anteceſſum, unum Friderici II. exemplum proponemus.

Greg. IX. ep. ij. tom. xj. Conc. p. 315. Hunc ergò Imperatorem anno Chriſti 1228. Gregorius IX. nominatim excommunicavit his verbis: *Imperatorem Fridericum excommunicatum publicè nuntiamus, & mandamus ab omnibus arctiùs evitari: contra ipſum, ſi contumacia ejus exegerit, graviùs proceſſuri.* Quid autem gravius tali anathemate, niſi quod anathemati depoſitionem adjuncturus erat, ut anno 1239. his verbis fecit: *Omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab obſervatione juramenti ejuſmodi abſolutos &c.* Ita decernunt cùm depoſitos volunt.

Quare illud certum eſt: ex mente Gregorii IX. apud Fridericum II. ſtetiſſe Imperii vim, etiamſi ita decreviſſet: *Excommunicatum publicè denunciamus, & mandamus ab omnibus arctiùs evitari:* quod nempè illud interdictum neceſſarias exceptiones admitteret, nec magis ſolveret à juſto Imperio cives ac ſubditos, quàm à Dominorum jugo colonos ac ſervos.

Quo factum eſt, ut Imperatori ad bellum ſacrum in Orientem profecto,

Digitized by Google

ſecto, cùm excommunicatus, nondum tamen depoſitus eſſet, fideles quidem omnes communicare nollent, neque tamen eo ſeciùs in juſtis ac neceſſariis obedirent. Utrumque accepimus ab ejus ævi Scriptore Matthæo Pariſienſi: nempè, ab Epiſcopis, à Clericis, à Templariis, ab Hoſpitalariis, ab aliis denique qui Romano Pontifici addictiſſimi erant, Fridericum in bellicis ac publicis officiis pro duce eſſe habitum; & tamen omnes ei *in oſculo & in menſâ* communicare noluiſſe; maxime adhortatos, *ut Papæ ſatisfaciens rediret ad ſanctæ Eccleſiæ unitatem.* Vides ut interdictum de vitandis excommunicatis ad menſam & oſculum redigerent; ad officia Reipublicæ neceſſaria extendi ne quidem cogitarent.

Matt. Par. an. 1228. p. 349.

Cùmque negarent oris *oſculum*, eam tamen interim ſalutationem adhibebant, quæ Imperatoriæ Majeſtati conveniret. *Flexis enim genibus adoraverunt eum, genua ejus deoſculantes:* quòd nempè erga Principes humilis ſalutatio, non ſolius urbanitatis ſit officium, ſed obſequii neceſſarii pars maxima.

Quod autem ab oris oſculo abſtinebant, id factum arbitramur, quòd putarent tali oſculo religioſi officii aliquid contineri, ſcribentibus Apoſtolis in omni epiſtolâ; *Salutate invicem in oſculo ſancto;* ut oris oſculum Chriſtianæ fraternitatis ſignum eſſe videatur.

Alia ejuſmodi paſſim occurrent, nec eorum pigebit lectorem commonere, ubi locus tulerit; atque omninò certum dabimus, ſecluſam à depoſitionis ſententiâ fuiſſe, excommunicationis atque anathematis ſententiam; nihil ut fuerit vanius, quàm illud interdictum de vitandis excommunicatis ad depoſitionem uſque protendere.

Rom. xvj. 16. j. Cor. xvj. 20. ij. Cor. xiij. 12. ij. Theſſ. v. 26. j. Pet. v. 14.

Ratio autem hujus rei eſt, quòd illud interdictum in humanis quidem, exceptionem, uti diximus, neceſſitatis admittat; obſequia autem erga Principes inter neceſſaria manifeſtè habeantur.

CAPUT XXX.

SANCTI **T**HOMÆ *locus: Canon Conſtantienſis: item Lateranenſis Concordato inſertus: quâ ſenſu Reges excommunicari non poſſint: dictorum in hoc interdictum recapitulatio; atque hinc firmum argumentum.*

UT autem magis pateat, quæ ſit hujus interdicti vis, intelligenda ſancti Thomæ, ac Doctorum ſententia. Quærit S. Thomas: *Utrum participare cum excommunicato in caſibus non conceſſis, ſemper ſit peccatum mortale?* Caſus autem conceſſos vocat Gregorii VII. decreto comprehenſos, quos ſuprà retulimus. Reſpondet S. Thomas: *Quòd participans excommunicato*, etiam extra conceſſos neceſſitatis caſus, *non ſemper peccet mortaliter, ſed ſolùm quandò in crimine illi participat, vel in Divinis, vel in contemptum Eccleſiæ.*

Supplem. quæſt. xxiij. art. iij.

Cujus quidem rei hanc rationem reddit: *Quòd præceptum Eccleſiæ* de

Ib. ad 2um.

Digitized by Google

vitando excommunicato *directè reſpiciat ſpiritualia, & ex conſequenti actus legitimos*; *& ideò qui communicat ei in Divinis, facit contra præceptum, & mortaliter peccat: qui autem participat & in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter.*

Notanda ſancti Doctoris verba, quibus interdictum de vitandis excommunicatis, Eccleſiæ præceptum vocat, non Divini juris; nam & illud inter Doctores quæritur. Quid autem hîc ſentiant perindè nobis eſt, quòd ſivè Divinum eſt, ſivè Apoſtolicum, ſeu merè Eccleſiaſticum, certè exceptionem neceſſariæ cauſæ admittat: quibus cauſis neceſſariis, niſi neceſſaria Reipublicæ officia complectimur, maniſeſtè deſipimus.

Quin etiam decretum illud, quod tractamus, de vitandis excommunicatis, uſque eò proceſſu temporis emollitum, temperatumque eſt, ut jam ex Conſtitutione Conſtantienſis Concilii, quæ incipit *ad evitanda ſcandala*, redigatur ad eam ſententiam, vel cenſuram excommunicationis, vel interdicti Eccleſiaſtici, *quæ fuerit contra perſonam, Collegium &c.... locum certum, vel certam, à judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter & expreſsè:* quo jure cum hæreticis ac ſchiſmaticis, quantumvis aperti ſint Eccleſiæ hoſtes & contemptores, impunè verſamur.

Hoc decretum (*m*) tametſi deeſt in Conſtantienſis Concilii geſtis, Martino V. in Conſtantienſi Concilio paſſim tribuitur, & ab omnibus recipitur.

In eo autem decreto à communi regulâ excipitur Clerici percuſſor notorius; *nam*, inquit, *à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri.* Cur autem caſus ille excipiatur unus, non ex jure Divino, ſed ex Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac temporum ratione manat.

Conc. Baſ. tom. xij. ſeſſ. xx. cap. ij. pag. 551. Concil. Later. v. tom. xiv. ſeſſion. xj. in Bull. Leon. x. de Concord. p. 303. Tom. Cóc. xiv. text. Concord. titul. xxx. p. 373.

At poſteà in Baſileenſi & Lateranenſi, ſub Leone X. Concilio, res paulò aliter explicata eſt. In utriſque enim æquè ac in Conſtantienſi, ut excommunicati vitentur, *denuntiatio expreſſa* requiritur. At ea adhibetur exceptio: *Si ita notoriè in excommunicationis ſententiam incidiſſe conſtiterit, ut nullâ poſſit tergiverſatione celari.* Sic quidem legitur capite X. *Statuimus:* quod eſt Concordatis inſertum. Quo jure ſi uteremur, non tantùm eſſent vitandi, ex Conſtantienſi Concilio, Clericorum notoriè percuſſores, ſed etiam Calviniſtæ, Lutheranique omnes, quos adeò notorium eſt eſſe excommunicatos, ut non niſi ſoluto vinculo excommunicationis, in Eccleſiam admittantur. Ab his autem omnibus, neceſſitate illâ civili & morali, quam diximus, excuſamur.

Hæc ſanè demonſtrant quàm latas admittat interpretationes interdictum de vitandis excommunicatis, quatenùs ad communis vitæ officia pertinet;

(*m*) *Hoc decretum*] non commemorat Labbeus, neque in actis quæ Conſtantienſe Concilium ſpectant, neque in appendice; quod tamen decretum à ſanctâ Synodo editum fuiſſe affirmant, qui non multò poſt eam exactam ſcripſerunt S. Anton. Sum. hiſt. part. iij. tit. xxij. cap. vj. & Sum. Theol. part. iij. tit. xxv. cap. ij. iij. Domin. Soto in iv. ſent. diſt. xxij. quæſt. j. art. iv. Tolet. Inſt. Sacerd. lib. j. cap. xij. Suar. Azor. Valent. Vaſq. &c. Hoc autem eò annotandum fuit, quòd Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ neoterici Scriptores, ſive decretum hoc ignoraverint, ſive quâlibet aliâ de causâ, illud omnes prætermiſerunt. Urgent illi quidem Baſileenſe decretum, etiam Lateranenſe, quòd Baſileenſis decreti mera repetitio eſt; nec animadvertunt, utrumque ne ſervetur, multas res obſtare, non item, ne Conſtantienſe. Adde Conſtantienſem Synodum eſſe probatiorem & autoritate firmiorem.

Digitized by Google

ut profectò jam illud ad Reges deponendos urgeri, apertæ inſaniæ ſit.

Ex his etiam intelligimus, quo ſenſu quidam dixerint Reges excommunicari non poſſe, quòd etiam in gloſsâ ordinariâ, & apud Sanctum Thomam vidimus; quem ſenſum ſecutos diximus Henricianos ipſos, qui, Gregorii VII. tempore, negabant excommunicari poſſe Reges, eo ſcilicèt excommunicationis genere, quod ita omne vinculum humanæ ſocietatis abrumpit, ut etiam in civilibus obedientia ſubtrahatur. Vid. Sup. ſect. j. cap. vij. Gloſſ. ordinar. in illud Matt. xiij. *Ne fortè colligemus zizania.*

Quòd autem alii ejuſdem ævi putabant excommunicationem eò etiam pertinere, ut Regi excommunicato, etiam neceſſaria Reipublicæ officia negarentur, atque adeò penitùs ſolveretur Imperium; manifeſtum errorem in exemplum & autoritatem trahi ratio non ſinit. S. Thom. Sup. quæſt. xxij. art. v. *Sed contra.* apol. Henr. ap. Freher. p. 163.

Quare omnibus modis invictum eſt argumentum noſtrum. Tota Eccleſiaſtica poteſtas, quatenùs in puniendo & animadvertendo verſatur, ſolâ excommunicatione conſtat: id enim à Chriſto & Apoſtolis diligentiſſimè explicatum, neque quidquam aliud uſpiam eſt proditum; atqui excommunicatione nihil immutatur, neque in civium, neque in Principum juribus, uti à nobis Scripturæ autoritate & communi omnium conſenſione eſt traditum; ergò Eccleſiaſticâ poteſtate, quantacumque eſt, quatenùs in puniendo & animadvertendo verſatur, nihil immutatur, neque in civium, neque in Principum juribus: ergò Reges deponere pœna Eccleſiaſtica non eſt, neque id à Chriſto conceſſum, neque ab Apoſtolis explicatum, totumque adeò ab Eccleſiâ Chriſti alienum eſt.

CAPUT XXXI.

Ambas poteſtates Eccleſiaſticam & civilem, in ſuo quamque ordine eſſe primas, ac ſub uno Deo proximè collocatas, Scripturis ac Patrum traditione demonſtratur: Tertulliani locus.

JAM illud conſiderandum aggredimur, quod ex antè dictis eſt conſectaneum, & tamen ex Scripturis diligentiùs explicandum: ambas poteſtates, Eccleſiaſticam & civilem, ita eſſe Divino numine conſtitutas, ut in ſuo genere & ordine, unaquæque ſub uno Deo proximè collocata, prima ac ſuprema ſit: ac Deo quidem æquè ſubditæ: collatæ verò invicem, ſociæ fœderatæque ſunt; ac licèt illa dignior, hæc tamen æquè pertingit ad Deum, ejuſque numini ac judicio reſervatur.

Eam doctrinam Petrus, Chriſtiani gregis Princeps, his explicat verbis: j. Pet. ij. 13. 14.
Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει (n) *propter*

(n) πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει] Illa verba torſerunt omnes Interpretes, qui nonnunquàm dùm tractant ſubtiliùs quædam Scripturæ loca, illa non tàm illuſtrant quam obſcurant. Sed vocabulum κτίσις in Scripturâ ſignificat non modò *creaturam*, ſed *ordinem*, *rerum ordinationem*. Igitur D. Bossuet aſſentiendum eſt, qui vocabuli κτίσις ſignificatus varios ſimul complexus, illud eo modo accipit ut oſtendatur: ſubjici nos oportere toti huic ordini inter homines inſtituto; quia Deus ipſe conſtituit, ordinavit, poſuit unumquemque in hoc vel in illo poteſtatis & dignitatis gradu. Quæ interpretatio cùm per ſe plana ſit, tum Paulinæ ſententiæ Rom. xiij. mirificè congruit.

Digitized by Google

Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis. Sic obediendum ducibus, ſive inferiori poteſtati, tanquam à Rege, ac ſupremâ poteſtate miſſis: Regi autem ſive ſupremæ ac præcellenti poteſtati, non propter aliam humanam poteſtatem, ſed *propter Deum;* tanquam eum à quo eſt, à quo ordinata eſt, cujus miniſtra eſt; quo autore viget polletque. Quò fit ut *omnis humana creatura*, ſive omnis ea, quæ eſt inter homines, rerum ordinatio (nam & hoc ſonat vox *κτίσις*) etiam in civilibus ad Deum referatur, Deique nomine ac vice adminiſtretur ſuprema poteſtas, nullâ aliâ interpoſitâ poteſtate. Quem ſenſum ſecuti ſunt ab initio Patres & Chriſtiani omnes, ac primùm Tertullianus adversùs Scapulam: Tert. adv. Scap. cap. ij. *Colimus Imperatorem ſic quomodò & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem;* Apolog. cap. xxx. & in Apologetico omnium nomine: *Et ſciunt omnes Imperatores quis illis dederit Imperium; ſciunt quis homines, quis & animam. Sentiunt eum eſſe Deum ſolum in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi.* Vides quid ſentiant ipſi Imperatores, plaudente Eccleſiâ; nempè ſe in ſolius Dei poteſtate eſſe, à Deo ſecundos, & poſt Deum primos; non igitur ab aliquo per Deum conſtituto Pontifice deponendos.

Hinc exurgit argumentum. Qualem ideam Principatûs genus humanum ipſique Imperatores animo informaverant, talem Eccleſia ſuſcipit: atqui eam Principatûs ideam informaverant, quæ civilem poteſtatem in ſuo ordine primam, ac ſub Deo ſecundam poneret: ergò talem formam Eccleſia probabat. Jam ſi quæ poteſtas eſt à Deo in terris inſtituta, cujus judicio ſupremæ poteſtates ſtent aut cadant, immeritò profectò ſeſe illæ exiſtiment in ſuo genere & ordine à Deo ſecundas, & poſt Deum primas. At Imperatores non id immeritò de ſe credidiſſe Tertullianus refert, & Eccleſia probat: non ergò eſt ulla poteſtas, cui deponendi ſubſint, à Deo inſtituta.

Id quidem Tertullianus à Petro, Petrus à Chriſto didicit. Neque alius ſenſus eſt ejus Dominici effati, quod ſæpè relatum, nunc etiam attentiùs conſideratum volumus: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Quippe hæc de Imperio Romano jam collato ad Cæſares, eo intellectu dicta ſunt, quo in omnium mente, ſenſuque erat. Porrò Romani ac devictæ gentes æquè ſentiebant Romanum Imperium ita eſſe ſupremum, ut nulla ſupereſſet in ſubjectis Provinciis poteſtas, quæ in tale Imperium jure inſurgere directè aut indirectè poſſet; neque profectò erat ulla Provincia, quæ excutiendi Imperii jus ullum alicui, quæ apud ſe eſſet, poteſtati etiam Sacerdotali tribueret, ac ſi quæ tribuiſſet, jus faſque fuiſſet eam pro perduelli haberi. Jam verò Judæi Cæſaribus, Romanoque Imperio, non alio erant jure ſubditi, quàm aliæ gentes; neque eorum Sacerdotes quidquam ſibi juris ad ſolvenda Imperia vindicaverant; neque ſub Græcis, neque ſub Perſis, neque ſub Aſſyriis, neque ſub propriis Regibus, ſive Machabæicis, ac recidivo Imperio, ſive etiam Davidicis, ac primâ Regii Imperii origine. At verò Romanos, deteriore quàm alios jure regnare, nemo unquam intellexit. Quale autem Imperium ſibi ipſi vindicarent, & omnes recognoſcerent, tale Imperium Chriſtus confirmavit; neque retrò aſpexit,

Digitized by Google

rectenè, an secùs Pompeius, aliique Romani Duces Regni Judaïci ſtatum immutaverint, ſed ex poſſeſſione & gentium jure, propter publicam pacem, Imperii ſtatum, quo erat firmavit loco: neque obedientiam, aut religionis prætextu ſollicitari, aut à Sacerdotum voluntate pendere voluit. Rursùs qualem Judæis, talem Chriſtianis ſub Imperio Romano formam dedit: ergò abſolutè voluit, quicumque imperarent eo jure quod leges uſuſque publicus approbâſſet, illos ab Eccleſiâ ſuâ ſanctos, inviolatoſque haberi, neque ulli quàm Divinæ poteſtati ſubeſſe, quod & Imperatores, & omnes gentes volebant, & cum eis Tertullianus, totaque Eccleſia fatebatur.

CAPUT XXXII.

Aliæ Patrum autoritates: an his ſatisfiat dicendo Principes in temporalibus, non minùs ſoli Deo ſubeſſe, cùm ejus Vicario ſubſint.

UTI Tertullianus interpretatus eſt, ità cæteri Patres. Sanctus Ambroſius in illud Davidicum, TIBI SOLI PECCAVI: *Rex utique erat*, inquit, *nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti ſub Imperii poteſtate. Homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Caſſiodorus in eumdem Davidis locum: *De populo ſi quis erraverit, & Deo peccat & Regi: nam quandò Rex delinquit, ſoli Deo reus eſt..... quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet. Meritò ergò Rex Deo tantùm ſe dicit peccâſſe, quia ſolus erat, qui ejus potuiſſet admiſſa diſcutere.*

Vid. ſup. cap. IX.

Caſſiodor. exp. in Pſ. I. tom. XVIJ. Bibl. Pat. p. 158.

Hinc Sanctus Gregorius Turonenſis hæc ad Childericum Regem: *Si quis de nobis, ô Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronuntiavit eſſe juſtitiam?* Ac paulò poſt: *Sed quid plura? Habes legem & canones: hæc te diligenter rimari oportet, & tunc quæ præceperint ſi non obſervaveris, noveris tibi judicium Dei imminere.*

Greg. Tur. lib. V Hiſt. Franc. cap. XVIIJ.

Hæc paſſim apud Patres, quibus clarè docent temporali poteſtati nullam imminere ſui generis atque ordinis pœnam, hoc eſt temporalem, quam homines infligant: quæ ſi congerere ſit animus, jam adverſarios non locis ac teſtibus, ſed voluminibus obruamus. Unum ſubjungimus Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem, ut Italiæ & Franciæ addamus Hiſpaniam: *Difficile eſt Principem regredi ad melius, ſi vitiis fuerit implicatus: populi enim peccantes judicem metuunt, Reges autem niſi ſolo Dei timore, metuque gehennæ coërceantur, liberi in præceps proruunt, & per abruptum licentiæ, in omne vitiorum facinus labuntur: ideò Principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia.*

Iſid. Hiſp. vid. in Dec. Ivon. Carn. part. XVJ. cap. XLIJ.

His & ſimilibus reſpondere ſe putant, ſi dixerint ſubeſſe Pontificibus Dei vicariis, nihil eſſe aliud quàm ipſi Deo ſubeſſe, ac meritò dici à Deo ſecundos, qui non niſi ejus vicariis, ac per eum inſtitutæ Eccleſiaſticæ po-

teſtati ſubſint: quæ quidem poſtremis ſæculis uſurpata non nego. At ſi hæc valeant, jam pari jure dicamus Reges non modò in Imperio, ſed etiam in religione ſoli Deo ſubeſſe; cùm in religione nullis aliis ſubſint quàm Sacerdotibus Dei vices agentibus, atque Eccleſiaſticæ poteſtati à Deo inſtitutæ. At non id dicimus, paſſimque in ſequentibus audiemus Patres id apertè profeſſos: Reges quidem in temporalibus ſoli Deo ſubeſſe, ſed in Eccleſiaſticis & Sacris æquè ac cæteros fideles ſubeſſe Sacerdotibus. Ergò in quibus ſoli Deo ſubeſſe dicunt, etiam Sacerdotale excludunt officium.

Neque pluris valet illa reſponſio: ſupremam eſſe, ac Deo ſecundam civilem poteſtatem, tametſi ab aliâ poteſtate, nempè à ſpirituali, deponi poſſit, quia indirectè tantùm, non autem directè deponi poteſt. Nobis enim non placet verbis ludere; ac planè negamus eam poteſtatem ſupremam atque à Deo ſecundam verè ac ſeriò dici, quæcumque ab alterâ, quocumque nomine, ſive directè, ſive indirectè, deponi & in ordinem cogi poſſit.

Quare neque eam admittimus utriuſque poteſtatis, civilis nimirùm & Eccleſiaſticæ, ſubordinationem, quam adverſarii paſſim inculcant: ſatis enim conſtitit non ita eſſe ſubordinatas, quæ ſine ſe invicem ſtare poſſint, totâ
Sup. c. v. vi ſuâ ac numeris omnibus abſolutæ: atqui ſuprà vidimus, planeque in confeſſo eſt, ſtare veram religionem, ſtare Eccleſiam totâ vi ſuâ, etiam ab Imperio ſeparatam: ſtare in ordine civili perfectiſſimum regimen à verâ Eccleſiâ, verâque religione ſecluſum: ergò ambæ poteſtates, ſupremæ ac principes in ſuo ordine, conjunctæque & amicæ, non una alteri per ſeſe ſubdita, ſubordinataque eſt.

CAPUT XXXIII.

An ut ambæ poteſtates inter ſe ordinatæ ſint, unam alteri ſubdi neceſſe ſit: Sancti Gelaſii aliorumque Pontificum doctrina.

HINC illud ſolvitur, quod paſſim objiciunt, ambas poteſtates inter ſe ordinatas oportere eſſe: non autem ordinatæ ſunt, niſi una alteri, minor potiori, civilis ſcilicèt Eccleſiaſticæ ſubſit. Nos autem dicimus in eo eſſe ordinem collocatum, ut quod eſt ordinis genus quoddam, ſocietate, fœdere, pace, conjunctæ ſint.

Zach. vj. Hinc illud Zachariæ: *Ecce vir* ORIENS, *nomen ejus*, Zorobabel, ad lite-
12, 13. ram, publicâ ac civili poteſtate functus, *& ipſe extruet templum Domino.... & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.* Vides pace mutuâ, non ipsâ ſubordina-
ij. Paral. tione conjunctos; & explicitiùs: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in*
xix. 11. *his quæ ad Deum pertinent, præſidebit: Porrò Zabadias filius Iſmaël qui eſt dux in domo Judâ, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Sic ambæ poteſtates ſuis limitibus circumſcriptæ, ſociæ quidem & amicæ, conjunctis agebant viribus, non una alteri imperabat. Atque hoc ſecutus S. Gelaſius Pontifex, hæc ſcripſit celebri epiſtolâ ad Anaſtaſium Auguſtum:

Digitized by Google

Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, Sacerdotalis autoritas & Regalis poteſtas. Utraque principalis, ſuprema utraque, neque in officio ſuo alteri obnoxia eſt. Subdit: *Nôſti enim, clementiſſime fili, quòd licèt præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus Divinarum devotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cœleſtibus Sacramentis, eiſque ut competit diſponendis ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potiùs quam præeſſe. Nôſti itaque inter hac ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantùm ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes Imperium tibi ſupernâ diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites. . . . . . quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis?*

Gel. epiſtol. viij. ad Anaſt. tom. iv. Conc. p. 1182.

Et quidem Gelaſius ubique celebrat Pontificiam poteſtatem utì digniorem, quippè quæ dignioribus ac cæleſtibus præſit; nec tamen alteram, minùs licèt dignam, alteri obnoxiam facit, in rebus quidem ſuis. Quòd autem Imperatores Pontificibus ſubdit, diſertè explicat non illud abſolutè, ſed *in ſumendis ac diſponendis cœleſtibus ſacramentis*, quâ etiam in re judicari docet: *Nôſti*, inquit, *inter hac ex illorum te pendere judicio.* Ordinem autem in eo eſſe intelligimus, non quòd poteſtas dignior alteram ad ſua jura revocet, ſed quòd, cùm ambæ ſupremæ ſint, altera alteri ſuo quæque officio obſequantur. Favet ſanctus Symmachus Papa ad eumdem Anaſtaſium: *Ille* (Imperator) *rerum humanarum curam gerit, iſte* (ſcilicèt Pontifex) *Divinarum; tu humana adminiſtras, ille tibi Divina diſpenſat. Itaque ut non dicam ſuperior, certè æqualis eſt honor.* Potuiſſet enim dicere honorem ſacerdotalem ſuperiorem eſſe honore regio, hoc eſt, præſtantiorem, ſublimiorem, digniorem; neque quiſquam negâſſet Chriſtianus: at in æqualitate utriuſque poteſtatis Sanctus Pontifex meritò acquieſcit, quòd æquo & abſoluto jure, altera Divinis, altera humanis rebus præſit.

Sym. epiſt. vj. apol. ad Anaſt. ibid. pag. 1298.

Hæc dicebant Pontifices ſuperbo Imperatori, qui ad ſe omnia etiam Eccleſiaſtica trahere, & Acacii meritò excommunicati nomen Imperatoriâ poteſtate ſacris dyptychis reſtituere, vel conſervare niteretur: quem proinde oportere diligentiſſimè commoneri ejus, quâ ipſe deponi poſſet Pontificiæ poteſtatis, ſi quidem talia cogitâſſent. At illi hunc locum prætermittunt; ambaſque poteſtates, non ut ſubordinatas, ſed ut coordinatas & contradiſtinctas, ac ſub uno Deo proximè collocatas memorant.

Hoc ſequuntur omnes deindè Pontifices, quorum ſuo loco dicta referemus. Præluxit omnibus doctus ille, terſuſque Syneſius, Arcadio imperante, Ptolemaidis Cyrenenſis Epiſcopus, nec minùs ſanctis moribus quàm eleganti ingenio multâque oratione nobilis. Deniquè in eo ſunt Patres omnes, ut ambas poteſtates Divino numine ſeparatas, ac ſuis finibus circumſcriptas, unique Deo ſubditas eſſe prædicent.

Syn. epiſt. lvij. p. 198. edit. Petav. 1640.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

Cur hæ poteſtates tantâ providentiâ diſtinctæ ſint: ſanctus Gelaſius duas cauſas affert, quæ indirectâ poteſtate tolluntur.

Gel.Tract. j. de anat. vinc. tom. iv. Conc. p. 1232.

CUR autem ſociæ & amicæ poteſtates ſuis officiis ac finibus Divino numine tam accuratè diſtinctæ ſint, ſanctus Papa Gelaſius cauſas affert: *Chriſtus*, inquit, *memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret diſpenſatione magnificâ temperans, ſic actionibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari, non humanâ ſuperbiâ rurſus intercipi, ut & Chriſtiani Imperatores, pro* VITA ÆTERNA *Pontificibus indigerent, & Pontifices pro* TEMPORALIUM CURSU RERUM, *Imperialibus diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideò militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus Divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus; ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.*

Duas omninò cauſas memorat cur ambæ poteſtates ſuis finibus circumſcriptæ, ſuis addictæ ſint officiis. Primùm, ne ſuperbiâ efferretur in quem congeſta eſſent omnia: tùm, ut quiſque ſe ad ejus ordinis, quem profeſſus eſſet, actiones eò faciliùs aptaret, quò cujuſque actiones diligentiùs inter ſe diſtinctæ eſſent.

Itaque illud imprimis obſervatu dignum, officia à Chriſto fuiſſe diſtincta, *ut modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ac ne extolleretur utroque ſuffultus*. Quis autem non videat, quàm hæc à Chriſto incaſſum diſtincta ſint, ſi qui ab eo eſt ſpiritualibus rebus ſummo jure præfectus, is non modò, ut diximus, maxima Reipublicæ, Imperiorumque negotia, verùm etiam temporalia omnia toto orbe terrarum, ad ſuam poteſtatem curamque revocare cogitur?

Nam ſi ad id cogitur propterea quòd humana Divinis, terrena cœleſtibus, atque animarum ſaluti corporalia ſervire neceſſe ſit; jam illud conſequetur, ut ſpiritualis poteſtas civilem poteſtatem, omniaque ejus officia ad ſua Imperia revocet, cùm nihil ſit in iis officiis, quod non ad Dei gloriam, & ad æternam ſalutem omninò pertineat. Quæro enim an ſit aliqua Imperii civilis pars, quæ ſacerdotali Imperio non ſit addicta penitùs, an verò ſit nulla? Si aliqua, rogo quam talem eſſe velint? Bellumne an pacem? Leges, judicia, ac juriſdictionem, an tributa? An quid aliud? Hinc profectò ſequeretur ea ad Dei gloriam, & ad æternam ſalutem nihil pertinere, quod eſt falſiſſimum. Si autem nulla ſint, ac poteſtas Eccleſiaſtica omnia complectatur, quocumque id fiat nomine, directè, indirectè; propriè, impropriè; uno ictu deponuntur terrenæ poteſtates omnes, neque ullum ſupereſt in verbis levamen, cùm reipsâ concidant.

Quòd

Quòd ſi hæc inania & nimia ſponte corruunt, jam aliquos limites invenire nos oportet, quibus comprehenſa civilis poteſtas ſupremo jure agat, nullique alteri obnoxia poteſtati. Quare tuum illud, ad unum principium, atque ad unam poteſtatem omnia revocanda, fallax & ſpecie decens, reipsà ineptum, atque invalidum eſt.

Jam ſi ad certos limites te redigas rerum humanarum neceſſitate victus, quam dabis regulam ac legem his regendis finibus? Nempè dicturus es tunc eſſe obnoxiam ſpirituali poteſtati civilem poteſtatem, ac meritò deponendam, ſi commiſerit ea quæ ad religionem labefactandam manifeſtè pertineant. Quid autem eſt manifeſtè? An ut directè Princeps veram religionem oppugnet, uti Diocletianus & Julianus fecêre? At non Childericus Francus, non Irenes Auguſta Catholicam religionem ita oppugnabant, quos tamen meritò depoſitos eſſe contendis. Certè, inquies, quòd neceſſe ſit labefactatis Imperiis periclitari religionem, quibus Imperia ſint præſidio. Rurſus ergò illuc revolvimur, ut civilia omnia, leges, tributa, bella ad Eccleſiaſticam poteſtatem revocentur. Quare ea doctrina, quæ ad unam poteſtatem, nempe Eccleſiaſticam, revocare omnia ac relegare nititur, nullâ omninò lege, nullo ordine, ut & illud omittamus longâ ſæculorum experientiâ notum, vix unquam Pontifices in re Eccleſiaſticâ indiligentiùs eſſe verſatos, quàm poſt ea tempora, quibus rerum, etiam humanarum, poteſtatem ſibi attributam eſſe voluerunt.

CAPUT XXXV.

Ambarum poteſtatum ſeparatio ac ſocietas ex ſancti Gelaſii doctrinâ explicatur: Bellarmini comparatio: S. Gregorii Nazianzeni locus ab eo objectus.

QUARE ſolutum eſt ex Gelaſiani decreti doctrinâ & autoritate argumentum illud, quo ſeſe efferebant. Nempe ſtatuebant poteſtates duas in unum principium unamque poteſtatem ſpiritualem reducendas, ne ordo deſit rebus humanis, neve in diverſa principia reſolutæ diſtrahantur, quaſi equis in diverſa raptantibus: hæc, inquam, ſoluta ſunt S. Gelaſii, aliorumque Pontificum doctrinâ. Satis enim claruit duas quidem poteſtates eſſe oportere: Eccleſiaſticam & civilem, diſtinctis officiis, quæ principales ſint ac ſupremæ, & tamen ſociæ; ac ſupremæ quidem ſuo quamque in officio, ne ſi ad unam omnia referantur, hæc vel onere victa collabeſcat, vel, ut Gelaſius docuit, plus æquo *extollatur utrâque poteſtate ſuffultus*; conjunctæ tamen & amicæ, ne ſocietas humana diſtrahatur.

Conjunctas autem eſſe dicimus, quòd, ut expoſuêre ſancti Pontifices, & mutuam ſibi operam debent, præſtantque; & licèt ſupremæ invicem, Deo tamen ambæ communiter ſubſunt: quò fit ut ſub binis licèt poteſtatibus, res tamen humanæ minimè diſſolvantur, quòd Deus habenas temperet; atque ita non ad duo principia, ſed ad unum principium omnia referantur.

Hoc ſenſu, ſi ordinatas eſſe volunt ambas poteſtates, eòque referri placet Apoſtolicum illud: *Quæ ſunt* (poteſtates ſcilicèt) *à Deo ordinatæ ſunt*, quanquam Apoſtolum aliò reſpexiſſe conſtat, non tamen id refugimus. Satis enim ordinatæ ſunt, quæ non incompoſitis feruntur motibus, ſed à Deo gubernantur, ab eoque conſtitutæ ſunt, ut ſibi invicem auxilium & tutelam afferant.

Bell. de R. P. lib. v. cap. vj. vij. At enim, inquiunt, erit ordo præſtantior, ſi Eccleſiaſticæ civilis tanquàm potiori ſubeſſe cogatur; qui ordo ſi deſit, maximo res humanæ incommodo laborabunt, colliſis perſæpè duabus poteſtatibus, ſuo in ordine ſupremis, nullâque earum abſolutè imperante. Quarè præclarius erit civilem minùs dignam à digniore in ordinem cogi, atque etiam loco amoveri poſſe.

Nos autem monuimus quàm ſuaviter ſomnient, qui id agunt ut res humanæ nullo incommodo laborent, tanquàm in cæleſti aulâ verſemur inter Angelos. At qui id moliuntur præpoſteri homines, ne id quidem intelligunt quantis ſe incauti implicent incommodis. Vel tu id cogita, dum omnia incommoda ſuperari à te poſſe putas, ad unam poteſtatem, imò, ut rem ipſam dicamus, ad unum hominem revocando res humanas; id, inquam, cogita, quale ſit incommodum congerere in unum caput totius orbis curas, Divina humanaque omnia, reſque ſæculares æquè ac Eccleſiaſticas. Hoc incommodum veriti ſancti Pontifices, rerum humanarum onus duas inter poteſtates à Deo partitum fuiſſe docuerunt, ne altera toto pondere gravata fatiſceret. Addiderunt id factum, *ut modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ac ne extolleretur utroque ſuffultus.* Ne ſcilicèt qui unus ad ſua arbitria revocare omnia ſe poſſe confideret, nimiâ poteſtate omnibus gravis, ipſe quoque ſui impos deviis motibus ferretur in præceps. Neque enim quiſquam eò uſque deſipit ut afferat Romanum Pontificem, etiam in adminiſtrandâ Pontificiâ poteſtate, à recto bonoque aberrare non poſſe, eſſeque infallibilem, ſimul & impeccabilem. Quam ob rem regere ea omnia quæcumque ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem referuntur, hoc eſt, humana omnia, non ejus profectò eſt qui ſe in adminiſtrandâ ſuâ poteſtate, erroribus & cupiditatibus abripi poſſe ſentiat. Duæ ergò poteſtates ſeſe mutuò non tantùm adjuvent, verùm etiam temperent; neve tu hîc mihi cogita eam rerum humanarum pulchritudinem, quam res humanæ ferre non poſſint; ac ſi duæ poteſtates inter ſe collidantur, ne propterea putes omnia in incertum fluitare, aut abire in diverſa, ut equos ruptis habenis; ſed intùs adeſſe occultum moderatorem Deum, qui ſollicitari interdùm Eccleſiam ſuam, non tamen diſſipari velit.

Id. ib. c. vj. At enim, inquiunt, ita ſe habet civilis poteſtas ad Eccleſiaſticam poteſtatem, ut caro ad ſpiritum, Gregorio Nazianzeno teſte (*o*). Eſto. Non id

Greg. Naz. Orat, xvij. tom. j. pag. 271.

(*o*) *Gregorio Nazianzeno teſte.*] Hic in oratione xvij. ad quam nos allegat Bellarminus, ut cives Nazianzenos irâ Præfecti commoros reficiat, oſtendit 1°. animi moleſtias à viris Chriſtianis haberi & eſſe in bonis: 2°. juberi nos ratione, publicæ diſciplinæ charitate, & ipſo Chriſtiano inſtituto, *ſublimioribus poteſtatibus parere.* Deindè ad Præfectum, ſermone converſo, ſic ait: *Et quidem lex Chriſti vos meo imperio meoque ductui ſubjicit. Nam nos quoque imperamus: quin imò noſtrum imperium majus eſt & perfectius. Non enim decet ſpiritum carni cedere & terreſtribus cæleſtia.* Ex quibus verbis planum fit, Gregorii doctrinam ab eâ quam ei attribuit Bellarminus, eſſe diverſiſſimam; cùm S. Doctor id unum velit, in quod omnes Chriſtiani conſentiunt, civili poteſtati poteſtatem Eccleſiaſticam dignitatis gradu ſuperiorem eſſe.

Digitized by Google

tamen verum eſt ratione omni, ſed aliquâ tantùm. Sed hæc more ſcholæ, tranſire ſinamus, ut quod in barathrum nos deducant, ſemel intueri liceat. Pergunt: Atqui ſpiritus, ſi neceſſe ſit, carnem quoque adigit ad interitum. Quid tum poſtea? Ergò Eccleſiaſtica poteſtas adigere ad interitum poteſt civilem poteſtatem; decernere poteſt ſcilicèt ut civilis poteſtas tollatur è medio, ſepeliatur, computreſcat; ipſa interìm ab omni civili poteſtate ſeparata vivet. Transfer in cælum eam, qui ſic ratiocinaris; vel agnoſce potiùs quàm malè hæc decidantur inſtitutis comparationibus, quæ comparationes, cùm certâ tantùm ratione valeant, ſi ad extremum urgeantur, ad immane præcipitium nos devolvant.

Atque ut intelligamus quouſque protendi comparatio valeat, recordemur id quod ſuprà eſt dictum: in ordine morum à verâ religione pendere civitatem; at civilem poteſtatem, quòd ad rationem attinet humanæ ſocietatis, per ſe ac totâ ſuâ vi ſine verâ religione, ſine verâ Eccleſiâ, ſine vero Sacerdotio ſtare poſſe. Sup.cap.v.

Interìm adjuvent ſe mutuò utræque poteſtates: contemptam Eccleſiam, Reges pœnis capitalibus: contemptos Reges, Eccleſia anathemate ulciſcatur. Hæc paſſim in Capitularibus, hæc in Gallicanis, Hiſpanicis, Anglicanis, omnium ubiquè gentium Conciliis legimus. Hæc ad confirmandam mutuam ſocietatem, non ad confundendos utriuſque poteſtatis fines pertinent.

Item quòd Rex præcipit: *Applica arcam Dei, applica Ephod:* quòd denique jubet uti Sacerdotes ſuo fungantur officio: quòd item Pontifex in Dei nomine præcipiat Regibus uti Rempublicam ex Dei legibus adminiſtrent, hoc debito ordine, ac moderatione factum, ſocietatis eſt mutuæ. Quòd autem aut Rex Sacerdotibus, autoritate Regiâ, aut Sacerdos Regibus, clavium poteſtate depoſitionem intentent, non jam ad tuendam ſocietatem, ſed ad invadendos alterius poteſtatis fines manifeſtè ſpectat. I. Reg. xiv. 18. xxiij. 9.

CAPUT XXXVI.

Canon, OMNES *objicitur & ſolvitur.*

HIC adverſari videtur Canon, *Omnes* Nicolai II. Papæ à Gratiano citatus, cujus hæc ſunt verba: *Illam* (Romanam Eccleſiam) *ſolus ipſe fundavit, & ſuper petram fidei naſcentis erexit, qui beato* (Petro) *æternæ vitæ clavigero, terreni ſimul & cæleſtis Imperii jura commiſit.* Hæc Gratianus refert ex Papæ Nicolai epiſtolâ ad Mediolanenſes, quæ ſi probi autoris eſſe conſtaret, neque eorum numero habeantur, quæ Gratianus benè multa in ſuum Decretum falſis titulis, corruptiſque ſententiis conſarcinata conjecit, tamen in rectum ſenſum facilè reducuntur. Nihil enim aliud præferunt, quàm hoc ſcilicèt: poſtquam Petro dictum eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cælis:* ejuſmodi eſſe eam, quæ Petro conceſſa eſt, rerum ſpiritualium poteſtatem, ut cælo terrâque juxtà valeat. Decr. Diſt. xxij. cap. I.

Digitized by Google

Cæterùm neque Nicolai I. neque Nicolai II. ullam legimus ad Mediolanenſes epiſtolam. Reliqui Pontifices, qui Nicolai nomen habuerunt, poſt Gratianum vixêre. Ac Nicolaus quidem I. ad Michaëlem Imperatorem (p) egregiam de Sacerdotii Regnique finibus ſcripſit epiſtolam, in quâ nihil aliud quàm ſancti Gelaſii verba deſcripſit. Neque verò à Gratiano relata verba, ex incertâ epiſtolâ, & incerto autore decerpta, tot ſanctorum Pontificum everterent certas autoritates. Certè nemo dixerit in unum Romanum Pontificem propriè ac ſtrictè *utriuſque Imperii jura* collata à Nicolao I. qui poſt Gelaſium docuit ea neceſſariò fuiſſe disjuncta, ne unius ordinis modeſtia gravaretur.

Nicol. j. ep. viij. ad Mich. Imperat. tom. Conc. viij. pag. 293.

CAPUT XXXVII.

Objicitur à Bellarmino Apoſtoli locus de judicibus ab Eccleſiâ conſtitutis: Jeremiæ locus: duo gladii, Regale Sacerdotium: allegoria alia & accommodatitia: dictorum in hoc libro recapitulatio.

PUDET adverſarios de tantâ re tamque, ut exiſtimant, Eccleſiæ Catholicæ neceſſariâ, nihil quidquam expreſſum inveniri in Scripturis, ſed totum negotium agi conſecutionibus, iiſque falſis, aut certè, quod nec ipſi diffiteantur, obſcuris & dubiis, ac longè petitis. Quare Bellarminus & alii hunc proferunt novi Teſtamenti locum, quo ſibi Apoſtolus tribuiſſe videatur rerum temporalium poteſtatem. *Audet*, inquit, *aliquis veſtrûm habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos, & non apud ſanctos. An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis..... ſecularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſiâ, illos conſtituite ad judicandum.* Hîc Bellarminus: *Sicut novi judices conſtitui potuerunt, ita & novi Principes & Reges, ſi vires adfuiſſent.* Scilicèt ſi tantùm valerent viribus, novam ſibi confeſtim Rempublicam facerent, qui jam Judices & Magiſtratus deſignabant. At quis non ſtatim intelligat, haudquaquam id agere Apoſtolum, ut ejus autoritate novos ſibi conſtituant Magiſtratus qui judiciis præſint; ſed ut conſenſione mutuâ arbitros deligant, quod legibus Romanis licuiſſe ipſa jura clamant. Sic certè Paulus loquitur: *Si in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis ut de minimis judicetis?* Id ergò profectò agit ne indigni videantur. Neque verò concludit ſic: Hæc vobis veſtro jure poteſtas competit; ſed profectò digni eſtis, ut veſtri fratres vos eligant rerum minimarum arbitros, quos ſummarum quoque judices, & in tremendo illo judicio

j. Cor. vj. 2. 3. 4.

Bell. de R. P. lib. v. cap. vij.

j. Cor. vj. 5.

(p) *Michaelem Imperatorem.*] Ille eſt Michael III. cognomento *ebrioſus*, qui Ignatium de Sede C. Pnâ. dejecit, ut in eâ Photium, magni quidem ingenii virum & ſummæ doctrinæ, ſed laicum conſtitueret. Tale fuit exordium exitialis illius ſchiſmatis, quo Græci ab Eccleſiâ deſciverunt, quod ſchiſma etiamnùm durat. Nam quanquam ſæpè reconciliatio cum Græcis tentata, quanquam aliquandò, ut in Lugdunenſi & Florentini Synodis, viſa eſt ſtabiliri; tamen vera pax aut numquam fuit, aut fuit caduca.

aſſeſſores ſuos Chriſtus inſtituit. Ac poſteà : *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Ad id ergò idoneos eos eſſe contendit per ſapientiam : dignos eſſe docet per tantam Domini dignationem : de legitimâ cognitione ne quidem cogitat.

Certè ſi de legitimâ poteſtate ageretur, non valeret conſecutio : majora poteſtis, ergò etiam minora, indignumque id Apoſtolicâ prædicatione eſſet (*q*). Neque enim hîc cogitandum eſt quid, curque præſtet; ſed quid curque conceſſum ſit. Neque ſi Deus Sacerdotibus maxima conceſſerit, putà ſpiritualia judicia, ideò jus faſque ſit humana invadere, & inconceſſa aucupari.

Quare quod legimus à Gregorio VII. toties inculcatum : *Si ſpiritualia judicamus, cur non magis ſæcularia;* ſi de eo judicio intelligit, quo de temporalibus ſuo jure dicernat, cauſæ profectò ſuæ dicta Apoſtoli præter literalem ſenſum accommodat, qui arbitri honorificentiam ac ſapientiam, ad ordinarii ac legitimi judicii jus poteſtatemque transfert.

Greg. VII. lib. iv. ep. ij. & paſſ.

Cur autem Chriſtiani plerùmque vetarentur coram judicibus infidelibus agere multæ cauſæ erant : imprimis quòd judiciis legitimis jurare per Gentilium Deos, aut etiam Chriſtianam religionem ejurare cogerentur : quâ occaſione martyrium feciſſe ſanctam Julittam Martyrem beatus Baſilius refert.

Baſil. Hom. in Julitt. tom. ij. p. 33. al. tom. j. p. 315.

Hoc adverſarii depulſi unico novi Teſtamenti loco, ad Prophetica confugiunt, & ad novi Sacerdotii autoritatem referenda contendunt iſta. *Ecce conſtitui te ſuper gentes & ſuper Regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Dictum ad Jeremiam ſcilicèt. At quæro Jeremias quos Reges depoſuerit? Quæ Imperia everterit? Nempè reſpondebunt nuntiâſſe eum Divinam ultionem Regnis ac Regibus de propinquo imminentem; quod cùm reſponderint, & ex Hieronymo aliiſque probaverint, ſtatim inferemus : hæc ergò ad miniſterium Propheticum, hoc eſt, ad officium extraordinarium pertinere.

Jerem. j. 10. vid. Bai. paſſ.

Vid. Hier. in Jerem. tom. iij. Ben. p. 530.

Neque tamen negaverim hæc, ut cætera, in figuram noſtrî facta eſſe, & miniſterio novi Teſtamenti, longè meliori jure, quàm Prophetico convenire; ſed novi Teſtamenti more & ſpiritu. Sunt enim profectò Chriſtiani Pontifices ſuper gentes & Regna : evellunt, diſſipant, plantant victrice prædicatione, verbo etiam ultore, dum cælum aperiunt aut claudunt; ut ad tantam poteſtatem ſuperbi omnes, etiam in ſoliis poſiti, contremiſcant. Hæc Scriptura clamat. Ut autem invitis Regna extorqueant, & quò velint transferant; ut humana omnia æquè ac Divina ſupremo & invicto jure in

j. Cor. x. 6.

(*q*) *Indignum id Apoſtolicâ prædicatione eſſet.*] A temporibus Gregorii VII. in eo Theologi quidam peccant maximè, quòd res naturâ & ſpecie diverſiſſimas, eâdem argumentatione complectantur. Et quidem, ille ſyllogiſmus : qui jure poteſt judicare majora, is pari jure minora poteſt judicare; ergò Eccleſia quæ majora judicare ſuo jure poteſt, eodem jure minora judicat, merum ſophiſma eſt. Nam præterquam quòd res ſpirituales & temporales ſpecie & ipſâ naturâ differunt, falſum eſt, v. g. ſi Judices à Rege propterea conſtituantur, qui Majeſtatis reum judicent, iiſdem Judicibus jus eſſe ut privatis etiam in cauſis ſententiam ferant, niſi ab litigantibus eligantur; etſi digni ſunt qui cauſas dirimant privatas. Sic Chriſtiani quos Chriſtus aſſeſſores ſuos in tremendo Judicio vult eſſe, digni ſunt ſanè rerum minimarum eſſe Judices; neque tamen idcircò non electi jus habent de iis, quanquam minimis, ferre ſententiam. Hæc dicenda erant, ne D. Bossuet oratio quibuſdam non ſatis plana & dilucida videretur.

poteſtate habeant, hoc eſt, ſi propriè loquimur, ut ſoli ipſi regnent, cæteri ſub ipſis precariam veluti potentiam exerceant, tacente Scripturâ, imò etiam vetante, dicere non audemus.

Neque porrò objiciant adverſarii, Romanos etiam Pontifices, poſt Gregorium VII. ad temporalia ſibi vindicanda paſſim uſos eſſe hoc Jeremiæ loco. Nam & apud ipſos, ſicut apud alios conſtat in Decretalibus infinita inveniri Scripturæ teſtimonia, ad eum tranſlata ſenſum, qui accommodationis dicitur: quæ quantumcumque inculcent, non profectò efficient, ut valeant ad literam, aut ad dogmata probanda pertineant; præſertìm cùm hæc, aſſentientibus Theologis omnibus, Melchior Canus edixerit: *Aliud intentio concluſioque Decreti; aliud ratio & cauſa.* Quo fundamento nixi, & ipſe & alii allatas etiam in Decretalibus Romanorum Pontificum Scripturæ accomodationes potiùs, quàm interpretationes reverenter quidèm, ſed tamen liberè planèque rejiciunt. Atque hæc ſemel dicta volumus, ne locos plurimos à Romanis Pontificibus prolatos, aut eas quibus in hâc materiâ utuntur rationes, excutere compellamur.

Melchior Can. de loc. Theol. lib. vj. cap. viij.

Poſteàquàm adverſarios in tantâ re deficiunt Scripturæ teſtimonia, ad allegorias nempè confugiunt, memorantque duos gladios penes Apoſtolos fuiſſe inventos, poſtulante Chriſto, & materialem incautè à Petro ſtrictum, IPSIUS tamen fuiſſe dictum: quæ quidem propter beatum Bernardum, qui primus induxit hanc allegoriam ſuo loco expendemus, & ad rem nullo modo pertinere docebimus. Hìc quidem pertractari quæ extra ſenſum literalem allata, & ad allegorias deducta nihil probent, ratio non ſinit.

Luc. xxij. 36.

Inf. lib. iij. c. xvj. vid. ibi not.

Neque etiam arbitramur ſollicitè eſſe excutiendum id quod de *Regali Sacerdotio* à Petro proditum, Baronius eo transfert, ut Sacerdotalis apud Chriſtianos autoritas, etiam de Republicâ, Regali quâdam autoritate decernat; tanquam ad Pontifices propriè, non autem ad omnes Chriſtianos dictum ſit: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis:* aut non omnes ad agnum exclament apud Joannem: *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Sed profectò certum eſt ſuo modo Sacerdotes Regeſque eſſe omnes Chriſtianos; ac Sacerdotes quidèm, ibidem atteſtante Petro: *Vos autem domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum-Chriſtum:* Reges autem, de quibus ſcriptum ſit: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, &, ſi ſuſtinebimus & conregnabimus, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto:* jam ſcilicèt in anteceſſum devictis hoſtibus, quodque eſt verè Regium, cupiditatibus ſubjugatis.

j. Pet. ij. 9. Ibid. Apoc. v. 10. j. Pet. ij. 5. Apoc. iij. 21. j. Tim. ij. 12. Epheſ. ij. 6.

Nos autem omiſſis allegoricis, tropologicis, & accommodatitiis Scripturæ allegationibus, literæ inhæſimus, ibique inveſtigavimus eam, quocumque appellent nomine, ſive directam, ſive indirectam, quam adjungunt Sacerdotio, rerum temporalium poteſtatem. Invenimus autem ante Legale Sacerdotium ſupremas poteſtates à Deo inſtitutas, & à Deo ſecundas, ſolique Deo ſubditas inviolabili Majeſtate: nihil in eo jure poſteà immutatum, neque ſub Moſaïco, neque ſub Chriſtiano Sacerdotio; quin etiam explicatum in vetere Teſtamento, eâdem apud Hebræos, quâ apud cæteros Majeſtate regnatum; neque quidquam præſcriptum Sacerdotibus aut

Digitized by Google

Regibus, quò in temporalibus, vel illi decernerent, vel hi obedirent, ac manſiſſe Regibus, quantumvis Idololatris ac ſævientibus, poteſtatem integram, à Prophetis agnitam, à plebe ſanctiſque religioſè obſervatam: neque id à Chriſto immutatum, neque cùm explicaret Apoſtolicam atque Eccleſiaſticam poteſtatem, quidquam adjectum eſſe de temporalibus ordinandis, nedum de deponendis Regibus, cùm id vel maximè fieri oporteret, & adeſſet occaſio: neque quidquam Chriſtianis præſcriptum eſſe adversùs mundi poteſtates, niſi fugam & patientiam, & invictam conſtantiam profitendæ veritatis, & in iis quæ veritatem & conſcientiam non læderent, ſummam obedientiam: imò juſſiſſe Chriſtum ut Cæſares, infideles ſcilicèt, agnito ab omnibus jure regnarent, utque civilis poteſtas integro jure eſſet, neque religionis cauſa ſollicitari poſſet, ſuo in ordine confirmata: ab eodem Chriſto Herodem & Pilatum, Regeſque ac Regum Miniſtros à ſuo Regno tutos fuiſſe præſtitos: neque ſpirituali Regno in regnandi civili ordine immutatum quidquam: tum eam quam in Eccleſiâ maximam eſſe voluit poteſtatem, non ultrà extendi, quàm ut Chriſtiani contumaces ad Ethnicos Publicanoſque redigantur, ſpiritualium extorres, nullo temporalium jure aut poſſeſſione detractâ: denique disertè traditum civilem poteſtatem, & Eccleſiaſticam ſuis quaſque finibus, ac diſtinctis officiis circumſcriptas, utramque in ordine ſuo ſupremam & abſolutam eſſe, ac Reges ſoli Divino judicio reſervatos. Hæc illa doctrina eſt, quam in Scripturis legimus. Jam ab eâ origine ad poſteriora ſæcula longè latèque diffuſam ordine videamus.

DEFENSIO

Digitized by Google

DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER SECUNDUS,

Quo Patrum teſtimonia & exempla afferuntur uſque ad GREGORIUM VII.

CAPUT PRIMUM.

Ordo & diſtributio tractationis hujus, primùm in duo tempora, tùm in duas quæſtiones: Prima quæſtio de Regibus propter ſcelera reprehenſis: An deponendi viſi ſint? Patrum doctrina & exempla in perſecutione & tribus primis ſæculis: An Chriſtianorum obedientia ex imbecillitate Eccleſiæ & eorum temporum ratione prodierit.

CHRISTI, & Apoſtolorum doctrinam ea praxis eæque res geſtæ conſecutæ ſunt, quæ talem inſtitutionem decebant. Meminiſſe autem lectorem putamus hanc diſputationem à nobis ita eſſe inſtitutam, ut priuſquàm ad Gregorii VII. tempora veniamus, explicemus ea, quæ anteceſſerunt. Hæc verò ita exponemus, ut quandoquidem vidimus Bellarmini aliorumque judicio duabus de cauſis Reges deponi poſſe, primùm propter crimina;

tum etiam abſque ullo crimine, propter Eccleſiæ neceſſitatem; primi generis primùm, poſteà ſecundi generis, exempla quæramus.

Primùm ergò dicimus, tot labentibus ſæculis nunquam fuiſſe Principes depoſitione mulctatos, cùm eadem crimina intervenerint, propter quæ id fieri ſequenti ætate Gregorius VII. & alii docuere; atque omninò, quemadmodum impiis Regibus, Deum Iſraëlis deſerentibus, atque Idola colentibus, Achabo, Achazo, Manaſſi, cæteris, Hebræi paruere; eumdem ad modum paruiſſe Chriſtianos, non modò Paganis Regibus, ſed etiam Chriſtianiſmi deſertori Juliano, hæreticis Conſtantio, Valenti, Anaſtaſio, reliquis etiam Eccleſiam perſequentibus, atque extrema omnia potiùs pertuliſſe, quàm ut ab eorum fide atque obedientiâ diſcederent.

Neque id adverſarii diffitentur, ſed uno ore reſpondent: obtemperatum iis Regibus fuiſſe, quòd Eccleſia necdum adulta ac firmata viribus, eos compeſcere non poſſet atque in ordinem cogere; nec profectò cogitant ad quantam contumeliam pertineat nominis Chriſtiani, ut Apoſtoli, imò verò Chriſtus ipſe, cùm illa magnifica patientiæ atque obedientiæ præcepta ediderunt, temporibus tantùm ac neceſſitati ſervierint, ut melioribus ſæculis alia reſervarent. Nos autem ea Patrum monumenta proferemus, quibus hæc duo ſimul eluceſcant: neque vires Eccleſiæ defuiſſe, cùm paruit: & eis rationibus ad parendum adductam, quæ ad omnem ſtatum, ad omnia tempora æquè fundarentur.

Et quidem ſub Paganis, nihil commoviſſe ſe Chriſtianos, nihil ſeditionis agitâſſe, ſed ubique paruiſſe, atque omnibus aliis fide & obſequio præſtitiſſe conſtat: eaque eſt longè maxima religionis noſtræ commendatio, quam nunc infringere Chriſtiani moliuntur, qui Majorum noſtrorum infirmis viribus hanc modeſtiam tribuunt. At illi non intelligebant infirmos eſſe, qui tanto numero eſſent, tantoque animo mori poſſent. Vel Tertullianum audiamus nomine Chriſtianorum, probante Eccleſiâ, ad Romani Imperii Antiſtites hæc edentem: *Si enim & hoſtes exertos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirùm Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantacunque, unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totius Orbis? Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, Urbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum: ſola vobis relinquimus Templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur; ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere? Potuimus, & inermes, nec rebelles, ſed tantummodò diſcordes, ſolius divortii invidiâ adversùs vos dimicâſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcumque civium amiſſio; imò etiam & ipſâ deſtitutione puniſſet. Procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui Orbis: quæſiſſetis quibus imperâſſetis: plures hoſtes quàm cives vobis remanſiſſent: nunc enim pauciores hoſtes habetis, præ multitudine Chriſtianorum.*

Tert. apol. cap xxxviij. p. 30. edit. Rigalt.

At fortè multitudini deerant duces, aut milites: quaſi verò in tam fortibus animis, & milites, & duces non ipſa neceſſitas peperiſſet, ſi li-

cere credidiſſent. Sed profectò nec deerant, neque Chriſtiani militiam detrectabant. Sic enim ſancti Martyres (*a*) intra ipſa martyria inclamabant: *Nos Imperatori terrenam quidem militiæ corporalis ſervitutem debemus*; neque à militiâ deſiſtebant, niſi fortè per militiæ occaſionem ad execranda ſacra compulſi. Hinc ille Centurio Marcellus: JESU-CHRISTO *Regi æterno milito. Abjecitque cingulum*, (*b*) *& arma; & addidit: Ex hoc militare Imperatoribus veſtris deſiſto:... ſi talis eſt conditio militantium, ut Diis & Imperatoribus ſacra facere compellantur.* Itaquè cingulum abjecturi erant, non ſi eorum Pontifex ab officio exſolveret, ſed ſi ad nefaria ſacra cogerentur. Hinc Tertullianus in illâ nobili apologiâ: *Vobiſcum*, inquit, *militamus*; & teſtantem audivimus, tantam fuiſſe Chriſtianorum multitudinem, ut *implerent* non modo, *Urbes*, *Inſulas*, *Municipia*, ſed etiam *Caſtra ipſa*, & omnia præter *Templa* Idolorum. Quin integræ Legiones præſto erant Chriſtianiſmum profeſſæ. Teſtis illa fulminatrix ſub Marco Aurelio, & Mauricio duce Legio Thebanorum, (*c*) quæ, puto, bella haud minùs fortiter quàm Martyria obiiſſet. An verò duces non erant, ipſe Mauricius, Sebaſtianus, & alii, quos commemorare nihil neceſſe eſt, famâ ac Martyrio inclytos, & omnibus notos? Quos profectò, ſi Chriſtiani Pontifices ſubjectione exſolutos, ad Cæſarum Imperia detrectanda, aut ad arma capienda concitare poterant, non erat quòd Tertullianus diceret: *Nunc pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum:* aut illud: *Per hanc ſectam habetis, à quibus nihil timere poſſitis.* Imò verò habuiſſent infinitam multitudinem, à quâ omnia timere debuiſſent; quippe quæ, ad excutiendum publicæ poteſtatis jugum, nihil aliud quàm opportunitatem, aut juſſum Pontificis expectaret.

Act. ss. Sergii & Bach. ap. Metaph. & Adon.

Act. s. Marcell. Centurion. apud Bar. an. 29°. p. 700. vid. act. ſinc. p. 303.

Tert. apol. cap. xl.ij.

Sed hæc ab Eccleſiæ ſenſu procul abhorrebant. Quare Chriſtiani, cùm ſuam in Imperatores fidem atque obedientiam prædicarent, numquam ſignificabant quidquam à ſe metu aut conditione temporum agi, ſed omnia

(*a*) *Sancti Martyres*] è Syriâ Sergius & Bacchus quondam celebratiſſimi erant; ſed Metaphraſtes quantò ſtudioſiùs ficta prodigia congerit, tantò eorum hiſtoriam coinquinat magis & abſurdam facit. Ado Viennenſis correxit in multis Metaphraſtem, quem nihilominùs unum in cæteris habet autorem. Quapropter docti omnem hiſtoriam rejiciunt. Vid. D. Till. tom. v. p. 471. Baill. 7. Octob. & ipſum Baron. ann. 309. tom. iij. pag. 45. qui putat acta horum Martyrum à Metaphraſte ſcripta *in aliquibus emendanda eſſe.*

(*b*) *Abjecit cingulum*] In actis S. Marcelli, quæ edidit D. Ruinart, legimus: *abjecit quoque vitem*, quod vocabulum *vitis*, in actis Martyrum ſæpè reperitur. S. Matini acta ſic habent pag. 263. *Honor quidam eſt* VITIS *apud Romanos, quam qui adepti ſunt vocantur Centuriones.* Malè igitur D. FLEURY *Sarment de vigne.* Nam, ut Baronius optimè probat veterum teſtimoniis: VITIS *erat inſigne Centurionum, quam manu geſtarent, eâque in delinquentes milites animadverterent.* Vid. loc. in textu citat.

(*c*) *Legio Thebanorum*] Eucherius, qui ſæculo vj. Eccleſiæ Lugdunenſi præfuit, creditur autor *paſſionis* hujus Legionis, quæ ut ferunt acta pag. 775. *ſex millia ac ſexcenta viros in armis habebat.* Porrò hæc Legio *Thebana* ſeu *Thebea* nec ab Eucherio & D. Ruinart, nec à D. Till. & Fleur. *fulguratricis* nomine appellatur. Fuit quidem Legio *Militena* quæ tot habebat Chriſtianos quot milites, *fulguratrix* idcò dicta, quòd ſub M. Aurelio, exercitum Romanum ſiti mox periturum, imperratâ à Deo magnâ vi imbrium, liberavit, dùm intereà *fulminum jactus hoſtium copias extinguerent & in fugam verterent.* Vid. Euſ. lib. v. cap. v. Illa autem Legio cum Thebeâ confundi non debet; quinimò indè rectè concluditur plurimas fuiſſe Legiones ex ſolis Chriſtianis. De Legione *fulguratrice* vid. not. Valeſ. in Euſeb. & Till. Hiſt. Imper. tom. iij. pag. 408.

Digitized by Google

Chriſti & Apoſtolorum autoritate & exemplo, atque amore tranquillitatis publicæ, pronâque in Rempublicam voluntate; quæ ad omnia tempora pertinere non eſt dubium. Sic audivimus jam dicentem Irenæum: Ideò Imperio obſequendum, quòd publica tranquillitas, publicus ordo à Deo conſtitutus id expoſcat: ſic Tertullianum totius Eccleſiæ nomine prædicantem, ideò obſequendum, quòd Deus ita velit religiosè coli ſupremam Majeſtatem, ſe autore, conſtitutam, ſibique ſoli ſubjectam. Hæc S. Juſtinus Martyr: hæc Theophilus Antiochenus (*d*): hæc Origenes: hæc alii omnes mirâ conſenſione tradunt; ſupervacaneumque eſt hic ſtudiosè colligere, quæ libros aperientibus ſtatim obvia ſint. Deniquè uno ore omnes eandem obedientiam, eâdem veritatis æternæ regulâ, eâdem Scripturarum autoritate profitentur; ut hæc ad conditionem referre temporum, nihil aliud ſit, quàm certæ & inconcuſſæ doctrinæ autoritatem penitùs infringere, atquè ad hominum arbitria flectere.

Sup. lib. j. ſect. ij. cap. x. & xvij.

CAPUT II.

Quartum ſæculum. Julianus Apoſtata: An Eccleſia tum invalida fuerit? S. Gregorii Nazianzeni locus: Item S. Auguſtini, S. Thomæ reſponſio ad locum Auguſtini, non ſatis cognito rerum ſub Juliano ſtatu.

AT fortè quis dixerit, Ethnicis quidem Regibus parendum fuiſſe, non autem Chriſtianis, ſi à Chriſtianâ religione defeciſſent, aut eam inſectarentur. Sed quanquam illa diſtinctio vana omninò eſt, Chriſtianoſque juſſa Eccleſiæ detrectantes tantùm pro Ethnicis haberi vult Chriſtus, atque adeò illos haud magis quàm Ethnicos regnare vetat: tamen ut eam rem certiùs exploremus, placet intueri Juliani Apoſtatæ tempora; quem quidem non modo Chriſtiano Baptiſmo, ſed etiam Clericali ordine initiatum, ac Lectoris officio defunctum eſſe conſtat.

Ac primùm, notum eſt regnâſſe Julianum medio quarto ſæculo, poſt Conſtantium & Conſtantinum, quorum temporibus fidem Chriſtianam & Eccleſiam Catholicam mirum in modum fuiſſe propagatam omnes Hiſtorici

(*d*) *Theophilus Antiochenus*] ſextus ab Apoſtolis ad Autolicum contra Chriſtianæ religionis calumniatores ſcripſit tres libros, quos reperies inter opera Juſtini & in Bibliothecâ Græco-Latinâ Patrum edit. vulgò dictæ: *Magna navis* tom. j. pag. 104. Si quis hoc opus aureum & ſimul priorum Patrum apologias gallicè interpretaretur, ille publicis utilitatibus plurimùm inſerviret. Tu autem, lector, adi D. Bossuet celebrem *de hiſtoriâ univerſali orationem* part. ij. cap. xxvj. Scies quàm unanimi conſenſu Chriſtiani quondam & religionis noſtræ defenſores ſublimioribus poteſtatibus obediverint & obediendum docuerint. Sed quia de hâc *oratione* ſermo incidit, addam: nullum opus Galliam peperiſſe aut eloquentiâ præſtantius, aut omnibus numeris abſolutius; nec ipſam antiquitatem quidquam nobis poſteris reliquiſſe huic æquiparandum, ſive ſpectes verborum pondus & ſententiarum, ſive brevitatem ames, eamque eliquatiſſimam & rebus abundantem; niſi fortè illas quas D. Bossuet laudat apologias.

Digitized by Google

memorant; ut tanta multitudo, quantam à Tertulliano deſcriptam vidimus, ſecutis temporibus comparata, modica haberetur. Sic enim ſcribit S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Julianum III. *Ac ne hoc quidem perſpiciebat* (Julianus) *quòd prioribus quidem perſecutionibus, parva perturbatio ſequebatur, quia nondum dogma noſtrum ad multos propagatum erat, ſed in paucis adhuc hominibus veritas hærebat...... nunc autem ſalutari doctrinâ longè latèque fusâ, & apud nos præſertim dominante, religionem Chriſtianam immutare...... nihil aliud fuerit quàm Romanorum Imperium convellere, ac de rerum ſummâ periclitari.* Non igitur infirma tum erat Eccleſia Catholica, ſive ipſa *veritas*, & *ſalutaris doctrina*, quæ in Imperio Romano *dominabatur*: cum quâ rerum ſumma periclitatura erat, ſi Chriſtiani priſtinæ modeſtiæ obliti arma caperent. Greg. Naz. orat. iij. in Jul. p. 80.

Notum etiam illud Joviani Imperatoris Chriſtianiſſimi & Catholiciſſimi, poſt Juliani necem electi, atque ideò Imperium reſpuentis, quòd imperare nollet niſi Chriſtianis; ex quo vox erupit totius exercitûs: Chriſtianos ſe eſſe, atque in piâ diſciplinâ Conſtantino & Conſtantio Imperatoribus educatos. Non ergò multitudo tantùm plebis, ſed totius exercitûs Chriſto ſerviebat. Socr. lib. iij. cap. xxii. Soz. lib. vj. c. iij. Theodor. lib. iv. cap. j.

Id etiam docet, quantùm prævaleret in Romano exercitu vera fides, quòd Joviano poſt ſex menſes mortuo, Valentinianum haud minùs Chriſtianum & Catholicum, ad hæc fidei confeſſorem, Auguſtum elegere.

Quàm autem egregiè milites, vel Juliano vivo, in Chriſtum animati eſſent docet illud à Sancto Gregorio Nazianzeno relatum; nempe propoſitam fuiſſe Juliani ſtatuam, quam pro more adorarent, adjunctis tamen Idolis, ut ea adoràſſe viderentur; tum verò milites donativum accepturos ab eo Imperatore, thus quidem incendiſſe incautos, poſteà verò monitos quàm id ad Gentilium ſuperſtitionem pertineret, è publico convivio ſtatim exiliiſſe, atque exclamàſſe: *Chriſtiani, Chriſtiani ſumus:* deniquè ad Imperatorem accurriſſe, projectâque pecuniâ, iterùm exclamàſſe: *Non dona accepimus, Imperator, ſed morte damnati ſumus*: & quæ præclara hîc Gregorius Nazianzenus commemorat. Greg. Naz. loc. cit. p. 83. 84. 85.

Quod Cardinalis Perronius objicit, Julianum ab Eccleſiâ *neque prudenter, neque utiliter* potuiſſe deponi, hoc etiam nomine, quòd *Arianorum factio Eccleſiam Catholicam oppreſſam teneret*, à tanti viri ſcriptis abeſſe vellemus. Neque enim id Gregorio Nazianzeno rem coram intuenti, ac Juliani imprudentiam ſingularem incuſanti congruit. Ad hæc ſatis conſtat Eccleſiam Catholicam, longo intervallo Arianis præſtitiſſe, cùm primùm toto Occidente regnaret, paucis ibi Arianis: in Oriente verò univerſus ferè populus in priſcâ fide ſtaret, ſolis plerùmque Epiſcopis, quos Conſtantius violenter intruſerat, aliud ſentientibus, iiſque inter ſe mirâ confuſione diviſis. Certè qui vel unum Athanaſium legerit, ſatis intelliget quantùm Eccleſia Catholica, etiam ſub Conſtantio prævaleret: quod quidem Calviniſtis, Arianorum multitudinem & victorias amplificantibus, Catholici omnes, & ipſe Perronius luce clariùs demonſtrârunt. Quare quòd Ariani Catholicam Eccleſiam opprimerent, ſolius Conſtantii violentiæ tribuendum: quo ſtatim mortuo, Catholici adeò prævalebant, ut exercitus nonniſi Catholicos Imperatores eligeret. Harang. au tiers etat Du Perron œuv. diver. pag. 631.

Cùm ergò adeò & multitudine, & robore, & animis valeret Eccleſia; tamen Chriſtiani fidem Imperatori ſervârunt impio, apoſtatæ, blaſphemo in Chriſtum, nihil non molienti ut Chriſtianam è medio tolleret religionem. Etſi enim Chriſtianiſmi nomine paucos interfecerit, quòd noſtris Martyrii honores invideret, tamen & iniquis legibus premebat Chriſtianos, & plebis in noſtros ſævientis ſeditiones alebat; ut eo nemo fuerit vehementior Chriſtianæ fidei inſectator. Neque eò magis Chriſtiani ab officio receſſere; imò verò ejus ſtatuas, teſte Gregorio, cum aliis civibus omninò adoraturi erant, repugnante nullo, niſi eis ſtatuis Imperator Idola adjunxiſſet: adeò non modo in neceſſariis obſequebantur, ſed ne quidem à ſuperfluis, qui Regiæ Majeſtati deferri ſolerent, honoribus abſtinebant.

Theod. lib. iij. cap. xv. Memorabile illud apud Theodoretum Sanctorum Martyrum Juventini & Maximini, qui cum Juliano Apoſtatâ præcipuo militiæ honore conjuncti, idololatriam ei liberis vocibus exprobrabant: *Hoc unum*, inquiunt, *in tuo Imperio moleſtè ferimus.* Adeò aberant ab Imperio in aliis rebus, atque in militiâ detrectando.

Auguſt. in Pſal. cxxiv. n. 7. T. iv. pag. 1415. Atteſtatur beatus Auguſtinus his verbis: *Aliquandò injuſti perveniunt ad honores ſæculi. Cùm pervenerint & facti fuerint vel Judices, vel Reges; quia hæc facit Deus propter diſciplinam plebis ſuæ, non poteſt fieri, niſi ut exhibeatur illis honor debitus poteſtati.* Audis verba, *non poteſt fieri*; quæ certè oratio non eſt accommodata temporibus; ſed ab inſeparabili rerum conditione, naturâque ipsâ profecta, ad omnia tempora diffunditur. Cur autem *non poteſt fieri quin exhibeatur ille honor?* Nempè reſpondet: quia eſt illi *debitus poteſtati, & quia hoc facit Deus*; ut illi profectò poteſtati parere neceſſe ſit eum, qui Deo paret.

Hoc fundamento poſito, pergit Auguſtinus; cùmque ſervos memorâſſet Domino infideli obedire, ad Reges progreſſus, hoc exemplum adducit: *Julianus extitit infidelis Imperator: extitit apoſtata: iniquus idololatra: milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in Cælo erat; ſi quandò volebat ut Idola colerent & thurificarent, præponebant illi Deum. Quandò autem dicebat: Producite aciem: ite contra illam gentem; ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.*

Manifeſtè ergò ſanctus Auguſtinus Principem apoſtatam, Eccleſiæ hoſtem ac perſecutorem, accenſet iis Principibus, qui licèt injuſti ſint, cùm tamen ad honores ſæculi pervenerint, *non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honor debitus poteſtati*: & quidem exhibeatur, non illâ, quam jactant, prudentiâ ac metu, ſed æternâ & incommutabili lege, propter æternum Regem ſcilicèt, qui res humanas æterno conſilio ita ordinavit.

Cauſ. xj. q. iij. c. xciv. S. Thom. 2a. 2æ. q. xij. art. ij. ad jum. Hunc locum interpolatum & mutilum ſub Ambroſii nomine Gratianus protulit, (*e*) atque ita mutilum & truncum S. Thomas vidit, ac ſibi ob-

(*e*) *Hunc locum interpolatum & mutilum ſub Ambroſii nomine Gratianus protulit*] hoc modo: *Julianus Imperator, quamvis eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibus, cùm dicebat: Producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant; cùm autem diceret eis: Producite arma in Chriſtianos, tunc agnoſcebant Imperatorem cæli.*

jecit. Reſpondit autem ſic : *Quòd illo tempore Eccleſia in ſui novitate nondum habebat poteſtatem terrenos Principes compeſcendi, & ideò toleravit fideles Juliano Apoſtata obedire, in his quæ non erant contra fidem, ut majus fidei periculum vitaretur.* Quæ verba Sancti Doctoris exſcribere non piguit, ne quid diſſimulare videremur. Tamen ſi in Gregorii Nazianzeni locum alioſque ſimiles incidiſſet, credo, intellexiſſet non fuiſſe tum Eccleſiam *in ſuâ novitate*, nec poteſtate deſtitutam; quippè quæ quadringintis ferè annis victrix jam *dominaretur*, nec *niſi Imperio convulſo* labefactari poſſet. Sed nimirùm hæc & alia multa antiquitatis monumenta, librorum inopiâ ac linguarum imperitiâ, vix erant cognita: labente etiam diſciplinâ, cùm pauca ſpiritus veſtigia ſupereſſent. Nos igitur his reſponſis, Patrum teſtimonia facilè anteponimus, ac de Sancto Thomâ, cum totâ Facultate noſtrâ Petri Alliacenſis ore reſpondemus: *Nos hujus Doctoris ſanctitatem veneramur, & ejus doctrinam, quantùm fides & ratio patitur, tenendam eſſe cenſemus.* Hæc ille, cùm de immaculatâ Virginis Conceptione, Sancti Thomæ nomen atque autoritatem objicerent. Quæ ſemel dicta volumus ad hanc & alias Sancti Doctoris autoritates, quæ objici poſſent. Quòd autem S. Doctor addit: toleratum fuiſſe tum Juliani Imperium, *ut majus fidei periculum vitaretur:* rogo, potuerintne Eccleſiæ res pejore loco eſſe, quàm ſub eo Principe, qui ut Chriſtianam religionem exſcinderet, nec dolis, nec donis, nec minis, nec ſuppliciis parcebat, eòque periculoſius ſæviebat, quòd interdum parcere videretur, ſævumque animum quâdam clementiæ ſpecie occultaret; ac denique, teſte Gregorio Nazianzeno & aliis, ſatis præferret à ſe extrema omnia adhibitum iri, ſi de Perſis victoriam reportaret: quam tamen victoriam milites duceſque Chriſtiani omni ope promovebant. Quid autem pertimeſcebant Juliani temporibus, quod non item omni Eccleſiæ tempore pertimeſcendum fuerit, Regibus depoſitis? Nempè quotieſcumque à Pontificibus depoſiti ſunt, ſecutæ eæ calamitates, ſtrageſque, & ſcelera, imò etiam ſchiſmata, quæ hiſtoriæ produnt, magno fidei animarumque periculo. Quare, ſi teſte S. Thomâ, Bellarmino, & aliis, horum malorum metus Pontifices deterrebat meritò, à Conſtantio, Valente, Anaſtaſio, & reliquis; & ab omnibus quoque Regibus deponendis, pari ratione abſtinere oportuit.

Hiſt. Univ. tom. iv. ſæc. vj. p. 617.

Hinc autem exſurgit noſtræ ſententiæ demonſtratio: non eam profectò Chriſtus Eccleſiæ ſuæ clementi & pacificæ poteſtatem dedit, quæ ſine vi, ſine cædibus, ſine bellis civilibus, tetriſque ſchiſmatibus non poſſet exerceri: atqui non aliter exerceri potuiſſe poteſtatem illam deponendi Reges experientia teſtatur: non ergò ea poteſtas à Chriſto eſt.

Digitized by Google

CAPUT III.

A paganis Regibus, atque ab Apoſtatâ Juliano tranſitus ad hæreticos: Conſtantius Arianus, Catholicæque Eccleſiæ perſecutor: an imbecillitate factum, quòd Hilarius, Athanaſius, Lucifer Calaritanus, alii, indirectam poteſtatem ne quidem intentarent.

POST Paganos & apoſtatas Reges, hæretici proferendi. Primus prodeat Imperator Conſtantius, Conſtantini Magni filius, Arianæ hæreſis propugnator, IV. ſæculo Eccleſiæ. De eo ſic ſcribit Sanctus Hilarius: *Nunc pugnamus contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem.... Chriſti novus hoſtis es, Antichriſtum prævenis,... omnia ſæviſſima ſine invidiâ glorioſarum mortium peragis: novo inauditoque ingenii triumpho, de Diabolo vincis, ſine Martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus: Diabolum enim per vos vicimus.... at tu omnium crudelium crudeliſſime, damno majore in nos, & veniâ minore deſævis.* Hæc & ſimilia demonſtrant non fuiſſe leviorem habitam Conſtantii hæretici perſecutionem, quòd cædibus parceret; cùm interim in pios, & Orthodoxos bonorum proſcriptione, exilio, carceribus, omnique aliâ crudelitate ſæviret.

Hilar. lib. cont. Conſt. n. 5. 7. 8. edit. Ben. p. 1241. & ſeq.

Sed nec ille cædibus peperciſſe putandus eſt, qui & inflictis incommodis enecaret, & impunes eſſe vellet eos, qui per ſeditionem ac plebeios tumultus tot Sanctos trucidarent.

Quin etiam vehementiſſimæ ac violentiſſimæ perſecutionis fuit, quòd Epiſcopos & Synodos, ad prodendam fidem compelleret. Sic enim ait Hilarius: *Aſſiſto Orientalium in Seleuciâ Synodo, ubi reperi tantùm blaſphemorum, quantùm Conſtantio placebat.* Ac poſteà: *O tu ſceleſte, qui ludibrium de Eccleſiâ facis. Soli canes ad vomitum ſuum redeunt: tu Sacerdotes Chriſti reſorbere ea quæ reſpuerant coegiſti.* Quæ ſanè perſecutio eò perículoſior ac damnoſior fuit, quòd ſimplices animæ Epiſcopali, imò & Synodali autoritate deceptæ, autore Conſtantio, in hæreſim ruerent.

Ibid. n. 12. pag. 1247.

Ibid. n. 25. p. 1256.

Quin etiam ſanctiſſimum tunc fortiſſimumque Papam Liberium è Petri Sede dejecit, ſubſtituitque eum quem Ariani vellent. Extat apud Theodoretum ejuſdem Liberii fortiſſima cum Conſtantio Imperatore collocutio, quâ Pontifex ejus exilia comminantis iniqua quidem juſſa contemnit, in aliis Imperatoriam poteſtatem agnoſcit integram; neque commemorat ei tam indigna molienti ullum à ſe, aut ab Eccleſiâ imminere poſſe periculum.

Theod. lib. ij. cap. xvj.

Eum poſteà Conſtantius exilii tædio ad pravitatem inflexum Sedi reſtituit. Et, *ô te miſerum*, Conſtanti, dicebat Hilarius, *qui neſcio utrum majore impietate remiſeris, quàm ejeceris.* Quid enim Eccleſiæ damnoſius, quàm Romanum quoque Pontificem fuiſſe coactum, ut poſt Nicænam fidem alteri fidei ſubſcriberet? Hæc tamen perpetranti, hæreticoſque omni ope foventi, Orthodoxos verò hoſtiliter inſectanti, ac denique Antichriſti loco habito

Hil. loc. cit. n. 11. p. 1247.

habito, omnes obtemperabant in iis quæ ad Imperium pertinerent: in ſacris tantùm juſſa detrectabant. Quæ idem Hilarius accuratè diſtinguit his verbis: *Prætermitto autem, licèt potiſſima Regi ſit referenda reverentia (quia enim à Deo Regnum eſt) non tamen æquanimiter ejus judicium Epiſcopalibus arbitriis admitti, quia Cæſaris Cæſari, Deo autem reddenda quæ Dei ſunt.* Imperatoria de religione decreta contemnit; cætera ex Chriſti mandato ſervanda profitetur: ex Chriſti, inquam, mandato, non imbecillitate virium, ut jam obtrudunt. Id. fragm. j. n. 5. pag. 1282.

Hæc ſcripſit Hilarius, regnante Conſtantio, (*f*) quod obſervatum velim adversùs falſam hujus libri inſcriptionem *contra Conſtantium jam vitâ functum:* neque enim uſpiam de morte ejus loquitur, ſed ſemper alloquitur ut viventem, Eccleſias perſequentem, & diſertè nunc *Regno potientem.* Quin etiam ſuæ certam ſcriptionis notam attulit: *Aſſiſto*, inquit, *Orientalium in Seleuciâ Synodo:* quo tempore conſtat vixiſſe Conſtantium.

Lucifer verò Calaritanus non modo, vivo Conſtantio, adversùs eum ſcripſit, ſed etiam per Diaconum libros ad ipſum Imperatorem perferri curavit; de iiſque interrogatus, ſuos eſſe magno & invicto animo teſtatus, Catholicis omnibus admirationi fuit.

Et quidem, ex his libris locum jam inſignem attulimus, quem nunc non modo repetendum, ſed etiam diligentiùs enucleandum eſſe duximus. Sup. lib. j. ſect. j. cap. xij.

Jam diximus librum, ex quo ille locus eſt deſcriptus, ita inſcriptum fuiſſe: *De non parcendo in Deum delinquentibus;* locus idoneus quo diſcamus quo uſque & quatenus parcendum ſit, necne, Imperatori hæretico, ac ſævienti.

In exemplum adducit Oſiam Regem, Regem, inquam, non modo templo, verum etiam publicâ Regni adminiſtratione depulſum: quo nullus erat commodior locus, ut oſtenderet Regno quoque exturbandum Conſtantium, ſiquidem id licere ſentiret. At eam Hiſtoriæ partem non aſſumit in exemplum, verùm eam tantùm, *ubi Sacerdotes Domini Oſiam de templo compulerint egredi*, & addit: *Si enim Oſiam Dei Sacerdotes idcircò pellebant ex aulâ Dei, quia meminiſſent Divinitùs præceptum, leproſos ante expiationem ingredi templum prohibitos; quantò magis nos dignè te, conſpice, ex Eccleſiâ pellere Chriſti, de domo Domini, quia non ſit licitum hæreticum convenire cum Catholicis, inſanum cum ſanis, plenum immundis ſpiritibus cum eis in quibus inhabitat Spiritus Dei.* Summum ergò id erat, quod à Pontificibus Imperatores hæritici ac perſecutores metuerent, Templo Dei, Eccleſiâ Chriſti, Sacriſque arceri conventibus. Hoc tantùm prædicabant Domini Confeſſores, cùm vel maximè Conſtantium exagitandum putarent. Vid. tom. iv. Bibl. Pat. pag. 228.

Quamobrem cùm Lucifer paſſim ut hæreticum, ut Arianum, veræ religionis, atque Eccleſiaſticæ communionis extorrem, Eccleſiæ ac fidei hoſ-

(*f*) *Regnante Conſtantio.*] Quanquàm optimè probat D. Bossuet nondùm de vitâ deceſſiſſe Conſtantium, cùm eum librum ſcriberet Hilarius; addendum tamen eſt, id etiam diſertè declarari iis verbis n. 2. quibus ait Hilarius, *ſe quinto anno poſt exilia Euſebii, Luciferi & Dionyſii*, nempè anno uno ante Conſtantii mortem, *ad hæc ſcribenda incitatum* fuiſſe. P. P. Bened. ea verba *jam vitâ functum*, ab Eraſmo temerè addita, & à cæteris operum Hilarii editoribus perperàm adſcita, reſpuunt. Tamen iidem credunt, non niſi mortuo Conſtantio, eum librum editum fuiſſe. Quibus nitantur argumentis vid. lector, p. 1236.

tem, perſecutorem, Antiocho & aliis perſecutoribus comparandum, imò pejorem, denique Antichriſtum, ſive Antichriſti præcurſorem inſectatur, neque eo ſeciùs Imperatorem appellat.

Et quidem contemnit inanem Regni gloriam vanamque potentiam, quæ nihil Dei Regno nocere poſſit: illegitimam eam eſſe erga homines, ne innuit quidem, & omnia quidem extrema in Regnum ejus, à Deo, nihil ab Eccleſiâ minitatur: docetque paſſim quid Dei Anſtites poſſint in Imperatores quoque: nempe arguere, increpare, arcere à domo & Eccleſiâ Dei, neque aliud quidquam.

Quin efficaciſſimis verbis profitetur, nullam eſſe Imperatoris poteſtatem in iis quæ adverſus Dei mandata præcipit: *Proba te*, inquit, *ſuper nos ad* Ibid. Lucif. pro Athan. lib. j. p. 184. *hoc conſtitutum Imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui Diaboli perduceres.* Quid omiſſurum putas qui talia ſcribere haud vereatur? At interim hæc profitetur: *Nam quia dicas nos debere tibi* Id. lib. *de non parcendo* &c. p. 240. 241. *obſequia, ſcito quia non tibi ſoli, ſed & omnibus nos in ſublimitate degentibus, in obſequiis* REPRÆSENTANTIBUS, *novimus eſſe debitores. Dicit enim Apoſtolus:* ADMONE ILLOS PRINCIPIBUS ET MAGISTRATIBUS SUBDITOS ESSE, OBEDIENTES, AD OMNE OPUS BONUM PARATOS ESSE...... *Admonet ergò nos eſſe debere ſubditos in bonis operibus, non in malis...... quia autem hæc dicis, injuriam patior à Lucifero homine miſero, & utique Imperator..... & tu arbitraris aliud te poſſe judicari à me, niſi Anathema eſſe?*

En quibus ſe coërceat finibus ille, hæreticis non parcendum docens. Quoniam Conſtantius aſſiduè jactabat Imperatori ſibi obediri debuiſſe; diſtinguit Lucifer, & Conſtantium quidem, ut Imperatorem legitima Imperantem coli oportere, verùm, ut hæreticum, omninò anathema eſſe, neque quidquam ampliùs.

Ac ne Luciferi autoritatem elevari poſſe putent, odio Luciferiani Schiſmatis; primùm ſatis conſtat hos libros ante illud Schiſma conſcriptos, imò ante Synodum Ariminenſem, cujus occaſione Schiſma illud exortum eſt: cùm nihil in iis appareat quod ad eum rerum cardinem ſpectet; tum prædiximus illam, quâ Schiſma conflatum eſt, nimiam Luciferi ſeveritatem, maximo argumento eſſe, quàm inviolata ſint in Regiâ Majeſtate, quæ Lucifer ille tam vehemens, in Conſtantio quoque integra & ſancta eſſe voluit.

Leguntur autem ad Luciferum Sancti Athanaſii literæ, hos libros, de Tom. iv. Bibl. Pat. p. 249. & ap. Ath. tom. j. Ben. p. 965. quibus inaudierat, mitti ad ſe poſtulantis, eoſque collaudantis ut Apoſtolico ſpiritu à fortiſſimo Domini Confeſſore ſcriptos, neque mirum à Sancto Athanaſio comprobatam de colendo Conſtantio Luciferi doctrinam, quam ipſe dictis factiſque confirmavit: quippe qui Conſtantium in ſe pro causâ fidei toties ſævientem, ac ſæpè hæreticum appellatum, haud minùs obſervat; ad eumque edit apologiam, quâ quidem relegatos queritur tot in Orbe terrarum nobiles Epiſcopos, Oſium, Paulinum, Dionyſium, Euſebium Ath. apol. ad Conſt. tom. j. pag. 295. Vercellenſem, illum Luciferum, alios, vaſtataſque per Syrianum Ducem Eccleſias, ſibi quoque, & ſuis publicè intentatam necem per edicta cruenta Imperatoris, quòd cum Arianis communicare nollet. Cæterùm haud mi-

nùs ut Imperatorem agnoſcit : *Puto enim*, inquit, *tuam Majeſtatem in memoriâ habere ſuas pollicitationes* : & : *Neque enim reſtiti decreto tuæ Pietatis ; neque Alexandriam ingredi conabor* : & : *Tu tamen, Deo dilectiſſime Auguſte, vivas per multos annorum recurſus.* Addit ipſi ſuſpectos eſſe non debere Catholicorum conventus & preces ; quippe *cùm ſcias*, inquit, *omnium vota preceſque id expetere à Deo, ut ſalvus ſis & perpetuò in pace regnes.* Idem Athanaſius, cùm ab impio Imperatore etiam læſi Imperii accuſaretur, non eò ſe tuetur, quòd ſibi licuerit negare fidem publico Eccleſiæ hoſti : imò Deum homineſque teſtatur ſe in fide manſiſſe, manſurumque porrò, fauſta omnia Imperatori imprecantem.

Athan. ib. n. 5. pagin. 298. Ibid. n. 26. pag. 311. Ibid. n. 18. pag. 306. Ib. & paſſ. Ibid. n. 2. & ſeq. pag. 295.

Quòd verò religioſiſſimum Deoque dilectiſſimum paſſim appellat, quem alioquin hæreticum fuiſſe profitetur, nihil neceſſe eſt à nobis diligentiùs explicari : nemo enim neſcit hos titulos Imperatoriæ dignitati dari conſuetos. Ita enim adſcribebant *Pietati tuæ*, uti nunc nos, adſcribimus *Majeſtati tuæ.* Quare ſatis conſtat hæc non ad fidei commendationem, ſed ad honorificentiam pertinere, quam negandam Imperatori etiam perſequenti Athanaſius non putabat.

Audiſti tres fortiſſimos viros Domini Confeſſores, Hilarium, Luciferum, Athanaſium : vis & Oſium Cordubenſem, Nicænæ Synodi ducem, Epiſcoporum ac Synodorum Patrem, adhuc fortem, & invictum fidei Confeſſorem ? *Tibi Deus*, inquit, *Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit, & quemadmodum qui tibi Imperium ſubripit, contradicit ordinationi Divinæ ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magni criminis obnoxius fias* : DATE (*ſcriptum eſt*) QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI DEO ; *neque igitur fas eſt nobis in terris Imperium tenere ; neque tu Thymiamatum & Sacrorum poteſtatem habes, Imperator.* Sic officia diſtinguebant, & in aliis ad obſequium proni, in Sacris tantùm imperia detrectabant.

Oſius ad Conſt. ap. Athan. hiſt. Arian. tom. 1. pag. 371.

Neque id faciebant tantùm quòd non ita tempora poſtularent ; ſed quòd non ea eſſet ſibi attributa poteſtas, quâ de Imperio decernerent, quemadmodum nec ulla Imperatori data erat, quâ de Sacris judicaret.

Vis totam Synodum proferamus, eamque numeroſiſſimam toto ferè Occidente collectò ? Audi Ariminenſem, & quidem eo tempore, quo ſancta adhuc venerandaque habebatur. Hæc igitur ſcribit ad Conſtantium vehementiſſimè ſævientem : *Tuam Clementiam iterùm obteſtamur, Imperator Auguſtiſſime, ut ante hyemis aſperitatem, modo tuæ Pietati viſum fuerit, nobis ad noſtras Eccleſias reverti facias poteſtatem, quò poſſimus Deo patri omnipotenti, & Domino & Salvatori noſtro Chriſto, filio ejus unigenito, pro tuo Regno conſuetas preces cum populo fundere, ſicut & ante fecimus, & adhuc facere non deſiſtimus.*

Ap. Ath. lib. de Syn. n. 3. tom. 1. pag. 724.

Sinceram mentem precatio demonſtrabat ; ſatiſque conſtabat eos rebus Imperii vero animo, non imbecillitate faviſſe, qui pro iis Deo cordium inſpectori vota facerent.

At ſi Catholici intelligebant deponi ab Eccleſiâ potuiſſe Conſtantium ; quid tandem expectabant ? Quidve tenebat Eccleſiam tot malis vexatam,

quominùs eâ poteſtate confeſtim uteretur ? Negant eam fortitudinem his temporibus congruiſſe; quaſi verò Eccleſia Catholica tantâ acceſſione fidelium aucta, ac tot per Conſtantinum, & ſub ipſo Conſtantio, Ariano licèt, firmata præſidiis, non aliquem inter ſuos Magnentium inveniſſet.

Soc. lib. ij. cap. xxij. Soz. lib. iij. c. ij. Theod. lib. ij. cap. iij.

Imò ſub initia Conſtantii, cùm jam ille Arianos ad ſecreta aulæ admiſiſſet, eorum inſtinctu omnia commoveret, Epiſcopos Orthodoxos Sede dejiceret, mulctaret exiliis; habebat Eccleſia Conſtantem Conſtantii fratrem in Occidente regnantem; atque is tanto ſtudio Catholicarum partium tenebatur, ut arma intentaret fratri, niſi Athanaſium ab ipſo Conſtantio pro fide fugatum Sedi Alexandrinæ redderet. Adeò belli cauſas ſerere placebat. Neque tamen animum ſubiit, ut ullum Imperii titulum Occidentis Imperator à Romano Pontifice impetraret, aut Eccleſia tanto munita præſidio Conſtantium deponendum aggreſſa eſt. Talia quippe tum, ne quidem per ſomnia cogitabant.

Quòd ſi poſteà Conſtantium toti jam Orbi imperantem aggredi verebantur; profiterentur ſaltem, quantam Eccleſia accepiſſet ad Reges deponendos à Domino poteſtatem. Sic enim vel Conſtantium deterrerent, vel certè demonſtrarent, quantùm ei Eccleſia peperciſſet. Certè non tacebant Domini Confeſſores, quid in Sacris poſſet Sacerdotalis autoritas. Cur cætera omittebant ? Cur illam in temporalibus adimendis autoritatem ? Metune, an adulatione ? Atqui vidiſti ut metuerent, ut adularentur. An dices, ne temporibus quidem illis congruiſſe, ut omnia Eccleſiæ jura proferrent ? Miſera verò jura, quæ tot labentibus ſæculis, datâ quoque occaſione, tacere cogerentur Domini Confeſſores, nedum exercerent.

Neque obeſt nobis quod de Conſtantio mortuo Gregorius Nazianzenus, & alii mitiùs interdum locuti ſunt. Ut enim hæc obiter perſtringamus, factum id tum maximè, dum eum cum Juliano Apoſtatâ compararent. Neque prætermittendum id, quod à Gregorio Nazianzeno eſt traditum: nempe famam increbuiſſe, (*g*) morientem eum ſerâ pœnitentiâ hæc tria doluiſſe: *Quòd ſuos necâſſet, quòd Julianum Apoſtatam Cæſarem deſignâſſet; quòd novis dogmatibus ſtuduiſſet.* Cæterùm hæc non prohibent, quominùs certum ſit & Conſtantium Eccleſiæ perſecutorem fuiſſe acerbiſſimum, & interim, non modo pro Imperatore habitum, ſed etiam tanquam ex Dei juſſu religioſiſſimè obſervatum fuiſſe, etiam eo tempore, quo efferatus ſine more modoque vexabat Eccleſiam.

Greg. Naz. orat. iij. p. 69. orat. xxj. p. 389. vid. Theod. lib. iij. cap. j.

(*g*) *Famam increbuiſſe*] dicit quidem Gregorius Nazianzenus; ſed hanc fuiſſe incertam; imò falſam, ex eo conſtat, quòd Conſtantius ab Euzoio Antiocheno Epiſcopo, Arianorum defenſore vehementiſſimo moriens baptizatus eſt. Et ſanè ad mortem uſque, illum pro Arianâ blaſphemiâ ſtetiſſe teſtantur Athanaſius tract. de Synod. & multi alii ex Patribus. Vid. D. Till. Hiſt. Imper. vit. Conſt. tom. iv. p. 466.

CAPUT IV.

Quarti Eccleſiæ ſæculi reliqua exempla proferuntur: Valens hæreticus & perſecutor: Sancti Baſilii, aliorumque Sanctorum ſenſus: Juſtinæ Arianæ, Valentiniani II. nomine, Catholicos inſectanti, Sanctus Ambroſius viribus prævalens, quo uſque repugnari poſſe putat: quid idem comminatus ſit Gratiano & Valentiniano, ſi Sacra Paganorum reſtituerent.

INTER hæreticos Imperatores ſecundus temporis ordine, impietate & credulitate facilè primùs, Valens extitit. Hic poſt Julianum, & breve Joviani Principis religioſiſſimi Imperium, à Valentiniano fratre, Orientis Imperator factus, Arianam hæreſim tutabatur; de quo Gregorius Nazianzenus hæc ſcripſit: *Imperator auri amantiſſimus & Chriſti inimiciſſimus ... poſt perſecutorem perſecutor, poſt apoſtatam non quidem apoſtata, ſed nihilo tamen eò meliorem ſe Chriſtianis præbens.* Hujus Imperatoris quanta in Orthodoxos crudelitas fuerit, prodit illud relatum à Socrate: quòd nempè miteſcere viſus ſit, *cùm mortis loco exilium irrogavit Sacerdotibus.* Atque hunc tàm crudelem, tàm impium, Eccleſia nihilominùs Imperatorem coluit. Ejus miniſtrum ad ſe miſſum cum Imperatoris literis, ut exilium indiceret, Sanctus Euſebius Samozatenſis Epiſcopus admonuit, ne, causâ adventûs ſui proditâ, plebem in ſe concitaret. Ipſe clam, ne turba fieret ulla, ex urbe profectus, populo ad ſe accurrenti, piumque Paſtorem effuſis lacrymis revocanti, *recitavit legem Apoſtolicam, qua diſertè præcipit obediendum eſſe magiſtratibus.*

Greg. orat. funeb. ſancti Baſ. xx. p. 337.

Soc. lib. iv. cap. xxxij.

Theod. lib. iv. cap. xiv.

Sic Sanctus Baſilius Modeſtum Præfectum ad ſe miſſum, qui ad Imperatoris communionem cogeret, atque extrema omnia minaretur, non negat legitimum Imperium gerere: atque interroganti: *Nos*, inquit, *quales tibi videmur? Nihil*, reſpondit, *dum hæc jubetis.* Adeò in unâ religionis causâ detrectat imperia: *Cæterum*, inquit, *poteſtate tuâ fruere: hæc ad Imperatorem defer.* Paſſurum ſe omnia commemorat, jubente Imperatore. Uno verbo, agnoſcit poteſtatem ſacram, & inviolabilem; abuſum poteſtatis notat & contemnit.

Baſ. orat. xx. p. 349.

Ib. p. 350.

Edeſſæ Sanctus Presbyter Eulogius, juſſus à Præfecto *communicare Imperatori iiſque quibuſcum Imperator communicat*, *reſpondit: Nunquid ille*, inquit, *unà cum Imperio Sacerdotium etiam adeptus eſt?* Sic utriuſque poteſtatis agnoſcit limites: Imperatorem ſua agentem obſervat: Arianis Sacerdotibus communicare jubentem deſpicit.

Theod. lib. iv. c. xviij.

Sic erga Valentem ſe gerebat Eccleſia adeò præpollens viribus, ut Valentinianum Valentis fratrem, & poſteà Valentiniani filium Gratianum, Auguſtos, fide ac religione præſtantes haberet in Occidente; neque tamen iis præſidiis freta de abdicando Valente quidquam cogitavit, aut ſaltem oſtendit id ſe poſſe. Neque Oriens minùs Valenti furenti, quàm Occidens

Digitized by Google

Valentiniano & Gratiano piis ac faventibus detulit. Sic omnes in diverſiſſimâ Principum erga Eccleſiam voluntate, eandem Majeſtatem, ut à Deo profectam, venerabantur.

Poſt Valentiniani I. Valentiſque tempora, regnavit Gratianus Valentiniani filius, magnumque Theodoſium Imperii conſortem accepit. Valentinianus II. Gratiani frater, Mediolani levabatur * nonum fere annum agens, Juſtinâ matre, Arianâ muliere Regnum adminiſtrante. Tyrannus Maximus, cæſo Gratiano, Gallias occupârat; Romæ atque Italiæ victor imminebat. Eo in rerum cardine, Juſtina Principis nomine juſſit, uti Arianis ſuis Baſilicæ à ſancto Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo traderentur. Ipſe oratione habitâ traditurum ſe negat, neque enim fas eſſe Sacerdoti tradere impiis Eccleſias Chriſti nomine dedicatas. *Nec mihi*, inquit, *fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit...... Allegatur Imperatori licere omnia; ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ Divina ſunt Imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Eſt ſcriptum:* QUÆ DEI DEO, QUÆ CÆSARIS, CÆSARI. *Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi jus mœnium commiſſum eſt, non Sacrorum.* Et iterum, *ſi tributum petit, non negamus; agri Eccleſiæ ſolvunt tributum...... Solvimus* QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI DEO: *tributum Cæſaris eſt, non negatur: Eccleſia Dei eſt, Cæſari utique non debet addici.* Hæc dicebat Ambroſius: poteſtati nihil detrahebat: officia diſcernebat.

* Ad Imperium. Ambr. ep. xx. Marcell. n. 16. tom. ij. p. 857. al. ep. xiv.

Id. Serm. cont. Aux. *de Baſil.* &c. n. 33. ibid. pag. 872.

Videamus quam vim opponeret impotenti fœminæ Principis nomine extrema omnia intentanti: hanc nempè: *Tradere Baſilicam non poſſum, ſed pugnare non debeo....... Habeo arma, ſed in Chriſti nomine: habeo offerendi mei corporis poteſtatem....... Habemus Tyrannidem noſtram: Tyrannis Sacerdotis infirmitas eſt:* CUM INFIRMOR, *inquit*, TUNC POTENS SUM. Ipſa plebs exclamabat: *Rogamus, Auguſte, non pugnamus; non timemus, ſed rogamus. Hoc*, inquit Ambroſius, *in vobis hodie Spiritus ſanctus locutus eſt. Hoc Chriſtianos decet, ut & tranquillitas pacis optetur, & fidei conſtantia nec mortis revocetur periculo.* Ita reſiſtebant. At nunc, confirmatâ Eccleſiâ, ſi adverſariis credimus, ultrò arma juſſu Pontificum inferemus.

Ibid. epiſt. xx. n. 22. 23. pag. 858.

Ibid. n. 14. p. 855.

Piget quidem repetere parum congrua Chriſtianis. Sed quandoquidem his urgemur, conſiderare nos oportet quo tunc loco res eſſent. Imperabat in Oriente Theodoſius Magnus, Catholicæ fidei ſtudioſiſſimus propugnator. Cæſo Gratiano, Maximus Tyrannus regnabat in Galliis, unde Valentiniani inhiabat Imperio, vicinæque Italiæ imminebat. Quo autem ille fidei Catholicæ ſtudio teneretur, hæc Theodoreti verba docent: *Ubi Maximus accepit ea quæ adverſus eximium fidei præconem Ambroſium Valentinianus fecerat, ſcribit ad Valentinianum literas, ne pietati bellum inferret, ac patriam religionem proderet; deniquè arma minatur, niſi à propoſito diſcederet, nec ſecùs ac dixerat, geſſit. Nam Mediolanum promovit exercitum:* Italiam ſcilicet, ac Valentiniani provincias, ipſamque adeò Romam invaſurus. Cui Catholicam fidem tuenti, imò verò fidei causâ bellum profeſſo, Catholici Pontifices, cur non Regnum traderent, & ab Ariano Principe, etiam ſæviente, deficerent? Ad hæc Mediolani pars Catholica maximè prævalebat;

Theod. lib. v. cap. xiv.

quin ipſi Valentiniani milites, qui Baſilicam circumfuſi occupaverant, Imperatori nuntiant : *Se præſto futuros ſi viderent eum cum Catholicis convenire; alioquin ſe ad eum cœtum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros.* Licebat ergò tunc fidenter expromere vim illam deponendi Reges; ac ſi pupillo Principi parcerent, licebat Arianam mulierem in pueri animos venena hæreſis inſtillantem à gubernaculis amovere. At dicebat Ambroſius : *Dolere potero, potero flere : adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt; talia enim munimenta ſunt Sacerdotis : aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Nec debeo, nec possum, inquit, cui tot undique auxilia ſuppeterent. Non enim depoſitiones tum, non bella civilia juſſu Pontificum movenda cogitabant.

Ap. Ambr. ep. xxj. n. 11. p. 855.

Serm. cont. Aux. n. 1. p. 864.

Victo Maximo, ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium, Auguſtos, Senatûs delata eſt ſupplicatio, (*b*) ut ara Victoriæ Romæ reſtitui juberetur. Scribit Ambroſius ad Valentinianum : *Quiſquis hoc ſuadet ſacrificat, & quiſquis hoc ſtatuit.* Tum addit : *Certè ſi aliud ſtatuitur, Epiſcopi hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus. Licebit tibi ad Eccleſiam convenire, ſed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies reſiſtentem.* Quid autem eſt, *reſiſtentem ?* A Sacris prohibentem. *Quid*, inquit, *reſpondebis Sacerdoti dicenti tibi : munera tua non quærit Eccleſia, quia gentilium templa muneribus adornâſti ?* Et alia ejuſdem ſpiritûs. Alias Eccleſia minas, etiam in ſummis periculis, neſciebat.

Epiſt. xvij. n. 8. 12 14. pag. 825.

CAPUT V.

Sancti Ambroſii cum Theodoſio geſta : an Ambroſius aliquid temporalis poteſtatis attigerit, ut Bellarmino viſum; an vel de eo cogitaverit ? Aliud Ambroſii erga eundem Theodoſium poſt incenſam Synagogam.

JAm de Theodoſio Magno dicere nos oportet, quòd in eum Eccleſia ſuam poteſtatem exeruit, & illud exemplum Gregorius VII. iterum atque iterum in medium attulit. *Beatus*, inquit, *Ambroſius, ſcilicet ſanctus, non tamen univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpâ, quæ ab aliis Sacerdotibus non adeò gravis videbatur, Theodoſium Magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſiâ excluſit.* Ab Eccleſiâ certè, non à Regno. Sed hæc amat miſcere Gregorius, tanquam unum ex alio conſequatur.

Greg. VII. lib. iv. epiſt. ij. lib. viij. epiſt. xxj.

Bellarminus verò intellexit, Theodoſio ne quidem intentatas depoſitionis minas; adeòque tali exemplo gravari ſe potiùs quàm juvari, niſi aliquid

(*b*) *Senatûs... ſupplicatio*] facta fuit an. 384. quo anno Ambroſius memoratam epiſtolam ad Valentinianum ſcripſit, biennio ſcilicèt antè Juſtinæ de baſilicis perſecutionem. Vid. admonitionem P. Bened. ante epiſtolam hanc Ambroſii & p. 828. & ſeq. Nondùm igitur Theodoſius bellum intulerat Maximo. Sed cùm eum demùm viciſſet an. 388. iterùm de eâdem re ſupplicavit Symmachus, qui à Theodoſio nullum tulit reſponſum, niſi quòd in exilium miſſus eſt. Altera hæc ſupplicatio D. Bossuet levis erroris chronologici cauſa fuit. Vide Ambroſium, qui in epiſtolâ lvij. ad Eugenium, *recenſet ordine* Senatûs varios & inutiles conatus, quibus ille aram Victoriæ ſibi reddi flagitabat.

addcretur. Hæc autem addidit : primùm excommunicatum ab Ambroſio fuiſſe Theodoſium, *propter cædem, quam Theſſalonicæ à militibus fieri imperaverat :* tum ei præceptum ab eodem Ambroſio, *ut legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde vel bonorum publicatione ratæ eſſent, niſi poſt triginta dies.* Quæ poſtquam ex Theodoreto Bellarminus retulit, jam inſert: *Atqui non potuit Ambroſius excommunicare Imperatorem, niſi priùs cauſam cognoviſſet & dijudicâſſet, licèt criminalis eſſet & ad forum externum pertineret: non potuit autem cognoſcere, niſi etiam in foro externo judex Theodoſii fuiſſet.* De lege autem ſic ait: *Cogere Imperatorem ad legem ferendam.... manifeſtè oſtendit poſſe Epiſcopum interdum poteſtate temporali uti.... & ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quantò magis Princeps Epiſcoporum?* Hæc igitur objiciunt. Nos autem factum recenſemus ex ipſo Ambroſio, & ex Theodoreto, quem Bellarminus laudavit.

Bell. lib. v. de Pont. c. viij. p. 894.

Refert igitur Theodoretus, ſeditione Theſſalonicæ ſactâ, quoſdam è Magiſtratibus ſaxis obrutos: iratum Imperatorem miſiſſe milites, qui, nullo habito judicio de reis, promiſcuâ cæde uterentur: ſeptem millia virorum interfectos eſſe, nullo inſontium noxiorumque diſcrimine. Hæc illa culpa eſt, quam dicit Gregorius VII. *aliis Sacerdotibus non adeò gravem fuiſſe viſam.* Cur autem culpam extenuat, niſi ut in gravioribus culpis majora audenda ſignificet? Non ita Theodoretus, qui Theodoſium *Imperatorem ut tyrannum, irâ pro lege habitâ*, hæc feciſſe memorat. Ambroſius verò ad ipſum Theodoſium hæc ſcribit: *Factum eſt in urbe Theſſalonicenſium, quod nulla memoria habet, quod revocare non potui, ne fieret; imò quod antè atrociſſimum fore dixi, cùm toties rogarem, & quod ipſe ſerò revocando, grave factum putâſti. Hoc factum extenuare non poteram. Quandò primum auditum eſt, propter adventum Gallorum Epiſcoporum, Synodus convenerat: nemo non ingemuit,* NULLUS MEDIOCRITER ACCEPIT. (En culpa quæ aliis non ita gravis videretur). *Non erat facti tui abſolutio in Ambroſii communione: in me etiam ampliùs commiſſi exaggeraretur invidia, ſi nemo diceret, Dei noſtri reconciliationem fore neceſſariam.* Gravis ergò cauſa, non Ambroſio tantùm, ſed cæteris Epiſcopis viſa erat, de quâ, ipſo tacente, cogniturі eſſent. Videamus in tam atroci, tamque tyrannico facto, quid Ambroſius fortiſſimus Epiſcopus fecerit.

Theod. lib. v. cap. xvij.

Ambr. ep. lj. n. 6. p. 998. al. ep. lix.

Et quidem Judicia Divina commemorat: Theodoſium exemplo Davidis ad pœnitentiam hortatur; niſi faciat, ſacrorum eum extorrem futurum. *Noli peccato tuo alind peccatum addere, ut uſurpes quod uſurpâſſe multis officit.* Et poſteà: *Offerre non audeo ſacrificium, ſi volueris aſſiſtere.* Poſtremò; *Tunc offeres, cùm ſacrificandi acceperis facultatem.* Summum id in Imperatorem, ut & in alios Chriſtianos.

Ibid. n. 12. 13. 15.

Quid poſteà factum ſit refert Theodoretus: nempe, Imperatori pro more Eccleſiam ingreſſuro occurrit Ambroſius: *Ingreſſum prohibuit: Quibus enim*, inquit, *oculis templum aſpecturus es? Quomodò Sacro-ſanctum Domini corpus accepturus es? Quomodò pretioſum ſanguinem, tot hominum fuſo ſanguine?* Non ut Gregorius VII. Quomodò regnaturus es? Efficiam equidem, ne quiſquam tibi pareat. Tunc Ambroſius: *Accipe*, inquit, *vinculum*, quo ſacris profectò, non quo Regno arceare. At Imperator *gemens in Palatium reverſus*

Theod. lib. v. cap. xviij.

Digitized by Google

reverſus eſt, his verbis obtemperans: quippe qui probè nôſſet quæ Sacerdotum, quæ Imperatorum officia eſſent. Sic defert Ambroſio, qui nihil Regiæ Majeſtati detraxerat, nihil niſi Sacerdotale & Eccleſiaſticum attrectabat.

Ingemiſcebat poſteà Imperator, *quòd, Eccleſiæ aditu interdicto, clauſæ eſſent cœli fores: memor enim ſum*, inquit, *Dominicæ vocis:* QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERIT LIGATUM ET IN CŒLIS. En quam intelligeret Eccleſiæ poteſtatem.

Hìc Rufinus, nefandi conſilii cædiſque Imperatori autor, pollicetur ſuaſurum ſe Ambroſio, ut *ſolvat vinculum: cui Imperator: Non perſuadebis*, inquit; *novi æquitatem ſententiæ illius.* Pergit tamen Rufinus ad Ambroſium; *cùmque Imperatorem brevi adfuturum eſſe diceret: Ego*, inquit Ambroſius, *tibi prædico ac prænuntio, me illum ab ingreſſu ſacri veſtibuli repulſurum: Si verò Imperium in tyrannidem verterit, ego quoque libenti animo cædem excipiam.* En quò uſque Imperatori etiam contumaci & ſævituro fortiſſimus Epiſcopus reſtiturus eſſet.

Acceſſit poſteà Imperator, ſpe fallente, inflecti poſſe Ambroſium arbitratus. Illi procedenti cùm allata iſta eſſent: *Ibo*, inquit, *ut juſtas patiar contumelias.* Ratus Ambroſius ipſum vi in Eccleſiam irrupturum, *hujuſmodi adventum tyrannicum eſſe dixit, & Theodoſium adverſus Deum furere, legeſque illius calcare.* At Imperator alia omnia ſentiebat: *Non*, inquit, *non ſum violenter ingreſſurus Eccleſiam; ſed à te peto, ut vinculis me abſolvas... cui Ambroſius: Quam igitur*, inquit, *pœnitentiam oſtendiſti? At Imperator: Tuum eſt medicamenta oſtendere, mei autem officii oblata ſuſcipere.* Tùm præcepit Ambroſius legem indici eam, quam Bellarminus vult exemplum eſſe geſtæ ab Epiſcopo temporalis poteſtatis; nempe ut per triginta dies latæ ſententiæ penderent. *Hoc verò conſilium cùm audiſſet Imperator, & utiliſſimum eſſe exiſtimaret, legem ſcribi præcepit, ſubſcriptione firmavit, relaxato vinculo*, communionem accepit.

Jam nemo non videt quàm vanè & extrà rem hìc, in publico facto, adverſus pœnitentem & ultrò confitentem, inquiſitiones & criminales cauſas, & forum externum Bellarminus obtrudat. Quæ tametſi omnia in causâ Eccleſiaſticâ fateremur, quid hæc deinde ad rem? Neque illud de lege pluris valet. Nam & mitigandæ iræ, per quam Theodoſius lapſus erat, imprimis congruebat; & ipſe Imperator, teſte Theodoreto, *utilem exiſtimavit* eam, ſibi ſcilicèt, & Reipublicæ. At profectò non negamus bonos Principes æquo animo laturos, indici ſibi ea in pœnitentiam, quæ Reipublicæ, quæ frænandis cupiditatibus conferant, quæ ipſis etiam recta & utilia videantur. An ad id cogi depoſitionis metu, aut eodem illato metu, à malo deterreri poſſint, id verò quærimus. Ambroſium certè, aut Theodoſium, aut eo ævo quemquam, ne id quidem cogitâſſe; neque ſanctum Epiſcopum adverſus Principem, quamvis contumacem, ulterius fuiſſe proceſſurum, quàm ut ſacris arceret, ac regiâ vi tentatus mortem pateretur, ipſa geſta à nobis relata clamant.

Neque aliud inculcat idem Ambroſius, cùm incensâ à Chriſtianis Synagogâ Judæorum, juſſit Theodoſius *Synagogam ab ipſo ædificari Epiſcopo.* Ambr. ep. xl. al. xvij. n. 6. 7. p. 948.
Hic Ambroſius; *Non vereris*, inquit, *Imperator, ne acquieſcat* (Epiſcopus)

ſententiæ tuæ? Ne prævaricetur non times? Non etiam vereris quod futurum eſt, ne verbis reſiſtat Comiti tuo? Neceſſe erit igitur ut aut prævaricatorem, aut Martyrem facias. Nempè, Ambroſio teſte, prævaricator fidei foret Epiſcopus, ſi juſſis Imperatoris cederet, ac Synagogam reficeret: Martyr, ſi repugnans vi Regiâ cogeretur. Negat ergò Epiſcopum parere debuiſſe: adversùs ſævientem Principem nulla arma repugnanti tradit, niſi Martyrium.
Ibid. n. 33. Hæc Imperatorem monet Ambroſius *in Regia*; *ne*, inquit, *ſi neceſſe eſſet, audires in Eccleſiâ.* Nempè increpâſſet: nempè ſacrorum privationem inculcâſſet: ſævienti, Martyria, non arma objeciſſet.

An forte reſpondebunt, Romanum Pontificem, cui majora licerent, majora moliturum fuiſſe, & graviores illaturum minas? Abſit hoc à Theologiâ portentum, ut Romanus Pontifex alias habeat claves quàm cæteri Epiſcopi, alia injiciat vincula. Non ille diverſi generis anathema intorquet, ſed ejuſdem generis ampliore ac ſupremâ poteſtate: ac ſi tanta ineſt vis, ut ligando ac ſolvendo etiam ſolvere poſſit Imperia; idem cæteri Epiſcopi poterunt, reſervato tantùm Epiſcoporum Capiti ſuperiore judicio. Neque id adverſarii diffitentur; & contendit Bellarminus, beatum Ambroſium indirectâ poteſtate uſum, de temporalibus decreviſſe, quod eſſe falſiſſimum, & ab ejus mente alieniſſimum vidimus. Ac ſi ſomniemus Romano Pontifici reſervatum, ut Reges deponeret; oſtenderet ſaltem Ambroſius eam, quæ ineſſet Capiti Eccleſiæ poteſtatem. Neque verò dicant hæc tantùm contumacibus, non autem modeſtis Principibus oſtentanda: ecce enim Ambroſius eum animo Theodoſium effingebat, qui Imperium in tyrannidem verteret, vi ſacra corriperet, repugnantem Epiſcopum ad Martyrium uſque cogeret; neque tamen ad faſtus Regios comprimendos, eam Eccleſiæ autoritatem oſtendit, quâ etiam Imperia ſolverentur; & quamvis Ambroſius nihil à Theodoſio immodeſtiæ timuiſſet aut cogitâſſet, tamen è re fuiſſet ut, quod cæteris eſſet documento, ordo Sacerdotalis totam autoritatem ſuam modeſtis etiam Principibus vel ſemel exhiberet. Quid enim prohibebat? An quòd Theodoſius pœnitens in ipſo Eccleſiæ limine à tanto Epiſcopo veritatem audire non poſſet, ac ſtatim in iras verteretur? Pudeat ergò tandem nos ejus autoritatis, quam optimis Eccleſiæ temporibus, cùm id res vel maximè poſtularet, neque fortiſſimi Epiſcopi ſaltem oſtenderent, neque modeſtiſſimi Principes paterentur, neque quiſquam hominum cogitaret.

CAPUT VI.

Quinti ſæculi exempla: ARCADIUS, *ac de eo* GREGORII VII. *verba: Burgundiones: Viſigothi: Vandali:* THEODORICUS *Oſtrogothus:* HUNERICUS *Vandalus:* ODOACER *Herulus:* ZENO *Imperator.*

QUINTO verò ſæculo, de poteſtate indirectâ non magis cogitabant. Eo ineunte regnabant Theodoſii Magni liberi Arcadius & Honorius. De Arcadio ſic ſcribit Gregorius VII. *Si*, inquit, *ſpeciale aliquod de perſonis Principum requiratur exemplum; Beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quià conſenſit, ut Sanctus Joannes Chryſoſtomus à ſuâ ſede pelleretur, excommunicavit.* Hoc quidem non ita eſſe conſentiunt Literati omnes: (*i*) nempè conficta eſt ea, quæ à Nicephoro refertur, excommunicationis formula, cujus eſt initium: *Vox ſanguinis fratris mei Joannis:* atque ea qualiſcumque eſt, Imperatorem à ſacris, non ab Imperio arcet; cùm nequidem de tali poteſtate cogitarent, qui talia confingebant.

Greg. vij. lib. viij. ep. xxj.

Niceph. lib. xiij. cap. xxxiv.

Eodem quinto ſæculo Ariani multi Catholicas Provincias obtinebant: nempè Burgundiones, Lugdunenſem ac Viennenſem: Viſigothi, Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem: Odoacer Herulus, ac poſteà Theodoricus Oſtrogothus, Italiam ac Romam ipſam; neque quidquam adversùs eos ſeſe Eccleſia, aut Romanus Pontifex commovebat: quanquam Theodoricus extra Regnum quoque ſuum Arianos tueretur, eorumque causâ toti Italiæ extrema intentaret. Ità enim in libro Pontificali eſt ſcriptum: *Pro hâc causâ, Theodoricus hæreticus exarſit in iram, & totam Italiam voluit gladio extinguere.* Sanctum quoque Joannem Papam coegit Legationem ſuſcipere ad Juſtinum (*k*) Imperatorem, *ut redderentur Eccleſiæ hæreticis in partibus Orientis: quod ſi non, omnem Italiam gladio perderet.* Idem Theodoricus Catholicos adeò ſuſpectos & exoſos habebat, ut Boëtium & Symmachum (*l*) Romanæ urbis, & Eccleſiæ lumina, cæderet: Joannem verò Papam, & duos Senatores Legationis ſocios, *in cuſtodiâ afflictos maceravit, ità ut beatiſſimus Joannes primæ ſedis Epiſcopus deficiens moreretur.* Tantæ igitur cædis tantæque impietatis reum, Eccleſia Romana ſanctique Ponti-

Tom. iv. Conc. vit. Joan. j. pag. 1600.

(*i*) *Conſentiunt Literati omnes.*] Eam epiſtolam Labbæus recenſet inter genuinas Innocentii tom. ij. Conc. p. 1308. Sed confictam fuiſſe luculenter probat D. Till. Hiſt. Eccleſ. tom. x. vit. Innoc. art. iv. p. 641. & Hiſt. Imper. vit. Arcad. not. xxx. p. 78c.

(*k*) *Ad Juſtinum*,] qui quocumque patebat ejus Imperium, *Arianorum Eccleſias, Catholicas conſecravit*, ait Anaſtaſius tom. iv. Conc. p. 1600.

(*l*) *Boetium & Symmachum.*] Boetius, poſtquàm res Regni ſub Theodorico probè adminiſtraſſet, *occultæ conjurationis cum Juſtino Imperatore* falsò accuſatus & in carcerem detruſus, ſcripſit in ipſo carcere inſignes libros *de conſolatione Philoſophiæ.* Boetium Theodoricus occidit una cum Symmacho, qui Senatûs facilè Princeps, probitatis famâ & ſummâ doctrinâ celebrabatur. Erant uterque in rebus Theologicis verſatiſſimi, & imprimis Boetius, cujus commentarios habemus, unum, *de duabus naturis & unâ perſonâ Chriſti*, alterum, *de Trinitate.* Vid. Baill. addit. 23. Octobr.

Digitized by Google

fices coluerunt : nullo unquam adverſùs eum poſteroſque ejus, publico occultove molimine agere viſi ſunt.

Vandali item Ariani, & Genſericus, atque omni belluâ teterior Hunericus, Africanam Eccleſiam devaſtârunt. At interim Catholici omnes in fide ſe manere teſtabantur ; ac ſanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, & Chriſti Confeſſor inclytus, hæc ad Traſymundum Regem Arianum ſcripſit : *Cùm pro noſtrâ fide, in quantùm facultatem Divinitùs accepimus, liberè reſpondemus, nullâ contumaciæ ſeu contumeliæ debemus ſuſpicione notari, cùm nec Regiæ ſimus dignitatis immemores, ſciamuſque Deo timorem, honorem Regibus exhibendum, Apoſtolicâ ita nos præmonente doctrinâ*, REDDITE OMNIBUS DEBITA ; & paulò poſt : CUI TIMOREM, TIMOREM ; CUI HONOREM, HONOREM. Locum etiam Petri commemorat : DEUM TIMETE, REGEM HONORIFICATE. *Competens igitur*, inquit, *manſuetudini tuæ deferimus honoris obſequium, cui Regalis apicem culminis Divinâ cernimus largitate collatum : nec tamen quemquam ſapientem fugit, quantò ſempiternus ille Rex Regum & Dominus Dominantium timore debeat ſuſpici, qui temporales etiam Reges præcipit honorari.* His perſuaſi decretis, non metu aut infirmitate coacti, Reges impios, ac religioni infenſiſſimos obſervabant ; neque temporariam, & ab opportunitate pendentem, ſed æternis decretis nixam, exhibebant fidem.

Fulg. Ruſp. ad Traſym. lib. j. cap. ij. edit. nov. p. 70.

j. Pet. ij. 17.

Eâdem fide erant adverſus Gondebaudum Arianum, Burgundionum Regem, Sanctus Avitus Viennenſis & cæteri Epiſcopi Gallicani, qui perfidi Regis Imperio ſuberant ; & habebant quidem Clodovæum Francorum Regem, Catholicæ fidei defenſorem, & Gondebaudi hoſtem. Neque tamen ei adverſùs Gondebaudum pugnanti, Regis Ariani Regnum dabant, aut à ſui Regis obedientiâ recedebant. Extat nuper edita à viro religioſiſſimo * eorum Epiſcoporum cum Arianis facta collatio, Apoſtolorum digna temporibus : quâ in collatione ipſo Gondebaudo querenti de Rege Francorum ſuos fines invadente, ſic Sanctus Avitus omnium reſpondet nomine : *Ignoramus, o Rex, quo conſilio & quâ de causâ, Rex Francorum facit quod dicitis ; ſed Scriptura nos docet, quòd propter derelictionem legis Dei, ſæpè ſubvertuntur Regna, & ſuſcitantur inimici ex omni parte, illis qui ſe inimicos adversùs Deum conſtituunt.* Ergò à Deo multa eaque gravia comminantur ; nihil ipſi moliuntur adverſùs ejus Imperium, tanto defenſore Francorum Rege freti ; & Regem ſuum tam impensè colunt, ut is moveretur ; ac tametſi induratum, & à Deo reprobatum, multis argumentis cernerent, haud minùs pro Rege habuerunt.

* P. Dachery ord. Bened.

Collat. Epiſc. cor. Reg. Gond. Spic. tom. v. pag. 111.

De Hunerico & Odoacro ſcribit Gelaſius, Hunerico Eugenium Carthaginenſem & Catholicos Sacerdotes reſtitiſſe, *extrema tolerantes :* ſe quoque Odoacri ſcripto *cùm aliqua non facienda præcepiſſet, nullatenus paruiſſe.* His docet quò uſquè reſiſtere ſas ſit Regibus iniqua jubentibus : eatenùs ſcilicèt, ut extrema omnia tolerentur, ut obedientia non ſimpliciter, ſed tantùm in illicitis denegetur, non ſanè ut Imperium abrogetur.

S. Gel. ep. xiij. ad Epiſ. Dard. tom. iv. Conc. p. 1208.

Ad eundem Hunericum, poſtquàm ab eo interdictum erat Catholicis Sacerdotibus, *ut conventus minimè celebrarent*, extat ſancti Eugenii Car-

Ep. Eug. Tom. iv. Conc. pag. 1127. vid. etiam vict. Vitenſ. lib. ij. hiſt. de perſ. Vand. part. ij. edit. D. Ruin.

thaginenſis Epiſcopi omnium Collegarum nomine data epiſtola, quæ ſic habet : *Nuper poteſtas Regia per Vitaritum Notarium meam parvitatem admonere dignata eſt, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum ejus in Eccleſiâ, præſente Clero & plebe, recenſuit. Ex cujus tenore cognovimus ad omnes Epiſcopos meos præceptum Regium ſimiliter emanâſſe, ut die conſtitutâ pro diſputatione fidei veniatur : quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus.* Ad eumdem edit profeſſionem fidei, ducto initio ab obedientiâ debitâ Regiæ poteſtati : *Regali imperio fidei Catholicæ, quam tenemus, præcipimur reddere rationem ; ideoque aggredimur.* Quæ ſi imbecillitas, non ipſa veritas poſtulâſſet, tacere potuiſſet Eugenius.

Atque hæc de Arianis eo ævo regnantibus. Zenonem verò Imperatorem impio decreto, quod *Henoticum*, id eſt, unitivum appellabat, & Calcedonenſi Synodo anathema dicentem, Simplicius & Felix, Romani Pontifices fortiſſimi, diutiſſimè &, quantùm in ipſis fuit, pacatiſſimè regnare permiſerunt. Evagr. lib. iij. cap. xiv. Bar. tom. vj. an. 582. pag. 360.

C A P U T V I I.

ANASTASIUS *Imperator hæreticus, perſecutor, anathemate nominatim in Oriente, & à Romano quoque Pontifice in Occidente damnatus, Eccleſiæ peculiari Sacramento obligatus, Regno eà conditione ſuſcepto : ejus deponendi mira opportunitas : ſancti Pontifices Gelaſius, Symmachus, Hormiſdas ne id quidem cogitaverunt.*

IMPIO Zenoni ſucceſſit impius Anaſtaſius, fidei Catholicæ perſecutor : omni enim ſævitiâ exagitabat eos qui Calcedonenſe Concilium, in eoque probatam ſancti Leonis Papæ epiſtolam prædicabant. Atque hujus quidem tempore, Perronius docet claruiſſe indirectam poteſtatem. Nos contrà, ex ejus temporis geſtis, vel maximè eliſam eſſe contendimus. Harang. loc. cit. pag. 603.

Quid ad eum Imperatorem ſanctus Gelaſius Papa ſcripſerit, quàmque non modo Imperatorem agnoverit, ſed etiam diſtinctis utriuſque poteſtatis officiis, ejus Imperium ab Eccleſiaſticâ poteſtate illæſum intactumque præſtiterit, copioſè executi ſumus. Quia verò ſancti Papæ Symmachi geſta dictaque tantùm delibavimus, ea nunc integra proferimus, ne quid ſtudioſo veritatis lectori ſubtrahatur. Sup. lib. j. ſect. ij. cap. xxxij.

Primùm ergò deſcribimus verba Baronii de Concilio IV. Romano agentis. *Conſtat, licèt ſynodalia acta deſiderentur, in tantâ coronâ Patrum, propoſitâ in medium causâ Imperatoris hæretici, rogatâ ſententiâ ſingulorum, communi omnium conſenſu à Symmacho Papâ excommunicatum impium Anaſtaſium (m) Auguſtum.* At nihilominùs pro Imperatore eſt habitus ab omni- Bar. tom. vj. an. 502. pag. 547.

(m) *à Symmacho excommunicatum Anaſtaſium*] dicit Barònius, non probat. Sed 1°. de illâ excommunicatione vix quidquam reperies in Symmachi apologiâ & in omnibus Hiſtoricis. 2°. verba Symmachi non tam ſignificant latam excommunicationis ſententiam, quàm,

bus Orthodoxis. Vel ipſum Papam Symmachum audiamus, in apologetico ad Anaſtaſium: *Dices quòd mecum conſpirante Senatu te excommunicaverim. Ità quidem ego; ſed rationabiliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor.* Nimirum id ſibi & anteceſſoribus ſuis tribuit, ut Imperatorem jure excommunicaverint, qui Acacii damnatæ memoriæ in ſacris communicans, ejuſque hæreſi ſociatus, in idem ipſe ſe anathematis vinculum conjecerat. At tantâ autoritate excommunicatum, ut Imperatorem ſalutat, *& Principem rerum humanarum* vocat: Solutum excommunicatione vinculum, quo cives Principi conjunguntur, aut ſuâ autoritate ſolvendum, ne quidem cogitat.

Apolog. Symm. adverſ. Anaſt. Tom. iv. Conc. pag. 1298.

Ibid.

Hæc Romæ ſentiebant: hæc toto Orbe terrarum: nam ſcribit Evagrius: *Nonnulli Anaſtaſium, tanquam Concilii Calcedonenſis adverſarium exiſtimantes, ex ſacris tabulis exemerunt: Hieroſolymis autem anathema fuit illi denuntiatum;* neque tamen ab ejus Imperio receſſere.

Evag. lib. iij. c. xxxiv.

Quantæ autem venerationi eſſet Eccleſiæ ſententia Hieroſolymitanæ, hæc Juſtini Imperatoris in eâdem Acacii cauſâ verba teſtantur ad Hormiſdam Papam: *Huic*, inquit, *Eccleſiæ omnes honorem impendunt, quaſi matri Chriſtiani nominis, ut nemo audeat ab eâ ſeſe diſcernere.* Ab hâc tamen Eccleſiâ expreſſo anathemate ſegregatum Anaſtaſium, haud ſecùs pro Auguſto habuere.

Ep. Juſt. Imper. int. ep. Horm. lxxiv. tom. iv. Conc. p. 1542.

Ad hunc Imperatorem reſipiſcere viſum, profeſſumque ſancti Leonis & Calcedonenſis Concilii fidem, ſanctus Hormiſdas Symmachi ſucceſſor, Legationem miſit, cum hoc Commonitorio: *Si Imperator dixerit: ecce mihi communicate qui Synodum Calcedonenſem recipio, & epiſtolas Papæ Leonis amplector: nunc communicate mihi; reſpondendum eſt: quo ordine Pietas veſtra communicari ſibi deſiderat?* Tum ea præſcribit, quæ ab Imperatore ſubdolo ac fallace poſtulanda eſſent, ut perfectè ſatisfaceret: neque eſſe anteà communicandum; at interim ut Imperator, cùm ab ipſo Pontifice per literas, tum à Legatis, Pontificis juſſu, ſalutatur.

Common. Horm. ibid. poſt ep. iij. pag. 1428.

At ſi quis unquam extitit Imperator ſolio deturbandus, is maximè fuit Anaſtaſius, quo nullus ad ſervandam fidem Eccleſiæ eſſet obſtrictior. Scribit enim Evagrius: cùm Anaſtaſius, Zenone mortuo, ad Imperium eligendus eſſet, *obſtitiſſe Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quoad Anaſtaſius profeſſionem ipſi Euphemio daret, gravibus ſacramentis, manuque firmatam ſuâ, quâ teſtaretur, ſi ſceptra ſuſciperet, ſervaturum ſe fidem integram, neque unquam res novas in ſanctam Eccleſiam inducturum: quam profeſſionem Macedonio ſacrarii cuſtodi tradidit.*

Evag. lib. iij. c. xxxij.

Similia ferè ſcribit Theodorus Lector & alii. Hæc ab Anaſtaſio, cùm ſuſpectæ fidei eſſet, Eccleſia poſtulaverat: ſic eum ſibi, non tantùm communi religione Chriſtiani nominis, ſed etiam chirographo & jurejurando obſtrictum tenebat. Quam fidem repoſcere eò magis poterat Eccleſia Ro-

Exerpt. Theod. Lector. lib. ij. vid. quoq. Vict. Tun. in Chron.

pro more tunc temporis uſitatiſſimo, quamdam commercii ceſſationem, ſeu potiùs interruptionem. *Nos*, inquit, *non te excommunicavimus, Imperator, ſed Acacium: tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis: tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis: ſi te miſces, non à nobis, ſed à te ipſo excommunicatus es.* Tom. iv. Conc. p. 1298. 1299. Porrò notandum hæc, cum iis quæ Baronius affirmat, adverſis frontibus pugnare.

Digitized by Google

manuſque Pontifex, quòd eâ Imperator conditione regnaret. Sed profectò intellexit potuiſſe quidem reſpui eligendum, niſi ſanâ fide eſſet; jam electum, jam Auguſtum, jam Divino numine conſtitutum, non poſſe à ſe dejici; ac manere chirographum ad teſtificationem officii, non ad imminutionem Imperatoriæ poteſtatis.

Neque occaſiones defuere dejiciendi Anaſtaſii, cùm multi Cæſares adversùs eum levarentur; plebis pars longè maxima, ejus hæreſim deteſtata, Evag. lib.
Conſtantinopoli quoque ſeditiones agitaret, atque eò uſque fureret, ut iij. c. xxxiv.
Imperator abdicare ſe cogeretur, coronâ coram plebe ultrò depoſitâ, quam, ipſâ plebe ſic ad miſericordiam inflexâ, quaſi precariè recepit.

Hæc Perronius non veretur ad indirectæ poteſtatis præſidium trahere, Har. pag.
quæ huic vel maximè adverſantur. Quò enim pertinebat Vitalianum Comi- 604.
tem rebellâſſe, neque priùs dediſſe pacem quàm Catholicos reſtitueret: quaſi ignoremus ſæpè factum, ut causâ hæreſis bella civilia moverentur. Illud tu, velim, mihi probes de quo quærimus: id, jubente Eccleſiâ, jubente Papâ, factum eſſe. Quod cùm nullus unquam ſcripſerit, tum fatearis neceſſe eſt non id cogitâſſe, cùm tanta opportunitas ſe offerret, totieſque Duces ac populi in Imperatorem odio hæreſis rebellarent.

Quæ cùm ſponte in Oriente facerent, quid acturi erant, ſi Romanus Pontifex ab altâ Petri ſede depoſitionis dixiſſet ſententiam, aut fidelitatis ſacramento abſolviſſet? Cur autem id non faceret, ſi fieri poſſe crederet? Quippe Imperator erat hæreticus, Eccleſiæ perſecutor, eidem Eccleſiæ peculiari juramento obligatus, eâ conditione Regnum ſuſceperat: plebs veræ fidei favebat. Jam ab Anaſtaſio nullus Pontifici metus. Vivebant enim Romani tum ſub Gothorum Regno, procul ab Imperatoris poteſtate ac minis: ad eum denique deponendum omnia incitâſſent. At Symmachus fortiſſimus, idemque doctiſſimus Pontifex, id admonet tantùm, ne confiſus Imperio ſupra hominem ſe efferret: *Precor, Imperator, pace tuâ dixerim:* Symm. ap.
memento te hominem, ut poſſis uti conceſſâ tibi divinitùs poteſtate. ad Anaſtaſ.

Illud etiam memoratu dignum eſt, quòd ſanctus Symmachus ad Anaſ- Tom. iv.
taſium ſcribens, Petri poteſtatem & habebat præ oculis, & vehementiſſi- Conc. pag.
mè inculcabat; unde illud: *An quia Imperator es, contra Petri niteris poteſ-* 1298.
tatem? Quam ſanè poteſtatem cum Imperatoriâ comparatam, ubiquè com- Ibid.
memorat. Cur autem non explicaret totam? Cur non id ageret, ut ſuperbus Imperator Imperium ſuum à Pontificiâ poteſtate pendere intelligeret? Nihil tale Symmachus, ſuiſque ſe continet finibus, etiam adversùs eum Principem, qui de religione pro ſuâ poteſtate decerneret, damnatumque hæreſis Acacium ab excommunicatione abſolveret. At eum aliena invadentem Pontifex ſic alloquitur: *Conferamus*, inquit, *honorem Imperatoris cum* Ibid.
honore Pontificis, inter quos tantùm diſtat quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iſte Divinarum. Tu, Imperator, à Pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas: poſtremò, tu humana adminiſtras, ille tibi Divina diſpenſat. Itaque, ut non dicam, ſuperior, certè æqualis honor eſt. Rogo bonâ fide, qui hæc tam accuratè tradit, an omiſſurus eſſet quidquam quod ad commendandam Pontificiam dignitatem, ac ſævi Imperatoris retundendam contumaciam pertine-

Digitized by Google

ret ? At non ultra Eccleſiaſtica proſilit; nec minùs ſibi quàm Imperatori modum ponit, quàmque eum à ſacris arcet, tàm ſe à civilibus, æquo utrinque jure.

Ibid. Sic deindè proſequitur, paucis interjectis: *Fortaſſis dicturus es ſcriptum eſſe: omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Cæterùm, ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergò quæ rebus eſt præſtituta Divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum, ſi tu Deo non deferas, non potes uti ejus privilegio, cujus jura contemnis.*

Sic docet Principi obedientiam denegandam, non quidem ſimpliciter; cùm eum ubique Imperatorem, rerumque humanarum Principem veneretur; ſed tantùm in eis quibus Princeps in Deum, inque Pontificem Divina exequentem inſurgat, ſalvâ in aliis Imperii Majeſtate. Neque quidquam agit ſacræ dignitatis retinentiſſimus Pontifex, quàm ut Pontifices & Reges ex æquo componat, ac mutuò obedire doceat: ſupremam illam ſuam, quam tunc maximè urgeri oporteret, in ordinandis rebus etiam civilibus poteſtatem tacet.

CAPUT VIII.

Sexti ac ſeptimi ſæculi exempla: ſancti Gregorii Magni *ad Mauricium epiſtola memorabilis: in eam Baronii nota: Quædam de Pontificum ſubjectione erga Principes.*

* Nempe, ut autumnant P. Ben. an. 593.

Greg. Mag. lib. iij. indic. xj. ep. lxv. al. lxij. tom. ij. pag. 677.

SEXTO verò ſæculo, vel ineunte ſeptimo *, eodem ſpiritu ductus ſanctus Gregorius Magnus Imperatori Mauricio, cùm aliquam legem, quæ ſancto Papæ parum æqua & pia videbatur, ab eo publicandam pro more tranſmitteret; hæc reſcripſit: *Ego quidem juſſioni ſubjectus, eamdem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis Dominis nuntiavi.* Non ſibi tribuit indirectæ poteſtatis nomine, ut legem abroget, animarum utilitati parum congruam, quippè quæ converſos Milites à Monaſteriis abſtraheret: ſed cùm intelligeret Imperatorem, licèt haud ſatis rectè, ſuo tamen jure uſum, monebat, flebat, orabat, parebat interim, ac legem ad alios juſſus tranſmittebat: prævaricator procul dubio futurus, ſi quàm edito decreto pro Pontificiâ poteſtate ſolvere potuiſſet, ad alios quoque habendam obſervandamque tranſmitteret.

Bar. tom. viij. an. 593. pag. 47. Notat Baronius initio hujus epiſtolæ à Gregorio dictum: *Neque ut Epiſcopus, neque ut ſervus jure Reipublicæ, ſed jure privato loquor;* tanquam indignum Pontifice eſſet ut ſe Regi ſubjiceret: quo nihil eſt alienius à Gregorii mente. Nempè putaverat pacatiùs audiri ſe, ſi familiaritatis jure potiùs quàm Epiſcopali ex officio loqueretur. An propterea credimus eum Epiſcopali jure, juri Imperatorio non fuiſſe ſubjectum ? Ergo, nec *ut ſervus Reipublicæ*, atque in publicandâ lege publico officio functus, ſuberat

Greg. Mag. loc. cit. Imperatori. Quis hoc dixerit ? An verò cùm addit Gregorius: *Poteſtas ſuper*

per omnes homines Dominorum meorum Pietati cœlitùs data eſt, Sacerdotes exceptos volebat? Quid quòd apertè profitetur Sacerdotes Imperatoribus eſſe ſubjectos? Deum enim inducit Mauritio hæc dicentem: *Ego Sacerdotes meos tua manui commiſi*: & aliâ epiſtolâ de eodem negotio agens: *Valdè mihi durum videtur ut ab ejus ſervitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum, non ſolùm militibus, ſed ètiam ſacerdotibus conceſſit.* Nempè ait Baronius: ſuberat Mauritio *Eccleſiam perſequenti*, ut Neroni & Diocletiano. Id enim comprobat (*n*) ex Gregorii Commentario in Pſalmos pœnitentiales. Quid noſtrâ? Cùm Neroni paruiſſe Chriſtianos, & quidem ex animo, & propter conſcientiam, & Dei ordinatione, Scripturæ prodant. Neque hæc dicentes, Sacerdotium Regno cum Novatoribus, quod Baronius queritur, ſed Sacerdotes Regibus; in iis quidem, quæ ad Regium officium pertinent, autore Gregorio, ſubdimus.

Id. epiſt. lxvj. al. lxv. pag. 678.

Bar. loc. cit.

Ibid.

CAPUT IX.

Privilegia ab eodem ſancto GREGORIO *conceſſa expenduntur. Imprecatoriæ formulæ eo ævo familiares: Gregoriana formula ad alia privilegia non tranſit.*

NUNC, cùm Gregorius Magnus ſeque & Sacerdotes omnes, tam modeſtè, tam demiſsè ſubjiciat Regibus; jam interrogare juvat, ecquid deceat eum propter unius Xenodochii vel Monaſterii violatum privilegium, Reges, Judices, ſeculares perſonas dignitate privare, ut Gregorium VII. eumque ſecutos Baronium, Bellarminum & alios objeciſſe videmus. Quis autem vel fando audiit, Gregorii ævo totque anteactis ſæculis, ob violatam fidem & Canones, cuiquam, excommunicato licèt, vel unum ſervulum Eccleſiæ autoritate detractum? Nunc autem Imperia Regnaque adimuntur ob unum Xenodochium. Sed iſta omittamus; rem ipſam explicemus.

Greg. vij. lib. iv. ep. ij. Bar. tom. viij. an. 603. p. 168. Bell. lib. v. de R. P. cap. vij.

Gregorii ergo nomine hæc prodeunt privilegia ſancti Medardi, (*o*) & Xenodochii Auguſtodunenſis, in epiſtolâ ad Senatorem, (*p*) quibus id

Greg. Mag. lib. xiij indict. vj. ep. viij. al. x. pag. 1221.

(*n*) *Baronius*... *comprobat*] id quod in textu refertur, allatis *ex Commentario in Pſalmo IV. pænitentiali* (dicere debuerat v.) his Gregorii verbis: *Quid enim Nero? Quid Diocletianus? Quid denique iſte qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur?* tom. iij. edit. Bened. pag. 532. Sed 1°. hic locus & quidam alii multis perſuaſerunt doctis hunc commentarium Gregorii Magni fœtum non eſſe. 2°. etſi eſſet Gregorii, ut eſſe cenſent P. Bened. nil vetat verba interpretari de Regibus Longobardorum, Eccleſiæ Romanæ depopulatoribus, vel generatim de quibuſcumque hæreticis, non de Mauricio, quem Gregorius, cui quidem coævi omnes ſuffragantur Hiſtorici, *piiſſimum, clementiſſimum*, & *Eccleſiæ amantiſſimum* paſſim vocat. Vid. cenſur. Bened. de hoc commentario ibid. pag. 463.

(*o*) *Sancti Medardi*] privilegium, P. Bened. ad calcem. tom. ij. pag. 1284. ablegarunt, ſive ut ſpurium, ſive ſaltem ut dubium.

(*p*) *In epiſtolâ ad Senatorem*] pro privilegio S. Medardi, relata in textu leguntur, quæ paululùm mutatis verbis, ſententiâ non mutatâ, iterantur in privilegiis Xenodochii Auguſtodunenſis, Theſſaliæ Abbatiſſæ ſanctæ Mariæ, & Luponis Abbatis ſancti Martini lib. xiij. epiſt. viij. ix. x. alias j. xj. xij. Porrò hæc clauſula, quæ viris doctis à Gregorii abſtinentiâ abhorrere viſa eſt, hos movit ut illam adventitiam crederent. Sed cùm totam

edictum legimus : *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel qualiumcumque ſecularium perſonarum* his *contradixerit...... cujuſcumque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur...... à conſortio Chriſtianitatis, & corpore ac ſanguine Domini noſtri* JESU-CHRISTI *ſequeſtretur.* Simul enim ſpirituales ac temporales pœnæ in utroque privilegio conjunguntur.

Mitto id quod à pleriſque & rectè dicitur : hæc quidem collectim & in confuſo dici, pœnis temporalibus ſpiritualibuſque uno tenore connexis ; *diſtributivè* tamen, ſive *reſpectivè*, * ut vocant, intelligenda eſſe, cuique ordini ſuâ pœnâ applicatâ. Mitto temporum ſtilique, ac rerum geſtarum notas, quibus hæc, ac maximè ſancti Medardi privilegium, falſitatis inſimulent. Ad ea enim nos recurrere nihil neceſſe eſt, cùm manifeſtum ſit his Gregorii verbis, quatenùs de temporalibus decernit, nihil aliud contineri, quàm imprecandi formulam hiſce temporibus uſitatiſſimam.

Solebant ergò paſſim etiam laici imprecationes facere excommunicandi ritu, tanquam de ſpiritualibus decernerent : quo nihil mirum ſit, etiam Pontifices imprecandi formulâ, de temporalibus decreviſſe viſos. Vel Baronium audiamus, quo teſte, hæc ſepulchris inſcripta viſuntur : *Nemo ſuum, nec alienum corpus ſuper me mittat : quòd ſi hoc præſumpſerit, maledictus ſit, & in perpetuum anathemate conſtrictus.* Quibus ex monumentis aliiſque plurimis, docet à privatis factas donationes, appoſitis formulis imprecatoriis, tanquam anathematis ritu fuiſſe conſcriptas.

* Hoc eſt, ut honore ſuo priventur ſoli Clerici ; à conſortio autem Chriſtianitatis ſequeſtrentur tam Laici quam Clerici.

Bar. tom. xj. pag. 685. ſub hoc titulo : *Execrationes apponi ſolitæ ab unoquoque.*

Hûc accedunt relatæ paſſim à Marculpho Formulæ (*q*) in donationibus laïcorum : *Si quis huic voluntati meæ obvius, vel repetitor, convulſor etiam, aut tergiverſator extiterit, anathema ſit : & tam qui fecerit, quàm qui conſentiendo fecerit, anathema ſit* ; & aliâ formulâ : *A conventu omnium Chriſtianorum, vel, limitibus Eccleſiarum, extraneus habeatur, à Communione extraneus efficiatur.*

Marculp. Form. lib. ij. cap. j. iv. &c. tom. xij. Bibl. Pat. p. 778. & ſeq.

Sexcenta ejuſmodi commemorare poſſumus ; quibus profectò formulis, haud magis Pontifex Reges deponere, quàm excommunicare privatus aut laicus valeat ; ut profectò pudeat à viris etiam doctis, tam vana, tam abſona pro argumentis adduci.

Et tamen certum eſt eam formulam quam nos in duobus tantùm Gregorii Magni privilegiis (*r*) invenimus, quòd certo quodam ſenſu videretur arrogantior & iniquior, à ſecutis Pontificibus fuiſſe prætermiſſam. Privilegium datum Fulrado Abbati ſancti Dionyſii ejuſque ſucceſſoribus à Stephano II. Papâ ſic habet : *Interdicentes omnibus cujuſlibet Eccleſiæ Præſulibus, vel cujuſcumque dignitatis præditis poteſtate, ſub anathematis interpoſitione* ; nec aliud quidquam. Item in privilegiis ſancti Dionyſii ab Adriano I. Floriacenſis Monaſterii à Joanne VIII. Solemniacenſis à Marino datis,

Privileg. Fulr. tom. vj. Conc. p. 1646. An. 786. Tom. vj. Conc. pag. 1776. ann. 878. tom. ix. p. 318. an. 883. ib. pag. 357.

epiſtolam Gregorii eſſe, P. Bened. firmis rationibus probaverint, reſtat ut aſſentiamur D. BOSSUET, qui nodum difficultatis, ut ſenſit optimè, ſic eum accuratâ, quâ ſolet, brevitate, extricavit.

(*q*) *Formulæ*] quas Marculphus è Galliâ Monachus duobus libris digeſſit, penè neceſſariæ ſunt ; certè perutiles iis, qui Regum Francorum primæ ſtirpis hiſtoriam diligenter legere volunt, & horum temporum ſcribendi guſtum odorari.

(*r*) *duobus privilegiis.*] Duo dicit D. BOSSUET. Nam pro uno habentur tria illa lib. xiij. ep. viij. ix. x. quippe ſimul, Brunichildâ Reginâ rogante, conceſſa.

nihil aliud legimus, quàm ut contemptores ſint *autoritate Apoſtoli Petri anathematis vinculo innodati, a Regno Dei alieni, ab Apoſtolicâ communione anathematis animadverſione ſeparati, alieni à Sacratiſſimo corpore Domini* Jesu-Christi, aliaque ejuſmodi nota, & Eccleſiaſtica.

At in Tricaſſino Concilio II. anno 878. Joannes VIII. diſtinctiùs: *Si quis hujus Apoſtolicæ cenſuræ violator extiterit, ſi Sacerdos fuerit, proprio honore privetur, & Chriſtianâ communione caſſus, anathematis vinculo innodetur: ſi laïcus ſimiliter perpetuâ damnatione cum Judâ traditore torqueatur.* De laïco non addit *ut honore privetur*, ſicut de Eccleſiaſticis ſanxerat. Eccleſiaſticos honores ſecernit à laïcalibus; communem utrique ordini excommucationem intentat. Epiſt. ad Adal. Tur. Tom. ix. Conc. pag. 317.

Verbo dicam: nullum contigit videre privilegium, præter illa duo Gregorii, in quibus dignitatis Regiæ privatio legatur. Nam quòd interdum, ut in privilegio ſancti Carileſi, à Nicolao I. conſtituitur: *Ut quiſquis hoc molitus fuerit, ſui honoris dignitate privetur, ſive ſit ſecularis, ſive Eccleſiaſticæ perſona*, de his dignitatibus & honoribus, qui ad Eccleſiam pertineant intelligitur. Satis enim conſtat cœpiſſe tum patronatus laïcales: habuiſſe Eccleſias Vicedominos Ductoreſque militum, quos ad exercitus Regios ſummittere tenebantur, alioſque ſeculares ſuæ poteſtati obnoxios; ut omittam, in iis privilegiis ſanciendis ſæpe concurrère utramque poteſtatem, quemadmodùm eſt hîc adſcriptum, *ut & Pontificale decretum, Regumque immunitates, Romanique Pontificis conſtitutum, inviolabilem perpetuis temporibus obtineant firmitatem.* Decretis enim communi conſenſione munitis aliquid reverentiæ & autoritatis accedit. Tom. viij. Conc. pag. 459. Ibid.

Addo ejuſmodi formulas ad terrorem & majeſtatem quandam plerumque compoſitas, non tanti eſſe roboris, ut jus novum condere & antiquam Eccleſiæ Patrumque traditionem à Scripturâ manantem convellere, aut utriuſque poteſtatis, tantâ ab antiquis ſubtilitate diſtincta jura & officia confundere valeant: cùm potiùs ex Eccleſiaſticâ traditione ac Patrum doctrinâ explicari & ad rectum ſenſum redigi revocarique debeant.

CAPUT X.

Sancti Maximi Monachi & Confeſſoris locus de Monothelitis Imperatoribus.

Septimo ſeculo ſanctus Abbas Maximus, (ſ) cùm tanta pateretur ab Imperatoribus, Monothelitarum hæreſim profeſſis, atque Eccleſias perſequentibus, hæc ſuo nomine ad Imperatorem perferenda edixit: *Ecce dico, audiente Deo, ac ſanctis Angelis & omnibus vobis, quoniam quidquid juſſerit mihi, ſupra quâcumque re cum hoc ſeculo deſtruendâ & corrumpendâ*, Coll. ſancti Maxim. cum Theod. Cæſ. tom. vj. Conc. p. 483.

(ſ) *S. Abbas Maximus*] poſt longum & durum exilium & exciſam linguam pro defenſione fidei, in caſtello demùm concluſus, obiit. Ejus opera collegit & digeſſit P. Combeſis Ordinis Prædicatorum, quorum nonnulla etiam reperies in Bibliothecâ Patrum.

Promptè faciam. Quo ſpiritu ſancti Pontifices, ac Martyres, Martinus Papa (*t*) & alii, Heraclii & Conſtantis decreta, *Ecthesès* nimirum ac *Typos* hæretica declarârunt; pro fide exilia & mortes tolerârunt; erga Imperatores in fide & obſequio perſtiterunt.

CAPUT XI.

Octavi ſæculi exempla: Iconoclaſtæ Imperatores: ac primùm Leo Iſaurus: de eo Bellarmini argumentum ex Baronio ſolvitur: quæ hic ſint demonſtranda proponuntur.

OCTAVO ſæculo, Leo Iſaurus Imperator ſanctas Imagines confringebat, atque omni crudelitate depopulabatur Eccleſiam: Pontifici quoque Gregorio I I. dira minabatur: poſtremò ſicarios ſummittebat. Ipſe Gregorius in Concilio Romano inſanæ hæreſi anathema dixit. Quo tempore inclaruiſſe maximè indirectam poteſtatem volunt. Sic enim objicit Bellarminus: *Gregorius I I. Leoni Imperatori Iconomacho à ſe excommunicato prohibuit vectigalia ſolvi ab Italis, ac proinde mulctavit eum parte Imperii.* Cedrenum & Zonaram, Hiſtoricos Græcos refert, qui hoc narrant, neque reprehendunt.

Bar. tom. ix. an. 726. pag. 61. & ſeq.

Bell. lib. v. de R. P. cap. viij. p. 894.

Sic quidem, ſi adverſariis credimus, Imperatores vel toto Imperio, vel *parte Imperii mulctantur*, utcumque Pontifici collibitum eſt: neque cogitant quàm mutila Reſpublica futura ſit, ſi regnantibus ac bella geſturis tributa tollantur. Quod quidem nihil eſt aliud quàm Imperii poteſtatem velle illis relinquere, ſuccidere interim nervos, & mancum Imperium hoſtibus objicere. Cur autem non ut tributa, ita vel arma, vel judicia detrahant, atque ad ſua arbitria de Imperiis ludant? Sed hæc alii amplificent: mihi ſignificâſſe ſufficiat, quantâ ignorantiâ ſive deſpicientiâ publicæ poteſtatis hæc tractent.

Jam Bellarmini argumentum, ex Græcorum hiſtoricorum autoritate repetitum, ſolvet Baronius. Et certum quidem eſt Leonem Iſaurum depoſitis fractiſque, tanquam falſorum numinum idola eſſent, Chriſti ſalvatoris, ac ſanctorum imaginibus, totâ quidem Eccleſiâ, ſed toto maximè Occidente exoſum fuiſſe: per eam occaſionem Italos rebellâſſe, tributa negâſſe, idque & alia per ſeditiones facta, ſancto Pontifici ab Imperatore imputata fuiſſe. Quòd autem Hiſtorici Græci in eam de Gregorio II. opinionem inducti fuerint, hos Baronius falſi convincit his verbis: *Hæc Theophanes..... Zonaras...... & reliqui Græcorum Hiſtorici; ſed rerum Latinarum ignari, ut quæ ſumus dicturi manifeſtè docebunt. In odium enim atque invidiam Romanæ Eccleſiæ, jacturam factam Occidentalis Imperii in Romanum Pontificem Græci ſchiſmatici retorquere ſoliti ſunt, ad commovendos, tum Imperatorum, tum aliorum animos in Romanam Eccleſiam.*

Bar. tom. ix. pag. 63.

(*t*) *Martinus Papa*] diù variiſque modis à Conſtante vexatus, tandem Cherſonam in exilium ductus, diem obiit ſupremum.

Digitized by Google

At idem Baronius qui de Græcis Hiſtoricis ad an. 726. hæc ſcribit, idem ille ad an. 730. iis maximè autoribus probare nititur: Leonem Iſaurum à Gregorio II. Papâ non modo anathemate percuſſum, ſed etiam toto Occidentali Imperio, autoritate Apoſtolicâ fuiſſe privatum: cùm Græci Hiſtorici de Imperio nihil aliud dixerint, quàm Gregorium ab obedientiâ deſciviſſe, ab eoque, Italos & Occidentem totum ad defectionem eſſe pertractos. Ib. p. 98.

Nos autem, quod illi Gregorio II. Papæ defectionem imputant Italiæ, id vel odio confictum, vel Leoni Iſauro hæc ad Gregorium malignè referenti temerè creditum demonſtrabimus: neque modo Gregorium II. ſed ejus ſucceſſores ad extremum uſque in fide atque obedientiâ Romani Imperii permanſiſſe, certis monumentis, ipsâque rerum ſerie, ac Baronio demùm fatente firmabimus; nihil ut ſit vanius, quàm illud de Gregorii defectione, vel ut Baronius interpretatur, de Leonis Iſauri depoſitione figmentum. Sed quò res clariùs eluceſcat, ante omnia Græcorum Hiſtoricorum verba referamus.

CAPUT XII.

An Græci Hiſtorici à Baronio & Bellarmino in Gregorii II. ac Leonis Iſauri rebus adducti, atque ab eis relata geſta indirectæ poteſtati faveant.

HOc in negotio tres omnino Hiſtorici Græci memorantur: Theophanes, Georgius Cedrenus (u) & Joannes Zonaras. Et Theophanes quidem, in Chronographiâ ſuâ hæc ſcripſit ad annum Leonis IX. qui Chriſti 724. à Baronio numeratur: *Hoc anno impius Imperator Leo de proſcribendis, & deponendis ſanctis imaginibus primùm tractare cœpit: quæ cùm accepiſſet Gregorius Papa Romanus, Italiæ ac Romæ tributa ad ipſum deferenda prohibuit, ſcriptâ priùs ad ipſum Leonem dogmaticâ ſivè decretali epiſtolâ, quâ monet: non oportere Imperatorem de fide quidquam ſtatuere, & antiqua Eccleſiæ dogmata, à ſanctis Patribus firmata innovare aut convellere.* Theoph. pag. 338.

Ad annum verò Leonis XIII. ſive, ut Baronius computat, XIV. qui Chriſti eſt 730. idem Theophanes hæc narrat: *In veteri Româ, Gregorius ſacratiſſimus, vir Apoſtolicus, Petrique Apoſtolorum Coryphæi conſeſſor, verbo & opere prælucebat: qui Romam atque Italiam, totumque Occidentem, à Leonis obedientiâ tam civili quàm Eccleſiaſticâ, & ab ejus Imperio ſubtraxit:* Græcè *ἀπέστησε, ad defectionem perpulit, deficere fecit;* quæ vox manifeſtam perduellionem ſonat. Ib. p. 342.

Narrat deindè ſanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſacrarum imaginum defenſorem, à Leone dejectum, Leonis impietati fa-

(u) *Theophanes, Georgius Cedrenus &c.*] Theophanes Monachus & Confeſſor, pietate clarus fuit & doctrinâ, atque eâ fortitudine, quâ cultum ſanctarum imaginum defendit. Cedrenus non tam Hiſtoricus eſt quàm Hiſtoricorum conſarcinator. Zonaras multa ſcripſit probata à doctis. Ejus annales vide in corp. Hiſt. Byſant.

Digitized by Google

ventem Anaſtaſium, ejus loco ſubſtitutum. Tum addit: *Ceterùm Gregorius ſacer Romæ Præſul, quemadmodùm jam premiſi, hunc unà cum libellis* (fidei ſuæ, quos ad Sedem Apoſtolicam pro more miſerat) *abdicavit, Leonemque ipſum tanquàm impium per epiſtolas redarguit, ac Romam cum univerſâ Italiâ ad defectionem ab ejus Imperio perpulit.*

Idem tamen Hiſtoricus id poſteà Conſtantino Copronymo, Leonis Iſauri Ib. p. 346. filio & ſucceſſori tribuit, ut *ex pravâ ejus ſententiâ orta ſit Italiæ defectio*: ut nec ſibi ſatis conſtitiſſe videatur.

Hæc Theophanes, haud procul ab iis temporibus; quippe qui ſub Leone Copronimo, Leonis Iſauri nepote, clareſcere cœperit, atque ad longiſſimam ætatem provectus, ſub Michaële Balbo, Ludovici Pii, Franci Imperatoris, temporibus, nono ſæculo ſcripſerit. Georgius verò Cedrenus & Joannes Zonaras, duodecimo demum ſæculo, hoc eſt, 400. poſt res geſtas annis, ſuas hiſtorias ediderunt; quos tamen, quia Cardinales Bellarminus & Baronius his utuntur, audire nos oportet.

Georg. Cedren. tom. ij. Hiſtor. Comp. pag. 453. 456. Zonar. in Leon. Iſaur. tom. iij. Hiſtor. Comp. Et Georgius quidem Cedrenus utrumque Theophanis de Leonis Iſauri temporibus locum exſcripſit, ut eum referre ſit ſupervacaneum: cujus tamen hæc verba Theophani addita, obſervare placet: *Gregorius à Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto, tributa Leoni denegavit; Anaſtaſium ac ſocios anathemate percuſſit, atque Imperatorem multis epiſtolis notiſſimis palàm redarguit.* Zonaras verò ſic ſcripſit: *Quâ de causâ Gregorius, qui repudiatâ ſocietate Præſulis novæ Romæ, necnon illorum, qui eum ſequerentur, illos unà cum Imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia quæ ad id uſque tempus Imperio indè pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere, undè illi occupandæ Romæ occaſionem habuerunt: neque enim Romani generis ſunt Franci.* Hæc Zonaras. Cùmque narrâſſet Francorum in Romanos odia & bella, addit: *Igitur Papa Gregorius deficiens ab Imperatoris obedientiâ, ut dictum eſt, cùm Francis pepigit*; quod quidem alibi repetit iiſdem ferè verbis. Hæc Cedrenus & Zonaras ſcribunt, haud ſatis ſuis diſtincta temporibus, & confuſo rerum ordine, ut infrà videbimus. Scribunt autem, præſertim Zonaras, manifeſtè eo animo, ut amiſſi Occidentalis Imperii odium in Romanam Eccleſiam detorquerent. Quare hos nihil moramur, tot ſæculis à rerum fonte diſſitos, meritòque ſuſpectos; conflato jam ſchiſmate, apertiſque Græcorum in Eccleſiam Romanam odiis.

Theophani verò Græco, quemadmodùm de Græcorum rebus recenti memoriâ ſcribenti fidem non detrahimus; ita, cùm de Occidentis rebus ſcriberet, more Græcorum, nihil niſi rumuſculos collegiſſe credimus. Id rerum Francicarum periti nôrunt, fœdique anachroniſmi, ac de Merovingianis poſtremis Regibus, quos *inertes* vocamus, portenta fabularum abundè demonſtrant.

Neque hic expers fuerit illius odii ac livoris, quo Græci amiſſæ Romæ memores, in Eccleſiam Romanam exardeſcere tum cœperant, ut ſcriptæ ad Tom. viij. Conc. pag. 468. Gallos Nicolai I. de Græcorum objectionibus repellendis, teſtantur Literæ, ſub Imperatore Michaële Balbo, quo in Græciâ imperante, Theophanem ſcripſiſſe vidimus.

His ergò expoſitis, multa jam intelligimus: primùm, haud ſatis ex vero

dixiſſe Bellarminum, quæ Græci ac Zonaras ipſe de negatis tributis retulerint, nullâ Pontificum Romanorum reprehenſione ab illis dictum; cùm defectionem, atque inobedientiam, pactaque fœdera cum Francis Romani Imperii hoſtibus, ac Romam ipſam proditam exprobrent.

2°. Apparet à Græcis nullum eſſe memoratum decretum, quo mulctatus Imperator fuerit Occidentis Imperio. Atque illi anathematis quidem decretum memorant: quòd autem ad Imperium attinet, defectionem ſolam atque inobedientiam, quæ, ſi decreto disertè ea de re edito facta eſſet, eò magis vel ipsâ rei novitate memoranda videretur.

Quòd ergò Baronius indè colligit, Leonem Occidentis Imperio autoritate Apoſtolicâ mulctatum fuiſſe, duo peccat hìc, doctiſſimus alioquin, Annalium ſcriptor; & quòd defectionem à Græcis Hiſtoricis exprobratam, in titulum Apoſtolicæ autoritatis verterit; & quòd tantùm detulit Græcis Hiſtoricis, quorum anteà tam dignâ cenſurâ tamque invictis argumentis fidem elevavit.

3°. Neque eò ſe tueri poteſt, quòd Theophanes quidem ex odio Romanæ Eccleſiæ ſcripſerit, anno Leonis IX. ſtatim atque ille in impietatem proruit, ei, autore Papâ, negata eſſe tributa, quod præcipitantiæ fuerit: cæterùm, id verum, quòd, creſcente Leonis contumaciâ, anno ejus XIV. depoſitionis tulerit ſententiam, quam Græci item ex odio defectionem appellent. Hoc enim eſt hiſtoriam fingere, non ſcribere, ac teſtes quidem allegare, quos meritò infamaveris, ſibique interim uni, non illis credi velle.

4°. Jam illud, quod Baronius urget, Leonem Italiâ ac toto Occidente à Gregorio II. fuiſſe mulctatum, multiplici laborat incommodo. Nam ſtatim quærimus, cur depoſitionis decretum in Oriente non valuerit, cùm Sedis Apoſtolicæ autoritas, cui annexam eſſe volunt hanc in Reges poteſtatem, totam Eccleſiam complectatur.

At enim Gregorius II. de ſolo Occidente decrevit. Cur? An nihil ad ejus curam reliqua Eccleſia pertinebat? Aut Græci, Orthodoxi licèt tum, Sedique Apoſtolicæ adhærentes, his depoſitionibus credituri non erant? Quis autem non videat, quàm fluxum vanumque ſit dogma, quod tanta pars Eccleſiæ ignoraret, contempturaque eſſet?

Quid quòd Sicilia Italiæ vicina, conſenſu omnium, nihilque repugnantibus Romanis Pontificibus, in Imperatoris fide manſit, ut depoſitionis ſententia ne Siculum quidem fretum trajecerit? Quid quòd in ipsâ Italiâ Apuli, Calabri, ac vicinæ Regiones in Imperatoris obedientiâ perſtiterunt, reclamante item nemine? An igitur ne Italia quidem tota Romano Pontifici Imperatores deponenti creditura erat? Nam quod ad reliquum Occidentem attinet, quis neſciat ante Leonis tempora, Gallias, Germaniam, Hiſpanias, aliaſque Provincias, quin etiam maximam Italiæ partem, quæ Longobardis parebat, ab Imperio Romano pridèm fuiſſe avulſas; ut ſe illa poteſtas deponendi Reges, quam totâ Eccleſiâ valere volunt, Româ quidem, ac fortè Exarchatu Ravennate, viciniſque aliquot Regionibus contineret? Quod cùm abſurdum ſit, tùm illud facilè demonſtramus, ne in Exarchatu quidem, imò ne Romæ quidem, ac nequidem à Papâ, aut ab ullo mortalium fuiſſe cognitam.

CAPUT XIII.

GREGORIUM II. *nihil in Imperatorem hæreticum moviſſe, imò eâ occaſione aliquid molientibus obſtitiſſe, ex ejus geſtis, epiſtolis, doctrinâ demonſtratur.*

ID primùm ex ipſo Gregorio II. comprobamus. Cùm enim Imperator, IX. ſeu X. Imperii anno Conſtantinopoli Salvatoris imaginem dejeciſſet, edicto imagines proſcripſiſſet, multos impiis conatibus obſiſtentes omni crudelitate necâſſet; Luitprandus Longobardorum Rex Ravennam, viBar. tom. ix. an. 726. pag. 63. cinaſque Regiones per eam occaſionem invaſit: *Imperatorem* ſcilicèt *deteſtatus, & indignum ratus, ut Catholicis imperaret, qui bellum eo modo in Chriſtum indixiſſet.* Hæc quidem Luitprandus, teſte Baronio. At Gregorius II. falſæ pietati obſtitit, deditque ad Urſum Ducem Venetiarum literas, in Ibid. p. 64. quibus eum ad Imperii defenſionem adhortatur his verbis: *Ut ad priſtinum ſtatum ſancta Reipublica, in Imperiali ſervitio dominorum noſtrorum Leonis & Conſtantini, magnorum Imperatorum, ipſa revocetur Ravennatum civitas, ut zelo ſanctaque fidei amore in ſtatu Reipublica & imperiali ſervitio, firmi perſiſtere, Domino cooperante, valeamus.* Sic Apoſtolicæ doctrinæ, priſcæque traditionis memor, *zelo & amore ſancta fidei*, non ullâ aliâ neceſſitate ſanctus Pontifex in Imperatoris etiam hæretici ac perſecutoris obedientiâ permanebat ac Luitprandi zelum præpoſterum cohibebat, veramque pietatem ac mores antiquos, fideli in talem Principem obſequio tuebatur.

Quàm autem id certâ firmâque ratione faceret, docent epiſtolæ duæ, quas ad Leonem à ſancto Pontifice ſcriptas, idem Baronius Græcè & Latinè primus edidit, memoratque datas ad annum 726. *cùm ad eum Leo ſpirans minarum & cadis ſcripſiſſet.*

Ib. p. 65. In iis autem epiſtolis, id primùm occurrit, quòd tantæ impietatis atque hæreſis anathemate damnatæ autorem, ipſique Pontifici diras ac ſacrilegas intentantem minas, nihilo ſecius *Imperatorem* appellat, & *Caput Chriſtianorum.* Neque Apoſtolicæ poteſtatis oblitus hæc loquitur; nam pœnam Ibid. p. 68. commemorat, quam *irrogare* poſſit; *ut qui*, inquit, *facultatem & poteſtatem atque autoritatem à ſancto Petro Principe Apoſtolorum habeamus.* Interim quantùm abeſſet ab eo ut crederet pœnâ à ſe irrogandâ poſſe im- Ibid. p. 69. minui Imperatoriam poteſtatem, hæc epiſtolæ verba demonſtrant: *Scis, Imperator, ſancta Eccleſia dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, qui tutò aſſolent dogmata tradere. Idcircò Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices à Reipublica negotiis abſtinentes: & Imperatores ergò ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & qua ſibi commiſſa ſunt capeſſant.* Nihil ergò erat Imperatorium impediturus officium. Quin potiùs Sanctorum Anteceſſorum more, ſibi eamdem quàm Imperatori legem dicit; ut nec ille de rebus Eccleſiaſticis, uti fecerat, nec de temporalibus Pontifex ipſe decernat. At quomodò id diceret, cui id incumberet officii, ut cùm res Eccleſiæ poſtularent transferret Imperia, ſummamque Rempublicam capeſſeret?

Dices:

Dices : nondum advenerat tempus, quo eam poteſtatem exereret, priùſque tentanda erant remedia lenia, quàm ad extrema decurreret. At ſi charitas, ac prudentia Chriſtiana prohibebant, ne totam poteſtatem exereret; non illæ prohibebant quominus oſtenſa ea ſaltem, ſuperbum Principem à nefariis conſiliis deterreret. Nam Imperator hæc erat comminatus, ipſo Papâ referente : *Romam mittam & imaginem Sancti Petri confringam, ſed & Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, ſicut Martinum adduci Conſtantius juſſit.* Impius Imperator hæreticorum etiam Principum, qui ſanctos Pontifices perſecuti erant, ſequenda ſibi exempla proponit. Videamus quid Gregorius talia meditanti, atque Imperatoriam jactanti potentiam reponendum putet. An eam in ſuâ poteſtate eſſe, Pontificio ſcilicèt arbitrio, detrahendam? Ne id quidem cogitat. Sed hac unâ defenſione utitur : optare ſe Martyrio conſummari, exemplo Martini, quem omnes colunt. Adeò aberat ab eo, ut defectiones, arma, vireſque viribus oppoſitas, aut depoſitiones animo agitaret. Ibid. p. 7

CAPUT XIV.

An GREGORIUS II. *imbecillitate virium, ab indirectâ poteſtate exercendâ, vel ſaltem oſtendendâ temperârit.*

AT fortè ſuum illud objicient, infirmam tum fuiſſe Eccleſiam, necdum ſatis viribus confirmatam. Imò infirmiſſimum in Italiâ Imperium fuiſſe, hæc Gregorii II. ad minacem Imperatorem verba teſtantur : *Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet Romanus Pontifex* (quo ſcilicèt Imperium non pertingat) *tum tu*, inquit, *vade, ventos perſequere.* Addit prohibituros Reges Occidentis eas injurias, quas beato Petro Imperator inferre cogitaret. *Quòd ſi*, inquit, *velis experiri, planè parati ſunt Occidentales ulciſci etiam Orientales, quos injuriis affeciſti. Etiam*, inquit, *Orientales;* non nos tantùm, & beatum Petrum : tum : *Totus Occidens, Sancto Petro Apoſtolorum Principi, fidei fructus offert. Quòd ſi quoſpiam ad evertendam imaginem miſeris ſancti Petri, vide, proteſtamur tibi, innocentes ſumus à ſanguine quem fuſuri ſunt; verùm in cervices tuas & in caput tuum iſta recident.* Neque hæc immeritò ille jactabat. Omninò enim putamus Reges Occidentales, imprimis verò, pietate florentes ſedique Apoſtolicæ deditiſſimos Francos non fuiſſe laturos, ut impius Imperator ſancti Petri templum, & commune Orbis Chriſtiani Sacrarium violaret. Videmus igitur non defuiſſe Sancto Pontifici opportunitatem temporum. Quas verò tum depoſitiones Gregorius VII. non eſſet comminatus? Quantâ voce intonâſſet, à ſe poſſe non modò adimi Imperium, ſed etiam tradi alicui Occidentalium Regum, qui ad bella inferenda ultrò parati ſint, ſolâ contumeliâ fidei permoti? At Gregorio II. non is erat animus; necdum enim talia cogitabant. Bar. ibid. Ibid. p. 71.

Et quidem Pontificia charitas id effecit ut Gregorius oſtentaret imminentem Imperatori à tot Regibus metum; cæterùm Gregorius non erat con-

Digitized by Google

citaturus eos. *Parati*, inquit, *ſunt*; & ſponte ipſi accurrent. Hoc tantùm oſtentat, Regna prædæ expoſita, & ultrò accenſos ad bella Principes, titulumque graſſanti cupiditati datum, nec tamen id intentat tanto præſidio fretus, & Chriſti ſediſque Apoſtolicæ contumeliis incitatus: imò verò diſtinctis utriuſque poteſtatis officiis, profitetur, Pontificiæ poteſtati in Republicâ quidem nihil licere.

CAPUT XV.

GREGORIUS II. *confiteri pergit nullam eſſe ſuam in rebus civilibus poteſtatem.*

Bar. ibid. p. 73. vid. Tom. vij. Conc. p. 23. NEQUE id ſemel inculcat: ſed cùm Imperator atrociùs reſcripſiſſet, ipſe ſecundâ epiſtolâ datâ ſic incipit: *Accepimus veſtri à Deo conſervati Imperii atque in Chriſto fraternitatis literas, neque prorsùs vita mea taduit, quòd ſententiam non mutàris, ſed in eiſdem malis perſeveres.* At in hisobſtinatiſſimè perſeverantem ut Imperatorem ſalutat, ejuſque *à Deo Imperium conſervatum* colit: tum iterùm inculcat illud: *Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum: militarem & ineptum quem habes ſenſum & craſſum, in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Ecce tibi Palatii & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen, Imperatorum & Pontificum: agnoſce illud, & ſalvare; nec contentioſus eſto.... Quemadmodùm Pontifex introſpiciendi in Palatia poteſtatem non habet, ac dignitates Regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque conſecrandi, vel Symbola Sacramentorum adminiſtrandi; ſed neque participandi abſque operâ Sacerdotis; ſed unuſquiſque noſtrûm*, IN QUA VOCATIONE VOCATUS EST A DEO, IN EA MANEAT. Videmus in quo reponat Pontificum munus: *Non habet*, inquit, *Pontifex poteſtatem deferendi Regias dignitates.* At ſi tales, quales nunc Romanos Pontifices circumſiſtunt, Conſiliarios habuiſſet, nequaquam dixiſſet id: *Non* hanc *habet Pontifex poteſtatem*; ſed non hanc habet *voluntatem.* Non ita Gregorius II. ſed planè: *Non habet poteſtatem Pontifex deferendi Regias dignitates*; haud magis quàm Imperator Eccleſiaſticas; quo nihil dici poteſt apertiùs. At nunc Ducatus, Marchionatus, Regna etiam ipſa atque Imperia deferunt; adeò à primâ illâ gravitate ac ſimplicitate defecimus.

(Bar. ibid. p. 74.)

Ibid. Gregorius II. qui tanto à ſe ſtudio temporalium poteſtatem amolitur, quid in ſpiritualibus poſſit non tacet: imò, *perſequeris me*, inquit, *ac tyrannicè vexas militari ac carnali manu: nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitûs omnis creaturæ ſedentem in cælis Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum, ut immittat tibi Dæmonem, ſicut ait Apoſtolus*, TRADERE HUJUSMODI SATANÆ IN INTERITUM CARNIS UT SPIRITUS SALVUS SIT. Summum ergò illud eſt, quo poteſtas Pontificia ſe extendat; excommunicare nempè, quod eſt Satanæ tradere; revera malorum omnium in hac vitâ extremum, & æternæ

1. Cor. v. 5.

damnationis præjudicium; ſed nimis ludibrio habitum, ex quo Pontifices non contenti ſuâ ſorte, tantâque Divinitùs traditâ poteſtate, aliena & inferiora occupârunt.

Hæc Gregorius II. fortiſſimus juxtà ac modeſtiſſimus Pontifex, reſcribit ad minaces, cædemque ſpirantes impii Imperatoris literas. Hanc doctrinam Sanctos anteceſſores ſuos Gelaſium & Symmachum ſecutus, Chriſti tradebat Eccleſiis. Jam verò quid egerit, utque ſe geſſerit, cùm ei Imperator toties intentaret necem, Latinos Scriptores narrantes audiamus.

CAPUT XVI.

De* Gregorii II. *geſtis Latini Hiſtorici proferuntur, Paulus Diaconus & Anaſtaſius Bibliothecarius : Ex his demonſtratur, nihil ab eo, niſi pro tuendo Imperio geſtum, etiam poſt anathema Imperatori dictum.

GRÆCOS Scriptores produximus : Gregorium ipſum animi ſui ſenſa promentem legimus. Jam ad certam geſtorum fidem, Latinos Hiſtoricos, his proximos temporibus, Paulum Diaconum, Caroli Magni æqualem, & Anaſtaſium Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarium, noni ſæculi Hiſtoricum audiamus.

Et Paulus quidèm Diaconus libro VI. de geſtis Longobardorum, de hoc negotio ſic ſcribit : *Eo tempore Rex Luitprandus Ravennam obſedit, claſſem invaſit, atque deſtruxit. Tunc Patricius Paulus ex Ravennâ miſit, qui Pontificem interimerent. Sed Longobardis pro defenſione Pontificis repugnantibus, Spoletanis in Salario ponte, & ex aliis partibus Longobardis Tuſcis reſiſtentibus, conſilium Ravennatium diſſipatum eſt. Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim Sanctorum imagines depoſitas incendit. Romano quoque Pontifici ſimilia facere, ſi Imperialem gratiam habere vellet, mandavit. Sed Pontifex hoc facere contempſit. Omnis quoque Ravennæ exercitus vel Venetiarum, talibus juſſis unanimiter reſtiterunt; & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.* Hæc quidem ſunt quæ de Gregorio II. ſcripſit. Quo loco eum pro Imperio Romano ſollicitum, atque alios à defectione prohibentem, non defectionis autorem, aut tributa prohibentem legimus.

Paul.Diac. lib. vj. de geſt. Longob. c. lix. Tom. xiij. Bibl. Pat. p. 198.

Jam verò Anaſtaſium Bibliothecarium audiamus, Pontificum Romanorum vitas ex Eccleſiæ Romanæ ſcriniis deſcribentem. Sic autem Baronius diviſit temporibus ea, quæ Anaſtaſius in vitis, ordine quidèm, ſed nullâ temporum notâ, expoſuit.

Ad annum Chriſti 726. Leonis XI. refert edictum hoc ab Imperatore miſſum, ut in nullâ Eccleſiâ imago haberetur; id ſi Gregorius fieri prohiberet, à ſuo gradu decideret. Quâ de re Anaſtaſius : *Reſpiciens pius vir profanam Principis juſſionem, jam contra Imperatorem, quaſi contra hoſtem ſe armavit, renuens hæreſim ejus, ſcribens ubique cavere ſe Chriſtianos, eò quòd orta eſſet impietas talis.*

Bar. tom. ix. an. 726. p. 77.78. ex Anaſtaſ. in vit. Greg. ij. quam vid. Tom. vj. Conc. pag. 1430.

Digitized by Google

Ne verò hîc mihi tu bella in Imperatorem tanquam depoſitum autore Pontifice geſta, aut arma carnalia ſuſpicere, cùm depoſitionem, nec ipſe Baronius ad hæc tempora, & ad XI. Leonis annum referri poſſe putet. Anathema ergò audis, & Imperatorem *hoſtem* Eccleſiæ judicatum, & *arma* expedita, ſed ſpiritualia, atque Apoſtolica, quæ ſcilicèt *renuant hæreſim*; neque concitatos ad defectionem Italos, ſed admonitos *ubique Chriſtianos cavere ſe*; eò quod tantâ autoritate, tantæque Majeſtatis nomine, *orta eſſet talis impietas.* His anathema clarè expreſſum eſt, quod poſt eas quas legimus admonitiones, meritò ſequebatur.

Et Itali quidèm per eam occaſionem bella moverunt; ſed quàm invito Pontifice, docent ſequentia: *Cognitâ Imperatoris nequitiâ, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & ducerent Conſtantinopolim. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis:* non quaſi deſperatâ eâ, ipſe ultrò cum aliis in Principem inſurrecturus eſſet; ſed exponit Anaſtaſius quid eum incitaret vel maximè ad rebelles compeſcendos; nempè quòd ſperaret Principem ſuis obſequiis delinitum, ad meliorem mentem reverſurum; quâ ſpe & ſeipſum ſuſtentabat, & Italorum mitigabat iras.

Bar. ibid. p. 78.

Hoc animo eum fuiſſe res poſteà geſtæ declarant. Nam cùm populus Imperatoris Duces, qui Pontifici necem intentabant, per tumultum ac ſeditionem cæderet, *miſſum Patricium occidere voluerunt, niſi defenſio Pontificis nimia præpediſſet.*

Bar. ibid.

Neque tantùm populum à cædibus prohibebat, verùm etiam *ne deſiſterent ab amore & fide Romani Imperii admonebat:* adeò non ejus conſultu aut inſtinctu bella civilia movebantur. Sic etiam poſt dictum anathema, in impii ac ſævientis Imperatoris obſequio, & ipſe manſit, & manere porrò omnes voluit. Quin etiam *cùm Tiberius Petaſius Regnum Romani Imperii uſurpare conaretur.... Exarchus hæc audiens turbatus eſt; quem ſanctiſſimus Papa confortans, & cum eo Proceres Eccleſiæ mittens, atque exercitum, profectus eſt.* En quo ſtudio Exarchum tuebatur eum, qui in ipſius vitam totiès conjuraverat: quæ Baronius ad annum refert 729. Leonis XIV.

Id. ibid. an. 729. p. 94.

Satis, opinor, Gregorius his omnibus demonſtrabat ſe extrema quæque paſſurum, potiùs quàm ab obedientiâ diſcederet. At eum pro tuendo etiam Imperio tanta perpeſſum, tandèm ultimo vitæ anno Chriſti 731. Leonis XVI. inducit Baronius *Apoſtolica autoritate clamantem: ſecuri ad radicem admotâ, ſuccidite arborem. Quo tonitru*, inquit, *excitati fideles Occidentales mox deſciſcunt à Leonis Imperio.* Quò pertinebat magnifico vocabulo Occidentales dicere; cùm pridem Gallia, Hiſpania, Germania, ipſa etiam Italia magnam partem à Romano Imperio avulſæ eſſent? Ubi verò decretum illud Gregorii, aut à quo eſt Hiſtorico memoratum? Quid autem fuit novæ cauſæ cur ſic repentè de Imperio decerneret, nihil unquam tale comminatus: imò hæretico diris condemnato atque Eccleſiam perſequenti, huc uſque obſequendum ratus? Sanè, ut Imperator de dicendo anathemate ſæpè eſt à Papâ commonitus; ita, de dicendâ depoſitionis ſententiâ commoneri oportuiſſet, neque defuiſſent, qui novum atque inauditum hactenus de Imperatoris depoſitione decretum memorandum putarent.

Ibid. an. 730. p. 98.

Anaſtaſius quidèm Bibliothecarius nihil prætermiſit, quo Gregorius II. erga Impetatorem impium ejuſque aſſeclas præclarè officio eſſe functus videretur; neque conticuit quid de Anaſtaſio Conſtantinopolitano Patriarchâ decreverit: quem Imperatori aſſentientem Gregorius II. *extorrem à Sacerdotali officio eſſe mandavit.* Atque id Baronius factum eſſe vult eodem ferè tempore, quo Imperator ab Occidentali dejectus Imperio eſt. Ibid. Sed cùm Anaſtaſius Bibliothecarius Patriarcham depoſitum memorârit, de Imperatore depoſito minimè tacuiſſet, Pontificiæ poteſtatis ſtudioſiſſimus, ſediſque Apoſtolicæ privilegia amplificare potiùs, quàm imminuere ſolitus. Vide autem quid de utroque, de Patriarchâ nempè, & de Imperatore ſcripſerit, *Anaſtaſium Patriarcham extorrem à Sacerdotali officio eſſe mandavit: Imperatori quoque ſuadens ſalutaria, ut à tali execrabili miſeriâ declinaret commonuit.* Id enim admonendum ſupererat, poſtquam Imperator etiam anathemata contempſiſſet. En quàm disertè Anaſtaſius Bibliothecarius ſignificet Sanctum Pontificem de Patriarchatu quidèm, non autem de Imperio adimendo cogitâſſe. Cætera quæ Baronius nullo autore, nullo teſte, nullo documento memorat, ignoravit: quin etiam demonſtravit non haberi à ſe Leonem pro depoſito, quem toto opere Imperatorem appellare non ceſſat.

CAPUT XVII.

Cur Græci illud de tributis GREGORIO II. *objecerint? Id utcumque ſe habet an noſtræ ſententiæ noceat?*

HÆC lectis viſiſque Eccleſiæ Romanæ actis docet Anaſtaſius, Pontificiæ hiſtoriæ ſcriptor vernaculus, cui potiùs quàm Græcis longè poſitis, nec pari diligentiâ ac fide iſta tractantibus, credimus.

Ac profectò manifeſtæ indiligentiæ, ne dicam invidentiæ, eſt, quòd Græci Gregorii II. in Romanum Imperium merita prætermittant; defectiones autem Pontifici de Republicâ benè meritiſſimo, ac prohibita tributa & pacta cum Francis fœdera, denique ea omnia quæ in Eccleſiam Romanam apud Orientales invidioſa erant, tantùm commemorent.

At enim, inquiunt, in Anaſtaſii Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, eadem quæ apud Theophanem de Gregorii defectione prohibitiſque tributis legimus. Certè. Namque Anaſtaſii Eccleſiaſtica hiſtoria, nihil aliud eſt, quàm Theophanis de verbo ad verbum interpretatio. Quærere autem nos oportet, non quæ fidus interpres verterit, ſed quæ ex ſcriniis Eccleſiæ Romanæ, autor ipſe ſcripſerit.

Idem de Landulfo dicimus, qui in Miſcellæ hiſtoriæ centonem (x) à ſe Miſcell. Hiſtor. lib. xxj. tom. xiij. Bibl. Pat. p. 307. 308. 309.

(x) *Miſcellæ hiſtoriæ centonem,*] ex variis conſutum hiſtoriis, & ideò *Miſcellam hiſtoriam* dictum, reperies in Biblioth. Patr. ſub nomine Pauli Diaconi, quanquàm xj. primi libri ſint Eutropii, paucis exceptis, quæ Paulus addidit. Sequentes libros ab Juliano apoſtatâ ad tempora Juſtiniani, Paulus ex variis autoribus conſarcinavit: cæteram hiſtoriam Landulphus explevit. D. DUPIN Bibl. Eccleſ. ſæc. viij. exiſtimat hanc *Miſcellæ* partem, quæ vulgò Paulo tribuitur, ab Anaſtaſio fuiſſe digeſtam. Quòd ſi ita eſt, non mirandum foret hiſtoriam Theophanis, quam Anaſtaſius Latinam fecerat, in hoc centone totam referri.

continuatum, Theophanis hiſtoriam totam, ex Anaſtaſii verſione tranſtulit. Quare hæc omnia nihil aliud quàm Theophanem ſonant, quem cæteri Græci ſecuti, defectionem ac tributa prohibita exprobrârint.

Neque Theophanes hæc ipſe confinxerit. Hæc enim omnia Leo Imperator Sancto Pontifici imputabat, eodem animo, quo, teſte Theophane, ſanctum Germanum Conſtantinopolitanum *obſervans, atque ſubmittens quoſdam ſermones, ſatagebat ſicubi inveniret eum contra Imperium ſuum agentem; quatenus hunc ut conjuratorem, non ut Confeſſorem à throno deponeret.*

Chron. Theoph. p. 341. Anaſt. Hiſt. Eccl. p. 135. Hiſt. Miſcell. lib. xxj. p. 307. Tom. vj. Conc. pag. 1433.

Neque movere nos debet id quod ipſe ſcripſit Anaſtaſius in Gregorio II. *Paulus Exarchus Imperatoris juſſione, eumdem Pontificem conabatur interficere, eò quòd cenſum in Provinciâ ponere præpediebat.* Quis namque non videat ab Anaſtaſio referri, non quid egerit Gregorius, ſed quid infando ſceleri Paulus Exarchus, & ipſe etiam Imperator obtenderit: eodem planè animo, quo Judæi de Chriſto ipſo hæc jactabant: *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæſari;* ut mirum non ſit ſervum ac vicarium, eâdem quâ Dominum calumniâ fuiſſe impetitum. Neque verò Gregorii rebus geſtis, & tantæ modeſtiæ ac magnanimitati congruit, litigâſſe de vectigalibus, cùm in reliquis omnibus ad finem uſque vitæ Romano Imperio tam impensè ſtuduerit; aut eum obſecutum dicenti Apoſtolo: *Cui honorem, honorem;* oblitum verò eſſe quæ his cohærent: *Cui vectigal, vectigal.*

Luc. xxiij. 2.

Rom. xiij. 7.

Quod autem commemorant Græci, & ipſe Baronius, de fœdere cum Francis inito, id quidem ad Gregorii III. ejuſque ſucceſſoris tempora pertinere liquidò oſtendemus.

Ac ſi de tributis inſtant, quid tandem conſequentur? Aliud quippè eſt abrogare Imperium, aliud per aliquod tempus tributa denegare. Certè enim poterant tot in gravibus Italiæ, ac civitatis Romanæ incommodis, ac Longobardorum incurſibus, honeſtæ & veriſimiles oſtendi cauſæ, cur tributa interim negarentur, integrâ in reliquis Imperii majeſtate; tantoque eſſet certius Gregorium II. nihil de defectione eſſe conatum, quòd Anaſtaſius de negatis tributis loquens, de depoſitione ac defectione tacuerit. Denique ſi tanti intereſſe putant Gregorium II. aliquâ ſaltem ex parte fuiſſe perduellem, nihil aliud ab invitis extorquebunt, quàm ut reſpondeamus: nos ſcilicèt ejus doctrinâ nixos, hæc exempla improbare, & Domini juſſu ſequi quæ docuerit ac dixerit, non quæ geſſerit; atque omninò adhæreſcere dicenti, Apoſtolico ordine, nullum ſibi eſſe jus in publica munera, poteſtatem nullam. Cæterùm quantumcumque facilis ſolutio eſt, veritatis tamen amore ducti, ſancti Pontificis tuemur innocentiam, prætendimuſque eum, ſua ipſius dogmata veneratum, ab Imperio Romano nunquam receſſiſſe: quod etiam ſecutorum Pontificum obſequiis ac fide clariùs demonſtratur.

CAPUT XVIII.

De GREGORIO III. GREGORII II. *ſucceſſore, ejuſque erga Leonem Iſaurum & Conſtantinum Copronymum ejus filium, obſequio: De ejus Pontificis duplici legatione ad Carolum Martellum, quarum alteram Baronius* GREGORIO II. *aſſignavit.*

MIRA confidentiâ, pace tanti viri dixerim, ſcripſit Baronius Gregorium II. in deponendo Leone Iſauro, *dignum poſteris exemplum reliquiſſe, ne in Eccleſiâ Chriſti regnare ſinerentur hæretici Principes, ſi ſæpè moniti in errore perſiſterent.* At nunc ex ſucceſſorum geſtis apparebit, à Gregorio II. ad poſteros non deſciſcendi, ſed obſequendi exempla manâſſe.

Bar. tom. ix. an. 730. pag. 98.

Gregorius III. ei proximus ſedit. Refert autem Anaſtaſius ſtatim atque Pontificatum inüt, *perſecutione graſſante, miſiſſe commonitoria ſcripta ad Imperatores Leonem & Conſtantinum.* Vides pro Imperatoribus haberi, etiam poſt dictam à Gregorio II. (ſiquidèm Baronio credimus) depoſitionis ſententiam.

Vit. Greg. iij. tom. vj. Conc. pag. 1463.

Paulò poſt, eodem teſte Anaſtaſio, Gregorius III. habitâ Synodo XCIII. Epiſcoporum decrevit, ut qui imagines improbaret, *ſit extorris à corpore & ſanguine Domini, vel totius Eccleſiæ unitate atque compage.* Ita Synodi anathemata decernebant: depoſitiones à ſecularibus dignitatibus ne quidèm cogitabant.

Ibid.

Exindè memorat Anaſtaſius hæc: *Cuncta generalitas iſtius Provinciæ Italiæ, ſimiliter pro erigendis imaginibus ſupplicationum ſcripta unanimiter ad eoſdem Principes direxerunt.* Ita pii & Orthodoxi etiam in Italiâ Leoni ut Imperatori ſupplicabant, poſt ea quoque tempora, quibus Occidentem totum ab eo receſſiſſe Baronius memorat.

Ibid. pag. 1464.

Ubi tunc ea exempla, quæ is data eſſe vult à Gregorio II. ne obſtinati hæretici regnare ſinerentur? At eum, quo nemo fuit aut peſtilentior, aut obſtinatior, Gregorius III. non modò *regnare ſinebat*, ſed ipſe ultrò datam ad ſanctum Bonifacium Archiepiſcopum epiſtolam hâc temporis inſignivit notâ. *Data* IV. *Kal. Novembris, Imperante Domno piiſſimo Auguſto Leone, Imperii ejus anno* XXIII. *ſed & Conſtantino magno Imperatore ejus filio, anno* XX. *indict.* VIII. quod ad annum Chriſti 739. Gregorii nonum refert Baronius.

Epiſt. vij. ad Bonifac. ib. p. 1475.

Bar. tom. ix. p. 122.

Idem ad eumdem annum * refert, quod eſt ab Anaſtaſio in Zachariâ proditum, Gregorium III. ejus anteceſſorem in maximas conjectum eſſe anguſtias, cùm *magna eſſet turbatio inter Romanos & Longobardos*; ipſa Urbs gravi obſidione à Luitprando Longobardorum Rege preſſa, reſque in extremum diſcrimen adductæ eſſent, nullâ à Romanis Imperatoribus præſidii ſpe. *Pro quo*, inquit Anaſtaſius, *vir Dei, Gregorius Papa*, (y) *undique do-*

* Sive potiùs an. 740.

Bar. ib. an. 726. 740. p. 79. 111. vid. vit. Zach. Tom. vj. Conc. pag. 1486.

(y) *Gregorius Papa &c.*] Hic Anaſtaſii locus, Typographorum ſanè incuriâ, in Binianâ editione Mor[illegible]i an. 1636. & in ipſâ Labbæanâ omiſſum fuit; quamvis à Binio viſus fuerit, qu[illegible] [illegible]tiam illi loco notam addidit, quâ probare nititur, hanc Gregorii II. Legationem, ab alterâ priori eſſe *planè diverſam.* Hæc Binii nota reperitur quoque apud Labbæum tom. vj. p. 1467.

Vid. Bar. p. 131.

lore conſtrictus, ſacras claves ex Confeſſione beati Petri Apoſtoli accipiens, direxit navali itinere ad partes Franciæ, Carolo (Martello) *ſagaciſſimo viro, qui tunc Regnum regebat Francorum, per Miſſos ſuos, id eſt, Anaſtaſium ſanctiſſimum virum Epiſcopum, necnon & Sergium Preſbyterum, ad poſtulandum à præfato excellentiſſimo Carolo, ut eos à tantâ oppreſſione Longobardorum liberaret.* Confugit itaque ad Francos Gregorius III. ſed neceſſitate coactus, nec adversùs Romanum Imperatorem, ſed adversùs Longobardos, non minùs Romani Imperatoris, quàm Romanæ civitatis hoſtes.

Tom. Concil. vj. pag. 1472. Extant etiam Gregorii III. literæ ad Carolum Martellum de tuendâ ſancti Petri Eccleſiâ adversùs Longobardos, qui eam opprimerent: quibus etiam literis miſſa à ſe ſacra munera, ac Petri claves è venerando Sepulchro depromptas, ſanctus Pontifex commemorat.

Cùm autem duplex Legatio à Gregorio III. ad Carolum miſſa ſit, quid tractatum cum eo fuerit, noſtri Hiſtorici diligenter tradunt.

Duch. tom. j. & append. ſive lib. xj. Hiſt. Franc. Greg. Tur. edit. Par. an. 1610. n. 110. p. 77. Et quidèm Autor Appendicis ad Gregorium Turonenſem, ſive Fredegarius, ſive alius quilibet, hujus certè temporis ſcriptor, hæc prodit: *Eo tempore bis à Româ, Sede ſancti Petri Apoſtoli, beatus Papa Gregorius claves venerandi ſepulchri cum vinculis ſancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, Legatione, quod anteà nullis auditis, aut viſis temporibus fuit, memorato Principi deſtinavit, eo pacto patrato, ut ad partes* (hoc eſt, conſueto hujus ævi ſtylo à partibus) *Imperatoris recederet, & Romanum Conſulatum præfato Principi Carolo ſanciret.*

Ann. Met. tit. iij. pag. 271. Eaſdem Legationes copioſiùs referunt Annales Metenſes anno 741. *Carolus Princeps bis eodem anno Legationem beatiſſimi Gregorii Papæ, ab Apoſtolicâ ſede directam ſuſcepit, qui ſibi claves venerandi Sepulcri Principis Apoſtolorum Petri, ejuſdemque pretioſa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt, quod anteà nulli Francorum Principi, à quolibet Præſule Romanæ urbis directum fuit. Epiſtolam quoque decreto Romanorum Principum ſibi prædictus Præſul Gregorius miſerat, quòd ſeſe populus Romanus, relictâ Imperatoris dominatione, ad ſuam defenſionem, & invictam clementiam convertere voluiſſet.* Eodem verò anno obiiſſe Carolum refert, diviſo inter filios Francorum Regno.

Bar. tom. ix. an. 726. 740. p. 79. 131. Ex Autore Appendicis ſtatim memorato contendit Baronius à Gregorio II. miſſam Legationem (z) adversùs Imperatorem, eamque ab hâc Gregorii III. Legatione diverſam, errore manifeſto. Nullam enim legimus à Gregorio II. ad Carolum miſſam Legationem; & quam Autor Appendicis à Baronio laudatus, atque Annales Metenſes narrant, eam ad Gregorii III. tempora

(z) *A Gregorio II. miſſam Legationem.*] De eâ Legatione non parùm habet difficultatis narratio ipſius Anaſtaſii, cujus hæc verba ſunt: *Tunc, quemadmodùm prædeceſſores ejus beatæ memoriæ, Domnus Gregorius, & Gregorius alius, & Domnus Zacharias beatiſſimi Pontifices, Carolo excellentiſſimæ memoriæ Regi Francorum direxerunt ... ita modò & ipſe ... ſuas miſit literas Pipino.* Vit. Steph. II. tom. vj. Conc. p. 1622. Baronius hunc locum refert an. 753. p. 207. paululùm variè, ſed ſententiâ non mutatâ. Ceterùm hic locus, quem criticis extricandum relinquimus, non tanti eſt, ut, quidquid ſtatuatur, cauſa D. Bossuet aliquantisper periclitetur. Dicendum fortaſſe erit miſſas quidem *literas* à Gregorio II. non miſſam Legationem; aut miſſam Legationem, non rerum Imperii causâ, ſed ut Carolus Bonifacium ad Germanos directum tueri vellet.

Digitized by Google

tempora conſtat pertinere; atque illi quidem autores binam Legationem memorant à Gregorio miſſam, ſed eodem anno. Quare utraque ad Gregorii III. tempora refertur; disertèque tradunt primam Legationem eam fuiſſe, quam ſedes Apoſtolica ad Francorum miſiſſet Principes. Nulla igitur erat ad Martellum miſſa Legatio; neque Gregorius II. quidquam egiſſe videtur cum eo Principe, niſi ut Bonifacium ad Germanos directum tueretur. Quâ de re extant Gregorii II. epiſtolæ, ſeptima ad Martellum, & octava ad Bonifacium. Quòd autem Græci ad ejus tempora hanc Legationem referre videantur, hoc ideò contigit, quòd utrumque Gregorium, alterum alteri proximè ſuccedentem, facilè confuderunt. Epiſt. vij. viij. tom. vj. Conc. pag. 1446.

Majoris momenti eſt quòd Gregorius III. apud Fredegarium & Annales Metenſes, ab Imperatore receſſiſſe videatur; quippè qui inſtiget Martellum ut ab eo recedat, & accepto Conſulatu, Populi Romani tutelam ſuſcipiat. Sed hæc nihil ad noſtram quæſtionem. Profectò enim quærimus, an propter hæreſim decreto edito depoſitus fuerit à Romano Pontifice Leo perſecutor. At Franci ſcriptores nihil tale tradunt: hæc enim apud eos vidimus: *Scripſiſſe Gregorium, decreto Romanorum Principum, quòd ſeſe Populus Romanus, relictâ Imperatoris dominatione, ad ſuam defenſionem, & invictam clementiam convertere voluiſſet.* Nulla hæreſis mentio, nullum decretum, cujus Pontifex autor extiterit. Imò ipſe, *decreto Romanorum Principum*, ſcribit: *Populus Romanus ad extrema redactus per Longobardos, invictum defenſorem quærit.* Probaverit Gregorius III. quod ipſa neceſſitas extorquebat: pro grege Paſtor optimus ad Carolum Martellum interceſſor extiterit, ac remedium aliquod rebus deſperatis quæſierit, aut quærendum ſuaſerit; quamquam hoc nec hiſtoriæ produnt, quid ad nos? Hæc quidem non ad decreti Apoſtolici autoritatem, ſed ad rerum tractandarum induſtriam modumque pertinent. Quàm autem Pontifices à defectione abhorrerent, ſequentia demonſtrabunt.

CAPUT XIX.

ZACHARIAS *in obſequio perſtitit:* STEPHANUS II. *pro Imperio conatus omnia, nonniſi neceſſitate ad Francos refugit: ad eos tranſlatum Imperium ſub* LEONE III. *cùm Græci Imperatores ad fidem Catholicam rediiſſent.*

GREGORIUS quidèm III. has inter anguſtias paulò poſt eſt mortuus. At Sanctus Zacharias Pontifex ei ſucceſſor datus, ſtatim atque reſpiravit, totum eò ſe convertit, ut Exarchatum Ravennatem Imperio conſervaret. Refert Baronius ex Anaſtaſio ad annum 743. ubi etiam id notat: *Ex his vide quàm injuſta ſint querelæ Orientalium de Romano Pontifice, quòd exuerit Occidentali Imperio Orientales Imperatores.* Non ergò, quod Baronius paulò antè volebat, à fide & obedientiâ Romani Imperii, aut Pontifices receſſerant, aut ipſi Italos repellebant. Bar. tom. ix. an. 743. p. 154.

Quin ipſe Imperator Conſtantinus Copronymus, Leonis Iſauri filius, ac

Digitized by Google

paternæ impietatis hæres, Sancto Pontifici Reipublicæ benè geſtæ dedit teſtimonium, atque ejus rei gratiâ, prædium quoddam conceſſit Romanæ Eccleſiæ: *Hac ſaltèm ex parte*, inquit Baronius, *ei placere deſiderans qui ob hæreſim omninò ſciret ſe illi diſplicere*; neque ceſſavit unquam pro Imperatore habere Copronymum, quem eò minùs agnoſcere debuiſſet, quòd Leonis depoſiti, ſi quid Baronio credimus, filius, ipſe patrem impietate & crudelitate ſuperaret.

Ib. p. 159.

Stephanus verò II. (*aa*) recurrit quidem ille ad Pipinum Francorum Regem, ſed poſtquam *cerneret ab Imperiali potentiâ nullum eſſe ſubveniendi auxilium*: ita Baronius poſt Anaſtaſium.

Anaſtaſ. vit. Steph. II. tom. vj. Conc. pag. 1622. Bar. loc. cit. an. 753. p. 207. 208.

Quin ipſe Pontifex, de rebus Imperii in Italiâ tuendis, ad impium & perſecutorem Conſtantinum Copronymum Legatos miſit, rediitque cum ejus Legatis Joannes *Imperialis ſilentiarius, deferens juſſionem Imperialem, in quâ inerat inſertum: ad Regem Longobardorum* (Aiſtulphum) *eumdem ſanctiſſimum Papam eſſe properaturum, ob recipiendam Ravennatium urbem, & civitates ei pertinentes*. Hæc Anaſtaſius, qui juſſioni Stephanum paruiſſe memorat. Neque refugit Legationem ab Imperatore hæretico impoſitam ſanctiſſimus Pontifex, quòd Reipublicæ causâ, pium id ſanctumque duceret. Sed quid impetraret à ſuperbis hoſtibus, inermis imbecilliſque Imperatoris nullo exercituum robore fulta Legatio? Vix à Longobardorum manibus Francorum autoritate Stephanus ſe proripuit; ac tum adversùs eos ad Pipinum confugit, cùm omnia alioquin deſperata eſſent.

Anaſt. & Bar. ibid.

Neque verò peccare ſe putabat in Romanum Imperatorem, ſi Romam, bello ſine viribus ſuſcepto, perituram, ſalvam eſſe mallet ſub Francorum tutela, quàm everſam ac perditam fruſtraque retinentem, in Longobardorum tamen manus devenire; neque tantùm Imperio perire, ſed etiam è medio tolli, pari Eccleſiæ ac Reipublicæ diſcrimine.

Bar. ibid. p. 209. vid. Anaſt.

Neque intereà Sanctus Pontifex à Romano Imperatore penitùs recedebat: ſed utcumque poterat, ſuſtentabat Imperii dignitatem, Conſtantinumque Copronymum pro Imperatore legitimo agnoſcebat: cùm etiam à Franciâ reverſus, pactoque cum Francis fœdere, hanc privilegio Fulradi ac Sancti Dionyſii adponeret temporis notam. *IV. Kalend. Martii, imperante Domino piiſſimo Conſtantino à Deo coronato, magno Imperatore anno XXXVIII.* Nullum omiſit titulum, qui ad Imperatoriam honorificentiam pertineret, demonſtravitque ſe ad nullius extranei Principis tutelam confugiturum fuiſſe, ſi Romano Imperatori aliquid virium ſupereſſet.

Privileg. Fulr. tom. vj. Conc. p. 1647.

Sic agebant cum impio Copronymo paternæ hæreſis ſæviſſimo, atque obſtinatiſſimo defenſore; ad hæc etiam autore inſanæ Synodi, quæ ſe ſeptimam appellabat. En ut hæreticos regnare non ſinerent.

Conciliab. C.P. int. act. Conc. Nic. II. tom. vij. Conc. pag. 377.

Poſt Stephanum II. Romani Pontifices Francis quidem addicti erant; quibus defenſoribus neceſſariò uterentur. Cæterùm exemplo Stephani, Conſtantinum & Leonem ejus filium, pro hæreditariis Auguſtis habuere. Ac Paulus I. teſte Anaſtaſio, *ſuos Miſſos cum Apoſtolicis obſecratoriis, atque admonitoriis literis, præfatis Conſtantino* (Copronymo) *Leoni* (item Co-

Anaſtaſ. in vit. Paul. I. tom. vj. Conc. pag. 1671.

aa) *Stephanus II.*] ſeu potiùs III. Sed cùm Stephanus II. paucos dies Apoſtolicam ſedem tenuerit, vix inter Pontifices numeratur.

Digitized by Google

pronymo, à parente Conſtantino in Imperii ſocietatem aſſumpto) *Auguſtis direxit pro reſtituendis imaginibus:* ut in Paulo I. refert Anaſtaſius.

Hoc jure hæreditario Conſtantinus Leonis Copronymi filius, ſub Irenes matris tutelâ imperavit. Hi Nicænam Synodum II. convocârunt, & anteceſſorum hæreſim à ſanctâ Synodo condemnatam, penitùs abjecerunt. Ad eam verò Synodum vocatus ab Imperatoribus Hadrianus Papa Legatos miſit cum literis ſic inſcriptis: *Dominis piiſſimis & ſereniſſimis Imperatoribus ac triumphatoribus...... Conſtantino & Irenæ Auguſtis.* Quibus proindè Conſtantinum agnoſcit pro hærede legitimo legitimorum Imperatorum. Acta ſunt hæc anno 785. Tom. vij. Conc. pag. 99.

Sub his Auguſtis, ac poſteà ſub eodem Conſtantino ſolo*, fides Catholica floruit. Eo mortuo, cùm jam Leo III. Pontificatum gereret, devenit Imperium ad Irenem ſolam; neque ita multò poſt Carolus Magnus Romæ Auguſtus eſt appellatus, anno 800.

* Qui an. 790. Irenem à Reipublicæ gubernaculis dejecerat.

Ex hac rerum ſerie ſatis intelligitur malè à Baronio, malè à cæteris dictum: Imperatores à Pontificibus propter hæreſim fuiſſe depoſitos, translatumque eâ de causâ ad Francos Imperium: cùm contrà pateat, etiam dum hæretici fuêre, haud minùs pro Imperatoribus in Italiâ quoque, & Romæ, & à Pontificibus fuiſſe habitos; ac tranſlatum denique ad Francos Imperium, cùm abjectâ hæreſi, Irene Catholica mulier imperaret.

Patet etiam Pontifices primùm confugiſſe ad Francos, non propter hæreſim Imperatorum, ſed neceſſitate per Longobardos factâ, rebus ſcilicèt deſperatis, nullâque aliâ præſidii ſpe: quo factum eſt, ut etiam imperante Conſtantino Irenes filio Catholico Principe, ſub Francorum tutelâ neceſſariò remanerent.

CAPUT XX.

An valeant allatæ à Baronio cauſæ, cur CONSTANTINO *Irenes filio, Catholico Imperatori, Imperium reſtituendum non fuerit: Hadriani I. locus nihil ad rem: recapitulatio dictorum de Iconoclaſtis Imperatoribus: de fide illis ſervandâ Orientalis Eccleſiæ ſenſus: illi Imperatores in coronatione jusjurandum dederant de tuendis Eccleſiæ dogmatibus ac ritibus: ex his argumentum.*

SCRIPSIT Baronius Conſtantinum Irenes filium, Catholicum licèt, ac de fide Catholicâ benè meritiſſimum, tamen *non fuiſſe dignum habitum, cui reſtitui deberet* Imperium, quòd *ablatos à prædeceſſoribus hæreticis Imperatoribus Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, qui immediatè eſſent ſub juribus Romanæ Eccleſiæ, & dempta ejus ampliſſima patrimonia, admonitus licèt per Hadrianum Pontificem, minimè reſtituere voluiſſet.* Jam æquus lector judicet, ecquid ſit veriſimile, propter aliquot prædia, & aliquot Epiſcopa- Bar. tom. ix. an. 800. p. 490.

tuum immediatam ſubjectionem, neganda fuerit Conſtantino Irenes filio; Catholico Principi, à piis Pontificibus Imperatoria dignitas, quam Leoni Iſauro, Conſtantio & Leoni Copronymis, hæreticis, impiis, perſecutoribus illæſam manſiſſe vidimus.

Ep. Adr. I. ad Car. Mag. tom. vj. Conc. p. 953. Baron. tom. ix. loc. cit.

Neque illud eſt validum quod Baronius memorat ex Hadriano I. quòd nempè de Conſtantino ad Carolum Magnum hæc ſcripſerit: *De Diœceſi ſanctæ noſtræ Eccleſiæ Romanæ, tam Archiepiſcoporum, quam Epiſcoporum, ſeu de patrimoniis, iterum increpantes commonemus; & ſi noluerit ea ſanctæ noſtræ Eccleſiæ Romanæ reſtituere, hæreticum eum pro hujuſmodi erroris perſeverantiâ eſſe decernemus.* DECERNEMUS inquit. Minas audimus, & fortaſſe nimias: ſed certè tantùm minas, & tantùm initum animo conſilium, non prolatum decretum. Quid porrò ad rem noſtram, *hæreticum decernemus?* Eſto: an & illud addit? Imperio in æternum privatum declarabimus. Quale autem illud eſt, ut propter excommunicationem, fortè decernendam, Imperio indignus ſit, cùm hæreſis manifeſtæ damnatos Leonem Iſaurum, Conſtantinum Copronymum, & Leonem ejus filium, haud minùs pro Imperatoribus habitos eſſe conſtet?

Sed eſto, Conſtantinus Epiſcopatus aliquot, ac prædia retinens, indignus Imperio ſit, ſaltèm Occidentali: nam de Orientali nemo litem movebat. Quid hoc ad Irenem? Peſſima quidem mulier, ſed nihil ad rem noſtram; cùm nullius ſceleris ritè poſtulata, nedum condemnata ſit. Hæreſes inſectabatur, fidem tuebatur, fovebat Eccleſiam, ditabat Eccleſias; nemo Eccleſiæ Romanæ res ab eâ repetierat. At illa ſub ipſa Imperii initia, toto Occidente ſtatim mulctata eſt. Quo jure, ſuo loco facilè exponemus. Certè id non hæreſi, non ulli impietati, non perſecutioni, non etiam anathemati tribuendum eſſe, luce eſt clarius.

Vid. inf. hoc lib. cap. xxxvij. & ſeq.

Huc accedit Orientalis Eccleſiæ teſtimonium. Ea enim Romanis Pontificibus adhærebat, iiſque anathematizantibus hæreticos Imperatores obſecuta erat: denique ab Imperatoribus extrema quæque patiebatur, neque eò ſeciùs in obſequio perſiſtebat. Sanctus etiam Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes, egregius ille his temporibus fidei Catholicæ propugnator, teſte Baronio, *reprehendebat Italos, quòd ita penitùs ab Imperatore reſiliiſſent.* Extat enim in Græco codice Orientalium Canonum, ejuſdem ſancti Germani epiſtolæ fragmentum, in eos qui ab Imperio deſciviſſent. Non ergò placebat iſta defectio, etiam hæreſis causâ. Sancti quique Martyres ſub Leone & Conſtantino tanta paſſi, ipſos nihilominus pro Imperatoribus ſalutabant. Id paſſim acta Martyrum à Baronio relata teſtantur. Iidem Martyres, & ſanctus Germanus, Paulus, Taraſius, Conſtantinopolitani Antiſtites, aliique Epiſcopi contemnunt quidem Leonem Iſaurum de fide decernentem, quòd id alienum eſſet ab Imperatoriâ dignitate & poteſtate: nullam illi movent litem de iis quæ in civilibus pro Imperio ſtatuiſſet. Sancta ergò Orientalis Eccleſia anathematizatos quoſque Principes, pro veris Principibus coluit.

Bar. tom. ix. an. 727. p. 86.

Ibid. an. 765. pag. 268. & alibi paſſ.

At profectò Romanus Pontifex haud minùs Orientali quàm Occidentali Eccleſiæ præſidebat; ac ſi depoſiti Imperatores eſſent, haud minùs in Oriente quàm in Occidente eis abrogaretur Imperium; turpiſſimumque fuiſſet

Romanis Pontificibus, ſibi & Occidenti, depoſito Imperatore conſulere, contemnere Orientem longè graviora paſſum, cùm ab Imperatoribus apud ſe agentibus premeretur.

Sic tota Eccleſia Catholica, quâcumque patebat, Leonem Iſaurum, dirum perſecutorem, & Conſtantinum Copronymum triginta & ampliùs annis ſævientem, Leonemque IV. haud minùs crudelem, pro Imperatoribus habuere: ac totis ſexaginta annis, quibus impia domus vaſtabat Eccleſiam, de movendo Imperio per decreta legitima, nemo in Oriente, nemo in Occidente, non plebs, non Epiſcopi, non Religioſi, tot licèt vexati ſuppliciis, non ipſi Romani Pontifices cogitabant.

Attamen omnia intervenerant propter quæ deponi oportere Imperatores adverſarii docent: hæreſis, pertinacia, immanis perſecutio: ad hæc, quod maximi ponderis eſſe volunt, violatum Jusjurandum, quandoquidem Imperatores Eccleſiæ, Deo teſte, ſpoponderant, ſe in religionem nihil novitatis inducturos.

Scribit enim Theophanes, ſanctum Germanum Conſtantinopolitanum, Leoni Iſauro *reduxiſſe ad memoriam ejus ſponſiones ante ſuſceptum Imperium ſibi factas, Deo in fideijuſſorem dato, quòd in nullo Eccleſiam commoturus eſſet à ſuis Apoſtolicis & Divinitùs traditis ritibus.* (Theoph. Chron. p. 341. Anaſt. hiſt. Eccl. p. 135. hiſt. Miſc. lib. xxj. tom. xiij. Bibl. Pat. p. 307.)

Hæc autem cùm ità ſe haberent, non modò perſecutorem pro Imperatore colebant; verùm etiam, qui per eam occaſionem ſeditiones cogitarent, atque ab Imperio deficerent, gravi, quoad poterant, autoritate comprimebant: adeò ab hominum mentibus hæc aberant, in quibus nunc ſpem Eccleſiæ & Pontificis robur collocatum volunt.

CAPUT XXI.

Noni ſæculi exempla: LUDOVICI PII *Imperatoris depoſitio: hæc & indè ſecuta, impia, irrita, nulla, malè intellecta, nihil ad rem, nobiſque potiùs favent quàm adverſariis: an expectata, ad reſtituendum* LUDOVICUM, GREGORII IV. *autoritas.*

NONO ſæculo memoranda nobis eſt depoſitio Ludovii Pii Imperatoris & Francorum Regis, per Lotharii filii impiam ac nefariam factionem, protractis in conſenſionem ſceleris, non modò Proceribus ac Militibus, verùm etiam Epiſcopis, Ebbone Rhemenſi ſeditionis incentore. Quamquam enim hæc paulò poſt communi conſenſione reſciſſa ſint, ac teſte Baronio, *rem per vim ac metum actam, coloratamque falſo religionis pigmento, nemo non dixerit, atque improbârit*; non deſunt tamen, qui hæc quoque infanda ac toti Eccleſiæ deteſtata, nobis objiciant. Nempè, inquiunt, extant & apud Baronium, & in Conciliorum libris Compendii acta, quibus titulus: *Exautoratio Ludovici Pii* Epiſcoporum nomine publicata. Ex his autem patet Ludovicum Pium anno 833. impoſitâ publicâ pœnitentiâ, depoſuiſſe cingulum militare, judicatumque ab Epiſcopis, ſecundùm Canones. (Bar. tom. ix. an. 833. pag. 805. — Bar ibid. p. 802. & tom. vij. Conc. pag. 1686.)

id conſequi, *ut poſt tantam talemque pœnitentiam, nemo ultra ad militiam ſecularem redeat;* quod idem profectò erat, ac Regno excluſiſſe: idque adeò fas eſſe Epiſcopis judicabant, ut etiam Ludovicus ab eâ ſententiâ eorum autoritate abſolvi ſe vellet. Scribit enim coævus autor vitæ Ludovici: *Imperator Epiſcopali miniſterio voluit reconciliari & per manus Epiſcoporum armis accingi conſenſit.* Quin etiam Baronius Gregorii IV. Papæ autoritate reſtitutum eum fuiſſe, ex Paulo Æmilio rerum Francicarum ſcriptore, & Mariano Scoto antiquiore Annaliſtâ probare nititur.

Aut. vit. Ludov. Pii Duch. tom. ij.
Bar. ibid. an. 834. p. 807.

Nos autem, etſi ea, quæ à Rege imbecilli & per proditionem depoſito; atque à ſeditioſis Epiſcopis, inaudito exemplo, ſunt geſtæ, ut nulla & irrita contemni potuerunt, tamen veritatis amore ducti, rem ipſam expendimus; proferimus acta; cauſamque noſtram adjuvari iis, paucis demonſtramus.

Et primum quidem: quoniam vidimus hujus temporis Epiſcopos eò maximè nixos fuiſſe, quòd impoſitâ publicâ pœnitentiâ, atque abjecto cingulo militari, non liceat *ultrà ad militiam ſæcularem redire*, id qualecumque ſit, nihil ad Reges pertinere facilè demonſtramus, eorum quoque autoritate qui talia geſſerunt.

Certè conſtat paulò anteà, anno ſcilicèt 822. eumdem Ludovicum Pium ab iiſdem Epiſcopis Gallicanis, in Attiniacenſi Conventu pœnitentiam publicam ſuſcepiſſe. Quo quidem in Conventu, autor vitæ Ludovici, à Baronio relatus, etiam ſuprà memoratus, hæc geſta narrat: *Anno 822. Ludovici IX. Dominus Imperator, primò quidem fratribus reconciliari ſtuduit, quos invitos attonderi fecerat, deindè omnibus quibus aliquid læſuræ intuliſſe videbatur. Poſt hæc autem palàm ſe erràſſe confeſſus, & imitatus Theodoſii Imperatoris exemplum, pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit, tam de his, quàm de iis quæ in Bernardum nepotem* (bb) (Caroli Magni) *fecerat.* Hunc autem excæcatum neci tradiderat.

Duch. tom. ij. vid. Bar. an. 822. p. 706.

An ergò in eo Conventu, ubi omnia pacatè atque ordine gerebantur; de tollendo per militiæ omittendæ ſpeciem Imperio quidquam Epiſcopi cogitàrunt, audiamus quid hujus temporis autor ſcripſerit? *DCCCXXII. Ludovicus Imperator ſacerdotum uſus conſilio, de omnibus, quæ publicè perperam geſſit, publicam pœnitentiam egit, & poſt hæc cuncta, quæ in Regno ſuo corrigenda invenire potuit, corrigere atque emendare curavit.* Non ergò Regno amovendus per pœnitentiam publicam, ſed ad Regnum bene adminiſtrandum animandus eſſe putabatur.

Incert. aut. Ann. Duch. tom. ij. & tom. ij. Conc. Gall. p. 448.

Idem ſcribit Agobardus Lugdunenſis: *Sacer & Religioſus Dominus noſter Imperator, evocato Conventu in Attiniaco agebat ſtrenuè, providens de omnibus utilitatibus commiſſorum ſibi populorum.*

Agob. lib. *de diſpenſatione rei Eccleſ.* n. 2. tom. xiv. Bibl. Pat. p. 295.

Hic ille eſt Agobardus, qui anno poſteà 833. vix undecim elapſis annis, in Compendienſi Conventu, libello edito, gloriatur ſe acceſſiſſe ad eorum Epiſcoporum partes, qui pœnitentiâ publicâ impoſitâ, ſpem omnem reditus ad militare cingulum Ludovico ademère: quæ Attiniaci iiſdem

Tom. ij. Conc. Gall. pag. 564.

(bb) *Bernardum nepotem Caroli Magni*] Pipini filium, Regem Italiæ, rebellionis causâ morte damnatum in Conventu Aquiſgranenſi, Ludovicus Pius juſſerat luminibus tantùm orbari; quo ſupplicio Bernardus poſt triduum obiit. Vid. Theg.

Epiſcopis, cùm de iiſdem penè criminibus ageretur, ne quidem in mentem inciderant.

Quam autem impiè & præter fas omnia Compendii gererentur, vel ex eo liquet, quòd non piguit Epiſcopos adſcribere inter ſcelera, pro quibus Ludovicus pœnitentiæ addictus eſt, etiam illa maximè, quæ Attiniaci jam expiata erant; cùm à Deo præſcriptum ſit, & ſacris Canonibus totiès inculcatum, *non bis vindicabis in idipſum:* quod etiam ejus ævi ſcriptores ſeditioſis Epiſcopis meritò exprobrabant.

Hæc primo loco notamus: ſecundo loco dicimus, quæ Compendii acta ſunt, acta eſſe in Ludovicum jam privatum, jam depoſitum, atque omninò ad quæſtionem noſtram non pertinere.

Id verò teſtantur ipſa acta Compendii, ipſaque horum actorum inſcriptio, quam apud Baronium, & in Conciliorum quoque voluminibus legimus: quâ inſcriptione conſtat hæc omninò geſta eſſe contra Ludovicum, *poſtquam Regno privatus eſt.*

Acta ipſa ſic habent: *Nos Epiſcopi ſub Imperio Domini & glorioſiſſimi Lotharii Imperatoris conſtituti, anno Incarnationis Domini* JESU-CHRISTI DCCCXXXIII. *ejuſdem Principis* I. Ergò Lotharium pro Imperatore habebant, non jam Ludovicum: cui, aiunt, etiam acta hæc, poſt *ſubtractam poteſtatem*, & *poteſtate privato*, id unum ſupereſſe, *ne animam perderet*. Eumque ideò appellant, non jam Imperatorem, ſed *venerabilem virum*. Agobardus quoque in libello ſuo apertè declarat acta hæc eſſe, *præſidente ſereniſſimo & glorioſiſſimo Lothario Imperatore, adversùs ignaviam Domini Ludovici venerandi quondam Imperatoris.* In hoc ergò Conventu Lotharium pro Imperatore, Ludovicum pro privato habebant.

Bar. tom. ix. an. 833. pagin. 802. Conc. Gall. tom. ij. p. 560. Conc. Labb. tom. vij. p. 1686.

Itaque Ludovicus non coronam, non purpuram, non alia quævis ornamenta Regalia depoſuiſſe fertur: ſed ut Miles duntaxat cingulum & gladium, referente Thegano, actis atteſtantibus, omnibus fatentibus.

Quandò autem, & quomodò depoſitus fuerit, Annales produnt: nulla ſcilicèt vel in ſpeciem formâ legitimâ, quæ in tanto facinore nulla eſſe potuiſſet; ſed per vim & ſcelus apertum; factione filiorum ejus, Lotharii præſertim, qui Regiam ſibi poteſtatem vindicârat, defectione Militum, Ducum proditione, conſenſione Procerum, quibus Epiſcopi, primi ſcilicèt inter Proceres, aſſentiebantur, Ebbone Rhemenſi ſceleris hortatore: qui quidem Epiſcopi, poſtquam hæc cum cæteris egiſſent Proceribus, nempè id ſibi ut ſacerdotibus reſervabant, ut imponerent privatò eam pœnitentiam, quâ reditum ad militiam intercludere niterentur.

Theg. de geſt. Lud. Duch. tom. ij. pag. 28. act. Comp. tom. ij. Conc. Gall. pag. 560.

Cæterùm inter omnes conſtat, neque à Lothario & Proceribus jure potuiſſe deponi Ludovicum, neque ullo item jure prohiberi potuiſſe ab Epiſcopis, quominùs ad Regnum revocaretur, revocatuſque conſueto regendæ militiæ munere fungeretur; atque omnino hæc omnia nulla, irrita, abſurda, impiis conatibus eſſe geſta, magno bonorum omnium luctu. Quare ſummo omnium applauſu Theganus Chorepiſcopus, vir optimus atque ſanctiſſimus, ejus ævi ſcriptor, in Ebbonem ſic invectus eſt: *Crudelis, cur non intellexiſti præcepta Domini?* NON EST SERVUS SUPER DOMINUM SUUM; *quamobrem contempſiſti præcepta Apoſtolica:* OMNIBUS POTESTATIBUS

Ibid. ap. Duch. n. 44. pag. 182.

Digitized by Google

SUPERIORIBUS SUBDITI ESTOTE : NON EST POTESTAS NISI A DEO, *&* *iterum aliàs dicit :* DEUM TIMETE ; REGEM HONORIFICATE. *Tu verò nec Deum timuiſti, nec Regem honoráſti.* Satis ergò intelligebant, quàm inviolata eſſet, & ab omni aliâ poteſtate immunis, Divino etiam jure, poteſtas Regia. Quare nec fraus illa ſcelusve diù valuit, ſed ſtatim ad officium Franci
Theg. ibid. rediêre. Ebbo depoſitus ; acti in exilium reliqui : Lotharius omnium fuit execrationi ; campus ille, in quo Ludovicus deſertus fuerat, *Campus mendacii* dictus, ad tantæ proditionis infamiam ſempiternam : totaque ea res inter exempla peſſima, Divinâque ultione reprobata, ab ævo ſequente ac
Ep. Synod. ap. Carif. c. iij. tom. viij. Conc. pag. 656. ſecutis Conciliis relata eſt. Quòd ergò Ludovicus, ut autor vitæ prodit, *per Epiſcoporum manus armis accingi conſenſit* ; factum id, ut & ipſi diſſolverent quod malè fecerant, datumque eſt id timori imbecillis Principis ; non quòd vim haberent ullam, quæ per metum, errorem, ac proditionem acta, ne in privatum quidem valuiſſent : reſque tantâ omnium, non modò conſenſione, verùm etiam exultatione confecta eſt, nihil ut ſit vanius, quàm recurrere Romam, ac Ludovici reſtitutionem Gregorii IV. autoritati cum Baronio tribuere. Certè ejus ævi autores in eâ reſtitutione, ne Gregorium quidem nominant. Marianus Scotus à Baronio laudatus, primùm poſt trecentos ſcripſit annos : tum ne id quidem dixit quod Baronius memorat : imò verò hæc habet anno 835. *Pipinus & Ludovicus patrem ſuum reſtituerunt in Regnum*, nullâ Gregorii mentione factâ. Paulum Æmilium noſtri ævi ſcriptorem à Baronio allegatum nihil moramur ; totaque hæc hiſtoria certo argumento eſt, quantùm Epiſcopi etiam perduelles ab eo abeſſent, ut per Epiſcopale miniſterium deponi poſſe Principem cogitarent.

CAPUT XXII.

LOTHARII *Junioris excommunicatio, propter* VALDRADAM ; *nullâ unquam depoſitionis mentione.*

EODEM procedente ſæculo, Lotharius Junior, Imperatoris Lotharii ſuprà memorati filius ac Ludovici Pii nepos, idem Auſtraſiæ Rex, repudiatâ Teutbergâ legitimâ conjuge, ac Valdradâ pellice ſuperductâ, Romanos Pontifices meritò concitavit. Et quidem Nicolaus I. doctiſſimus juxta ac fortiſſimus Pontifex, inſanis amoribus irretito excommunicatio-
Ep. lj. Nicol. ad Loth. tom. viij. Conc. pag. 437. nem intentat ; de Regni privatione ne cogitat quidem. *Cavendum eſt*, inquit, *ne cum eâ* (Valdradâ ſcilicèt jam excommunicatâ) *pari mucrone percellaris ſententiæ, ac pro unius mulieris paſſione & breviſſimi temporis deſiderio vinctus & obligatus, ad ſulphureos fœtores & ad perenne traharis exitium.* Ac paulò poſt : *Cæterùm præcave ne quando nos ſecundùm Domini præceptum duos aut tres teſtes adhibeamus ; imò verò ne hoc Eccleſiæ ſanctæ dicamus, & , quod non optamus, fias cunctis ſicut Ethnicus & Publicanus.* Neque quidquam inculcat aliud, cùm eâ de re longè plurimas ad Proceres, ad Epiſcopos,

copos, ad Reges Lotharii patruos, ad ipſum Lotharium, eaſque fortiſſimas atque ampliſſimas literas dederit.

Ergò extrema omnia, quæ Eccleſiaſticâ poteſtate fieri poſſent, interminatus, nihil de depoſitione ſomniabat; quod quidem ſi Eccleſiaſticæ poteſtati conceſſum his temporibus cogitâſſent, non defuiſſent Nicolao rei exequendæ vires, cùm Lotharii patruos ac præſertim Carolum Calvum ejus Regno inhiare intelligeret.

Quod autem ſcribit ad Ludovicum & Carolum Reges, Lotharii patruos, *dilatam à ſe vindictam in eum, ne ſanguis effunderetur, & ne bella excitarentur;* non hæc eò pertinent, quaſi ipſe Pontifex Lothario Regnum adimere, aut alteri tradere moliretur, ſed quòd Principes adversùs Deum & Eccleſiam contumaces, contemptu & odio populorum, civilibus bellis agitari ſoleant. Ejuſd. ep. xxvij. ibid. pag. 404.

Cæterùm non modò adhibitas in Lotharium excommunicationis minas, verùm etiam datam excommunicationem ipſam, hæc Nicolai ad Epiſcopos in Regno Lotharii conſtitutos ſcribentis verba teſtantur: *Noſtræ communionis cum mœchâ ſibi ſociatâ & ſuis fautoribus ipſe dudum factus eſt exſors.* Quò etiam factum, ut excommunicatione perculſum Carolus *ad oſculum atque colloquium* admittere recuſaret, ut legimus in Capitularibus; neque eò ſeciùs pro Rege habet, neque uſpiam increpiti Proceres, ac populi, qui in ejus obſequio permanebant: aut excommunicatum licèt, Nicolaus I. & Adrianus II. Regni extorrem fuiſſe, aut futurum eſſe pronuntiant. Ibid. in app. ep. x. pag. 494. Capit. edit. Baluz. tom. ij. tit. xxxv. pag. 163.

CAPUT XXIII.

ADRIANUS II. *Carolum Calvum à Lotharii mortui Regno deterret excommunicatione; quàm grave Francis viſum fuerit terrenis rebus immiſcuiſſe ſe Pontificem, nihil de depoſitione cogitantem: Hincmari locus.*

POSTEAQUAM Lotharius per apertam Dei vindictam extinctus eſt, Hadrianus II. Carolum Calvum ejus patruum, ab ejus Regno invadendo gravibus deterret minis: captum jam & occupatum Regnum, Ludovico Imperatori Lotharii fratri reddendum, eâdem interminatione præcipit; neque tamen aliud quidquam præter excommunicationem, & beati Petri Romanam Eccleſiam protegentis iram intentat: *Si quis contrà fecerit, excommunicationis nexibus, vinculis anathematis obligatum, in gehennâ cum Diabolo deportandum* declarat. De Regni privatione, quòd nihil ad ſuam poteſtatem pertineret, graviſſimus licèt & minaciſſimus Pontifex, ne verbum quidem facit. Adrian. II. ep. xix. xx. &c. tom. viij. Conc. pag. 918, & ſeq. Ibid.

Attamen illa etiam excommunicatio, quòd temporalis Regni gratiâ lata erat, Francis gravis viſa eſt. Scribit enim Hincmarus ad ipſum Pontificem, reſpondiſſe ipſos: non defuiſſe Regi juſtas cauſas, cur Regnum Lotharii occuparet, ab ejus Regni Proceribus invitatus; ac Ludovico quidem tacitè exprobrabant, quòd ad Regnum obtinendum Papæ excommunicationes ad- Hinc. ep. xlj. ad Adr. II. tom. ij. p. 694. 695.

hiberet. Dicebant autem Epiſcopis, qui Pontificia mandata attuliſſent: *Petite Domnum Apoſtolicum, ut quia Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, & ſui anteceſſores Eccleſiaſticum ordinem, quod ſuum eſt, & non Rempublicam, quod Regum eſt, diſpoſuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in longinquis partibus adjuvare non poſſit, contra ſubitaneos & frequentes Paganorum impetus; & nos Francos non jubeat ſervire, quia iſtud jugum ſui anteceſſores noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus, qui ſcriptum eſſe in ſacris libris audimus, ut pro libertate & hæreditate noſtrâ uſque ad mortem certare debeamus.* Addebant: *Non convenit uni Epiſcopo dicere, ut Chriſtianum, qui non eſt incorrigibilis, non propter propria crimina, ſed pro terreno Regno alicui tollendo, vel acquirendo, nomine Chriſtianitatis debeat privare, & eum cum Diabolo collocare.* Denique: *Si Domnus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, ut rixam non moveat; quia nos non concredemus ut aliter ad Regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum, quem ipſe commendat, Regem non habuerimus.*

Hincmarus hæc, Francorum Procerum nomine ſic explicat, ut à ſe collegiſque probata ſatis apertè ſignificet. Quæ reſponderit jubenti Pontifici, ut à Regis excommunicati alloquio, præſentiâ, ſalutatione abſtineret, quàmque hæc omnia evanuerint, ſuprà expoſuimus. Hæc docent, ſi quis tum Regna decretis Bulliſque Pontificiis dari aut adimi contendiſſet, quàm Galli exhorruiſſent, qui adeò exarſerunt, cùm ne quidem talia Romani Pontifices cogitarent.

Sup. lib. j. ſect. ij. cap. xxvij.

CAPUT XXIV.

Eodem nono ſæculo STEPHANI V. *epiſtola ad* BASILIUM *Imperatorem de finibus utriuſque Poteſtatis.*

EODEM ſæculo IX. Photianum illud ſchiſma eſt conflatum; quo initio, adversùs Romanam Eccleſiam Græca Eccleſia rebellavit. Atque idem ipſe Photius à Romanis Pontificibus ſæpè proſtratus, adnitente VIII. generali Synodo, Joannis VIII. fœdâ indulgentiâ, (cc) & Baſilii Macedonis Græci Imperatoris autoritate, valentior reſurgebat. Reſurgentem Marinus, Hadrianus III. Stephanus V. reſumptis viribus conterebant. Hic Baſilium Eccleſiaſtica invadentem his verbis coercebat: *Licèt ipſius Chriſti Imperatoris ſimilitudinem geras in terris, rerum tamen mundanarum & civilium tantùm curam gerere debes, quod etiam precamur ut ad multos annos præſtare valeas. Quo igitur pacto à Deo largitus es nobis terrenis rebus præeſſe; ita etiam nos per Principem Petrum ſpiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, quæſo te, benignâ fronte quæ ſequuntur: datum eſt tibi curare ut Tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concidas, ut juſtitiam miniſtres ſubditis tuis, ut*

Ep. j. Steph. V. ad Baſ. tom. ix. Conc. pag. 366.

(cc) *Fœdâ indulgentiâ.*] Joannes VIII. Baſilio obſequentior, Photium admiſerat & in ſedem Conſtantinopolitanam reſtituerat, non ſine gravi indignatione Catholicorum, qui tot Pontificum & Concilii viij. decreta eo modo reſcindi querebantur.

Digitized by Google

leges condas, ut terrâ marique militares copias diſponas: hæc eſt præcipua cura potentiæ & principatûs tui. Gregis cura verò nobis commiſſa eſt, tantò præſtantior, quantùm diſtant à cœlo ea quæ in terris ſunt. Sic docet eminere Regiâ poteſtate Pontificiam poteſtatem, quòd hæc majoribus rebus præſit, non profectò, quòd illam eâ temporalium ad ſpiritualia ſubordinatione quam fingunt, in ordinem cogere ac loco movere poſſet. Hæc ſcripta ſunt ad annum Chriſti circiter 885. Eâ tum modeſtiâ agebatur.

CAPUT XXV.

Eodem ſæculo FULCONIS *Rhemenſis locus à* PERRONIO *objectus.*

PER eadem ferè tempora, Fulconis Rhemenſis nobis objicitur autoritas, qui eodem ſæculo exeunte, anno ſcilicèt 898. perturbatiſſimis Galliæ rebus, licentiùs ſcripſerit ad Carolum Simplicem, Ludovici Regis filium, quem Regno pulſum, ſex annorum puerum, ex hoſtium manu Fulco eripuerat, domique diutiſſimè aluerat: mox puerum adhuc, ac ſuâ tantùm operâ patrio Regno reſtitutum, priſco cathedræ ſuæ jure Rhemis inunxerat: unus denique adversùs Eudonem, * Regem à Proceribus electum, totoque ferè Regno potientem, autoritate, opibus, armis etiam ſuſtentabat, quibus ſcilicèt tum Eccleſia Rhemenſis prævaleret. Ad eum igitur Fulco hæc ſcripſit, cùm ſe improvidus, atque ad extrema redactus adoleſcens, adversùs prævalidos hoſtes, Normannis Idololatris Regnum invadentibus ſociaturus eſſe videretur: *Sciatis*, inquit, *quia ſi hoc feceritis, & talibus conſiliis acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis: ſed & quoſcumque potuero, à veſtrâ fidelitate revocabo; & cum omnibus Coepiſcopis meis vos & omnes veſtros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis ſervo, hæc gemebundus ſcribo; quoniam cupio vos ſecundùm Deum & ſecundùm ſæculum ſemper eſſe honoratos, & non Satanæ, ſed Chriſti adjutorio, ad debitum vobis conſcendere Regni faſtigium.* Hæc Fulco patriâ veluti libertate, ad octodecim annorum ſcribit adoleſcentem, quo, trepidum vixque regnantem, atque ex ope pendentem ſuâ, gravibus minis ab impiâ ſocietate deterreret. Atque interim quod ipſe proprio nomine ſcripſerat, diligenter ſecernit ab iis, quæ Coepiſcoporum nomine minitaretur: *Cum Epiſcopis*, inquit, *æterno anathemate condemnabo*, Regemque, & qui ſimul in impiam ſocietatem conſenſiſſent. At ſuo nomine, ut Procerum primus, atque in Regno maximâ pollens autoritate: *Nunquam me fidelem habebitis, & quoſcumque potuero à veſtrâ fidelitate revocabo.* Hujuſmodi verò minas per ea tempora paſſim à Proceribus adverſus imbecillem Regem, infirmiſſimo Imperio ac Regno jam à Carolinâ ſtirpe ad aliam familiam inclinato, pridem inolitâ ſuperbiâ jactatas, ſi quis ad certum jus legitimique exempli autoritatem trahat, næ ille non jam Romano Pontifici atque omnibus Epiſcopis, ſed omnibus omninò Proceribus permittat omnia adversùs Regiam Majeſtatem. Certè hìc nihil Synodicè, nihil legitimo ordine geſtum; ſed unius viri fac-

* Comitem Pariſienſem, Franciæ Ducem, & qui jam tum Rex Fräciæ Occidentalis dicebatur.

Ep. Fulc. ad Carol. Simpl. ap. Flodoard. lib. iv. hiſt. Rhem. cap. v.

tum; imò verò non factum, ſed dictum, nullo effectu conſecuto, nullo anteà, nullo poſteà exemplo legimus. Hæc illa ſunt, quibus jus novum omnibuſque retrò ſæculis inauditum ſancire ſe poſſe arbitrantur.

CAPUT XXVI.

ATTO *Vercellenſis:* BURCHARDUS *Vormatienſis, decimi ſæculi autores proferuntur.*

DECIMO ſæculo Attonis Epiſcopi Vercellenſis claret autoritas. Is igitur epiſtolâ ad Valdonem *(dd)* Epiſcopum multa de Regibus, eaque ſuperiorum ſæculorum traditioni conſentanea tradit. Hæc imprimis de fidelitate perverſis etiam Regibus præſtandâ: Davidis ac Samuelis exemplo, Chriſtique autoritate obſervandos eos: ſupremam eorum eſſe ſolique Deo ſubditam poteſtatem, evictum ex illo Davidis, *Tibi ſoli peccavi*; atque ex interpretatione Caſſiodori, eâ quam ſuprà retulimus: tum *quantâ cautelâ* bonis obſequendum, cùm *nec malos* repellere liceat, atque ex Chryſoſtomo, eſſe *in poteſtate populi facere Regem quem vult, factum, de Regno repellere, non in ejus poteſtate*; utque *fidelitatem quam jurando Regi promiſerint inviolabilem, teneant.* Nondum ſcilicèt juramenta fidelitatis ſolvi à Pontifice cogitabant. Hæc de Attone paucis, ne ab aliis Patribus jam audita cum lectoris tædio repetamus. His liquet priſcam traditionem proximis etiam Gregorii VII. temporibus viguiſſe.

Att. Vercell. Ep. ad Vald. Spicil. Tom. viij. p. 99.
Sup. lib. j. ſect, ij. cap. xxxij.
Spic. ibid. p. 104.
Ibid. pag. 109.

Per eadem tempora floret beatus Burchardus Wormatienſis Epiſcopus,* doctus, ac pius Canonum compilator. Ibi decretorum libro XV. multa de Regum ſupremâ atque à Deo conſtitutâ, ſolique Deo ſubjectâ poteſtate ex ſancto Iſidoro Hiſpalenſi collecta legeris: neque hìc, neque alibi quidquam de deponendis Regibus, aut ſolvendo fidelitatis Sacramento legitur, ut in ſecutis poſteà Canoniſtis. Nondum hæc decreta, nondum hi tituli vel nomine noti erant: nondum enim Gregorius VII. prodierat.

* De eo vide librum cui titulus eſt: *Hiſtoire du Droit Canonique.*

Quare cùm eodem ſæculo exeunte, Robertus Rex Francorum, Hugonis Capeti filius, ea commiſiſſet, propter quæ excommunicandus videretur, dicta quidem ea ſententia eſt: de deponendo eo, aut de obedientiâ denegandâ nihil tentatum, nihil dictum, nihil cogitatum fuit. Sed tanta res paulò diligentiùs penſitanda.

(*dd*) *Valdonem.*] Berengarius II. Rex Italiæ, à ſe factum Comenſem Epiſcopum, habuit in primis rebellantem. Vid. Luitprand. lib. v. cap. xiij.

CAPUT XXVII.

Eodem ſæculo decimo ROBERTUS *Francorum Rex excommunicatus, nullâ depoſitionis mentione.*

ROBERTI Francorum Regis hiſtoriam Baronius ex coævis autoribus ſic refert. Anno 998. Robertus inceſtum conjugium cum Berthâ ſibi affinitate conjunctâ fecerat, cui conjugio cùm Epiſcopi faverent, à Gregorio V. meritò reprehenſi ſunt. Id ſcribit ſanctus Pontifex Leo IX. ad Henricum Roberti filium, Ivone Carnotenſi referente. Eâ reprehenſione commoti, *omnes ferè Galliarum Epiſcopi virum & uxorem communi ſimul ſententiâ excommunicavere.* Petrus Damiani Cardinalis, vir doctiſſimus atque ſanctiſſimus, hæc ſcripſit. Scriptum item in Hiſtoriæ Aquitanicæ fragmentis, ex Pithœi collectione editis (alii hiſtoriæ Francorum fragmenta vocant) *quòd agnoſcens* (illicitum nempè Roberti conjugium) *Papa Gregorius totam Franciam anathemate percuſſit.* His ſubdit nota illa de Berthæ monſtroſo partu; (*ee*) quibus Robertus ad ſe reverſus, ac deindè cum toto Regno anathemate eſt abſolutus. Sub tam tremendo anathemate, per omnes Epiſcopos, atque ipſum poſteà Romanum Pontificem pronunciato, nemo ſcripſit, nemo intellexit detractum, aut detrahendum Roberto Imperium; neque in Republicâ quidquam immutatum fuit. Quòd Petrus Damiani refert, *à Regis ſocietate receſſiſſe univerſos, & tantùm duos ſervulos ad neceſſarii victûs officium* remanſiſſe, vel inflatum eſt ab iis qui pio viro hanc hiſtoriam enarrârunt, vel ita temperandum, ut neque intermiſſa ſint à publicis Regni adminiſtris neceſſaria officia, ſine quibus Regna, ne modico quidem tempore ſtare poſſunt. Cæterùm ſi publica officia vel tantillum ceſsâſſent, tali interregno, ac neceſſariò ſecutâ rerum confuſione, omnes hiſtoriæ perſonarent.

Bar. tom. x. an. 898. p. 920.

Ivon. Carn. Decr. part. ix. cap. viij.

Pet. Damian. tom. iij. opuſc. xxxiv. ad Deſid. Caſſ. cap. vj. p. 260. vid. Bar. loc. cit.

Pet. Dam. loc. cit.

CAPUT XXVIII.

Undecimi Sæculi exempla & teſtimonia ſub LEONE IX. *&* VICTORE II. *paulò ante* GREGORIUM *VII.* PETRI DAMIANI *ejuſdem* GREGORII *VII. familiariſſimi locus à* BARONIO *reprehenſus.*

UNDECIMO ſæculo ante Gregorium VII. nemo ab antiquâ traditione diſceſſerat.

Anno 1052. Sanctus Leo IX. profectus eſt in Germaniam ut inter Henricum II. Imperatorem & Andream Hungariæ Regem, poſt atrocia bella

(*ee*) *De Berthæ monſtroſo partu,* } unum autorem appellat Baronius Petrum Damiani cujus hæc ſunt verba, *Suſcepit filium, Anſerinum per omnia collum & caput habentem.* Vid. Dam. loco in textu citato.

Herman. contr. ann. 1052. ap. Bar. tom. xj. p. 181.

pacem componeret. Quâ de re Hermannus (*ff*) Contractus ad annum eum ſic habet: *Dominus Leo Papa ab Andreâ accitus, cùm pro pace componendâ interveniſſet, Imperatorem ab obſidione avocavit, eumque ſibi per omnia conſentaneum inveniens, ſed è contrà Andream conſiliis ſuis minùs parentem experiens, offenſus, eique excommunicationem, ut potè deluſâ ſede Apoſtolicâ, minitans cum Imperatore diſceſſit.* Audis *excommunicationem minitans*, non ſanè depoſitionem. Nondum hæ formulæ invaluerant, nondum ille, quem vidimus, Gregorii VII. ritus, quo minabatur Regibus, niſi obtemperarent, ſe ab eorum obedientiâ ſubditos populos repulſurum.

Vid. tom. ix. Conc. p. 1081. & ap. Bar. Tom. xj. an. 1055. p. 224.

Necdum eam formam noverat Victor II. anno 1055. cùm petente Imperatore Henrico II. ab eo Pontifice Concilioque Turonenſi (*gg*) decretum eſt: Ferdinandum Caſtellæ & Leonis Regem, *niſi deſiſtat à cœpto, excommunicatione percelli, & univerſam Hiſpaniam ipſi ſubjectam interdicto ſubjici debere.*

Pet. Dam. Tom. j. lib. iv. epiſt. ix. ad Firm. Epiſc. p. 53. & ap. Bar. tom. xj. an. 1053. pag. 189.

Per ea tempora Petrus Damiani, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, Hildebrandi tum Archidiaconi Cardinalis, mox Gregorii VII. familiaris, ſanctitate, doctrinâ ac pœnitentiæ Chriſtianæ mirâ laude floruit. Is ab Epiſcopis arma tractari ſtudioſiſſimè prohibebat: *Cùm præſertim*, inquiens, *inter Regnum & Sacerdotium propria cujuſque diſtinguantur officia; ut Rex armis utatur ſæculi, & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali;* QUI EST VERBUM DEI. *De ſæculi enim Principe Paulus dicit*, NON SINE CAUSA GLADIUM PORTAT; DEI ENIM MINISTER EST, VINDEX IN IRAM EI QUI MALE AGIT. *Ozias Rex qui Sacerdotale uſurpat officium leprâ perfunditur: & ſi Sacerdos arma corripit, quod utique laïcorum eſt, quid meretur?* Prorsùs ex priſcâ diſciplinâ. Quæ ſi quis intellexerit, haud magis arma, quàm cætera temporalia ac civilia, ab Eccleſiaſticâ poteſtate, ut quidem Eccleſiaſtica eſt, penitùs amovebit.

Cùm autem objicerent Leonem (IX.) *bellicis uſibus ſe frequenter implicuiſſe Pontificem*, nihil hæc moratus exempla, reſpondet: *Numquid hoc legitur vel egiſſe, vel literis docuiſſe Gregorius* (ille Magnus ſcilicèt) *qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum feritate eſt perpeſſus? Num Ambroſius bellum Arianis ſe ſuamque Eccleſiam crudeliter infeſtantibus intulit? Numquid in arma ſanctorum quiſpiam traditur inſurrexiſſe Pontificum?* Qui ſi deponi Reges, ſubſtitui alios, atque ad ea decreta ſtatuenda, bella civilia concitari vidiſſet, eodem profectò jure inclamaturus eſſet: Num Longobardos Reges Gregorius, aut Arianos Ambroſius depoſuiſſe legitur, aut adverſus eos ſanctorum quiſpiam traditur inſurrexiſſe Pontificum, aut fidelitatis ſacramenta ſolviſſe, aut ad arma ſumenda ſubditos populos incitâſſe?

Bar. ibid. p. 190.

Senſit Baronius quò iſta pertinerent, atque allatis Petri Damiani verbis, hæc adſcribere non veretur: *Huc uſque Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitùs adverſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab Eccleſiâ*

(*ff*) *Hermannus*] Monachus Augiæ majoris vulgò Reichenaw in Sueviâ, dictus *Contractus* à membrorum ſuorum contractione, ſcripſit chronicon non aſpernandum, quod extat in Bibl. Pat. tom. xviij. p. 349. ſed mutilum. Nam finit an. 1051. Itaque, aut credendum eſt Baronio, res actas an. 1052. exſcribenti ex Hermanni chronico, aut hujus Chronici editio Baſileenſis Chriſt. Hurſt. conſulenda.

(*gg*) *Concilio Turonenſi*] præerat Hildebrandus Cardinalis, ut *Legatus à latere.*

Romanâ, Cathedrâ Petri, è duobus alterum gladium auferunt, nec niſi ſpiritualem concedunt. En quales hæreſes comminiſci, & ſanctiſſimis viris ac de ſede Apoſtolicâ bene meritiſſimis exprobrare non dubitant.

CAPUT XXIX.

Ejuſdem PETRI DAMIANI *ſub* ALEXANDRO *II. proximo* GREGORII *VII. anteceſſore, inſignis locus, quo docet utraſque poteſtates, & diſcretas eſſe, & ſupremas & ſocias.*

SUMMA ejus, quam tradidimus doctrinæ fuit, utraſque poteſtates & eſſe diſcretas, & in ſuo ordine ſupremas, & interim ſocias. Eâ de re extat ejuſdem Petri Damiani locus egregius, quem eò diligentiùs notari peto, quòd, ejus doctrinâ, quædam difficultates poſteà ſubortura facilè diſſolvantur.

Petrus igitur Damiani anno 1062. ſub Alexandro II. proximo Gregorii VII. anteceſſore, adversùs Cadaloum Parmenſem (*bb*) Antipapam ſcripſit dialogum, qui inſcribitur, *Diſceptatio ſynodalis:* quo in dialogo hanc tractat quæſtionem: an Alexander II. ſine autoritate Imperatoris ritè electus fuerit, adversùs conſuetudinem, & conceſſa Imperatoribus privilegia. Petrus Damiani ea quidem privilegia agnoſcebat: ſed Regis puerilitatem ac neceſſitatem cauſabatur. Quâ quidem in *Diſceptatione*, multa de Regum, multa de Pontificum autoritate occurrebant; iſtud imprimis, quo ſanctus Cardinalis ſermonem concluſit: *Amodo igitur, dilectiſſimi, illinc Regalis aulæ Conſiliarii, hinc ſedis Apoſtolicæ comminiſtri, utraque pars in hoc uno ſtudio conſpiremus laborantes, ut ſummum Sacerdotium, & Romanum ſimul confœderetur Imperium; quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in utrâque ſubſtantiâ regitur, nullis, quod abſit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum eſt, reſcindatur: ſicque mundi vertices in perpetuæ charitatis unione occurrant, ut inferiora membra per eorum diſcordiam non reſiliant, & quatenus ab uno Mediatore Dei & hominum, hæc duo, Regnum ſcilicèt & Sacerdotium, Divino ſunt conflata myſterio; ita ſublimes iſtæ duæ perſonæ tantâ ſibimet unitate jungantur, ut quodam mutuæ charitatis glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege, ſalvo ſcilicèt ſuo privilegio Papæ, quod nemo præter eum uſurpare permittitur. Caterùm & ipſe delinquentes, cùm cauſa dictaverit, forenſi lege coërceat, & Rex cum ſuis Epiſcopis ſuper animarum ſtatu prolatâ ſacrorum Canonum autoritate, de-*

Tom. ix. Conc. pag. 1172. & int. oper. Pet. Dam. tom. iij. opuſc. iv. p. 30.

(*bb*) *Cadaloum Parmenſem.*] Hic à factioſis Henrici IV. Epiſcopis creatus Pontifex & Honoratus II. dictus, ſæpè fruſtra tentavit Romam occupare. Synodus Mantuana, utriuſque Pontificis causâ ritè diſcuſſâ, ſolum Alexandrum Papam eſſe juſſit, ſed Cadalous, qui non diù poſt exactam Synodum peſſimâ morte interiit, ſe, quandiù vixit, quanquàm à ſuis derelictus, geſſit pro Pontifice. Vid. Bar. tom. xj. an. 1061. & ſeq. p. 278. & ſeq. Petrus Damiani ſuam *diſceptationem ſynodalem* ſcripſit, quandò Concilium Oſborienſe in Saxoniâ coegit Anno Colonienſis Archiepiſcopus, qui in eâ occaſione, ut in aliis bene multis, de Republicâ Chriſtianâ optimè meruit. Credibile eſt in eo Concilio fuiſſe lectam hanc *diſceptationem*, quam vide apud Labbæum tom. ix. Conc.

cernat; ille tanquam parens paterno ſemper jure præmineat; iſte velut unicus ac ſingularis filius, in amoris illius amplexibus requieſcat. Poſtea quàm hæc ſcripſit vir ſanctiſſimus paulò antè Gregorii VII. Pontificatum, moritur.

Hîc ambæ poteſtates inter ſe ut duo apices comparantur: his ſua in utrâque ſubſtantiâ, terrena ſcilicèt & cœleſti, aſſignantur officia: eæ, ut Principes, ſuoque in ordine ſupremæ, ſociali tantùm fœdere conjunguntur, non altera alteri in ſuis quidem rebus ſubditur; & quo jure Regi permittitur, ut *ſuper animarum ſalute*, ſed *ex Canonum autoritate decernat*, eodem jure permittitur Pontifici, ut *delinquentes* etiam pœnis temporalibus, ſed *forenſi lege*, non innatâ ſibi poteſtate *coërceat:* quæ multùm aliena ſunt ab eâ ſubordinatione, eâque in temporalibus, licèt indirectâ, ſed tamen ſupremâ & abſolutâ, ipſique Pontifici innatâ & congenitâ poteſtate, quam jactant.

Quòd autem Papæ ſuum ſalvum eſſe vult *privilegium, quod nemo præter eum uſurpare permittitur;* hoc eò certè pertinet, ne quod proclive erat, ac per ea tempora uſitatiſſimum, Imperator etiam vetita & inconceſſa tentaret, atque ut, quemadmodùm ſubdit, Papa, *tamquam Parens paterno ſemper jure præmineat:* non in eo profectò, ut alienum etiam invadat officium, & *utramque ſubſtantiam*, terrenam ac cœleſtem, in ambos Divino numine diſpertitam, quocumque nomine ſibi vindicet.

CAPUT XXX.

Geſta ſub ALEXANDRO II. *&* GREGORIO VII. *uſque ad inceptum annum* 1076. *dictorum in hoc libro circà primam quæſtionem ſumma & concluſio.*

HÆc ergò ſocietas ambarum poteſtatum, innato cuilibet ac ſupremo jure ſua tutantium, ſub Alexandro II. Gregorii VII. anteceſſore vigebat. Et ille quidem anno 1073. Henricum Teutonum atque Italiæ Regem, in ordine Regum III. Imperatorum IV. Romam vocavit, *ad ſatisfaciendum pro ſimoniacâ hæreſi, aliiſque nonnullis emendatione dignis.* Sic ipſe Baronius, ex Conrado Abbate Urſpergenſi docet. Memorat idem Baronius, ex Lamberto (*ii*) Schafnaburgenſi, horum temporum Hiſtorico elegantiſſimo pariter & diligentiſſimo, auſum eſſe Imperatorem prohibere Thuringos, ne ab Epiſcoporum Synodo ad ſedem Apoſtolicam appellarent. Nihil hactenus aliud nec in hiſtoriis, nec in citatione apparet, præter cauſas Eccleſiaſticas. Cujus autem

Bar. tom. xj. an. 1073. p. 414. ex Conr. Urſperg. vid. quoq. Lamber. Schafn. eod. an.

(*ii*) *Baronius ex Lamberto*] rem ſic narrat. Henricus *Archiepiſcopum Moguntinum modis omnibus inſtigavit, ut decimationes Thuringia exigeret, pollicens ſe ei in exigendo ſummâ ope affuturum, eâ tamen pactione, ut ſibi partem tribueret. Quod ut quâdam ſpecie palliaret* (nunquam enim decimationes illæ collectæ fuerant) *Synodum indixit in Erpheſfurd*, quæ Synodus Henrico obſequentiſſima fuit. At Thuringi, quos inter primi erant Fuldenſis & Hervellenſis Abbates, *Sedem Apoſtolicam appellabant. Sed Rex affirmabat, ſe in eum, ſi quis id præſumpſiſſet, capitali ſententiâ animadverſurum.* Quibus minis territi Abbates, Archiepiſcopo paruerunt. Vid. etiam D. FLEURY lib. lxj. n. 57. & ſeq.

Digitized by Google

autem pœnæ interminatione vocatus ſit Imperator, an excommunicationis, ut fieri ſolebat, an depoſitionis tacent Hiſtorici. Sed ipſo ſilentio, nihil extraordinarium, aut novum interveniſſe probant. Quin etiam Gregorius VII. Alexandro paulò poſt mortuo, negotium proſecutus, citat ille quidem Henricum anno 1076. ſui Pontificatûs IV. ſed quâ pœnâ intentatâ Autores disertè memorant. Nempè denunciatum ei eſt Papæ nomine, ut ſe Romæ ſiſteret ad ſecundam feriam ſecundæ hebdomadæ in quadrageſimâ; ac niſi dicto die judicio ſe ſiſteret, *ſciret ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore ſanctæ Eccleſiæ, Apoſtolico anathemate reſcindendum eſſe.* Hæc refert Baronius ex Lamberto Schafnaburgenſi. Eadem habet Autor hiſtoriæ Saxonici belli: *Si ſacris Canonibus noluiſſet Rex obediens exiſtere, & excommunicatos à ſocietate ſuâ repellere, ſe eum velut putre membrum anathematis gladio ab unitate ſanctæ matris Eccleſiæ minabatur abſcindere.* Hactenus more Majorum, pro Eccleſiaſticâ poteſtate, anathema, non depoſitionem comminatur. Quomodò huc decurrerit, ad alteram hujus tractationis partem attinet. Quamobrem hîc figamus pedem, ac reliqua in ſuum mittamus locum. Hîc quidem demonſtraſſe ſufficiat ad Gregorium uſque VII. imò ipſo Pontifice, ad annum 1076. jam incœptum, totis ferè undecim ſæculis, nullum exemplum occurrere, quo delinquentes Reges à Pontificibus depoſitione mulctati ſint, aut ullâ depoſitionis interminatione à graviſſimis quibuſque ſceleribus deterriti; cùm magnis viribus magniſque animis polleret Eccleſia, ac toties eædem cauſæ intervenerint, propter quas Gregorius VII. ac ſecuti Pontifices à ſe id maximè fieri poſſe confiſi ſunt.

Lamber. Schafn. an. 1076. vid. Bar. tom. xj. pag. 476.

Quid autem memoro Reges? Imò, cùm tot extiterint in privatâ fortunâ impii, ſcelerati, hæretici, nihil unquam juris in eos Eccleſia ſibi ſumpſit, utcumque Eccleſiæ eſſent nocentiſſimi, niſi ut ſacris arceret, vel à Sacerdotali ordine moveret. Cæterùm in eorum bonis, fortunis, familiâ, civili ac temporali ſtatu, nihil omninò tentavit, nihil à ſe immutari poſſe credidit. In exilium acti ſunt paſſim hæretici, ſed ab Imperatoribus: quod officium ubi Imperatores omiſêre, ſua quidem peregit; at in temporalibus nihil aggreſſa Eccleſia eſt: mulctati auro hæretici, ſed item ab Imperatoribus: non id Eccleſia decernebat, ſed ab Imperatoribus decerni interdum ſupplicabat. Id Conciliorum acta, id Patrum monumenta teſtantur. Atqui Eccleſiaſticæ rei plerumque conducit animadverti, non tantùm in Reges, ſed etiam in privatos, ac ſi illi ratiocinio locum damus, ab Eccleſiaſticâ poteſtate poſſe ea fieri in rebus etiam temporalibus, quæ ſaluti animarum, reique Eccleſiaſticæ neceſſaria videantur; haud minùs privati, quàm Reges ſuâ dignitate, honore, poſſeſſione, familiâ dejiciendi erant. Verum id Eccleſia nunquam ſibi tribuit. An verò Imperatores magis quàm privatos in poteſtate habebat? Aut quæ familias intactas relinquebat, Imperia commoveret? Abſit; ac ſuccurrit illud Tertulliani: *Quod in neminem licet, id forte nec in ipſum* (Imperatorem ſcilicèt) *qui per Deum tantus eſt.*

Tert apol. cap. xxxvj.

CAPUT XXXI.

An valeat id quod PERRONIUS *Cardinalis ad antiquitatis exempla reſponderit.*

Har.œuv. div. p. 630. EX ante dictis verò facilè ſolvitur Perronii Cardinalis, tanto viro, niſi vehementiſſimè fallor, parum digna reſponſio. Is celebri illâ oratione in Conventu totius Regni habitâ, ait: Juliani & aliorum quorundam exemplis haud magis concludi, deponi non poſſe Reges, quàm non poſſe excommunicari: quippe qui ut depoſiti non ſunt, ita nec nominatim excommunicati. Quâ reſponſione nihil eſt vanius. Quorſum enim, quæſo, pertineret nominatim excommunicari Julianum, quaſi non ipſe ſe ab Eccleſiâ ſatis inſolenter atque impiè abrumperet? Aut verò non ſatis fureret in Chriſtianos, niſi etiam ultrò exacerbarent inani illatâ contumeliâ? Non id profectò res poſcebat, ut excommunicarent impium & contemptorem, qui nihil niſi talia derideret, plebi verò Chriſtianæ ſatis ipſe per ſe execrationi eſſet. Dejicere Imperio, ſubtrahere ei plebis obſequium, ac robur exercitûs oportebat, ſi quidem fas fuiſſet. Quidni enim? cùm & vires & animi ſuppeterent, neque Eccleſiæ res in gravius unquam diſcrimen adductæ fuiſſent. Hoc primùm: tum, ſi Eccleſia, primis illis ſæculis, ab impiis excommunicandis, atque hæreticis, aut ſceleratis Regibus interdum abſtinuit, quandò ſatis eos exiſtimavit notatos eſſe, aut alia id argumenta ſuaſerunt; at ſæpè in alios Principes vim ſuam exeruit. An non enim Anaſtaſium & Leonem Iſaurum, ejuſque ſucceſſores, Lotharium etiam juniorem Regem, & alios nominatim etiam excommunicatos vidimus? Quin Eccleſia, ipsâ comminatione, quid in Reges quoque poſſet, oſtendit? Denique, ſi de Regibus cenſura Eccleſiaſtica tacuiſſet, exerebat ſe certè in privatos: cùm interim Eccleſia, quantâ poterat voce inclamaret: Reges in Eccleſiaſticis

Rom. ij. 11. haud minùs ſibi ſubjici, quàm cæteros, *neque enim perſonarum acceptionem eſſe apud Deum.* Neque verò neceſſe eſt id probari, quod nemo negaverit. Jam verò exſurgit invicta argumentatio: cenſuram ſuam Eccleſia, ſuam illam à Chriſto traditam in irrogandis ſpiritualibus pœnis poteſtatem, ab ipsâ Chriſtianitatis origine, ubique terrarum, & ſemper, exeruit in Principes, in privatos, in Clericos, in laïcos, effectu, judiciis, interminatione gravi: at eam, quam ipſi tribuunt, poteſtatem delicta coërcendi per temporales pœnas, ſcilicèt depoſitiones & privationes ipſius autoritate irrogatas, totis mille & quod excurrit annis, nuſquam in Principes, nuſquam in laïcos, nuſquam ſententiâ dictâ, nuſquam interminatione demonſtravit: quàm ergo certum eſt, vim illam adhibendæ dilectis pœnæ ſpiritualis, per ſeſe Eccleſiæ inſtitutione Chriſti convenire; tam perfectò certum eſt, vim adhibendæ pœnæ temporalis non ipſi à Chriſto eſſe datam, nihilque omninò eſt verius, quàm quod aſſerimus: poteſtatem illam non eſſe Eccleſiæ à Deo datam, quam tot labentibus ſæculis nunquam exercuerit, nunquam agnoverit.

CAPUT XXXII.

An ejuſdem PERRONII *Cardinalis diſtinctio valeat, Paganos inter Principes & Chriſtianos, aut Eccleſiæ fidem juratos: Romanum Imperium pridem Chriſtianum, alia Chriſtiana Regna; nec dum tamen memorata poteſtas Reges deponendi.*

QUOD autem idem Perronius eloquentiſſimus Cardinalis, miro ambitu apparatuque verborum venditabat, à Paganis Regibus maximo haberi diſcrimine eos Reges Regnaque, quæ jam Chriſto colla ſubdiderint, & Chriſtum Regem agnoverint; id verò cùm ſpontè corruit, nullo unquam in Scripturis ac Traditione Patrum hujus diſcriminis veſtigio; tum ex ante dictis perſpicuè confutatur. Ecce enim in undecimo verſamur ſæculo: 600. ferè anni ſunt, ex quo ſanctus Remigius id quod eſt hîc à Cardinali Perronio memoratum, Clodoveo dixit: *Mihi, depone colla, Sicamber:* nec dum aliquid inaudivimus de Regibus, judicio Eccleſiaſtico, Regni privatione damnandis. Atque, ut jam anteriora ſæcula omittamus, ſexto Eccleſiæ ſæculo; Anaſtaſius; octavo, Leo Iſaurus, ejuſque ſucceſſores fidem Eccleſiæ ejurati; & tamen hæretici ac perſecutores, Romanum Imperium Romamque ipſam obtinebant: cùm multis ante ſæculis ſanctus Auguſtinus Romanum Imperium Chriſtianum appellâſſet. Notum illud: hæreſi Pelagianâ *univerſam Romanam Eccleſiam, Romanumque Imperium, quod Deo propitio Chriſtianum eſt, fuiſſe commotum.* Eoque antiquior Optatus Milevitanus ſcripſerat: *Eccleſiam eſſe in Imperio Romano, quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cùm dicit:* VENI, SPONSA MEA, VENI DE LIBANO, *id eſt, de Imperio Romano.* Ratus, id quod erat, Romanum Imperium ipſi Evangelio, ipſique Eccleſiæ, Propheticis vocibus ac ſingulari providentiâ dedicatum. Quo factum, ut Roma caput gentium, in Eccleſiæ religioniſque caput conſecrata fuerit, Chriſtique Imperio priſci Curii, Fabii, Scipiones, ipſi etiam Cæſares neſcii, majorique vi acti, militârint.

Du Perr. loc. cit. p. 627.

Du Perr. ibid. Greg. Turon. hiſt. lib. ij. n. 31.

Auguſt. de pecc. Orig. cont. Pelag. lib. ij. cap. xvij. tom. x. pag. 260.

Opt. Milev. de ſchiſm. Donat. lib. iij. pag. 66. edit. Albaſ. & cap. iij. p. 52. edit. D. Dup.

Quin etiam ſub Paganis Imperatoribus, perſecutione fervente, eam cum Eccleſiâ Romani Imperii conjunctionem Patres intelligere viſi, cùm Melito (*kk*) Sardianus in Apologiâ ad Marcum Aurelium datâ, annotaret ſub Auguſto incœpiſſe prædicationem Evangelicam, eo ſcilicèt tempore, quo Imperatores ſummâ cum poteſtate Romæ eſſe cœperunt, *congenitamque Imperio Romano Chriſtianam Philoſophiam*, ipſi Imperio ornamento ac præſidio fuiſſe; tamquam eam, quæ ſecuta eſt Romani Imperii cum Eccleſiâ Chriſti, ſocietatem præſagirent.

Ap. Euſeb. lib. iij. cap. xxv.

His ergò completis, quæ Prophetica eloquia prædixerant, tamen Imperium Romanum, jam Chriſtianum, jam Chriſto conſecratum Conſtantii,

(*kk*) *Melito.*] Hujus apologiæ, quam [illegible] vocat Euſebius, fragmenta tantùm ſuperſunt, ab Halloixio Societ. Jeſ. collecta tom. ij. Script. Eccl. Orient. quibus fragmentis intelligimus, quanto Chriſtianæ Reipublicæ damno reliqua perierint.

Juliani, Valentes, Anaſtaſii, & alii innumerabiles hæretici atque perſecutores tenuerunt, nihil prohibente Eccleſiâ, cùm etiam, id quod illi graviſſimum putant, ipſi Imperatores dato Sacramento, Chriſto Regi addicti eſſent.

Nempè Chriſtiani intelligebant Imperium Romanum, hoſpitam in terris atque peregrinam complexum Eccleſiam, haud minùs eadem regnandi jura ſervare; neque obeſſe religionem Imperio, quod non illa feciſſet, ſed omnibus numeris abſolutum ingreſſa eſſet. Unde illa manârunt ſancti Optati Milevitani, Donatiſtas increpantis, cùm adverſantibus Chriſtianis Imperatoribus immodeſtè obſtreperent: *Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia eſt in Republica, hoc eſt, in Imperio Romano*, & cætera, quæ jam retulimus; quo deinde concludit: *Meritò Paulus docet orandum eſſe pro Regibus & poteſtatibus; etiamſi talis eſſet Imperator, qui Gentiliter viveret: quantò quòd Chriſtianus, quantò quòd Deum timens, quantò quòd religioſus, quantò quòd miſericors?* Ut hæc quidem cauſa ſit ſtudioſioris obſequii in Imperatorem, quòd ſit Chriſtianus: cæterùm Imperium Gentili æquè ac Chriſtiano conſtet. Atque hæc de Regibus hæreticis, aut propter ſcelera exoſis, uſque ad Gregorii VII. tempora dicta ſint.

Ibid.

CAPUT XXXIII.

Altera Quæſtio: an nullo quoque interveniente peccato, propter Eccleſiaſticam utilitatem, Reges deponendi viſi ſint ab Eccleſiaſticâ poteſtate? CHILDERICUS *Regum Merovingianorum ultimus. Cap. alius. 15. q. 6. ex* GREGORIO VII. *Gloſſa in illud caput: Majorum de eo capite ſententia.*

ALTERA pars hujus, quam impugnamus, ſententiæ, eſt: ab Eccleſiaſticâ poteſtate deponi Principes etiam innocuos, ſi id res Eccleſiæ poſtulârint. Jam ergò tantæ rei, quæ proferant, exempla videamus.

Primum iſtud produnt in Childerico Rege, medio octavo ſæculo, anno ſcilicèt Domini 752. quod imprimis notari volumus, ut ſtatim animadvertant quàm hæc tot ſæculis inaudita fuerint.

Legamus poſteà quomodò factum referat Gregorius VII. *Zacharias Papa Regem Francorum depoſuit, & omnes Francigenas a vinculo juramenti, quod ſibi fecerant, abſolvit.* Hæc libro IV. epiſtolâ II. libro verò VIII. epiſtolâ XXI. paulò fuſiùs. *Alius item Romanus Pontifex*, (Zacharias videlicèt) *Regem Francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ poteſtati non erat utilis, a Regno depoſuit, & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem, in ejus loco ſubſtituit, omneſque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, abſolvit:* ex quibus Gregorii verbis conflatum eſt caput *alius* ſub Gelaſii nomine, à Gratiano per ſummam temporum inſcitiam editus.

Greg. vij. lib. iv. ep. ij. ad Herm. Tom. x. Conc. pag. 147. Id. lib. viij. p. 270.

Cauſ. xv. q. vj. cap. iij.

Hîc notanda verba quædam : primùm illa : *Non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quòd tantæ poteſtati non erat utilis.* Certiſſimum enim eſt Childericum nullius ſceleris fuiſſe accuſatum : quod autem Gloſſa hîc memorat in verbum, *inutilis*, id ita interpretandum eſſe, quòd fuerit *diſſolutus cum mulieribus* & *effeminatus* ; abſurdam interpretationem quis non videat? Sed tamen Gloſſatorem puduit, innocuum Principem, ac nullius unquam ſceleris poſtulatum, tamen depoſitum fuiſſe : quare hæc falſa & inania de mulierum amoribus, nullo unquam autore, commentus eſt. Quod verò addit, ſi tantùm *inutilis* fuiſſet, dandum ei *coadjutorem*, ſatis profectò oſtendit quàm parum probaret deponi Principem eo nomine, quòd eſſet *inutilis*. Ex quibus manifeſtum eſt Gloſſatores Romanos, quantumvis poteſtati Pontificiæ faveant, adeò puduiſſe eorum quæ Gregorius VII. dixerit, ut ea quâ poterant interpretatione mollirent.

Secundò nec repetam de verbo, *depoſuit*, quod idem Gloſſator, ut nimium, ad hunc modum molliendum cenſuit : *Dicitur depoſuiſſe qui deponentibus conſenſit.*

Tertiò, notandum illud : *Subſtituit Pipinum*, quod adeò eſt manifeſtè nimium, ut à nullo indirectæ poteſtatis vel ſtudioſiſſimo defenſore, Romano Pontifici tribui poſſe putem. Si enim non modò Reges ac domum regnatricem ſolio exturbare, verùm etiam nobiliſſimum Regnum, ejuſque optimates, populumque univerſum eligendi libertate privare, ſibique jus deſignandi Principis arrogare poteſt ; non video jam quid in Regna non poſſit, aut cur non eum pro uno omnium gentium à Deo conſtituto Imperatore habeamus.

Quare, cùm audimus autoritate Zachariæ Pipinum Childerico fuiſſe ſubſtitutum, niſi intelligamus conſilio id, non Imperio factum, omninò nimii, adeòque vani ſumus.

Quartò, notandum verbum illud, *à juramento fidelitatis abſolvit :* quod à nullo idoneo autore proditum geſta declarabunt.

Atque hæc quidem Gregorii VII. verba ſunt : quomodò autem rem omnem intellexerint, qui poſt eum ſcripſêre noſtri anteceſſores, paucis exponere erit operæ pretium.

Summa eſt ; *Depoſuiſſe*, id eſt, deponendum conſenſiſſe, ſuaſiſſe, conſuluiſſe, idque volentibus : jam conſilium à Papa, ut à *viro ſapiente ac Patre ſpirituali*, exquiſitum : at ſi pro Imperio aliquid decreviſſet, numquam *permiſſuros fuiſſe Barones Regni Franciæ.* Joan.Pariſ. quæſt. de poteſt.Reg. & Pap.

Gerſon vir maximus ſub Carolo VI. libro, *de poteſtate Eccleſiaſticâ, conſideratione XII.* ad adulationem refert, quod de *depoſitione unius Regis Franciæ per Papam Zachariam dicitur, tamquam Papalis autoritas transferre poſſit gentes & Regna.* Gerſ. de pot. Eccl. Conſ. xij. tom.ij. edit. Dup.p.147.

Almainus verò ſub Ludovico XII. hæc ſcripſit : *Quia tunc temporis non erat Univerſitas Pariſienſis.... & ſic pauci erant docti in Franciâ, habuerunt recurſum ad Papam :* adeò abhorrebant ab eo, ut putarent Francorum Regem à Papâ pro poteſtate fuiſſe depoſitum. Alm. de aut. Eccleſ.

Neque eſt prætermittendum, id quod Philippi Pulchri tempore à Joanne Pariſienſi, nobiliſſimo Prædicatorii ordinis Theologo, ſcriptum eſt ; *Non* Joan.Pariſ. de poteſt. Reg.& Pap.

cap. lxxiv. ap. Goldaſt. *oportet ex ejuſmodi factis ſingularibus, quæ interdum ex devotione ad Eccleſiam, vel perſonam Eccleſiaſticam, vel ex favore, vel ex cauſâ aliâ, & non ex debito jure fiunt, argumenta ſumere:* quo uno reſponſo tota objectio ſtatim concidit.

Sed quandoquidem hoc exemplo maximè abutuntur, ut rei veritas elucescat, geſtorum ſeriem ab alto repetitam referimus. Cujus tractationis non is eſt ſcopus, ut quid jure, quid injuriâ factum ſit, inquiramus; ſed ut ſtatuamus ſeu jure, ſive injuriâ factum, nihil omninò ad hanc cauſam pertinere.

CAPUT XXXIV.

Rei ſub ZACHARIA *geſtæ ſeries: Regni Francici ſtatus: evictum hæc nihil ad noſtram quæſtionem pertinere.*

POST Dagobertum I. anno Chriſti circiter 641. Sigeberto & Clodoveo II. ejus filiis, Francorum in Auſtraſiâ & Neuſtriâ Regibus, cœpit Majorum-domus autoritas invaleſcere. Exindè ſub Clodovei II. liberis ac ſecutis Regibus nomen ac titulus Imperii, penes Reges, vis, penes Majores domus fuit. Hi exercitibus ſummo jure imperitabant: Regia autoritas, etiam apud milites, vilis ac nulla habebatur.

Primus hic gradus eſt, quo Regia infringi cœpit autoritas: conſtituto ſcilicèt totius conſenſione gentis ordinario Magiſtratu, eoque perpetuo, qui ſummæ rerum ſuo jure præeſſet, militiamque omnem in poteſtate haberet. Neque Reges id ſibi ſaltem reſervaverant, ut eum Magiſtratum deſignarent ipſi: conſenſione Procerum creabatur, ac ſemel conſtitutus, inconſulto Rege, omnia peragebat.

Interim Anſegiſus inclytâ ſtirpe prognatus, ac ſancti Arnulphi * filius, Majoris-domûs nomine, rerum potitus in Auſtraſiâ, Martino & Pipino Heriſtello liberis (*ll*) tantam autoritatem reliquit, ut ejus Regni Principes ſummo jure fierent, ad annum circiter Chriſti 687.

* Metenſis Epiſcopi.

Is ſecundus gradus, quo Majores-domus Auſtraſiani Regni, ſummo & abſoluto jure, facti Principes hæreditarii, nullâ jam in Auſtraſiâ Regum poteſtate.

Huic Principatui ad ſe unum poſteà devoluto, Pipinus Heriſtellus, magnâ victoriâ de Neuſtriis reportatâ, adjunxit Majoris-domûs in Neuſtriâ poteſtatem, totamque Franciam ſuis ſubegit legibus, ac Francorum Princeps dictus eſt, anno Chriſti 691.

Is Auſtraſiæ Principatum, ac Majoris-domûs in Neuſtriâ dignitatem ſuis hæreditariam fecit; qui tertiùs gradus eſt. Eo autem jure Carolus Martellus

(*ll*) *Martino & Pipino Heriſtello liberis.*] Levis error corrigendus eſt. Non enim erant uterque Anſegiſi filii; nam Martinus patrem habuit Clodulphum Metenſem Epiſcopum, Anſegiſi fratrem & ſancti Arnulphi filium. Vid. Mezerai, & annales Eccleſ. Fran. P. LE COINTE tom. iv. an. 696. n. 7. p. 325.

ejus filius, Dux & Princeps Francorum fuit ſummâ poteſtate, nullo Rege in Auſtraſiâ, in Neuſtriâ diverſis Regibus, ſed nomine tenus: quippe quos Carolus Martellus regeret, crearet, amoveret, reficeret, prout collibitum erat. Geſta hæc ſunt ab anno 714. ad annum 741. quo Carolus Martellus victoriis clarus obiit, totius Franciæ Principatu, non modo ad ſe tranſlato conſenſione gentis, verùm etiam inter filios Carlomanum & Pipinum, ſummâ ac ſupremâ poteſtate diviſo.

Carlomano ad annum Chriſti 747. Monachatum profeſſo, Pipinus rerum potitus eſt: Childericus, ultimus Merovingianæ ſtirpis, Regis nomen obtinebat, nullâ poteſtate.

Nihil hactenùs de ſede Apoſtolicâ audivimus dictum: tantæ mutationes unâ Procerum, totiuſque gentis conſenſione factæ; ſummique Principatûs vis, in ſancti Arnulphi domum tranſiit, repugnante nullo.

Hoc rerum ſtatu, cùm Pipinus univerſi Francici nominis, ſummo cum Imperio ac totius gentis conſenſu, hæreditarium Principatum teneret; Regia familia Regnum abdicâſſe, ſeu potiùs ipſa penitùs interiiſſe videbatur, abjectâ quidem Regni curâ, ipsâque poteſtate in alium Magiſtratum, eumque hæreditarium tranſlatâ. Eo enim ſtatu non unus aut alter Rex, ſed tota domus Regia; nec jam perſonarum vitio, ſed ex ipſâ rerum conſtitutione erat *inutilis:* inutile quoque ac vanum ipſum nomen Regium, & quò inutile, eò etiam noxium, diſſolvendæ ſcilicèt, atque diſſipandæ Reipublicæ natum; neque ſtare poterat Regni corpus, quod in duas familias tanquam in duo capita ſcinderetur: cùm utraque familia, jure ſucceſſionis parto, ſupremæ poteſtatis, altera vim ac rem, altera titulum propagatura eſſet. Cui ut incommodo mederentur, anno 749. collecti Optimates unà cúm Pipino conſilium habuerunt, ut Regis nomen cum ipſâ poteſtate conjungerent. Placuit conſulere Zachariam (*mm*) Papam in hanc formam, autore hujus ævi referente: *Si ita manere deberent Franci, cùm penè nullius eſſent poteſtatis* (Reges) *ſolo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex reſpondit: illum debere vocari Regem qui Rempublicam regeret. Detonſo igitur Childerico, & in Monaſterium detruſo, mox Franci Pipinum ſibi Regem conſtituunt.* Geneal. Reg. Franc. tom. j. Du-ch. p. 796.

Hìc profectò videmus, ut in magnâ & ambiguâ re, exquiſitum conſilium, quo nullum eſſet gravius, ſedis nempè Apoſtolicæ. Propoſita difficultas: *An ita manere deberent Franci*, Regiâ poteſtate ſcilicèt à Regio nomine ſeparatâ? Reſponſum datum: *Debere vocari Regem, qui Rempublicam regeret.* Nempè de nomine quæſitum & reſponſum eſt, cùm de re conſtaret, ac vim ipſam Principatûs, totius conſenſu gentis penes Pipinum eſſe, nemo dubitaret.

Accepto reſponſo, Pipinus Rex eſt conſtitutus, ſed à Francis: *Franci*, inquit, *ſibi Regem conſtituunt*; neque enim à Pontifice poſtulabant, ut id ipſe faceret, ſed interrogabant, rectene id ipſi facturi eſſent.

Eamdem conſultationem huic ævo proximus & Caroli Magni familiaris

(*mm*) *Placuit conſulere Zachariam.*] P. Le Cointe, inconſulto Zachariâ, rem actam fuiſſe probat. Vid. not. ſeq.

Egin. ann. Franc. tom. ij. Duch.

Eginardus, (*nn*) his verbis refert: *Miſſi ſunt Burcardus & Folradus Romam ad Zachariam, ut conſulerent Pontificem de cauſâ Regum, qui illo tempore fuerunt in Franciâ, qui nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuerunt.* Hæc conſultatio. *Secutum eſt reſponſum: melius eſſe illum Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret.* Jam ergò poteſtas ipſa penes Pipinum erat, non à Pontifice conceſſa, ſed totius conſenſione gentis Pipino attributa. Cætera Eginardi poſteà memorabimus: nunc ad autores ejus ævi redeamus.

Fredegar. Chron. Duch. tom. j. pag. 773.

Fredegarius (*oo*) ſeu ejus continuator hæc ſcripſit: *Quo tempore unà cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione, à ſede Apoſtolicâ autoritate perceptâ, præcelſus Pipinus electione totius Franciæ in ſedem Regni cum conſecratione Epiſcoporum & ſubjectione Principum, cum Reginâ Bertradane, ut antiquitùs ordo depoſcit, ſublimatur in Regno.* (*pp*) Vides quâ poteſtate Rex ſit ſublimatus. Nempè *electione totius Franciæ.* Anteceſſit, ut in magnâ re à Francis ipſis miſſa *relatio* ſeu conſultatio ad Zachariam Pontificem, tum ab ipſo reſponſum, ſeu *autoritas*, quæ vox Latinè perſæpè *conſilium* ſonat. Neque tamen negamus juſtæ deciſionis loco fuiſſe profectum à tantâ Sede, ex ipſâ totius gentis conſultatione, reſponſum. Sed aliud eſt, datum ambigentibus, graviſſimâ etiam autoritate, conſilium, aliud, prolatum de rebus civilibus ordinandis, pro poteſtate decretum.

Vit. Car. Mag. per Monach. Engoliſm. Ann. Metenſ. Ann. Franc. Egin. Duch. tom. ij.

Reliqui ſcriptores paſſim *conſultum* & *interrogatum* Zachariam referunt: Papæ

(*nn*) *Caroli Magni familiaris Eginhardus.*] Quâ fretus autoritate, Perronius in ſuâ ad tertium Ordinem celebri oratione, Eginhardum dixit Caroli Magni *Cancellarium*, ſive, ut interpretatur D. Bossuet, familiarem, nuſquam liquet. Verùm ipſe Eginhardus ſe non eſſe Caroli Magni coævum ſatis declarat, qui *nihil de ejus nativitate & infantiâ ſcripſerit, quia tunc nullus in vivis erat qui notitiam horum temporum haberet.* Equidem ille *affirmat Pipinum per autoritatem Romani Pontificis, ex Præfecto Palatii Regem conſtitutum.* At Eginhardum P. Le Cointe redarguit ut fabulatorem; certè eum parùm eſſe diligentem multis argumentis probat. Quod autem attinet ad autorem annalium, quos hîc laudat D. Bossuet, hunc P. Le Cointe, *propter opinionum diſcrepantiam ab Eginhardo longè diverſum eſſe* contendit. Et quidem Eginhardus, in vitâ Caroli Magni, temporum ſeriem haud leviter diſturbans, *Childericum juſſu Stephani Romani Pontificis exauctoratum affirmat*, quod à Zachariâ factum fuiſſe dicit Autor annalium, & cum eo x. aut xij. alii Annaliſtæ. Neque his deterretur P. Le Cointe quominùs aſſerat, hanc exauctorationis fabulam, à Loiſiliano ix. ſæculi Annaliſtâ primùm excogitatam, à cæteris deinde creditam & promulgatam fuiſſe. Ad fabulas quoque ablegat unctionem Pipini *per manus Bonifacii*, aſſertam licèt multorum teſtimonio; atque hoc unum in totâ hâc hiſtoriâ certum putat eſſe: nempe, *depoſitum Childericum, & Pipinum elevatum in Regno ſuo in Sueſſionis civitate anno 752.* Vid. ann. Franc. tom. v. p. 319. & ſeq.

(*oo*) *Fredegarius*] ſive ille ſit, ſive quiſpiam alius; hunc P. Le Cointe credit coævum; ſed quædam in ejus textu male addita expungit verba. 1°. Una cum consilio et consensu omnium Francorum, *quæ*, inquit, *non differunt à ſequentibus:* electione totius Franciæ. 2°. Illa: missa relatione a sede Apostolica autoritate accepta, quæ cùm obſcura ſunt, tum innuunt conſultam ſedem Apoſtolicam, ſuâ autoritate rem definiiſſe, quod P. Le Cointe à ſe graviſſimis argumentis jam confectum putat. 3°. Delet etiam hæc verba: cum consecratione Episcoporum et subjectione Principum. Nam negat *conſecratum fuiſſe Pipinum*; negat etiam *Magnates, ſeu Primates, aut Proceres Regni, per nomen* Principum *ab illo autore unquam deſignari; quia* Principes *eos appellare ſolet, qui Majoratu Regia domûs fungebantur.* Vid. ibid. p. 360.

(*pp*) *Sublimatur in Regno.*] Antiquitùs milites eum quem ſibi Regem volebant, clypeo ſublevatum ſalutabant his verbis: *Vivat Rex.*

Papæ ſecutam reſponſionem memorant : quam modò *conſilium*, modò *autoritatem*, modò *conſultum*, modò *mandatum*, modò pro honorificentiâ ſedis Apoſtolicæ *juſſionem*, *ſanctionem*, *Imperium* etiam nonnulli appellant : quæ voces, quoniam diverſiſſimæ virtutis ſunt, ad unum ſenſum, ex rei geſtæ ſerie reducuntur : nempè, ut quæ Zacharias conſultus interrogatuſque *reſponderet*, *conſuleret*, *mandaret*, hoc eſt, ejus ævi vulgari & notâ ſignificatione, reſcriberet, id Franci Proceres, quaſi juſſionis certæque autoritatis loco ſpontè acciperent, atque ex Pontificis ſententiâ rem gererent, eò magis, quòd ipſis placita, eorumque rationibus conſentanea reſpondiſſet.

Quare omnes uno ore ſcribunt totius electione gentis Pipinum conſtitutum; quique in explicando Zachariæ decreto, *Imperii* voce uſus eſt ſcriptor coætaneus, à doctiſſimo ſanctiſſimoque viro Joanne Mabillonio Benedictino in opere Diplomatico relatus, hæc addit : *Pipinus Rex pius per autoritatem & Imperium Sanctæ recordationis Domini Zachariæ Papæ & unctionem ſancti chriſmatis per manus beatorum Sacerdotum Galliarum, & electionem omnium Francorum, in Regni ſolio ſublimatus eſt.* Diplom. D. Mabill. pag. 384.

Ergò Autorum omnium conſenſione liquet, Pipinum electione Francorum Regem fuiſſe factum, neque aliâ ratione dejectum Childericum : ut hæc ad Zachariam referre, proprio ac ſtricto, ut aiunt, verborum ſenſu, nihil aliud ſit, quàm toti antiquitati illudere.

Cæterùm quod Bellarminus ejuſque aſſeclæ, poſt Gregorium VII. de exſoluto per Zachariæ autoritatem fidelitatis Sacramento paſſim inculcant, nulla hujus rei apud autores iſtius vel proximæ ætatis mentio eſt; magnique intereſt, quid autores ipſo rei geſtæ tempore, vel ejus recente memoriâ ſcripſerint, ab iis ſecernere, quæ poſterioribus ſæculis conjecturâ, vel ratiocinio addiderint; neque tantùm autorum verba, ſed etiam ipſa rei ſeries conteſtatur, id egiſſe Proceres Francos; non ut Pontifex Regem pro poteſtate tolleret aut faceret, aut jusjurandum ſuo arbitrio ſolveret; ſed tantùm, ut ab ipſis, magno autore, magna res ageretur, nec plebs temerè factum arbitraretur, quod tantus Pontifex comprobâſſet.

Summa eſt : ut in gravi & ambiguâ re quæſitum à Pontifice, an liceret Regem appellare, qui Regiâ poteſtate eſſet; reſponſum, id licere : reſponſum eâ autoritate editum, quâ nullâ ſit major, pro juſtâ ac legitimâ deciſione habitum, ex eâque autoritate jam ab ipſâ gente Regnum Childerico abrogatum, atque in Pipinum tranſlatum eſſe : quandoquidem non id factum eſt, ut Pontifex Regnum adimeret aut daret, ſed ut declararet adimendum vel dandum ab iis, quibus id juris competere judicâſſet.

CAPUT XXXV.

Clariùs demonſtratur hæc, utcumque ſe habent, nihil ad rem facere.

SED ſi vel maximè adverſariis concedimus, Francos jurejurando à Zachariâ exſolutos, nihil hoc ad propoſitum. Eſto enim Franci, qui nihili jam facerent Childericum, eumque ſolo contentum nomine Regio, rem

ipſam quodammodò abdicâſſe judicarent, tamquam ad cautelam, ut aiunt, & propter ipſam juriſjurandi reverentiam, à Zachariâ petierint, ut declararet illud eſſe irritum, eâque religione ritè exſolutos Francos; hi poſteà Principem jam ipſâ re nullum, neque admodum fortaſſe, quâ erat inſcitiâ atque imbecillitate, repugnantem, ipſo nomine exuerint: quid hoc ad quæſtionem noſtram? An id propterea extorquebunt, ut Pontifex Principem pleno Imperii jure gaudentem dejicere, aut populos nihil tale cogitantes jurejurando ſolvere, omnia denique erga ipſos nolentes reluctanteſque facere ſuo jure poſſit, quæ hîc erga volentes petenteſque facta eſſent? Nihil eſt abſurdius.

At quæres: cùm eò tandem deveniſſe videamur, ut jam fateri neceſſe ſit, deponi poſſe Reges; cur non id potiùs Pontifici, tuendæ religionis, quàm tuendæ Reipublicæ cauſâ, Proceribus permittamus, cùm multò majoris ſit religionis, quàm Regni incolumitas? Reſpondemus primùm, falsò id imputari nobis, ut quæ erga Childericum geſta ſunt, tamquam proba aſſeramus: neque enim quidquam aliud nobis propoſuimus, quàm ut de facto quæreremus, eoque expoſito doceremus, totum hoc negotium, tantâ adverſariorum ambitione jactatum, nihil omninò ad rem, aut ad eam, quam Pontifici aſſertam volunt poteſtatem, pertinere.

Jam ſi vel maximè hæc probare cogeremur, reſpondemus ſecundò ex antedictis: multò quidem eſſe majoris, religionis, quàm Reipublicæ incolumitatem, in genere moris, & quod attinet ad ſalutem animarum: quod autem attinet ad civilis ſocietatis rationem, atque, ut vocant ſubſtantiam, non ita; quippè cùm proſtratâ religione, civilis ſocietas ſuo in ordine ſtare poſſit: proſtratâ autem Republicâ, civilis ſocietas jam nulla ſit, quam tamen etiam penes religionis hoſtes manere integram, Deus optimus, maximus, humanique generis amantiſſimus voluit.

Adde quòd, eo quo erant res Franciæ ſtatu, Regni Proceres exiſtimâſſe videantur, non tam dejiciendos Reges, quàm iis, depoſitâ jam Regni curâ atque commiſſâ poteſtate, dejectis, verum Regem ſubſtituendum eſſe, tamquam Regia familia interiiſſet.

Cur autem id Regni Proceribus, non Eccleſiaſticæ poteſtati ac Romano Pontifici tribuamus, quis non videat hinc eſſe exortum, quòd omnis Reſpublica, ſeu civilis ſocietas perfecta ac libera, id jure gentium atque etiam ipſo jure naturæ habeat, ut ſaluti ſuæ conſulere per ſe ipſa poſſit; & ab aliis, non quidem poteſtatem, quæ ipſi eſt inſita, ſed conſilium tantùm, aliaque ejus generis exquirere debeat: quod etiam in hoc negotio à Majoribus noſtris factum eſſe vidimus.

Jam ſi ad ſummum urgere pergant, *juſſionis*, aut etiam *Imperii*, vocem, reſponſo Pontificio attributam, cùm certiſſimè conſtet Pipinum electione Regem eſſe conſtitutum, quod tamen ſcriptores ad juſſionem Zachariæ referunt: quærimus ipſi viciſſim, ecquid fas eſſe putent Romano Pontifici, ut liberæ genti de eligendo Principe pro poteſtate imperet? Quod cùm per ſe ſit nimium, tum juſſionis vocem ad æquiorem ſenſum, uti fecimus, temperandam, ipſi ultrò fatebuntur.

Iterum quærimus, an magnæ eſſe videatur poteſtatis indicium, ut Za-

charias eum Regem fieri procuraret, qui jam, omnium conſenſu, rerum potiretur; ut profectò nec mirum ſit ei multum fuiſſe delatum, qui conſultus à Francis, quæ vellent ſuaderet?

Tertiò atque ultimò quærimus: ſi vel maximè ſtricto & ſummo jure, juſſionis vocem hîc, aut Franci, aut Pontifex acciperent; ex facto ſingulari ecquid juris oriatur? Erraverint Majores noſtri, quòd plus æquo Pontifici tribuerint: erraverit Pontifex, quòd plus æquo ſibi ſumpſerit: quid hoc ad jus ipſum? Neque enim contendit quiſquam, Pontifices Romanos ejuſmodi in negotiis infallibilitate gaudere, ut propterea nobis neceſſe ſit omnia Zachariæ geſta ſenſaque, ut certâ ratione nixa tueri. Neque Majores noſtri uno ſingulari facto, tantam rem perficere potuerunt, ut Regna danda & adimenda in poteſtate Pontificum eſſent. Quî enim, quæſo, factum eſt, ut Franci in Neuſtriâ rem ipſam, hoc eſt, ſummam poteſtatem, in Auſtraſiâ, etiam ſummi Principatûs nomen ab Regiâ domo in Majores-domus, aliamque domum transferrent, ac tranſlatum jure putarent, nullâ expectatâ Pontificis juſſione, ac tantùm conſulerent eum, cùm jam de Regis nomine tantùm, non de ipſâ poteſtate Regiâ ageretur? Quid quod, & autoritatem & Regium nomen, in Hugonem Capetum, inconſulto Pontifice, contulerunt? Certa hæc argumenta ſunt, totum id quod Romano Pontifici delatum ſemel eſt, occaſione Pipini, non ad neceſſariam Romani Pontificis juſſionem atque autoritatem, ſed ad conſultationem pro temporum ratione factam, omninò referendum.

Quare nec Romani Pontifices, qui his proximis temporibus ſedem Apoſtolicam tenuerunt, cùm ab ipſo Pipino, ejuſque filio Carolo multa poſcerent, id unquam in medium adduxerunt, Regnum iis à Romanâ Eccleſiâ eſſe conceſſum: quod utique nec illi, nec alii Pontifices omiſiſſent, qui ſedis Apoſtolicæ geſta factaque magnificè commendare ac prædicare ſoleant. Neque Majores noſtri ejus animi erant, ut de Regno Franciæ decerni à Zachariâ ſinerent, cum, hujus facti recente memoriâ, ad Adrianum II. minora tentantem ſcripſerint ea quæ jam audivimus: *Dominus Papa Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt: ejus anteceſſores diſpoſuerunt ordinem Eccleſiaſticum, quod ſuum eſt, & non Rempublicam, quod Regum eſt; non nobis præcipiat habere Regem quem commendaverit, & nos Francos ſervire non jubeat, quia iſtud jugum ſui anteceſſores noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus;* ut non immeritò Doctores noſtri Gregorii VII. dicto reſponderint: *Si quiſquam Pontifex de Regno Franciæ pro Imperio decerneret, id Barones Regni laturos non fuiſſe.* Hincm. tom. ij. ep. xlj. vid. ſup. cap. xxiij.

Denique ſi ſtricto jure agamus, nihil ad noſtram quæſtionem pertinet, quid hîc Franci, quidve Zacharias egerint, aut quo tandem modo de Regio nomine quæſierint, ſuaſerint, decreverint: licebatque nobis hunc nodum amputare, planè reſpondentibus: nihil hîc ordine eſſe geſtum, ſed aut per errorem innocuum, aut etiam, ſi lubet, per apertam injuriam omnia perpetrata; detonſumque immeritò adoleſcentem Regem, & in gratiam audentioris ac valentioris acta eſſe omnia, adversùs inſontem & invalidum, neque uno exemplo, eoque peſſimo, tantam rem à nobis extorqueri poſſe, ut ad Pontificis arbitrium Imperia transferantur. Quo jure ſi ageremus,

nempè adverſarii ſtatim obtumeſcerent. Neque enim quidquam prohibet, quominus Pipinus, magnus vir, Auguſti exemplo, malè partam poteſtatem bene geſſerit; neque eo minùs poſt mortuum Childericum, in eoque extinctam Merovingianam ſtirpem, quod ſtatim contigit, Pipino ejuſque filio, Carolo Magno, ipſâ conſenſione ac poſſeſſione, ſua autoritas conſtitiſſet. Quâ defenſione cùm uti jus faſque ſit, agnoſcant oportet, nos ad molliendam rectâ interpretatione *juſſionis* vocem, & ad alia, quæ diximus, nulla cauſæ neceſſitate, ſed amore veritatis, & Hiſtoricorum verbis, & ipſâ rerum ſerie eſſe deductos.

CAPUT XXXVI.

Quæritur quo jure facta ſit tranſlatio Imperii Occidentalis ad Francos: duo præmittuntur ſtatus Imperii: tum in Pontificibus, & ſacro Ordine jura duplicis generis diſtinguuntur: Romanus Pontifex labente Imperio caput civitatis habitus.

LICERET autem eâdem ratione tranſlatum à Græcis ad Francos Occidentale Imperium defendere. Neque enim, quod Baronius fusè agit, tot ac tanta in Eccleſiam ac Rempublicam ex eâ tranſlatione diffuſa bona ſatis probant, rem ab origine certo jure nixam & conſtabilitam fuiſſe; cùm hoc plerumque habeant res humanæ, ut peſſimis ab initiis, optimo Deo ita providente, maxima bona proveniant. Quâ unâ defenſione adverſariorum argumenta concidunt. Verùm alia à nobis, non cauſæ noſtræ ratio, ſed ipſa veritas poſcit; neque tantùm Baronio Bellarminoque aſſentimur, juſtam ac piam illam tranſlationem fuiſſe; ſed etiam aggredimur validiore eam ratione tueri, quàm quâ ipſi uſi ſunt.

Ut autem ex ipſo tractationis ordine veritas eluceſcat, duo quædam cogitare nos oportet: imprimis quo loco eſſet Romanum Imperium, amiſsâ Hiſpaniâ, Galliâ, Africâ, Româ ipsâ toties captâ, ac vix tandem receptâ, Juſtiniani I. tempore: Italiâ verò, poſtquam erepta eſt Gothis, adeò infirmâ, ut ſtatim Longobardis, crudeliſſimæ genti, pareret; exiguâ interim ac penè nullâ ab Imperatoribus præſidii ſpe, labaſcente ſcilicèt etiam in Oriente Imperio, ac Saracenis, Bulgaris, aliiſque barbaris undiquè invaleſcentibus. Quo etiam factum eſt, ut Longobardi omnia devaſtarent, Româmque indefenſam omni vexatione premerent. Quàm autem miſera, quàm omnium egena ipſa eſſet, jam indè à Gregorii Magni temporibus ejus teſtantur literæ. Sed profectò proxima excidio videbatur, poſtquam Conſtans II. Heraclii nepos ad annum 664. in Italiam tranſportato exercitu, Longobardos aggreſſus, à Grimoaldo victus profligatuſque eſt. Quin etiam Romam receptus, deprædatus ipſe eſt eam, quam tueri non poſſet, aufugitque latronis more in Siciliam. Quo ſtatu tanta urbs à ſuis quoque Imperatoribus devaſtata, vicinis Longobardis magis magiſque ludibrio ac prædæ fuit.

Leonis Iſauri tempore, anno circiter 726. rebus in deteriora lapſis, cùm

ipſe in Oriente bellis impeditus, in Occidente quoquè propter impietatem odio & contemptui haberetur, evenit illud quod Gregorius II. ad eum Imperatorem ſcribit. *Longobardi*, inquit, *& Sarmatæ.... miſeram Decapolim incurſionibus infeſtarunt, ipſamque Metropolim Ravennam occupàrunt, & ejectis Magiſtratibus tuis, proprios conſtituêre Magiſtratus, & vicinas nobis ſedes Regias, ipſamque Romam ſic tractare ſtuduerunt, cùm tu nos defendere minimè poſſis.* Quæ ultima verba diligentèr advertere nos oportet. Neque enim ex eo tempore Longobardi deſtiterunt urbem non modò aſſiduis deprædationibus, verùm etiam gravibus obſeſſionibus premere, omnique ope anniti, ut occuparent eam, quam ſui jam Principes tutari non poſſent. Itaque nulla omninò, collapſis rebus, ſpes erat, donec in Francorum auxilio acquieſceret. Greg. ij. ep. j. ad Leon. tom. Conc. vij. p. 19. & ap. Baron. tom. ix. p. 70.

Hoc primùm conſiderari volumus: tum illud: accuratè ac ſubtiliter ſecerni oportere eam poteſtatem, quam Chriſtus ipſe Epiſcopis ſacroque Ordini, ejuſque Capiti Romano Pontifici conceſſerit, ab eâ quam ſibi tanti nominis autoritate ac ſacrorum reverentiâ comparârint.

Quid enim Epiſcopi, primis Eccleſiæ temporibus, in judiciis potuerint neminem latet; probatque titulus *de Epiſcopali audientiâ* in Codice, ut hìc alia Principum conſtituta omittamus. Tanta poterant, cùm necdum aliquid publici muneris attigiſſent. Cod. Juſtin. lib. j. tit. iv. de aud. Epiſc. edit. Gothof. tom. ij. p. 25.

Cùm autem commiſſos greges, paternâ charitate, etiam in negotiis ſecularibus adjuvarent, ipſique Reipublicæ non tantùm ornamento, verùm etiam tutelæ ac firmamento eſſent, eos tanta Regum ac civium charitas & reverentia proſecuta eſt, ut jam Reipublicæ pars maxima, interque optimates primi haberentur; multi etiam lapſu temporis ſuarum urbium Principatum ditionemque obtinerent, quæ ſacro conjuncta Ordini, & ejus dignitate tanquam fundamento nixa, longè tamen abſunt ab iis, quæ primæ inſtitutionis eſſe conſtat.

Diſtinguamus itaque, quæ inſtitutionis ſint, quæ ſint acceſſionis; quæ primaria, quæ ſecundaria; quæ innata, quæ annexa ſint.

Pontifices Romani, quo altiore loco erant, Petri nomine ac Majeſtate primùm, quæ poſt Chriſtum erat maxima; tum Dominæ urbis ſplendore commendati, hæc annexa & ſecundaria longè eminentiùs obtinebant. Cœpit ergò Romana Sedes, non modò in Eccleſiaſticis, quod & ipſi innatum, ſed etiam in civilibus Majeſtatem habere negotiis; eo maxime tempore, quo Imperatores, ſolutâ in Occidente Imperii vi, Romanorum Pontificum fide atque obſervantiâ ſingulari, ſuam dignitatem in his partibus ſuſtentabant.

Per ea verò tempora invaluit illud quod à Gregorio II. in epiſtolâ I. ad Leonem Iſaurum eſt proditum: *Scire autem debes*, inquit, *ac pro certo habere Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis cauſâ ſedere tanquam parietem intergerinum, ſeptumque medianum Orientis atque Occidentis, ac pacis arbitros ac moderatores eſſe; quique ante te fuerunt Imperatores in hoc componendæ pacis certamine deſudârunt.* Vid. loc. ſup. cit.

Itaque Imperatores etiam in temporalibus eorum autoritate uti cœperunt; cujus rei exemplum proferunt in legibus Imperialibus ad Occiden-

Digitized by Google

tis partes per Pontificale miniſterium promulgatis. Quâ de re Gregorii Magni ad Mauricium Imperatorem jam antè relatam habemus epiſtolam. Extant etiam ejuſdem Gregorii ad Magiſtros Militum multæ literæ, quibus de Republicâ, de exercitibus multa præcipit : eâ procul-dubiò poteſtate, quàm ab Imperatoribus atque Republicâ, Romani Pontifices jam tum mutuabantur.

Vid. ſup. cap. viij. Lib.xij.ep. xxj. xxij. xxiij. xxiv. & in edit. Ben. lib. xj. ep.iij.xxix. xxx. xxxj.

Romæ autem præter eam reverentiam, quam conciliabat ipſis ſacrorum dignitas ac prædicatio ſalutaris, cujus per totam Eccleſiam Duces erant, id etiam maximæ commendationi fuit, quòd labaſcente Imperio Romano, ſedis Apoſtolicæ ac Petri toto Orbe celebrata Majeſtas Urbem tuebatur. Ut enim Leonem Magnum alioſque omittamus, quos reveriti Barbari, Romanos habuêre mitiùs, ſatis profectò conſtat, ſævientibus Longobardis, urbem indefenſam Gregorii Magni prudentiâ atque autoritate ſtetiſſe. Quominùs admirêre poſt Leonem Iſaurum, Longobardis invaleſcentibus, totam urbem reſpexiſſe in Pontifices; ut nihil magnæ rei, niſi eis autoribus ageretur : quorum adeò operâ factum eſſe conſtat, ut & ad Francos atque externa auxilia Roma confugeret, & eos poſteà ad Imperiale culmen efferret.

Jam verò quâ poteſtate hæc facta ſint; an Apoſtolicâ illâ innatâ Pontificibus & à Chriſto conceſsâ, an verò aliâ, facile erit intelligere : ſatis enim conſtat ad Apoſtolicam Romano innatam Pontificatui poteſtatem nullatenùs pertinere, quæ Eccleſia Catholica tot retro ſæculis ignorârit; ſed tamen ut tota res clariùs eluceſcat, non jam ratiocinia, ſed teſtimonia & acta proferemus.

CAPUT XXXVII.

Res geſta à Romanâ civitate : Principibus Francis oblatus Conſulatus, Patriciatus delatus, conceſſum Imperium, autore ſeu adjutore Romano Pontifice, ut Capite civitatis : teſtimonia Hiſtoricorum.

Sup. cap. xvj. Anaſt. vit. Greg. ij. tom. vj. Conc. pag. 1430.

REM ordimur ex eo loco Anaſtaſii Bibliothecarii, quem jam attulimus: nempè cùm ſub Gregorio II. *cognitâ Imperatoris nequitiâ, omnis Italia conſilium iniit ut ſibi eligerent Imperatorem.* Ergò Italia id inibat conſilium, atque Imperatorem electura, non autem à Pontifice pro Apoſtolicâ poteſtate factum, acceptura erat.

Addit Anaſtaſius : *Compeſcuit tale conſilium Pontifex*, autoritate eâ, quâ ei ut providentiſſimo parenti, potiſſimum auſcultabant.

Sub Gregorio III. rebus retrò ſublapſis, cùm Longobardi urbem obſediſſent, nullumque ab Imperatore expectarent auxilium Romani, ipſe Pontifex Gregorius III. Caroli Martelli Francorum Principis opem imploravit, *ut eos* (Romanos ſcilicèt) *à tantâ oppreſſione Longobardorum liberaret.* Autor Anaſtaſius ſuo jam loco laudatus.

Sup. cap.

Quid autem de Conſulatu, deque abjiciendo Imperatore actum ſit, jam

conſtitit ex his Annalium verbis : *Epiſtolam quoque decreto Romanorum Principum ſibi* (Carolo Martello videlicèt) *miſerat Gregorius, quòd ſeſe populus Romanus, relictâ Imperatoris dominatione, ad ſuam defenſionem & invictam clementiam convertere voluiſſet.* Cauſa ergò rei, neceſſaria *defenſio* ab invicto Principe poſtulata : autores qui ſtatuerent, Optimates Populuſque Romanus, quorum etiam decreto hæc Pontifex ſcripſit. Non ergò Pontifex ipſe pro Apoſtolicâ poteſtate ; ſed Senatus Populuſque Romanus decernebant. Pontifice autem adjutore utebantur, quòd & ſuos Pontifices impenſiſſimè colerent, & apud exteros, pro ſuæ ſedis Majeſtate, ſummo honori haberi intelligerent. xviij. Bar. an. 740. p. 131.

Nihil tum actum eſt cum Francis, Carolo Martello ſtatim mortuo, ac Romanorum rebus ad ſortem aliquantò meliorem, ſub Zachariâ Pontifice, converſis. At Stephano II. Pontifice, ac Pipino Martelli filio, jam Rege conſtituto, eò res devenêre, ut Pontifex Romanique ſe Francis neceſſariò addicerent : cùm præſtabilius eſſet eos ſub tutelâ Francorum eſſe ſalvos, quàm nullâ tutelâ, ſibi æquè & Romano Imperio interire. Tùm primùm Pipinus Patricii titulo inſignitus, qui Magiſtratus, poſt Imperatorem, ampliſſimâ dignitate poteſtateque erat. Quomodò autem & quandò Pipino delatus ſit, nullæ hiſtoriæ produnt : verùm haud dubium, quin eâdem autoritate, quâ antea Conſulatus, Carolo Martello oblatus eſt, Senatûs ſcilicèt Populique Romani : ii nempe, qui tantùm Carolo Principi Conſulatum, minorem tùm dignitatem obtulerant, iidem Pipino Regi ampliorem, Patriciatum ſcilicèt detulerunt.

Certè Patriciatum, ſecutis etiam longè poſteà temporibus, cùm Romani Pontificis ſola penè in urbe vigeret autoritas, tamen à Romanis Proceribus concedi ſolitum, teſtantur hæc à Guillelmo Malmeſburienſi * ſcripta de coronatione Henrici V. Regis : *Imperatori exeunti de camerâ, & juſs Regalibus exuto, occurrerunt Romani Patricii, cum aureo circulo, quem impoſuerunt Imperatori in capite, & per eum dederunt ſibi ſummum Patriciatum Romanæ urbis, communi conſenſu omnium & animo volenti.* Quæ veterum conſuetudinum rituumqne reliquiæ ſatis indicant, Patriciatum Urbis à Senatu Populoque Romano, anteactis temporibus fuiſſe conceſſum, approbante quidem, ſive inſtigante Romano Pontifice, qui pro ſuæ ſedis reverentiâ Caput Senatûs ac Romanæ civitatis haberetur.

* Anglo Hiſtorico Guill. Malmeſb. lib. v. vid. tom. x. Conc. pag. 781.

Exindè Aïſtulphus ac Deſiderius fœdifragi Longobardorum Reges, à Pipino & ejus filio Carolo Magno contriti : Romani Pontifices multa donati ditione, multis civitatibus juſto pioque bello captis : Carolus pulſo Deſiderio, Rex Francorum & Longobardorum atque Italiæ eſt appellatus, Patricii quoque dignitate hæreditariâ, res Urbis adminiſtrabat, Pontifices Romanos conjunctiſſimos ſibi, poteſtate atque opibus augebat.

Poſteàquàm Leo III. vir ſanctiſſimus, Romæ affectus infandis contumeliis, multorumque criminum poſtulatus eſt, venit ſanè ad Carolum; ſed Hiſtorici memorant priùs à Pontifice miſſos ad Michaëlem Græcorum Imperatorem Legatos, (*qq*) qui ab eo peterent, ut Procerum Romanorum

Monach. an - Gall lib. j. cap. xxviij. Duch. tom. ij. pag. 18.

(*qq*) *Miſſos ad Michaelem Legatos*] à Leone III. memorat Monachus San-Gallenſis, gravi peccans ἀναχρονισμῷ, ut recolenti temporum notas manifeſtum fiet. Nam Leo an. 795. Pon-

furores pro poteſtate compeſceret : adeò Imperatoriam poteſtatem agnoſcebat.

A Michaële contemptus, confugit ad Carolum ; atque is ad annum 800. Romam ire perrexit, ut res Urbis perturbatiſſimas, Patricii autoritate componeret. De Leonis percuſſoribus, item de objectis ſancto Pontifici criminibus, quæſtionem habuit. Quo tempore, Conſtantinopoli mortuo Conſtantino Irenes filio, ipſi Irene delatum Imperium eſt. Eâ de re Annales Moiſſiacenſes vetuſtiſſimi & coævi hæc habent : *Anno* DCCCI. *cùm apud Romam moraretur Rex Carolus, Nuntii delati ſunt ad eum dicentes : quòd apud Græcos nomen Imperatoris ceſſaſſet, & fœmineum Imperium apud ſe haberent. Tunc viſum eſt ipſi Apoſtolico Leoni, & univerſis ſanctis Patribus, qui in ipſo Concilio aderant, ſeu reliquo Chriſtiano populo, ut ipſum Carolum Regem Francorum, Imperatorem nominare debuiſſent ; quia ipſam Romam matrem Imperii tenebat, ubi ſemper Cæſares & Imperatores ſedere ſoliti fuerant, ſeu reliquas ſedes* (puta Mediolanum, Treverim, cæteras) *quas ipſe in Italiâ & Galliâ nec non & Germaniâ tenebat ; quia Deus omnipotens has omnes ſedes in poteſtate ejus conceſſit ; &, ne Pagani inſultarent Chriſtianis, ideò juſtum eſſe videbatur ut ipſe cum Dei adjutorio, & univerſo populo Chriſtiano petente, ipſum nomen haberet. Quorum petitionem ipſe Carolus Rex denegare noluit ; ſed cum omni humilitate ſubjectus Deo & petitioni Sacerdotum & univerſi Chriſtiani populi, in ipsâ nativitate Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *ipſum nomen Imperatoris, cum conſecratione Domni Leonis Papæ ſuſcepit ; ex tunc autem Imperator & Auguſtus eſt appellatus.* Hæc ille, qui rem ejuſque cauſas ac modum diligentiſſimè enarravit. Eginardus & cæteri ſummatim : *Die natalis Domini ad Miſſarum ſolennia, coram altari & Confeſſione ſancti Petri, coronam ei à Leone impoſitam, cuncto Romanorum populo acclamante : Carolo Auguſto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori vita & victoria. Poſt quas laudes, ab omnibus atque ab ipſo Pontifice, more antiquorum Principum, adoratum, atque omiſſo Patricii nomine, Imperatorem & Auguſtum appellatum fuiſſe, ordinatiſque rebus, Româ diſceſſiſſe.*

Ann. Moiſſ. Duch. tom. iij. p. 143.

Duch. tom. ij. pag. 251. Ann. Met. Fold. & alii an. 801.

Ex his ergò patet, quomodò fuerit Romanum Imperium conſecutus : *Quòd ita viſum eſſet Apoſtolico Leoni, & univerſis ſanctis Patribus, & reliquo Chriſtiano Populo.* Acclamatio autem populi univerſi Carolum Auguſtum & Imperatorem appellantis, ipſiſſima erat electio per acclamationem ; antiquo more. Quò factum eſſe narrant, ut jam non Patricius, ſed Auguſtus & Imperator diceretur.

Hoc ita geſtum eſſe confirmat Anſcharius, ſub Ludovico Pio Caroli Magni filio. Is in vitâ Sancti Willehadi, I. Bremenſis Epiſcopi, hæc ſcribit : *Si quidem Imperialis poteſtas, quæ poſt Conſtantinum Auguſtum apud Græcos, in Conſtantinopolitanâ hactenus regnaverat civitate, cùm, deficientibus jam inibi Regalis proſapiæ Principibus, fœmineâ magis directione, res adminiſtraretur publica*

Mabill. ſæc. Bened. tom. iij. part. ij. pag. 107.

tifex factus eſt, Conſtantino & Irene Imperatoribus : an. 797. ſola Irenes, mortuo Conſtantino, imperavit : an. 799. Leo *Romæ contumeliis affectus eſt* : an. 800. Romam venit Carolus, adhuc imperante Irene, quæ an. 802. è ſolio diſturbata, ſucceſſorem habuit Nicephorum, quo a Bulgaris occiſo, an. 811. Michael I. Curopalates Imperator renuntiatus eſt ; poſtquam per duodecim ferè annos, Carolus Occidentis Imperium tenuiſſet,

publica, temporibus ipſius, per electionem Romani Populi in maximo Epiſcoporum aliorumque Dei ſervorum Conſilio, ad Francorum tranſlatum eſt Dominium; quoniam & ipſe eamdem, quæ Caput Imperii fuerat, & multas alias tunc in Orbe tenere videbatur Provincias, ob quod, & jure Cæſareâ dignus videretur appellatione.

Sic igitur Imperium Romanum delatum eſt ad Carolum; atque eâ quidem in re, Apoſtolici Leonis, ut qui civitatis Caput haberetur, præceſſit autoritas: univerſi populi, qui rem firmaret, conſenſus acceſſit. Ab eo fonte Imperium manavit ad Francos.

CAPUT XXXVIII.

Quo jure Romana civitas ad Francorum Principum tutelam confugerit, ac poſteà illis Imperium dederit.

JAM quo jure Pontifex ac Populus Romanus id agerent, ex relatis Hiſtoricum teſtimoniis liquet: primùm, quòd vacaret Imperium, mortuo Conſtantino Irenes filio: quòd Romani Irenen præter morem electam, ac fœmineum Imperium pati nollent: quòd Roma Mater & Caput Imperii, atque ſedes antiqua Cæſarum: quòd ea aliæque Imperatoriæ urbes in Caroli poteſtate eſſent, & quidem juſtâ & neceſſariâ tutelâ, juſtis piiſque bellis: quòd Carolus ipsâ re, ſummâ ſcilicèt poteſtate potitus & tantâ ditione clarus, Imperatorii nominis Majeſtatem, Chriſtianique populi dignitatem egregiè tueretur.

Huc acceſſit, quòd Italiam pio bello partam obtineret, eamque per tot ſæcula Barbaris prædæ datam, Romanus Imperator habiturus eſſet; neque mente exciderat quantò Reipublicæ Romæque & Italiæ totiuſque Latini nominis detrimento, Imperium in Orientem tranſlatum eſſet. Occurrebat Orientalium Cæſarum tanta imbecillitas, quæ vix Orientem tueretur, nedum Occidenti opi eſſet: Roma ipſa ab ipſis toties deſtituta, ſuo jure Imperatorem repoſcebat, cujus Majeſtate ac viribus priſtinam dignitatem tueri, ac ſaltem incolumis permanere poſſet.

Neque obſtat quod hìc objicit Bellarminus: ex quo Imperium Conſtantinopolim tranſlatum fuit, non ſolitos fuiſſe Principes Romæ elevari: quaſi verò non magis ab omni conſuetudine abhorreret, fuiſſe conſtitutos eos, ut ipſe arbitratur, per Eccleſiaſticam poteſtatem. Quis autem ferat Bellarminum, novas cauſas commentum, improbare eas, quæ ab antiquis autoribus afferantur? Quidquid enim dicat, rem, ut narravimus, ita factam eſſe conſtat. Neque verò tum cogitabant Italiam totam, imò verò ipſam Romam Imperii Caput, ſuo jure excidiſſe. Romam enim habitam ſemper fuiſſe pro Imperii Capite, vel hæc Gallæ Placidiæ Auguſtæ ad Theodoſium Juniorem filium verba teſtantur: *Decet nos huic maximè civitati, quæ Domina omnium eſt civitatum, in omnibus reverentiam conſervare.* Neque verò adeò ſui oblita erat Roma, ut non etiam meminiſſet, anteacto

Ep. Gall. Placid. part. j. Conc Chalced. tom. iv. Conc. p. 45.

ſæculo, Conſtantem Heraclii nepotem, de reducendo Romam, tanquam ad propriam ſedem, Imperio cogitâſſe; ac Philippicum Bardanem (*rr*) in Oriente electum, à Populo Romano non fuiſſe receptum, vetitumque ne ejus literæ legerentur, aut admitterentur imagines; quòd hæreſim Monothelitarum fuiſſet profeſſus. Licuiſſe item putabant iiſdem Romanis abjicere fœmineum Imperium, & immeritò queri Græcos, ſi Romani priſcæ virtutis recordati, viro maximo Carolo ſe traderent, quo Imperium ipſum, non Græcis ereptum, ſed in proprias ſedes remeâſſe videretur.

Jam ut concludamus: cùm in hâc Romanorum ac Francorum hiſtoriâ duo ſint: primùm, quòd Romani confugerint ad Francos; alterum, quòd eos Imperatores elegerint, illius cauſa fuit ipſa neceſſitas, & ab Imperatoribus derelicta Reſpublica, conclamatæque res, ac ſalus populi ſuprema lex, hujus autem Imperii vacatio, fœminæ electio, Romanæ urbis dignitas, ipſius Caroli amplitudo & in Populum ac Romanam Eccleſiam merita: ad hæc claritudo Francicæ gentis ac tutela neceſſaria, adversùs Saracenos alioſque Barbaros undique ingruentes: quæ quidem Romanos impellebant, ut Urbi conſulerent; eamque rem poſteà ſolennibus pactis cum Orientalibus Imperatoribus firmatam eſſe conſtat.

Quâ autem autoritate Romanus Pontifex hîc intervenerit, primamque perſonam geſſerit, obſcurum non eſt: ſatis enim oſtendit, non id à ſe decerni pro Apoſtolicâ poteſtate, qui ſibi Senatûs Populique Romani nomen, decretum, autoritatem adjungit. Egit ergo illâ annexâ & acquiſitâ ſecundariâ poteſtate, quâ populos ſibi hæc ultro deferente Caput Civitatis, ac magnæ cujuſque rei autor habebatur.

Cùm ergò fontem ipſum caputque teneamus, quæ deinde ſecuta ſint omittere poteramus, ſatiſque nobis eſt, non præcisè religionis, ſed tuendi Imperii cauſâ; neque per Eccleſiam, ſed per Civitatem Imperium ad Francos eſſe tranſlatum.

Cur autem maluerimus, hanc mutationem ad Civitatis, quam ad religionis tuendæ neceſſitatem, atque ad temporalem potiùs, quàm ad Eccleſiaſticam à Chriſto conceſſam referre poteſtatem, duæ cauſæ impulerunt: primùm, ipſæ res geſtæ. Invenimus enim in geſtis, quæſitæ tutelæ Francorum cauſam fuiſſe ipſam Reipublicæ tuendæ neceſſitatem; neque ullum fuiſſe religioni metum à Catholiciſſimâ muliere Irene, à quâ tamen ablatum Imperium eſt. Altera autem cauſa eſt, quam ſuprà in Childerici negotio protulimus, ſed tamen inſarciri eam & inculcari oportet; nempe, quòd apud omnes conſtet, etiam cum hæreſi ſtare Rempublicam, quantùm ad civilem ſocietatem attinet, omnibus numeris abſolutam; quæ Capite, defenſione, viribus neceſſariis, apertè deſtituta, proſtrata jam ac nulla ſit; ſibique adeò, ne pereat, ipſo naturæ ac gentium jure, per ſeſe providere poſſit.

(*rr*) *Philippicum Bardanem*] ſtupiditate & impietate portento quid ſimile fuiſſe tradunt Hiſtorici. Is, occiſo per proditionem Juſtiniano juniore, anno 711. Imperium invaſit, de quo, poſt biennium, à Magnatibus dejectus eſt. Vid. Theoph.

CAPUT XXXIX.

CAROLUS CALVUS *à Romanâ Civitate Imperator*, *à Regni Proceribus Rex Italiæ deſignatur.*

QUANQUAM ea, quæ à nobis dicta ſunt, noſtræ quæſtioni planè ſufficiunt; tamen addimus ad cumulum, quâ ratione modoque Carolus Magnus ad Imperium evectus eſt, electione ſcilicèt Civitatis; eâdem ratione modoque electos eſſe ſecutos Imperatores, quoties eò devenêre res, ut electione opus eſſe videretur.

Electione autem opus eſſe plerumque reputabant, cùm Imperatores ſine liberis decederent, ac recta linea defeciſſet. Et quidem, poſt Carolum Magnum, Ludovicus filius, ab ipſo Carolo juſſus, Coronam auream patris detractam capite, (*ſſ*) & ſuper altare poſitam, *elevavit, & capiti ſuo impoſuit:* ut eam à Deo ſolo habere videretur. Id Aquiſgrani factum Theganus memorat. Lotharius Ludovici filius, à Patre aſſumptus ad Imperii conſortium, atque exinde Auguſtus appellatus; quo jure Ludovicus, Lotharii filius, itidem Imperator factus eſt. Poſtquam Ludovicus ſine liberis eſt mortuus, inter ejus patruos, Ludovicum Germanicum, & Carolum Calvum Ludovici Pii filios, de Regno Italiæ, deque Imperio, quaſi æquo jure certatum eſt: cùm inter fratres, fratri, fratriſque filiis ſuccedentes, jura primogenituræ obſcura adhuc, necdum ipſo uſu ſatis conſtabilita eſſent. Ergò Ludovico ſpreto, majore licet, electus eſt Carolus, primùm in Imperatorem, exinde in Italiæ Regem. Sed quo ordine modoque, ſatis docet vel illa Annalium Fuldenſium, qui Ludovico earum partium Regi favent, vehemens invectiva in Carolum: Is enim, aiunt, *quantâ potuit velocitate Romam profectus eſt, omnemque Senatum Populi Romani, more Jugurthino, corrupit ſibique ſociavit; ita ut etiam Joannes Papa, votis ejus annuens, coronâ capiti ejus impoſitâ, eum Imperatorem & Auguſtum appellare præcepiſſet.*

Theg. de geſt. Lud. Pii cap. vj. Duch. tom. ij. p. 276.

Ann. Fuld. tom. ij. Duch. an. 776. pag. 569.

Quinam electuri eſſent, ipſa corruptio Romani Senatûs Carolo imputata probat. Quin ipſa habemus acta præ manibus. Extat Concilium Romanum anno 877. habitum, in quo Joannes VIII. agens de Caroli provectione anno 876. Romæ factâ, quam hic anno 877. confirmari petebat, ſic ait: *Elegimus hunc meritò & approbavimus, unà cum anniſu & voto omnium Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, atque aliorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Miniſtrorum, amplique S-natûs, totiuſque Populi Romani gentiſque togatæ; & ſecundùm priſcam conſuetudinem ſolenniter ad Imperii Romani ſceptra*

Concil. Rom. an. 877. tom. ix. Conc. p. 296.

(*ſſ*) *Patris detractam capite.*] Expungenda ſunt hæc verba, amanuenſis incogitantiâ, in textum D. BOSSUET perperàm intruſa, & Thegano contraria, qui nempe ſic habet loco citato: *Ornavit ſe* (Carolus) *cultu Regio, & coronam capiti ſuo impoſuit... ſuper altare coronam aliam quam ipſe geſtabat, in capite ſuo juſſit poni.* Hanc *coronam aliam* jubetur Ludovicus capiti ſuo imponere, non eam *quam ipſe geſtabat* Carolus, qui nempè Imperii conſortem adſciſcebat Ludovicum, non Imperium abdicabat. Hoc ideò fuit annotandum, ne vel levis error falleret, & in errores induceret graviores.

provexímus & Auguſtali nomine decoravimus, ungentes eum oleo extrinſecus, &c. Quo loco in deſignando Principe, non modo Joannis VIII. qui Caput Civitatis, & Coepiſcoporum, qui Regni inter Proceres haberentur, ſed etiam Senatûs Populique Romani actio & conſenſio ſatis claret, eo quoque tempore, quo Romanos Pontifices, lapſis Imperii rebus, ad majorem, etiam in temporalibus, poteſtatem evectos eſſe conſtat.

Poſteàquàm eo ritu Carolus Imperator eſt factus, ab Italiæ Epiſcopis & Optimatibus Regnum Italicum eſt conſecutus, diſtinctâ actione, in
Conc. Ticin. Confir. ap. Pontig. tom. ix. p. 283. hanc formam quam habemus in Concilio Ticinenſi: *Glorioſiſſimo & à Deo coronato magno Imperatori, Domno noſtro Carolo perpetuo Auguſto: nos quidem omnes Epiſcopi, Abbates, Comites ac reliqui, qui nobiſcum convenerunt Italici Regni Optimates.... jam quia Divina pietas vos beatorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli interventione, per vicarium ipſorum Domnum videlicet Joannem.... ad profectum ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium, invitavit, & ad Imperiale culmen ſancti Spiritûs judicio provexit, nos unanimiter, vos protectorem, Dominum ac defenſorem omnium noſtrûm elegimus.* Subſcribunt Epiſcopi & Optimates. Ita cùm Carolus, Joanne VIII. autore, Imperator factus eſſet, Epiſcopi & Optimates declarant, ſe quidem eo exemplo ductos eſſe; cæterùm propriâ diſtinctâque actione eumdem Principem, in Regem quoque ſuum à ſe fuiſſe electum. Quæ non ſatis à Baronio diſtincta, hic ad ampliorem rerum elucidationem advertimus; quò ſcilicèt pateat Imperium ac Italiæ Regnum, quæ ille confudit, & re, & nomine, fuiſſe ſejuncta; & utrumque, non niſi Procerum electione, in Carolum Calvum fuiſſe collatum.

CAPUT XL.

Geſta ſub reliquis Carolinis Principibus: eâ ſtirpe extinctâ turbæ: OTHO I. *Imperator: Imperii tranſlatio ad Germanos ſub* OTHONE III. *Qualis memoretur à* BARONIO: *Quæ omnia nihil ad nos.*

Ann. Met. an. 881. Duch. tom. iij. pag. 318. CAROLO Calvo mortuo, Carolus Craſſus, Ludovici Germanici, Caroli Calvi fratris filius, *Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perveniens, à Præſule Apoſtolicæ ſedis Joanne* (VIII. ſcilicèt) *& Senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magnâ gloriâ, Imperator creatus eſt.* Sic Annales Metenſes anno DCCCLXXXI.

Poſt Carolum Craſſum, ejus fratris filius, Arnulphus Germaniæ Rex,
Ann. Fuld. an. 895. Duch. tom. ij. pag. 581. à Formoſo Papâ, *in Guidonem* (11) *Tyrannum*, ut Annales Fuldenſes produnt, Romam accitus eſt, & captâ urbe, Imperator coronatus. Quo loco

(11) *In Guidonem.*] Guido Dux Spoletinus, Caroli Magni ex filiâ pronepos, poſt mortem Caroli Craſſi Italiam occupavit, ipſamque Romam, & à Formoſo Papâ Imperator unctus eſt.

ſolius Papæ fit mentio, creſcente potentiâ Romanorum Pontificum. Necdum tamen penitus Romanæ Civitatis extinctam autoritatem ſequentia demonſtrabunt. Arnulpho autem ad annum Chriſti 900. mortuo, paulò poſt interiit Ludovicus ejus filius, ætate puerili, & frater Zwentiboldus * ſimulque tota ea pars Carolinæ familiæ, quæ Germaniam obtinebat. Qui verò Carolini tum in Franciâ ſupererant, cùm vix eam retinere poſſent, de Germaniâ & Italiâ ne quidem cogitabant; fuitque Arnulphus ultimus ejus ſtirpis, qui Imperio, Italiâ, Germaniâque potiretur.

* Ex concubinâ natus, quem pater ejus Arnulphus Lotharingiæ Regem conſtituerat.

Exinde Germania ſibi delegit Reges; Italiam & Romam per 60. annos validiſſimus quiſque occupabat, ſeu potiùs prædabatur; quoad Joannes XII, Othonem I. Germaniæ ſeu Teutonum Regem, ſibi ac Romanæ urbi defenſorem accivit *.

* Adversùs Albertū & filium ejus Berengarium II.

Atque is anno 951. ductâ Adelaïde, viduâ Lotharii Regis Italici, eo Regno potitus, poſteà à Joanne XII. Imperator coronatus eſt. Quo autem ritu id factum ſit, Regino (*uu*) memorat: *anno 962. Rex natalem Domini celebravit, indeque progrediens, Romæ favorabiliter ſuſceptus, totius acclamatione Romani Populi & Cleri, ab Apoſtolico Joanne filio Alberici, Imperator & Auguſtus vocatur & ordinatur.*

Regin. Chron. lib. ij. an. 961. 962.

De eodem Otho Friſingenſis: *Otho glorioſus Rex ad urbem progrediens, honorificè à ſummo Pontifice Joanne ac toto Populo Romano ſuſceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur.* Quo ritu populi conſenſum atque approbationem contineri & explicari vidimus.

Oth. Friſing. Chron. lib. vj. cap. xxij. p. 129.

Otho II. primi ac III. ſecundi filius hæreditario jure Imperium adepti ſunt. Otho III. ſine hærede eſt mortuus.

Per ea tempora Imperium à Francis ad Teutones tranſlatum eſſe memorant: in cujus tranſlationis origine ſub Othone I. ſcilicèt, Populi Romani, ut vidimus, conſenſus apparuit.

Quòd autem Otho I. ad liberos ſuos hæreditarium tranſtulit Imperium; quòdque, ejus ſtirpe extinctâ, Teutonibus rurſus firmatum Imperium eſt, totum id Baronius (*xx*) à Romanis Pontificibus factum eſſe contendit: atque Othoni quidem I. anno 964. ab ipſis Pontificibus id eſſe conceſſum, ut ſucceſſores deſignaret; tum deficiente ejus ſtirpe, aliter conſulendum Imperio fuiſſe; remque ad electionem Germanorum redactam per Gregorium V. Pontificem è Germanis aſſumptum, ab eoque Pontifice Electores creatos, atque hæc omnia facta in Synodo Romanâ, anno 996. (*yy*) de

Bar. tom. x. an. 964. p. 783. 784. an. 996. p. 909. vid. Oth. Friſ. loc. cit. cap. xvij.

(*uu*) *Regino.*] Non Regino, cujus Chronicon deficit an. 908. ſed ipſius continuator, qui annum 972. explevit.

(*xx*) *Baronius*] qui an. 964. Leonem VIII. Antipapam, & ejus diploma nullius ponderis eſſe pronuntiat, non alio utitur diplomate an. 996. ut oſtendat hoc privilegium indubiâ Pontificis autoritate Germanis Imperatoribus fuiſſe conceſſum. Certè operam luderet quiſquis Baronium cum Baronio non ſemel pugnantem ſtuderet componere.

(*yy*) *Electores creatos . . . in Synodo Romanâ an. 996.*] à Gregorio V. dicunt Baronius & Autor vitarum Pontificum. Sed 1°. Synodale de hac re decretum nullum extat in actis Pontificum & Imperatorum, nullum in coævis Hiſtoricis. 2°. Conſtat, defuncto Othone III. per 200. annos, Imperatorem in generalibus Germaniæ Comitiis, ab omnibus, non à ſeptem tantùm Principibus electum fuiſſe. Quomodò & quandò jus illud ad ſeptem Electores venerit, incertum eſt. Plerique autumant, poſt electum Fridericum II. an. 1210. in Comitiis generalibus, Germanos Primates jus deinceps eligendi Imperatorem ſeptem primo-

quibus litigare non eſt animus. Neque enim ullatenus pertinent ad noſtram quæſtionem, poſtquàm ex ipſâ rerum ſerie ac geſtorum fide ſemel demonſtravimus, Pontificiam in ordinando Imperio poteſtatem inde manâſſe; non quòd Pontifices id à Chriſto juris acceperint (nemo enim id ſanus dixerit) ſed quòd à Deo tantâ rerum ſpiritualium poteſtate donati, ejus poteſtatis ſacrique Principatûs reverentiâ, eam ſibi etiam in temporalibus conciliaverint autoritatem, quæ ſenſim per diverſas temporum vices ac viciſſitudines, ad ordinandum quoque illud, quale nunc eſt Romano-Germanicum Imperium perveniret.

CAPUT XLI.

In transferendo Imperio ad Germanos, teſte BARONIO, *conſenſus intervenit Romanæ civitatis: quæ tamen omnia, & inde ſecuta nihil ad nos.*

QUANQUAM ergò hæc nihil ad nos pertinent, attamen ut appareat in iis quoque elucere, non modo Eccleſiæ, ſed etiam civitatis autoritatem, placet narrare paucis, quomodò hæc Baronius diſponenda putaverit.

Bar. tom. x. an. 996. p. 909. Is ad annum 996. hæc habet; *Cùm eo jure carerent* (ζζ) *Imperatores, ut ſucceſſores ſibi deligerent, Magno Othoni id primùm à Romano Pontifice conceſſum reperitur.* Id ut probet, profert Leonis VIII. decretum in hanc formam: Ibid. an. 964. p. 783. 784. *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cum toto Clero & Romano Populo conſtituimus, & confirmamus, & roboramus, & per noſtram Apoſtolicam autoritatem concedimus, atque largimur Domno Othoni, Regi Teutonicorum, & ejus ſucceſſoribus, hujus Regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem;*

Hæc autem ad Italiæ Regnum ſpectantia, ut ad Imperium protendantur, addit Baronius, Ibid. an. 996. loc. cit. ſucceſſorem hîc intelligi *in Regnum Italiæ primò, inde in Imperium promovendum*; atque ita in Othonis Germanorum Regis perſonâ tranſlatum ad Germanos Imperium. Hæc quidem valeant quantùm Baronio placuerit. Cæterùm id liquet, decretum iſtud Leonis eſſe conditum *cum toto Clero & Populo Romano*; ut in eâ conceſſione non modò Cleri, ſed etiam Populi Romani autoritas eluceſcat.

Docet Baronius hujus decreti autoritate factum, ut Otho I. ſucceſſorem hæreditarium haberet Othonem II. hic Othonem III. quâ ſucceſſione Germanis Imperium confirmatum fuerit.

ribus Imperii Miniſtris ultrò detuliſſe. Vid. Albert. Stad. & alios. Ne igitur credas D. BOSSUET Baronianæ ſententiæ patrocinari. Concedit more ſcolæ totum argumentum, eo quòd, ſivè verùm ſit, ſivè falſum, cauſæ ſuæ non noceat.

(ζζ) *Jure carerent, &c.*] Baronius falsò affirmat, *Imperatores caruiſſe jure deligendi ſibi ſucceſſores, antequàm id à Romano Pontifice conceſſum fuerit.* Nam quo jure primi Imperatores eos delegerunt, qui in partem Imperii venirent, & Cæſares aut Auguſti vocarentur, eo Carolus Magnus Ludovicum Pium Imperii ſibi ſocium adſcivit, & Ludovicus Lotharium.

Alio ſanè loco multis agit Baronius, & Leonem VIII. non verum fuiſſe Pontificem, & ipſum diploma eſſe falſum, à Gratiano licèt allegatum. Utcunque eſt, non alio titulo utitur ad aſſerendam poſteà Romano Pontifici Romani Imperii ordinandi poteſtatem. Credo, quòd in his, falſis licèt, aliqua à falſatoribus veri ratio habeatur, ne abſona penitus & abſurda confingant, aut quòd falſis etiam, poſtquàm conſuetudine approbata ſunt, ex ipsâ approbatione accedit autoritas. Quare ex ipſo Baronio, haud à vero alienum eſt, eam mutationem atque Imperii tranſlationem ad Germanos, conſenſu Populi eſſe factam, inque Imperio ordinando, ad annum uſque 964. retentam eam formam, quæ in Carolo Magno primùm enituit.

Ibid. an. 964. jam cap. cit.
Grat. Diſt. lxiij. cap. xxiij. *in Synodo.*

Eam poſteà formam; ſtirpe Othonum extinctâ, Gregorius V. immutârit in ſuorum Germanorum gratiam, electionem totam eis ita attribuerit, ut, in ordinando Romano Imperio, nulla jam Populi Romani ratio habeatur: jus illud quod habent Romani Imperii Electores ad illos ab Apoſtolicâ Sede pervenerit, ut eſt ab Innocentio III. dictum, capite *venerabilem de electione:* valeant denique vigeantque omnia, quæ idem Innocentius, poſtremis licèt ſæculis, ejuſque ſucceſſores, in Decretalibus, inque Clementinis, aut quocunque ſub titulo, in Imperatorem Romano-Germanicum ſibi tribuerunt: electum eum, Romanus Pontifex confirmet, reprobet, ad propriè dictum fidelitatis juramentum adigat; ſitque *Imperatoris ſuperior atque ordinarius judex*, tantâ autoritate ut ejus judicia irritare poſſit, quod habet Clementina *Paſtoralis*, titulo *de ſententiâ & re judicatâ;* quàmquam hîc quædam à doctis etiam Catholicis, Onuphrio & aliis in dubium revocata, quædam ut nimia ipſo uſu obſoleta fuiſſe videantur; tamen quantùm attinet ad noſtram quæſtionem, haud gravatè concedimus, dummodò recluſis fontibus recognoſcere liceat, autoritatem illam Romani Pontificis, non à Chriſto quidem, ſed à Populi Romani, ipſiuſque civitatis conſenſione cœpiſſe.

Extr. Greg. ix. lib. j. de elect. tit. vj. cap. xxxiv.

Clem. *Rom. Principes.* lib. ij. tit. ix. *de jurejurando.* Clement. tit. xj. cap. ij.

Quâ etiam ratione amplectimur id, quod eſt ab Innocentio III. de Apoſtolicâ ſede proditum, *quæ Romanum*, inquit, *Imperium in perſonâ magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos*, eodem capite *venerabilem.* Hæc, inquam, facilè admittimus, quatenus ſcilicèt Carolus Magnus Francique Reges, Germana propago, ſuaſore & adjutore Leone III. à totâ urbe Romanâ pro magnis in Eccleſiam urbemque meritis, ad Imperium evecti ſunt. Cæterùm illud omne, & ea quæ per gradus ab illo initio, in Romano-Germanicum, quale nunc eſt, Imperium, Romanorum Pontificum jura creverunt, ea ad Reges cæteros ac Regiæ dignitatis ſtatum nullo modo pertinere ſatis demonſtravimus; meritòque eſt reſponſum à Majoribus noſtris, cùm eis objicerentur Friderici depoſiti: verum id quidem eſſe de Imperatore, cujus Romanus Pontifex in temporalibus *ſuperior eſſet*, non de cæteris Regibus.

Cap. *Venerab.* jam cit.

Joan. Pariſ. de poteſt. Reg. & Pap. cap xv. vind. Maj. quæſt. de pot. Pap. ad iij. argum. p. 107. 108.

CAPUT XLII.

Decretum Epiſcoporum de Lotharii Regno poſt Fontanellidenſem pugnam, an ad rem faciat?

ALIA exempla circa hanc ſecundam quæſtionem prolata omittere poteramus, niſi animo fixum eſſet, nihil eorum præterire, quæ alicujus momenti eſſe viderentur.

Bar. tom. ix. an. 842. p. 839. 840. Nithard. init. lib. iv. tom. ij. Duch. p. 276.

Validum id Baronio viſum eſt, quod eſt de Lothario Imperatore, ejuſque fratribus Ludovico Germanico & Carolo Calvo, Ludovici Pii filiis ab optimo hujus ævi autore Nithardo (*aaa*) proditum; nempe poſt cruentam illam Fontanellidenſem pugnam, quâ victus Lotharius, ac deſerto Regno profugus, circa Viennam latitabat, Ludovicum & Carolum petiſſe Aquiſgranum, *quid de populo ac Regno à fratre relicto agendum videretur deliberaturos.* Relata res ad Epiſcopos, ut *illorum conſultu, veluti numine Divino, harum rerum exordium atque autoritas proderetur.* Quod meritò factum Nithardus affirmat. Ergò Epiſcopi omnia Lotharii immania & infanda geſta conſideraverunt, *quibus ex cauſis, non immeritò, ſed juſto Dei omnipotentis judicio primùm à prælio, & ſecundò à proprio Regno fugam illum iniiſſe aiebant. Ergò omnibus viſum eſt atque conſentiunt, quòd ob nequitiam ſuam vindicta Dei illum ejecerit, Regnumque fratribus ſuis melioribus ſe juſtè ad regendum tradiderit*: prorſus ex illius ſæculi more, quo Dei voluntatem etiam in privatorum rebus, aquæ, ferri candentis, quæſitis etiam aperto Scripturæ volumine ſortibus, ſed maximè prælio explorabant; iis ſcilicèt indiciis de rebus maximis tanquàm Divino judicio decernebant. Hæc quoque examina *Divini judicii* nomine appellabant; perſuaſi quippe, Deum non niſi bonæ juſtæque parti largiri victoriam; quæ paſſim etiam à ſacerdotibus Domini fuiſſe comprobata, ipſiſque autoribus geſta, multæ quæ ex illo ævo ſuperſunt Miſſæ ac benedictiones, in eum uſum confectæ, demonſtrant. Ad eum ergò ſenſum hîc Epiſcopi conſulti à Regibus reſpondent: Divinam voluntatem, potentiam, ultionem, tantâ victoriâ, & Lotharii non modò prælium, ſed etiam Regnum deſerentis fugâ, tanquàm manifeſtis indiciis declaratam. Aiunt enim *non immeritò, ſed juſto Dei omnipotentis judicio* hæc Lothario eveniſſe; conſultique ſunt à Regibus, non qui ipſi judicio Eccleſiaſtico de Regnis decernerent, ſed ut, quid Deus vellet tanquam *Divino numine* inſtinctuque proderent. Quare neque ipſi id ſibi tribuunt, ut excommunicatione ac depoſitione prolatâ, aut penſatis Reipublicæ Chriſtianæ utilitatibus judicent; ſed Deum ita velle, ita judicâſſe, ejuſque voluntatem ac vindictam ipſâ victoriâ ac Lotharii fugâ declaratam eſſe pronuntiant. Neque ipſi Lotharii Regnum fratribus tradunt, ſed à Deo eſſe traditum, eoque jure habendum poſſidendumque confirmant. Quod quàm rectè egerint, ſecuta rerum eventa demonſtrant; cùm Lotharius & Regnum

(*aaa*) *Autore Nitardo.*] Nitardus Caroli Magni ex Berthâ filiâ nepos, teſtis adfuit.

gnum recuperaverit, & pacatè tenuerit, & liberis habendum tenendumque tradiderit.

Interim facile erat, quod hîc Epiſcopi fecerunt, præcipere victoribus, ut Regnum deſertum, in quod inhiabant, tanquàm *ex Divinâ autoritate ſuſciperent, & ſecundùm Dei voluntatem regerent:* fallebatque eos, fortaſſe falli volentes, Divinæ voluntatis ambiguum nomen. Certiſſimum enim eſt victoriam præliantibus, Regna victoribus, voluntate Dei tradi, eâ ſcilicèt quæ effectum inferat, non eâ ſemper quæ approbationem certumque jus indicet. Quare hæc, quæ facta ſunt extraordinariè, tanquàm Dei inſtinctu & numine, ejuſque judicio manifeſtis veluti indiciis propalato, ad exemplum trahere Eccleſiaſtici judicii & ordinariæ autoritatis, fallax falſumque eſt.

CAPUT XLIII.

An meritò objectum à BARONIO *id quod eſt à Carolo Calvo in proclamatione adversùs* VENILONEM *poſitum.*

OBJICITUR etiam id quod eſt à Carolo Calvo Rege, anno 859. ad Epiſcopos dictum, in proclamatione ſive expoſtulatione *adversùs Venilonem Archiepiſcopum Senonum:* quod ut intelligatur, rerum ſtatus ex ipſâ proclamatione explicandus. Hæc ergò proponit Carolus: *Cùm, teſte ſancto Gregorio, ex conſuetudine olitanâ, omnibus cognoſcentibus, Reges in Regno Francorum ex genere prodeant, ſibi à genitore Ludovico Auguſto partem Regni inter fratres ſuos Reges Divinâ diſpoſitione traditam.... Venilonem tunc Clericum in capellâ ſuâ, promiſſo fidelitatis ſacramento ſerviſſe, eique à ſe, juxta conſuetudinem prædeceſſorum Regum, conſenſu Epiſcoporum, vacantem Senonum Metropolim* fuiſſe *commiſſam:* factam poſtea per Primores Regni diviſionem inter ſe & fratres, & ab Epiſcopis etiam à Venilone juratam: *poſt hoc* (ab eodem Venilone) *electione ejus aliorumque Epiſcoporum ac cæterorum Regni fidelium voluntate, conſenſu & acclamatione cum aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis, in ejuſdem Venilonis diœceſi* (id eſt, Provinciâ, *Aurelianis* ſcilicèt) *ſe fuiſſe conſecratum & in Regni regimine perunctum, & diademate, atque Regni ſceptro in Regni ſolio ſublimatum:* multa etiam alia ab eodem Venilone dato chirographo fuiſſe firmata: quorum immemorem eum id ſæpe conatum, ut Carolum Regno pelleret, atque illud Ludovico Caroli fratri, conjuratione factâ traderet. Cùm ergò Carolus, rebus cum fratre compoſitis, talem proditorem damnari ab Epiſcopis inſtantiſſimè cuperet, judicibus adulabatur his verbis: *A quâ conſecratione vel ſublimitate Regni* (ſuprà memoratâ) *ſupplantari vel projici à nullo debueram, ſaltem ſine audientiâ & judicio Epiſcoporum, quorum miniſterio in Regem ſum conſecratus, & qui Throni Dei ſunt dicti, in quibus Deus ſedet, & per quos ſua decernit judicia, quorum paternis correptionibus & caſtigatoriis judiciis me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.*

Bar. tom. x. an. 859. p. 172. Tom. viii. Conc. pag. 672.

Tum primùm nono ſæculo plus quàm mediam partem elapſo, hæc vox

exaudita eſt de projiciendis à conſecratione & Regni ſublimitate Regibus; per Epiſcopalem audientiam; & tamen hæc omnia nihil ad rem.

Nihil, inquam, ad rem, quòd Carolus Calvus Epiſcopis, tanquam Dei interpretibus, ſe ſubmittit: non enim quærimus utrum Reges arbitrio Epiſcoporum, tanquam Divini numinis interpretum, abdicare poſſint, quod tamen vix aut ne vix quidem expedit; ſed utrum Epiſcopi, judicio dato, Reges ſolio deturbare poſſint. Id quidem Venilo per proditionem conatus erat, tanquam ab illo reſcindi poſſet ea, quam ipſe fecerat conſecratio. At non id Carolus fatebatur; neque ſe eo fine ſubmittebat Epiſcopis, ut Regiam poteſtatem ad eorum arbitria deponeret, qui ſtatim ab initio profitetur priſcâ conſuetudine omnibus notâ, *in Francorum Regno Reges prodire ex genere*, quo jure *partem Regni à Patre Auguſto Divinâ diſpoſitione* ſibi eſſe *traditam*.

Quare electio, quæ ad conſecrationem facta memoratur, pro publico & ſolenni actu, quo Regem agnoſcerent, ex uſu eorum temporum accipitur; non pro verâ electione, tanquàm Francorum Reges electione fierent. Id adeò verum & ipſe Carolus & omnes intelligebant, ut ante *conſecrationem & ſublimationem* eam, quæ conſecrationi conjuncta memoratur, Carolus more Regio, ipſum Venilonem futurum conſecratorem ſuum, ad *Metropolim Senonum* evexerit. Quamobrem, etſi ea conſecratio ac ſublimatio reſcindi potuiſſet, remaneret certè Carolus id quod natus erat, *Rex ex genere*, cui Regni pars inter fratres Reges *Divinâ diſpoſitione* deberetur.

Nec minùs clarum eſt de conſecratione ipſâ ac ſublimatione conſecrationi conjunctâ, non abſolutè dici: Judicio Epiſcoporum ab eâ projici poſſe Regem: ſed ſi projici à quoquam debuiſſet, quod Venilo facere conabatur, non id *ſaltem* fieri potuiſſe ab eo, ſine iis Epiſcopis, qui Regem cum ipſo Venilone conſecraverant: quod quidem ad Venilonis mentem, & tanquàm ad hominem fuiſſe reſponſum claret; ne ſi proditor aliquid ſibi juris in Regem ſuperbè ac perperam conſecrationis nomine vindicâſſet, is ſolus habere videretur.

Et quanquam hæc in eum finem dicta, nullo effectu conſecuto, nihil omninò ad rem noſtram, aut ad ſtatum Regiæ dignitatis faciunt; verè tamen ac certò affirmare poſſumus, à nullo antea, à nullo poſtea Rege, imò à nullo mortalium hæc qualiacumque fuiſſe unquam prodita, congruaque omninò videri illis temporibus, à quibus inclinationem rerum, eumque, qui conſecutus eſt Regiæ Majeſtatis contemptum, incœpiſſe omnes Hiſtorici memorant.

CAPUT XLIV.

Argumentum ex Regum conſecratione repetitum ſolvitur: LUDOVICI II. *Imperatoris*, LOTHARII I. *filii*, *epiſtola ad* BASILIUM *Imperatorem Orientis.*

ANTEQUAM ex hoc loco digrediamur, ſolvendum argumentum, vanum illud quidem, ſed quod à quibuſdam magni fiat, à Regum con-

Digitized by Google

ſecratione repetitum. Quippe in hac, primùm ab Epiſcopo conſecrante poſtulatur, *ut præſentem militem ad dignitatem Regiam ſublevet:* cum ipſo ſic agitur, tanquam eo, *qui Regiam dignitatem ſuſcepturus ſit:* dat ipſe ſolitum ſacramentum, tanquam *Rex futurus:* denique ſic omnia peraguntur, tanquam non niſi poſt inunctionem, Rex, ante inunctionem & conſecrationem, electus tantùm eſſe videatur. Quæ quidem ex vetuſtis deprompta formulis, quibus Reges etiam Francici, in ſecundâ ſaltem Dynaſtiâ inuncti fuerint, nemo harum rerum ſciens inficiabitur. Quæ ſi ad extremum urgentur, nempe id efficient, ut Reges non genere ſed electione fiant, nec niſi conſecrati Regium nomen Regiamque poteſtatem accipiant; quod adeò eſt abſurdum & omnium gentium conſenſione tantâ rejectum, ut nec argumentis confutare ſit dignum. Quare ex communi omnium ſenſu, ſacræ cæremoniæ arcana ac myſtica ſignificatio hæc eſt: in eâ eſſe ſacramentum Regiæ poteſtatis cœleſti numine conceſſæ & inſtitutæ, atque hanc Divino numini haberi reverentiam, ut Rex à Deo conſtitutus, ipſe quodammodò coram Deo ſacriſque altaribus, Regio ſe nudet nomine, ut illud à Deo ſanctius jam auguſtiuſque recipiat. Cujus rei ſacramentum eſt, quòd & gladius & corona Regi imponenda de altari ſumantur, dicaturque ad Regem: *Accipe gladium de altari ſumptum*, quia nempe gladii jus à Deo eſſe, ejuſque providentiâ Regi eſſe traditum, ex Apoſtolicâ traditione & diſciplinâ doceamur: quæ trahi ad argumentum inſtituendi ac deponendi Reges, non niſi ſtultè & imperitè poſſunt.

Quo etiam ſenſu Ludovicus II. à Carolo Magno quartus, ſe *ad Romani Imperii Principatum, ſummi Pontificis manu provectum* eſſe teſtatur; cùm Imperatoris Lotharii filius, Imperatoris Ludovici Pii nepos: Imperatoris Caroli Magni abnepos, jam hæreditarium teneret Imperium, atque Imperatorium nomen ſibi jam, imò etiam avo Ludovico Pio, paternum eſſe profitetur. *Quomodo enim paternum non eſt, quod jam in avo noſtro paternum?*

Ep. apolog. Lud. ij. Imp. ad Baſ. Imper. Orient. Duch. tom. iij. p. 555.

Hæc ſcripſit Ludovicus II. ad Baſilium Imperatorem Orientis, cùm is Francis Principibus Caroli Magni poſteris, Imperatorium nomen denegaret. Atque hæc verba tacuit ſcriptor Anonymus, qui hunc profert locum, ut Caroli Magni nepotes Imperatoriam dignitatem ſummo Pontifici acceptam retuliſſe oſtendat; quod quidem nec negamus, nec erat cur Anonymus in perſpicuâ re probandâ laboraret. Quærendum illud erat, in quo difficultas verſabatur: quo jure Romanus Pontifex Imperii dandi autor fuerit: an Apoſtolico illo jure, quod Chriſtus inſtituit, an hoc adſcititio, quo Romanus Pontifex, Senatûs ac civium reverentiâ, caput Urbis atque egregiæ cujuſque rei autor habebatur.

Anon. tract. de lib. riat. Eccl. Gall. lib. iv. cap. xj. p. 201.

Ac Ludovicus quidem II. adversùs Baſilium & Græcos, Imperatorium nomen ac dignitatem Caroli Magni poſteris his verbis vindicabat: *A Romanis enim hoc nomen & dignitatem aſſumpſimus, apud quos profectò primò tantæ culmen ſublimitatis & appellationis effulſit, quorumque gentem & urbem Divinitùs gubernandam, & matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam atque ſublimandam ſuſcepimus; ex quâ & regnandi priùs, & poſtmodum imperandi autoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes, primò Reges, deinde verò Imperatores dicti ſunt ii duntaxat, qui à Ro-*

Digitized by Google

mano Pontifice ad hoc, oleo ſancto perfuſi ſunt : quem locum niſi Anonymus truncum capite retuliſſet, nempe ipſa lectione ſtatim intueremur, Imperium à Romanis atque ab ipſâ urbe Dominâ, unde hoc nomen primùm effulſit, ad Francos tranſlatum; autore quidem Romano Pontifice, Romanâ Eccleſiâ Eccleſiarum matre comprobante & confirmante : eo plane ſenſu, quo à Joanne VIII. dictum meminimus, Carolum Calvum *Coepiſcoporum & Cleri, amplique Senatûs & totius Romani Populi, gentiſque togatæ annisu, ac ſecundùm priſcam conſuetudinem, ab ipſo Joanne ad Imperii Romani ſceptra eſſe provectum.*

Sup. cap. xxxiv.

En unde Caroli Magni poſteritas Imperatorium nomen adversùs Græcos tueretur. Hinc idem Ludovicus II. eâdem in epiſtolâ commemorat Senatûs Populique Romani, imò & Militum exercituumque, in promovendis Romanis Imperatoribus autoritatem. Quo jure excidiſſe haud par erat Romanam urbem, faciebatque magis ad ejus dignitatem, quod jam per Petrum Apoſtolum religionis ac Sacerdotii Caput eſſet. Itaque concludebat ab urbe Romanâ Francos eò jure eligi potuiſſe, quo jure quondam Hiſpani aliique electi erant.

Inde ad Francos ſtirpemque Carolinam tranſlatum Imperium Ludovicus II. refert, neque verò tacet ſacram unctionem ab Apoſtolicis Pontificibus datam, quæ huic rei firmamento eſſet. Quin & id reſpicit, quod Pipinus Caroli Magni pater ejuſque liberi, jam à ſancto Bonifacio (*bbb*) in Reges Francorum uncti, à Stephano II. Papâ profecto ad Francos, iterùm uncti eſſent; placebatque omninò Regiæ domûs originem à Romano Pontifice conſecratam; atque id non modò honori, ſed etiam firmamento eſſe intelligebant, ut Regium genus etiam ab Apoſtolicâ ſede ſacro-ſanctum haberetur.

Ex his ergò conſtat Caroli Magni nepotes eâ re maximè gloriatos, quod non modò Imperatorium, ſed etiam Regium nomen, Eccleſiâ Romanâ probante, confirmante, conſecrante, ſuſceperint, non profectò id egiſſe ut Regnorum & Imperiorum poteſtatem ei tribuerint, contra rei geſtæ ac veterum omnium monumentorum fidem. Cæterùm quid importet à Romano Pontifice corona impoſita, Adrianum IV. audiemus exponentem, cùm ad ea tempora noſtra oratio devenerit.

Inf. lib. iij. cap. xviij.

Hæc ſunt quæ ad Gregorium uſque VII. ſtudioſiſſimè atque operoſiſſimè conquiſita, referunt, ut Eccleſiaſtico ordini ejuſque capiti Romano Pontifici ſubſternant deponendos Reges; quæ, quàm vana, quàm nulla ſint, nemo non videt. Jam quantùm valeant quæ à Gregorio VII. nullo antea exemplo, nulloque documento, geſta ſunt, facilè intelligimus.

(*bbb*) *A ſancto Bonifacio*] Pipinum non fuiſſe unctum probat P. Le Cointe, ut ſuprà docuimus. Vid. annales Franc. tom. v. an. 752. n. 6. & ſeq. pag. 322. & ſeq.

DEFENSIO DECLARATIONIS
CLERI GALLICANI
DE
ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER TERTIUS.

Quo à GREGORII VII. tempore res extra Concilia Œcumenica geſta referuntur ad CAPUT PRIMUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

An GREGORII VII. *ac ſecutis decretis ita res confecta ſit, ut de eâ ambigere Catholicis non liceat: contrarium ſtatuitur certis exemplis & Catholicorum omnium conſenſione:* MELCHIOR CANUS, BELLARMINUS, RAINALDUS, PERRONIUS *teſtes adducuntur.*

NUNC devenimus ad ea tempora, quorum maximè autoritate nos premunt, Gregorii ſcilicèt VII. ſecutorumque Pontificum. Quippe objiciunt hiſce temporibus quæſtionem totam Eccleſiæ autoritate deciſam: depoſitos quippe Pontificiâ autoritate Imperatores ac Reges: conſenſiſſe in eam depoſitionem Orthodoxos; neque tantùm rem à Romanis Pontificibus eſſe factam, ſed factam in Conciliis Œcumenicis: depoſitum enim in

Conc. ij. Lugd. Œcumen. tom. xj. Conc. p. 640. Conc. Later. iij. cap. xxvij. tom. x. p. 1523. Later. iv. cap. iij. tom. xj. p. 148.

Concilio Lugdunenſi II. ab Innocentio IV. Fridericum II. quin etiam ab ipſis Synodis multa eſſe decreta, quæ ad eam praxim comprobandam maniſeſtè pertineant, ut eſt illud decretum Lateranenſis Concilii III. *de relaxato fidelitatis debito* adversùs hæreticos, & Lateranenſis IV. ut *ſummus Pontifex hæretici Vaſſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos:* denique rem adeò certam, ut à Conciliis in formulam verſa ſit, extentque Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis decreta, quibus privationis pœna Principibus etiam ac Regibus intentetur; ex quibus concludunt, rem totam eorum etiam Conciliorum, quibus maximè utimur, autoritate eſſe confectam.

Hæc adverſarii Catholici objiciunt. Hæretici verò poſtquam nobiſcum poteſtatem indirectam averſati ſunt ut à Sacrâ Scripturâ & antiquitatis Eccleſiaſticæ Dogmatibus abhorrentem, tum verò inculcant, quæ jam memorata ſunt, poſterioris ævi decreta, ut in tantâ doctrinæ mutatione, ea quam tuemur, Catholicæ Eccleſiæ infallibillitas ſtare non poſſit.

Melchior Can. de loc. Theol. edit. Lovã. 1564. paſſ.

Nos autem hæreticis ſtatim reſpondemus, more ſolito calumniari eos. Non enim Catholici docent, quæcumque in Conciliis geſta ſint, ea ad Eccleſiæ Catholicæ fidem pertinere: ſed eo loco habent illa tantùm, quæ decreto edito fidelibus omnibus credenda, ac tenenda proponuntur: quod & Melchior Canus copioſè docet, & Catholici omnes uno ore confitentur. Cujus rei ratio eſt, quòd id ſufficiat, ut verba Chriſti firma ſtent de æternâ Eccleſiaſticorum Dogmatum firmitate; nec proinde labat Eccleſiæ fides, ſi ea quæ extra fidem decreta ſunt, haud pari autoritate conſiſtunt. Atque certum omninò, multa in Conciliis ſine expreſsâ deliberatione ac determinatione eſſe dicta geſtaque, quibus adſtringi ſe Catholici omnes uno ore negant. Multa etiam decreta ſunt, quæ non pertineant ad invariabilem fidei regulam, ſed ſint accommodata temporibus atque negotiis. Quin etiam illi qui Romanum Pontificem vel maximè infallibilem eſſe contendunt, non propterea neceſſariò tuenda ſuſcipiunt, quæ Pontifices geſſerint; ſed profectò certæ ſunt regulæ, quibus & hi Pontificibus, & omnes Catholici Conciliis Œcumenicis certam fidem docent adhiberi oportere.

Canus ib. lib. v. fol. 340.

Certè Melchior Canus Pontificiæ infallibilitatis defenſor acerrimus aſſerit: *Qui ſummi Pontificis de re quâcumque judicium temerè ac ſine delectu defendunt, hos ſedis Apoſtolicæ autoritatem labefactare, non fovere; evertere, non firmare.* Ac paulò poſt: *Non eget Petrus mendacio noſtro, noſtrâ approbatione non eget:* tum adductis decretis de religioſis Ordinibus *approbatis*: *Satis fuerit*, inquit, *ſi eam habeant autoritatem, quam epiſtolæ decretales, quarum nonnullas conſtat à poſterioribus meliore conſilio refutatas;* quoniam non ex firmo decreto, ſed ex Pontificum opinione prodierunt.

Bell. de R. P. lib. iv. cap. xij. xiv.

Neque negat Bellarminus, aitque, Pontifices *ex ignorantiâ lapſos*, quod, inquit, *poſſe Pontificibus accidere non negamus; cùm non definiunt aliquid tanquam de fide, ſed tantùm opinionem ſuam aliis declarant.* Alia ejus reſponſio eſt: *Pontifices tum nihil certi ſtatuiſſe, ſed tantùm reſpondiſſe, quod ſibi probabilius videbatur.* Addit: *Multa alia eſſe in epiſtolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam eſſe de fide, ſed tantùm opiniones Pontificum eâ de re nobis declarant.*

Ibid. cap. xj.

Quòd Stephanus VI. & Sergius Romani Pontifices iterùm ordinari juſſe-

Digitized by Google

runt eos, qui à Formoſo (*a*) Papâ, poſtquam is degradatus fuit, ordinati eſſent, idem Bellarminus reſpondet: *Eos non edidiſſe aliquod decretum, quo decernerent ordinatos ab Epiſcopo degradato.... eſſe iterùm ordinandos; ſed ſolùm de facto juſſiſſe iterùm eos ordinari, quæ juſſio non ex ignorantiâ aut hæreſi, ſed ex odio in Formoſum procedebat.*

Ne ergò tu mihi hæc dicito: Gregorius VII. & alii, Imperatores ac Reges depoſuère; ergò id jure factum: docet enim Bellarminus, idque nos diligenter totâ hac tractatione meminiſſe oportet, docet, inquam, ille, accuratè ſecernenda eſſe, quæ Pontifices *de facto juſſerint*, ab iis quæ decreto edito facienda conſtituerint. Neque enim omnia ab ipſis jure fieri; *ſed* quædam *ex odio;* neque eorum decreta, quæ etiam ad doctrinam ſpectent valere omnia; imò verò ab ipſis ritè & ordine interrogatis, multa eſſe reſponſa atque in jure edita, ac decretalium epiſtolarum nomine inſignita, quæ tamen probabili tantùm, imò etiam falſâ Romanorum Pontificum opinione nitantur, idque in confeſſo eſt etiam apud eos, qui Pontificiam infallibilitatem vel maximè propugnant.

Placet etiam adſcribere quæ Odoricus Rainaldus docuit occaſione decretalis, *exiit*, & eorum quæ in eâ à Nicolao III. definita, à Joanne XXII. poſteà rejecta ſunt, de Chriſti paupertate: *Sanè*, inquit, *major propoſitio: nimirum nefas eſſe contradicere in iis quæ definita ſunt per ſedem Apoſtolicam in fide & moribus, certiſſima eſt; & additæ propoſitiones eam omninò confirmant, ſi intelligantur, uti debent, ea quæ ſpectant ad fidem & univerſalis Eccleſiæ mores in neceſſariis ad ſalutem. At Pſeudo-minoritæ non in eo ſiſtunt, ſed quæ ad fidem & mores tantùm ſpectant accidentariò & remotè, qualia ſunt nimirùm Franciſcani inſtituti encomia, privilegia, ſeu decreta Pontificum eò attinentia & omnia in iis contenta, fidei & morum eſſentialia eſſe falsò ſupponunt; ac ludunt in æquivoco. Illas ergò ſanctiones, licèt ſint in ſexto* (Decretalium libro) *eſſe fidei & morum decreta eſſentialia, negandum eſt conſtantiſſimè: neque enim decreta fidei condunt Pontifices, niſi id expreſſerint & de neceſſitate credenda propoſuerint.* Ex quibus id habemus: Pontificum Romanorum decretis propoſitis, duo adhuc quæri oportere: alterum; an res *ſit ad fidei & morum eſſentialia pertinens*, idque per ſe & proximè, non *accidentariò & remotè:* alterum; an expreſſum ſit *id de fide credendum?*

Odoric. Rain. tom. xv. an. 1324. n. 32.

Sext. Decret. lib. v. cap. iij.

Procul ergò abſunt ab Apoſtolici de fide decreti autoritate, hæc Clementina, *Principes Romani*, & Clementina *Paſtoralis*, de fidelitatis juramento ab Imperatoribus debito, deque poteſtate Romani Pontificis ad Imperatoris irritanda judicia, quas Clemens V. edidit; procul, inquam, abſunt hæc ab Apoſtolici de fide decreti autoritate, quamquam ea Clemens *Apoſtolicâ autoritate* declarare ſe dicat.

Clem. lib. ij. tit. ix. de jurejur. & tit. xj. de ſent. & re jud. cap. ij.

Procul ab eâ autoritate rursùm abeſt id, quod idem Clemens V. ut certum ſupponit: *Nos ad quos Romani vacantis Imperii regimen pertinere dignoſcitur, &c.* Quo fundamento nixus, Robertum Siciliæ Regem Vicarium Im-

Clem. *Paſt.*

(*a*) *à Formoſo.*] Is fuit ille Epiſcopus, quem de ſede Portuenſi dejecit Joannes VIII. Hunc deinde reſtitutum à Martino II. Romana demùm Eccleſia ſuſcepit paſtorem. Quam inhumanè Formoſi cadaver violaverint, & ejus memoriam diris devoverint Stephanus VI. & Sergius III. narrat D. Fleury, quem vide.

perii, ſed in Italiâ tantùm conſtituit. Neque huic decreto certiorem addit autoritatem Joannes XXII. dum hæc ad ſe pertinere, propter Petri autoritatem & jura conceſſa Divinitùs, teſtatur his verbis: *In noſtram & fratrum noſtrorum deductum eſt, famâ divulgante, notitiam, quòd licèt ſit de jure liquidum & ab olim fuerit inconcuſsè ſervatum, quòd vacante Imperio, ſicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacâſſe dignoſcitur, cùm in illo ad ſæcularem judicem nequeat haberi recurſus, ad ſummum Pontificem, cui in perſonâ Petri terreni ſimul & Cæleſtis Imperii jura Deus ipſe commiſit, Imperii prædicti juriſdictio, regimen, & diſpoſitio devolvuntur.* Quanquam enim is Pontifex, hoc fundamento nixus, Vicarios Imperii in Italiâ quidem, aliâ autoritate quàm Pontificiâ conſtitutos, omneſque iis obedientes excommunicatione damnet; tamen hæc civilia nullo modo ad fidem & mores univerſalis Eccleſiæ pertinere conſtat. Quo jure hæc omnia à decretis fidei procul amandamus; parique ratione quærimus quæ Gregorius VII. aliique in deponendis Imperatoribus geſſerint, quamquàm & Petri jure atque autoritate geſta eſſe præferant, an ad fidem & mores Eccleſiæ Catholicæ potiori aliquâ ratione pertineant, aut etiam ad ea pertinere, ullo legitimo decreto declaratum definitumque ſit.

Extrav. Joan. xxij. tit. v. *Ne ſede vacante.* c. unico. *Si.*

Hæc dicimus ſecundùm eos, qui Pontificiam infallibilitatem ac ſummam in temporalibus poteſtatem vehementiſſimè aſſerunt: quâ defenſione non modò hæreticorum calumniæ propulſantur, verùm etiam Catholicorum eorum, qui nobis adverſantur, franguntur impetus; eoque demùm res tota devolvitur, ut quæramus ſintne ea, quæ ad Reges deponendos pertinent, eo ordine modoque geſta, quæ ſummam & indeclinabilem apud Catholicos obtineant autoritatem.

Ac primùm: nemo niſi dementiſſimus dixerit, ea geſta eſſe ſummâ & indeclinabili autoritate; alioquin Theologi Pariſienſes Gallique paſſim omnes, poſt cenſuram Sanctarelli ſaltem, ne jam antiquiora memoremus, pro hæreticis aut ſchiſmaticis haberentur, qui rem, ab Eccleſiâ, ſummâ autoritate decretam non modò negârint, ſed inſuper gravi cenſurâ notârint. Ipſe Perronius Cardinalis tot ab aulâ Rômanâ gratulationes tuliſſet immeritò, pro eâ oratione quam habuit in Ordinum cœtu; cùm ibi poſtulavit haberi iſtam quæſtionem inter problematicas & liberas, quæ ab Eccleſiâ graviſſimâ autoritate ſancita definitaque eſſet.

CAPUT II.

Geſta ſub GREGORIO VII. *primumque ejus de* HENRICO *depoſito decretum.*

POSTEAQUAM univerſim conſtitit nihil ad fidem Catholicam pertinere, quæ à Gregorio VII. aliiſque, in deponendis Regibus geſta ſunt; illud jam ipſum evolutis excuſſiſque geſtis, ſingillatim ac luculentius explicemus; ſimulque oſtendamus quanti ſint, quæ ſummâ & indeclinabili autoritate

autoritate non valere liquet. Series poſtulat temporum, ut à Gregorio VII. ordiamur.

Anno Chriſti 1073. adversùs Henricum IV. nequiſſimum & flagitioſiſſimum Imperatorem Saxones rebellaverant. Belli cauſa memoratur, impoſitæ arces atque præſidia, quæ Saxones prædis agendis atque opprimendæ libertati eſſe comparata querebantur. Obtendebat Imperator decimas Siſrido Archiepiſcopo immeritò denegatas; ipſe occultè Archiepiſcopum inſtigabat: Abbates Turingos * ad iniquas conditiones adigebat: his initiis cauſiſque bellum atrox gerebatur. Hic verò ex Libro ſuperiore repetendum id, quod per idem tempus contigit Henrico Imperatori: ab Alexandro II. diem dictam propter cauſas quidem Eccleſiaſticas, nullâ depoſitionis interminatione: tum Alexandrum II. infecto negotio deceſſiſſe: Gregorium VII. ei ſubſtitutum, cum Henrico IV. multa tractâſſe: ac, ne ſuperfluis immoremur, narrat Baronius anno 1075. Henricum, victoriâ de Saxonibus reportatâ, contempſiſſe quæ Papæ promiſerat, de pace videlicèt cum Saxonibus ineundâ, deque Thedaldo in Eccleſiam Mediolanenſem intruſo, aliiſque ejuſmodi negotiis: communicâſſe etiam iis, quos ſedes Apoſtolica ob Simoniam & alia flagitia rejeciſſet. Anno verò 1076. refert idem Baronius, *miſſos à Gregorio Legatos, qui Regem ad dicendam cauſam vocarent ad Synodum:* dicta dies ad feriam ſecundam ſecundæ hebdomadæ in quadrageſimâ: adhibita pœna, niſi dictâ die ſe ſiſteret, ſed excommunicationis tantùm, ut ex Hiſtoricis hujus ævi, Baronio etiam probante, oſtendimus. De depoſitione altum adhuc ubique ſilentium.

Hiſt. Sax. bell. p. 105. Lambert. Schaf. an. 1073. ap. Freh. pag. 190.

* Faldenſem nempe & Herveldenſem.

Sup. lib. ij. cap. xxx.

Bar. tom. xj. p. 472.

Ib. p. 476.

Lib. ij. loc. cit.

Henricus tamen eâ Gregorii citatione commotus, ſtatim habitâ Vormatiæ Pſeudo-Synodo Gregorium *depoſuit, eique ſubjectionem & obedientiam interdixit;* quin etiam datis literis imperavit, & illi ut ab Apoſtolicâ ſede diſcederet, & Clero Populoque Romano ut *qui primus eſſet in fide, eſſet primus in ejus damnatione.* Hæc miror Catholicis quibuſdam non ſatis cautis ſcriptoribus probari potuiſſe. Neque enim aut Gregorius VII. quidquam egerat, quo deponeretur, nec, ſi eâ de re quæſtio moveretur, ei finiendæ, idonei erant Imperator cum eoque collecti Germaniæ Epiſcopi; prorſuſque Eccleſiæ Catholicæ ac ſedis Apoſtolicæ jacet autoritas, ſi hæ molitiones valeant. Sed poſtquàm Imperator, inconceſſa auſus, Gregorium depoſuit; Gregorius quoque eò proſilire auſus, ut Regem non tantùm excommunicandum more Majorum, ſed etiam deponendum novo exemplo ſuſciperet. Neque illud omittendum, quod à coævo autore memoriæ proditum ſupra retulimus: delectatum eum videri dandi Regni dulcedine & gloriâ, quam ultrò blandientes offerebant: viſos etiam illos motus, quibus Germania fluctuabat, amplificandæ in civilibus Romanæ potentiæ oportunos: queis fretus Gregorius eam tulit ſententiam, cujus initium eſt: *Beate Petre, Apoſtolorum Princeps.* Decretum autem ſic habet: *Et ideò ex tuâ gratiâ, non ex meis operibus, credo quòd placuit tibi & placet, ut populus Chriſtianus tibi ſpecialiter commiſſus mihi obediat ſpecialiter pro vice tuâ mihi commiſſâ; & mihi, tuâ gratiâ, eſt poteſtas à Deo data ligandi atque ſolvendi in Cœlo & in terrâ. Hac itaque fiduciâ fretus, pro Eccleſiæ tuæ honore & defenſione, ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, per tuam poteſ-*

Hiſt. Sax. bell. p. 122.

Ibid.

Sup lib. j. ſect. j. cap. xij.

Concil. Rom. iij. ſub Greg. vij. tom. x. p. 356. 357.

Tomus I. Mm

tatem & autoritatem, Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Eccleſiam inauditâ ſuperbiâ inſurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico; & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti quod ſibi fecerunt vel facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat interdico. Dignum eſt enim, ut qui ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ imminuere, ipſe honorem amittat quem videtur habere; & quia ſicut Chriſtianus contempſit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimiſit participando excommunicatis, meaque monita, quæ pro ſuâ ſalute ſibi miſi, te teſte, ſpernendo, ſeque ab Eccleſiâ tuâ, tentans eam ſcindere, ſeparando, vinculo eum anathematis vice tuâ alligo.

Eo in decreto, quod ad verba attinet, illud imprimis notatum volo, diſtinctis verbis atque ſententiis depoſitum primò Principem, tum etiam anathemate alligatum fuiſſe. Et meritò quidem anathemate percuſſum confitemur eum, qui nullâ cauſâ, nullâque poteſtate, Petri ſucceſſorem deponere auſus fuerat. Quòd autem Pontifex perperam depoſitus, haud meliore jure Imperatorem ipſe depoſuerit, id verò ut novo, ita pravo exemplo eſſe factum contendimus.

CAPUT III.

De Gregoriani Decreti autoritate quæritur: paucis repetuntur quæ de ejus novitate dicta ſunt.

CUM ſecutæ de Regibus deponendis ſententiæ, ab eo Gregorii VII. decreto & exemplo, tanquam ex fonte prodeant, de totâ ejus decreti ratione quærendum eſt. Et quidem ab ipſo diſputationis initio præſtruximus ipſam rei novitatem: nullum exemplum, autoritatem nullam hujus rei aggrediundæ præceſſiſſe: itaque attonitum Orbem: Gregorii aſſeclas ipſâ novitate commotos: ipſum Gregorium anxiè interrogatum nihil niſi falſa, vanaque & nimia protuliſſe: hinc Gregoriani decreti novitatem, poſt tot ejus ævi tractationes, poſt ipſius Gregorii omni ingenio ac ſtudio elaborata reſponſa, viris piis & gravibus non minùs fuiſſe ſuſpectam: eundem Gregorium nova ſuperſtruxiſſe novis: victoriam novo auſu, novique generis, decreto edito, ab Henrici exercitu arcuiſſe, & velut obſtupefacto Orbi inanes objeciſſe terriculas: ac nihilo ſeciùs, audentiſſimum licèt, in tantâ novitate, nec ipſum ſibi ſatis conſtare potuiſſe. Hæc quidem omnia novitatem ſonant, hoc eſt, in Chriſtianâ doctrinâ certam ac perſpicuam falſitatem. Nunc autem tota res multò clariùs eniteſcit. Ecce enim evolutis, ab omni antiquitatis memoriâ ad hæc uſque tempora, Eccleſiaſticis geſtis, ſpoliatos fuiſſe unquam, Eccleſiaſtico decreto, ullâ bonorum parte Laïcos, nedum ditione atque Imperiis Reges, aut tale quid unquam cuipiam intentatum, non invenimus, non legimus, non audivimus; cùm tamen demonſtraverimus tot ac tantas hujus rei interveniſſe cauſas, ſi id vel Eccleſia cogitâſſet.

Sup. lib. j. ſect. j. cap. vij. & ſeq.

Quin etiam vidimus Chriſtianos omnes, etiam Epiſcopos, Romanoſque adeò Pontifices paſſim obediſſe apoſtatis, hæreticis, excommunicatis Regibus; neque tantùm obediſſe, ſed etiam docuiſſe ex Chriſti præceptis de-

beri eis obedientiam, exceptis iis rebus, quæ contra Dei vetita juberentur; Pontifices quoque, diſcretis utriuſque dignitatis limitibus, ultrò eſſe profeſſos, nullam eſſe ſuam in rebus ordinandis civilibus poteſtatem. Nunc cùm Gregorius VII. nullo unquam exemplo, autoritate nullâ, contraria omnia faciat; rogamus adverſarios, hæc quæ nunc gerit, an ad Catholicam fidem & Eccleſiaſticum dogma pertineant? Si pertinere contendunt: ubi illud, quo Eccleſia Catholica invicta hactenus ſtetit: valere oportere *quod ubique, quod ſemper:* & illud: *Id verum quod priùs, id adulterum quodcumque poſteriùs?* Quid autem reſpondemus hæreticis, dum doctrinæ novitatem erroremque manifeſtum, vel his vel anteactis ſæculis improperant? Sin autem his argumentis victi, hæc Gregorii geſta pro fidei doctrinâ atque Eccleſiaſtico dogmate habere non audent; nempe non ab ejus duntaxat, ſed ab illorum etiam qui eum ſecuti ſunt autoritate, nos liberant. Vincent. Lirin. cóm. j. Tert. de præicr. hæret. c. xxxj.

CAPUT IV.

Qui GREGORIO VII. HENRICUM *deponenti adhæſerint, eos falſo fundamento nixos, falſo nempe intellectu interdicti de vitandis excommunicatis, idque jam in confeſſo eſſe: Sancti* GEBHARDI *& aliorum ejus ævi in eam rem ſententiæ.*

NUNC ne ſanctorum virorum, qui Gregorio VII. Reges deponenti adhæſerint, autoritate plus æquo moveamur; conſiderandum iſtud: illos, quotquot fuere, falſo fundamento nixos; nempe quod interdictum de vitandis excommunicatis, falſo, & ab omnibus jam rejecto intellectu acceperint. Quid inde conſequatur orationis ſeries aperiet. Nunc rem ipſam aggredimur. Incipimus autem à Gebhardo Juvavenſi, quem à Metenſi Herimanno de hâc quæſtione rogatum memoravimus. Jam quid reſponderit audiamus. Reſcribit autem eo tempore, quo non modo Henricus IV. à Gregorii VII. communione receſſerat, verùm etiam Anti-Papam fecerat nefarium illum Guibertum Ravennatem, Clementem appellatum. Hunc qui reſpuerent Epiſcopi, ſedibus ab Henrico pellebantur; Pſeudo-Epiſcopi per vim intrudebantur; ipſe Gebhardus in exilio agebat, quo tempore hæc ſcripſit; meritoque damnat Epiſcopos qui talibus conſentirent. Cæterùm, cùm Herimannus de deponendis Regibus Eccleſiaſticâ autoritate vel maximè quæreret, Gebhardus, nullâ depoſitionis mentione factâ, rem totam cum excommunicatione connectit, & controverſiæ ſtatum ab ipſo initio ſic exponit: *Hâc puritate contenti, eò quòd in præſenti verſatur negotio, hoc ſolum tenemus quod Eccleſia Catholica ſemper tenuit, quod ab initio coepta Chriſtianitatis uſque ad monſtroſa hæc tempora ſtabile & inconcuſſum perſtitit, ſcilicèt quòd excommunicatis non eſt communicandum. Hæc namque diſſenſionum cauſa eſt & ſeditionum, quòd illi ab excommunicatis non abſtinent & non abſtinendum docent: nos verò & abſtinemus & abſtinendum perſuademus, præcipuè ab illis qui à primâ & præcipuâ Sede excommunicantur.* Sic ille totius negotii fontem rationemque, in ipſo interdicto de vitandis hæreticis

Vid. lib. j. ſect. j.

Gebh. ep. ad Herm. ex lib. cui titulus: *Vetera monum. cont. Schiſm.* Ingol. 1612. pag. 10. ap. Tegnag.

reponendam putat: depoſitionis per totam epiſtolam mentione nullâ; quippe qui de tali re nihil in Scripturis, nihil in Canonibus, nihil in Patribus, nihil in Hiſtoricis geſtiſve Eccleſiaſticis inveniret.

Hoc diſputationis poſito fundamento, docet valere excommunicationem

Ibid. p. 15. nullâ Canonicâ examinatione reſciſſam: *Illos*, inquit, *velimus attendere, qui tam facilè etiam quorumlibet Epiſcoporum, nedum Romani Pontificis ſententiam, ſine Legati examinatione reſcindunt.*

Ibid. p. 17. Agit poſteà contra eos qui Gregorium *indiſcuſſum*, *inauditum*, *inconvictum*, *nec confeſſum*, *vel commonitum* Wormatiæ depoſuerunt, & Guibertum Anti-Papam, vivente vero & legitimo Pontifice Gregorio, in Petri Cathedram intruſerunt, *Romanâ Eccleſiâ nec conſciâ, nec conſentiente.* Et addit: *Ecce, omni tergiverſatione remotâ, cauſæ à nobis expoſitæ ſunt de hoc, quòd excommunicatis, quibus illi communicant, non communicamus: quòd Apoſtolicæ ſedis Pontifici, & Beati Petri vicario abrenunciare non præſumimus: quòd eodem vivente & cum Romanâ Eccleſiâ concorditer agente, alium ad eandem ſedem eligere, aut eligentibus conſentire non acquieſcemus.*

Quod autem objiciebatur juramentum fidelitatis Principi præſtitum;

Ibid. pag. 20. 21. 24. & ſeq. reſpondet primò: *Antiquitus præceſſiſſe votum*, quo ſe, in ordinatione ſuâ, Beato Petro ſuiſque vicariis & ſucceſſoribus obſtrinxerint: tum violari fidem Principi datam ab iis maximè, qui eum peſſimis implicuere negotiis: poſteà non valere juramentum contra jus faſque datum: poſtremò rem totam huc eſſe devolutam: *Dicitur*, inquit, *nobis: Fidelitatem Principi juráſtis, cui ſi fideles eſſe vultis, fidem Domino Apoſtolico & obedientiam abnegate, & illam abnegationem juramento, vel ſcripto firmate, & ab excommunicatis à ſede Apoſtolicâ non abſtinete, & non abſtinendum docete.* Quo quæſtionis conſtituto ſtatu, concludit: *Nihil unquam juravimus, niſi quod ſalvo Ordine noſtro fieri poſſet.*

Quæ ſi quis intelligat, inveniet ſancto viro ne perſpectum quidem fuiſſe quæſtionis ſtatum. Neque enim ſi fidelitatem ſervaret Principi, ideò Domino Apoſtolico obedientiam abnegaret, ſed in civilibus Principi, in ſacris Apoſtolico obediret, nec ſi Principis prava imperantis juſſa detrectare, ideò obedientiam abſolutè negare oporteret; nec ſi cum excommunicato Principe in malis & in ſacris, ideò etiam in civilibus, Reipublicæ cauſâ, communicare vetaretur. Atque ut clarè omnia diſtinguamus: illud quidem rectè, quòd Gebhardus & alii, Henricum ſimoniacum & infandi Schiſmatis autorem, pro excommunicato habebant: quòd Gregorium ab eo depoſitum pro vero Pontifice colebant: quòd Guibertum Anti-Papam ejuſque aſſeclas reſpuebant: quòd iis qui eſſent excommunicati ipſique adeò Regi in malis & in ſacris communicare nolebant; hæc recta ſanctaque: quòd autem in re nullâ, ne quidem temporali, ac Reipublicæ cauſâ, cum excommunicato Rege communicare ſe poſſe credebant; id verò errorem eſſe manifeſtum, & nos probavimus, & jam in confeſſo eſt; atque omninò conſtat, falſo nixos ſyſtemate, obedientiam omnem Principi denegâſſe.

Dodech. an. 1090. Neque aliter alii paſſim cauſam hanc tuebantur. Extat apud Dodechinum Abbatem, Mariani Scoti continuatorem, atque hujus ævi Annaliſtam,

* Turingiæ. Stephani Alberſtatenſis Epiſcopi, ſub nomine Ludovici Comitis * ad Val-

tramnum Magdeburgenſem Regis Henrici defenſorem, epiſtola (*b*) vehemens, cujus quidem ſumma eſt: Regem adulterum, homicidam, ſimoniacum, atque adeò hæreticum, non eſſe à Deo ordinatum, eâ ratione quòd *pro his nefandis malis ab Apoſtolicâ ſede excommunicatus, nec Regnum, nec poteſtatem ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit obtinere.* Quam epiſtolæ ſummam Dodechinus his verbis comprehendit: *Venerabilis Epiſcopus, vocato notario, epiſtolam dictavit, in quâ Henricum hæreticum & excommunicatum, idcòque nec Regem dicendum comprobavit.* Sic depoſitionem ab excommunicatione ſuſpendunt, errore manifeſto, ut jam in confeſſo eſt.

Solebant autem his temporibus vehementiſſimè urgere, quòd *excommunicatos vitare debeamus*; legiturque eâ de re Bernaldi * opuſculum ad Gebhardum Abbatem Schaffuſenſem; eâque ſe ratione maximè tuebantur, qui Regem reſpuebant.

* Conſtantienſis Preſbiteri. Vetera monum.&c. p. 239.

Lambertus Schafnaburgenſis, Gregorianarum partium ſtudioſiſſimus, ad annum 1076. memorat excommunicatione factum, ut Uto Epiſcopus Trevirenſis aliique, cum Rege ſtare vererentur. Itaque hâc de causâ ab Epiſcopis, & Proceribus Palatinis abſtinebat, *obtendens & eos & ipſum Regem excommunicatos eſſe à Romano Pontifice; ſibi tamen, quod ipſum vix ſummis precibus extorſerit, indultam tantùm eſſe colloquendi Regis licentiam; nullâ præter hæc in cibo, in potu, in oratione, vel in cæteris omnibus communione ejus permiſsâ:* quaſi ſpeciali permiſſione indigerent, ut de neceſſariis Reipublicæ negotiis, cum excommunicato Imperatore tractarent.

Lambert. pag. 237.

Ipſe Gregorius VII. quanquam, uti memoravimus, diſtinctis verbis à depoſitionis ſententiâ excommunicationem ipſam diſcreviſſe videbatur; id tamen omnibus epiſtolis inculcabat, ne Regi, ne cæteris excommunicatis communicarent; ut qui intelligeret eâ re omnem cauſæ ſuæ vim contineri.

Greg. vij. lib. iv. ep. ij. vj. viij.

Atque is tamen, ut vidimus, in Concilio Romano IV. anno 1088. neceſſitate ipſâ, illud de vitandis excommunicatis interdictum ita molliverat, ut ab excommunicatione illos exciperet qui cum excommunicatis neceſſariâ causâ communicarent: uxores videlicèt, liberos, ſervos, ancillas, ruſticos ſervientes, nulla ſubditorum Regiſque factâ mentione; tamquam ea neceſſitas, quâ Regibus obſequimur, una eſſet, cujus apud Chriſtianos nulla ratio habeatur: quod tamen officium ne prorſus omitteret, exceptos quoque volebat *omnes alios, qui non adeò Curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur*; ut jam nihil aliud vetitum intelligatur, quàm ne ſcelerum conſortes fierent: quo uno Gregorii decreto, omnia de deponendis Regibus decreta corruunt.

Sup. lib. j. ſect. ij. cap. xxviij. vid. tom. x. Cóc. pag. 370.

Quin etiam ſecuti Romani Pontifices depoſitionem ab excommunicatione diſtinctam eſſe voluerunt, uti jam vidimus & ſæpe videbimus; certumque eſt omninò autoritate eorum, Canoniſtarumque, ac Theologiæ omnis, totam regnandi vim, cum ipſo anathemate ſtare poſſe. Neque minùs certum Childericum & Irenem, quos Regno depoſitos eſſe volunt, nullâ umquam

(*b*) *Epiſtola*] illa acerbè ſcripta & iracundè, falſis nititur fundamentis, falſis item & abſurdis abundat argumentis; ut minimè decuerit Stephanum Epiſcopum hujus fuiſſe autorem, & Ludovicum Comitem hanc ſuam ſubſcribendo feciſſe.

excommunicatione fuiſſe percuſſos. Quare nihil erat manifeſtiùs falſum quàm depoſitionem connexam eſſe cum excommunicatione, quæ ſine depoſitione, & ſine quâ depoſitio eſſe poſſit.

CAPUT V.

Quod nunquam de poteſtate Reges deponendi canon conditus fuerit, nunquam edita profeſſio, nunquam eà de re pronunciatum, ac nequidem unquam quæſitum: incœptum à factis quæ deinde ad jus tracta ſint.

ILLUD etiam aſſerimus ad placandos Catholicos & Hæreticos retundendos, de deponendis Regibus numquam canonem aut profeſſionem ab Eccleſiâ fuiſſe editam, neque à quoquam aut Concilio, aut etiam Papâ pronunciatum eſſe, *ne quis negaret Principes à Pontificibus poſſe deponi*; neque ab ullo Doctore, ab ullo Hiſtorico, ab ullo viro bono eſſe ſcriptum, hæreticum aut ſchiſmaticum fuiſſe quemquam, eo præcisè nomine, quod negâſſet Reges à Pontificibus poſſe deponi.

A multis ſanè id negatum, etiam Gregorii VII. tempore, confitentur omnes, & ipſæ teſtantur Hermanni quæſtiones. Id etiam negârunt quotquot illis temporibus pro Henrico IV. apologias ediderunt: id negavit Eccleſia Leodicenſis celebri illâ epiſtolâ, quâ illa decreta de deponendis Regibus, ſalvo in aliis Apoſtolicæ ſedis Primatu, inter novellas traditiones Apoſtolicæ doctrinæ adverſantes recenſentur. Alios innumerabiles commemorare nihil attinet. Neque tamen prætermitti debet autor vitæ Henrici IV. cujus hæc verba ſunt: *Abſolvit* (Gregorius) *omnes à juramento, qui fidem Regi juraverant... quod factum multis diſplicuit, ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit; & aſſerebant tam inefficaciter quàm illicitè factum quod factum eſt.* Id ſi error fuit, qui in eo verſabantur, canone aliquo, dogmate, profeſſione, doctrinâ, erudiendi fuerunt. Cùm enim errores proferuntur, eos damnare ac prohibere ſolet Eccleſia Catholica, & contrariam veritatem edito canone declarare. Solet etiam poſtulare ab errantibus erroris ſui profeſſionem. Exempli gratiâ, poſtquam Græci negârunt Primatum Apoſtolicæ ſedis in ſpiritualibus, non contenta Eccleſia eſt Romanum Pontificem pro eo ac debuit modo venerari; ſed editâ profeſſione à Græcis exegit ut eam poteſtatem agnoſcerent. Quare ſi pro certo haberet Eccleſia, valere eam poteſtatem ad bona temporalia, atque etiam ad Imperia detrahenda; id quoque editâ profeſſione declararet, vel à negantibus repoſceret; neque unquam aliter eſt factum in fidei dogmatibus. At neque Gregorius VII. neque alii Pontifices quidquam tale præſtiterunt; neque quiſquam canonem talem unquam, profeſſionemve protulit. Cur hoc? Niſi quòd omnes intellexerint, rem hanc ejuſmodi eſſe, quæ ad dogma Eccleſiaſticum nullo modo pertineret.

Epiſt. Cleri Leod. adv. Paſc. ij. tom. x. Conc. p. 630.

Vid. ap. Urſperg. p. 381.

Neque verò inter canones recenſemus, quæ Gregorius VII. ad Heriman-

Digitized by Google

num ſcripſit, tametſi eorum excerpta, à Gratiano & aliis, in Decreti corpus illata ſint. Satis enim conſtat illam epiſtolam nunquam inter decretales fuiſſe recenſitam, Gratianumque & alios canonum conſarcinatores, nihil majoris tribuere autoritatis iis quæ operi ſuo intexuerint. Decr. part. ij. cauſ. v. quæſt. vj.

Idem reſpondemus ad caput, *Juratos*, ab eodem Gratiano, ſub Urbani II. qui Gregorio VII. ſucceſſit, nomine proditum; neque epiſtolam, unde Gratianus hunc deſcripſit canonem, uſpiam invenimus. Ibid. cap. v.

Caput autem, *nos Sanctorum*, à Gregorio VII. in Concilio Romano IV. prolatum, Gratianus exſcripſit, noſque ſupra retulimus, & ex verbis patet, rem quidem narrari quæ à Gregorio VII. geri ſoleret, non autem quæ decreti vice, aut ſub anathematis pœnâ ſanciretur. Ib. cap. iv. vid. ſup. lib. j. ſect. j. cap. viij.

Nam quod inter *dictatus Papæ* refertur, *quòd Papæ liceat Imperatores deponere; quòd à fidelitate iniquorum ſubjectos poſſit abſolvere*, nihil eſt. Greg. vij. lib. ij. poſt epiſt. lv.

Fateor à Baronio *dictatus* illos *Papæ*, qui inter Gregorii VII. epiſtolas recenſentur, Concilio Romano III. anni 1076. fuiſſe adſcriptos; ſed nullo teſte, autoritate nullâ. Cùm enim eorum *dictatuum* in ipſâ Synodo, aut in Gregorii VII. epiſtolis, aut in Hiſtoricis, qui de Synodo ſcripſere, nulla mentio habeatur, probabilius eſt, hos *Papæ dictatus* ex epiſtolis Gregorii à ſtudioſo quodam fuiſſe collectos. Baron. an. 1076. tom. xj. p. 484.

Atque ut maximè fateamur *dictatum* hunc à Gregorio in Concilio aliquo fuiſſe editum, non tamen ita ut inter canones adſcribatur; quemadmodum neque illud: *Quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur Sanctus:* aliaque ejuſmodi, quæ inter *dictatus* Gregorii relata, ipſi adverſarii canonibus accenſere erubeſcant. Dict. xxiij.

Neque obſtat quòd hæretici ac ſchiſmatici habeantur qui Henrico favebant. Quærendum enim eſt quo nomine hæretici aut ſchiſmatici eſſent. Meritò enim ſchiſmatici, ſuoque ſenſu hæretici, qui & legitimum Pontificem nullâ autoritate dejecerant, & apoſtaticum in Petri Sedem per vim ac ſacrilegium intrudebant: ad hæc canones conculcabant, & Simoniacos, & incontinentes Clericos fovebant. Qui autem eos aut hæreticos aut ſchiſmaticos dixerit, eo præciſè nomine, quòd negarent à Papâ Reges deponi potuiſſe, tot inter graviſſima quæ mutuò inferebant crimina, nemo extitit.

Certum igitur eſt nunquam eâ de re expreſsè quæſitum, taliſne poteſtas Pontificibus à Domino data eſſet; nunquam expreſsè conſtitutum, conceſſam eam eſſe: neque unquam à quoquam qui id pernegâſſet, exactum, ut eam ſententiam factâ profeſſione ejuraret.

Sanè anno 1102. cùm Paſcalis II. Concilio Romæ habito, adversùs Henricum IV. & ejus aſſeclas anteceſſoris anathemata iteraret, habiti pro hæreticis, qui anathemata contemnerent, adactique in hanc formulam: *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipuè eam quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & adſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe: promitto autem obedientiam Apoſtolicæ ſedis Pontifici, Domino Paſcali, ejuſque ſucceſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat ſancta & univerſalis Eccleſia.* Hæc erant quæ Catholica Eccleſia, editâ profeſſione, à ſchiſmaticis ad unitatem redeuntibus poſtularet: quæ omnia in confeſſo ſunt apud omnes Catholicos. Conc. Later. ſub Paſc. ij. tom. x. vid. Cõrad. Uſperg. an. 1102.

Ulteriùs proſilire, aut de deponendis Regibus quidquam expromere, ac pro canone edere, Eccleſiæ Doctor Spiritus ſanctus vetuit.

Ep. Henr. iv. ad Reg. Celt. in vit. Henr. ap. Urſperg. p. 197. vid. Bar. tô. xij. an. 1106. p. 45.

Ac poſteà anno 1105. cùm de compoſitione inter Pontifices Gregorii ſucceſſores & eumdem Henricum IV. ageretur, nihil aliud ab Henrico poſtulatum, quàm ut fateretur, ſe *injuſtè Hildebrandum eſſe perſecutum: Guibertum ei injuſtè ſuppoſuiſſe, & injuſtam perſecutionem in Apoſtolicam ſedem & omnem Eccleſiam hactenùs exercuiſſe*: quæ quidem erant certiſſima, eo nomine, quòd ad obedientiam vero Pontifici denegandam, falſoque præſtandam, omnes adegiſſet.

Ut autem recognoſceret à ſede Apoſtolicâ dari aut adimi potuiſſe Principatus nemo poſtulavit, nemo cogitavit.

Objiciunt Gregorium VII. aliosque Pontifices, non alio fundamento nixos, hæc de Henrico aliiſque autoritate clavium deponendis edidiſſe decreta, quàm quòd exiſtimabant id ſuæ eſſe poteſtatis: ergò eam doctrinam ut certam ſupponebant.

Vid. ſup. hoc lib. cap. j. & in app. lib. iij.

Qui hæc objiciunt, meminerint, velim, id quod eſt à Bellarmino aliiſque magno conſenſu dictum: nempe accuratiſſimè diſcernenda, quæ Romani Pontifices de facto juſſerint, ab iis quæ decreto edito facienda conſtituerint; neque etiam decretorum omnium parem eſſe rationem, cùm eodem Bellarmino, aliiſque conſentientibus, iidem Pontifices multa decreta protulerint ex falsâ ſententiâ quam ipſi probabilem reputarent.

Quare omninò certum eſt, de hac poteſtate Reges deponendi, etiam poſtquam negata eſt, nunquam quæſitum, nedum pronuntiatum fuiſſe: ſed poſtquam eam ex facto exercere cœperant, jus ex facto trahere conabantur. Verùm aliud profectò eſt factum Gregorii, quod, quantùm ad temporalia adempta pertinebat, Henricum Regem duntaxat, ſolamque Germaniam Italiamve ſpectaret: aliud decretum ſeu dogma, quod univerſæ Eccleſiæ probandum refutandumve proponeretur.

CAPUT VI.

Quod multi in Germaniâ Orthodoxi etiam Epiſcopi à Gregorii VII. *ſententiâ diſcrepârint: exemplum Trevirenſis Eccleſiæ, ac* Brunonis *Archiepiſcopi, Imperatori depoſito omnia jura ſervantis, etiam ea quæ ad deſignandos Epiſcopos antiquitùs data eſſent.*

Neque verò hæc hæſerunt, infixaque ſunt animis eâ firmitudine, quâ ſolent fidei æterna dogmata, ab altâ Chriſtianitatis origine per omnem ſæculorum ſeriem devoluta. Etſi enim horum temporum hiſtoriæ, plerumque obcuræ mancæque ſunt, pervenêre tamen ad nos Præſulum illuſtrium nomina, qui Henricum IV. jam depoſitum, ut Imperatorem debitâ obedientiâ in civilibus coluerunt. Hìc autem Germanos ſolos proferemus, alios alio loco commodiùs ſuo ordine memorabimus.

Laudatur

Laudatur in hiſtoriâ Trevirenſi Bruno Archiepiſcopus, eleemoſynarum Hiſt. Trev.
ſummæque pietatis nomine: atque illum quidem Eccleſiæ Catholicæ & tom. xij.
Romano Pontifici conjunctiſſimum fuiſſe conſtat: quippe qui Egilberti an- Spicil. pag.
teceſſoris, falſo Pontifici Guiberto & Henrico IV. communicantis, geſta 242.
reſciderit, ab eoque ordinatos nullos admiſerit, *niſi qui ſe legitimo Roma-* Ibid. pag.
næ Eccleſiæ Pontifici obedituros ſuper Evangelium fidem facerent. 234.

Cùm tamen ita affectus eſſet erga verum Pontificem, tunc Paſchalem II.
haud minùs ipſi Henrico IV. toto Epiſcopatûs vitæque ſuæ tempore gra-
tus & obſequens fuit; de quo etiam ibidem ſcribitur: *Cum tantâ ſolertiâ* Ibid. pag.
& ſapientiâ ab ipſo rem actam, ut in graviſſimis illis Regnum inter & Sa- 243.
cerdotium diſſidiis, *ita Catholicorum amplexus ſit conſortium, ut Imperatori*
debitum non denegaret obſequium; neque ita ſe Cæſarianorum communione con-
taminaverit, ut Catholicorum offenſas incurrerit. Itaque & Epiſcopi ſimul &
egregii civis functus officio, utrique parti conjunctiſſimus, idoneus etiam
reconciliandis animis habebatur. Et quidem ab Henrico IV. jam ſæpe de-
poſito, multis jam ornatus beneficiis, anno 1101. flagrantibus maximè diſ-
ſidiis, Trevericæ præfectus eſt Eccleſiæ, petentibus Trevericis. *Treverici* Ibid. pag.
petierunt ſibi Epiſcopum dari, quibus Imperator, *petentibus Principibus &* 240.
conſentientibus civibus, Brunonem conſecrari juſſit. Denique ibidem ordinatus
eſt ab Edalberone Metenſis Eccleſiæ Epiſcopo, oleum ſacræ benedictionis impo-
nente, Joanne Spirenſi, Richero Virdunenſi cooperantibus; & aſſiſtentibus
Archiepiſcopis Ruthardo Moguntienſi & Friderico Colonienſi & aliis quan-
plurimis Epiſcopis. Prorſus antiquo more rituque, quodque notandum eſt,
eas partes agente Imperatore, quæ pridem à piis Imperatoribus actæ eſ-
ſent: adeò Imperatoris nomine colebatur, atque omnia in deſignandis Epiſ-
copis olim uſu Eccleſiæ Regibus attributa, depoſito etiam & excommuni-
cato Principi integra ſervabantur.

Jam ut ejus Antiſtitis geſta proſequamur, ſic ſcribit Hiſtoricus: *Anno* Ibid. pag.
ordinationis ſuæ 3. *Romam profectus, Apoſtolorum gratiâ & percipiendæ be-* 241.
nedictionis magiſtri causâ, invenit Dominum Paſchalem Papam univerſali Sy-
nodo præſidentem, Papatûs ſui annum 8. *agentem, à quo honorificè ſuſcep-*
tus eſt, utpote Belgicæ-Galliæ primæ Metropolis Præſul magnificus. Addit ta-
men Hiſtoricus: *Sed quoniam Epiſcopalia, videlicèt annulum & baculum,*
per manum laicam ſuſcepiſſet (contra Gregorii VII. Urbani II. & Paſchalis
II. interdictum) *atque quia Eccleſias dedicaſſet, & Clericos, necdum pallium*
conſecutus, promoviſſet (quod à Romanis Pontificibus pridem erat vetitum)
multùm aſperè correptus eſt; & decernente Epiſcoporum ibi congregatorum Con-
cilio, Pontificatûs officium depoſuit: quod tamen ipſis intervenientibus, quia
diſcretio ejus & prudentia officio & tempori congruens erat, poſt triduum, non
ſine admiſſorum pœnitentiâ recuperavit.

Diligenter attende quid in illo Papa & Epiſcopi reprehenderint, & cu-
jus eum pœnituerit. Non profectò quòd Regem depoſitum agnoviſſet, ab
eoque præfectus Trevericæ eſſet Eccleſiæ. Id enim, modò abſque Simo-
niâ, ac ſervatis canonibus fieret, non improbabat Eccleſia; ſed propter an-
nulum & baculum, conſecrationeſque & ordinationes ſine pallio, adversùs
Pontificia decreta factas.

Liquet ergò, ne ipſum quidem Papam & univerſalem Synodum, cui ipſe præſideret, quidquam ab eo exegiſſe, quod ad ejurandum Henricum IV. Imperatorem pertineret; rediitque in Germaniam pari in Regem fide, Ib. p. 242. atque obſequio clarus, teſte eodem Hiſtorico: *Talem ſe in omnibus modis exhibebat, ut in adminiſtrandis quoque Regni negotiis, ex omnibus Principibus... nullus eo ſublimior haberetur: adeò ut eum Imperator Patrem ſuum vocaverit, & majorem cæteris honorem ei impenderit; ſed & ab omnibus Epiſcopis quacunque ſe conventui eorum ingeſſiſſet, ut par quidem diligebatur, ſed ut major venerabatur. Igitur quoniam in rebus ſibi commiſſis ſtrenuiſſimus erat, defuncto Imperatore, communi conſilio Principum, Regiæ Curiæ vicedominus effectus eſt, & Regnum, Regnique hæres* (Henricus videlicèt hujus nominis V. Rex) *adhuc adoleſcens circa annos 20. ei committitur.* Hæc quidem ſatis probant quæ in deponendis Imperatoribus geſta eſſent, non eſſe conſiderata ut decreta fidei, ſed ut facta Pontificum, quibus ſancti viri orthodoxæque Eccleſiæ minimè conſentiendum ducerent, Romanis Pontificibus non improbantibus.

CAPUT VII.

Sanctus OTHO *Bambergenſis, ſanctus* ERMINOLDUS *Abbas: deſignationes Epiſcoporum ab Imperatore depoſito factæ, ab Orthodoxis Eccleſiis petitæ & admiſſæ: quid in iis ſedes Apoſtolica & Concilium Romanum improbant.*

EODEM ferè tempore, anno videlicèt Chriſti 1102. quo ad Trevirenſem Eccleſiam iſte promotus eſt, ſanctus Otho Pomeraniæ Apoſtolus, Bambergenſem Epiſcopatum ſortitus eſt, cujus vitam habemus apud Caniſ. ant. lect. tom. ij. lib. j. pag. 333. Baron. tom. xij. an. 1102. & ſeq. p. 25. & ſeq. Caniſium, à Baronio poſteà tranſlatam in Annales Eccleſiaſticos, miris cum viri laudibus. Is ergò in Henrici IV. aulâ verſatus, Cancellarii munere præclarè eſt defunctus, atque Imperatori in pietatis officiis conjunctiſſimus fuit. Nam Henricus, varius moribus, pietatis etiam officia frequentabat.

Ibid. Dum ergò ſanctus Otho Cancellarii munus egregiè exequeretur, *Rupertus Bambergenſis Epiſcopus de hâc vitâ migravit. Itaque ex more temporis, inſignia Epiſcopatûs* * *ad Curiam allata ſunt, & petitio Eccleſiæ pro Paſtore. Sed Imperator conſilio ſex menſium inducias ponit; Eccleſia verò Bambergenſis, cum Clero & Populo, Deo interim devotiſſimè, pro idoneo Rectore ſupplicabat.* Sic piæ ſanctæque Eccleſiæ, etiam in iis quæ ad Eccleſiaſtica pertinerent, Imperatorem quantumvis depoſitum obſervabant. Hoc ritu ſanctus Otho Epiſcopus deſignatur, & ad ſarcinam ſubeundam invitus adigitur.

* Annulus & baculus.

Factum id ſub Paſchalis II. initia, * & ſcribit ad eum ſanctus Otho in hæc verba: *In obſequio Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens, & gratiam in oculis ejus inveniens, ſuſpectam habens in manu Principis inveſtituram, ſemel atque iterum cùm dare vellet, renui Epiſcopatum.* Non ille obſequium ac fidem, in excommunicatum ac depoſitum licèt Principem, nequidem provectionem ad Epiſcopatum, eo deſignante, ſed inveſtituram

* An. III. ejus Pontificatûs.

Can. ib. cap. v. pag. 328.

Ibid. & tom. Conc. x. p. 668.

tantùm ſuſpectam habet. Pergit: *Nunc verò jam tertio in Bambergenſi Epiſcopatu me ordinavit, in quo tamen minimè permanebo, niſi veſtræ complaceat Sanctitati per vos me inveſtire & conſecrare.*

At Paſchalis, Dominum Imperatorem profeſſo neque ab ejus obſequio diſcedenti, ut *dilecto fratri Bambergenſis Eccleſiæ electo* reſcribens, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem* impertit, & ejus probat electionem ab Imperatore factam: nihil aliud quàm inveſtituram improbat. Quid plura? Baculum & annulum deponenti reſtituit: eum conſecravit: ad Eccleſiam de ejus conſecratione, ſalvo Metropolitani jure, à ſe factâ ſcripſit; nihil tamen de ejurando Imperatoris obſequio, aut ab eo poſtulavit, aut Eccleſiæ ſignificavit. Can. ibid. cap. ix.

Habemus apud eundem Caniſium à Baronio relatam ſancti Erminoldi Abbatis * vitam, in quâ hæc legimus: *Henricus aliquando Imperator* (V. quarti filius) *cùm propter exceſſus ſuos in Papalis excommunicationis ſententiam incidiſſet, & tamen à religioſis ac magnis etiam Prælatis Eccleſiæ, Imperatoriæ dignitatis intuitu honor ſibi ac ſolita reverentia deferretur &c.* Non ergò omnes in eo errore verſabantur, ut ab eo excommunicato Imperatore, etiam in civilibus abſtinendum eſſe, cum ſancto Gebhardo aliiſque crederent; ſed magni etiam ac religioſi Epiſcopi contrariam ſententiam tuebantur. Can. tom. ij. p. 507. Bar. tom. xij. an. 1121. pag. 148.

* Monaſterii Pruſeningenſis unius ex illis quæ S. Otho Bambergenſis Epiſcopus erexerat.

Et quidem Erminoldus excommunicatum Henricum aditu Eccleſiæ ſacrique Monaſterii, atque etiam fratrum ſalutatione prohibebat: ipſe tamen & Imperatorem appellavit, & pro officio ſalutavit, & quod excommunicato non omnia conſueta præſtaret, excuſatum ſe voluit. Ibid. pag. 520. 521.

Porrò electiones Epiſcoporum eas, quæ autore Imperatore ſolebant fieri, poſt Henrici IV. depoſitionem, ab Epiſcopis etiam Gregorio VII. addictis, conſueto more fuiſſe frequentatas, teſtatur Hiſtoria Trevirenſis ſupra memorata: cujus quidem autori, ſua ſuoque ævo proxima enarranti, facilè adhibemus fidem. Hæc ergò in eâ hiſtoriâ legimus: Anno 1078. depoſitionis jam à Gregorio VII. dictâ ſententiâ, Udonem Archiepiſcopum Trevirenſem vitâ diſceſſiſſe, ſubſtituendi Epiſcopi gratiâ Imperatorem Treverim adveniſſe: eò etiam adveniſſe Herimannum, Metenſem eum, quem ſæpè memoravimus, Theodericum Virdunenſem, eum quem Magnum appellant, & Bibonem Tullenſem, Provinciæ Trevirenſis ſuffraganeos Epiſcopos: Herimanno ac Bibone autoribus, idoneas perſonas Imperatori fuiſſe à Clero nominatas, quas tamen reſpuerit, *quod nemo ejus benevolentiam dignâ taxatione prævenerat.* Tandem Egilbertum ab eo fuiſſe admiſſum, ſed ab Herimanno ac Bibone non fuiſſe receptum, prohibitoſque Epiſcopos à Clero & Populo ne eum conſecrarent; *propter canonicum illud decretum, quo præcipitur ut nullus in Epiſcopum, niſi canonicè electus, conſecretur.* Hiſt. Trev. tom xij. Spicil. pag. 216. 217.

Ergò quem Imperator canonicè deſignâſſet, omninò recepturi erant; idque ſentiebat Eccleſia Trevirenſis illa ſub Othone, (is eſt qui ſuperius Udo appellatur, *) Gregorio VII. addictiſſima. In eam ſententiam cum Coepiſcopis Herimannus quoque Metenſis Epiſcopus convenerat, is quem Gregorio VII. addictiſſimum fuiſſe memoravimus: ut profectò non miremur toties fluctuâſſe & conſultâſſe eum, qui Henricum etiam depoſitum, in tam ſolenni tamque Eccleſiaſtico actu Imperatorem agnoſcat.

* Semper ille appellatur Udo, nunquam Otho in hiſtoria Trevirenſi.

Theodoricus Virdunenſis, ille etiam à noſtro Hiſtorico Magnus nuncupatus, tum Gregorio VII. ſedique Apoſtolicæ conjunctiſſimus, haud minùs Imperatorem agnovit, probante Pontifice, cujus etiam juſſu cum Imperatore cauſam Herimanni Metenſis ſtudioſiſſimè egit. Teſtatur epiſtola in eâdem hiſtoriâ Trevirenſi ad Gregorium VII. quâ ſimul eum Pontificem, & Henricum depoſitum licèt, Regem agnoſcit.

Ibid. pag. 250.

Multos alios Epiſcopos religioſos & magnos in eâdem ſententiâ fuiſſe vidimus; ac vitæ ſancti Gebhardi Juvavenſis ſuprà laudatus autor, in totâ Germaniâ quinque omninò Epiſcopos memorat, qui Gregorio in omnibus adhæſerint, & ab Imperatore penitùs diſceſſerint. Hos ille quidem Catholicos nominat; ſed interim ipſe dubius, cujus nimirum verba retulimus dubitantis; juſtane, an injuſta Gregorii ſententia fuerit; ut fluctuâſſe pateat etiam eos qui Gregorio VII. maximè faviſſe videantur. Neque his quinque Epiſcopis Catholica apud Germanos continebatur Eccleſia, cùm alios multos magnos ſanctoſque ab iis diſſenſiſſe, Romano quoque Pontifice probante, videamus.

Ap. Caniſ. tom. vj. p. 1154. Vid. ſup. lib. j. ſect. j. cap. ix.

Neque verò putandum eſt, omnes qui Henrico adhærebant, faviſſe ejus ſchiſmati. Vel unus vitæ Henrici autor prodeat in medium, qui Henricum jam à Gregorio VII. diſceſſurum, quaſi ab eo ſcelere dehortaturus, ſic compellat: *Ceſſa, obſecro, Rex glorioſe, ceſſa ab hoc molimine, ut Eccleſiaſticum Caput de ſuo culmine dejicias, & in reddendâ injuriâ te reum facias. Injuriam pati, felicitatis eſt; reddere, criminis.* Excuſat ut poteſt; cæterùm, quantùm abeſſet à Domini ſui tuendo ſchiſmate apertè ſignificat. Idem cùm de depoſitione à Gregorio VII. prolata diceret, hæc ſummâ modeſtiâ ſcripſit: *Quod factum* (Gregorii VII.) *multis diſplicuit, ſi cui licet diſplicere quod Apoſtolicus fecit; & aſſerebant tam inefficaciter quàm illicitè factum, quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum refellere.* Factum quidem; non enim hæc putabant ad dogma Eccleſiaſticum pertinere. Laudamus prudentem Hiſtoricum, qui Romanum Pontificem tam reverenter habeat; cujus ego exemplo de his conticeſcerem, ſi tacendo deleri atque oblitterari poſſent. Illud interim intelligo, multos extitiſſe, qui & à Gregorii VII. novitate, & ab Henrici IV. ſchiſmate procul eſſent. Neque mirum cur eorum nomina, tantâ in perturbatione rerum minimè ad nos pervenerint; cùm is etiam, qui Henrico IV. apertiſſimè favet, vitæ ejus ſcripor, tam timidè referat, quæ in Gregorium dicerentur.

Vit. Henr. ap. Urſp. p. 384.

Ibid. pag. 282. vid. ſup. hoc lib. cap. v.

CAPUT VIII.

Leodiensis *Eccleſiæ egregium teſtimonium :* **Leodienses** *an fuerint ſchiſmatici : an in ſuâ epiſtolâ ſalſum aliquid docuerint : cur pro eâ doctrinâ veniam petierint, cùm in communionem recepti ſunt.*

LEODIENSIS Eccleſia à tot ſanctiſſimis Epiſcopis inſtituta, pietatis, doctrinæ, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ laude floruit. Hæc de noſtrâ quæſtione inſignem ſcripſit epiſtolam tomis Conciliorum inſertam. Hæc ut intelligatur, exponenda paucis horum temporum hiſtoria. Anno Chriſti 1105. Henricus V. Henrici IV. filius biennio antea Rex à Patre deſignatus, in parentem arma movit, tanquam eum coacturus ad Apoſtolicæ ſedis obſequium. Principes ad filium defecerunt : captus Imperator : Anno 1106. * *Conventus Principum Moguntiæ factus, ubi ſupervenientes Apoſtolicæ ſedis Legati, anathema à Romanis Pontificibus in Imperatorem factum, omnibus qui aderant promulgabant : Principem Henricum ſeniorem omnibus modis commonitum, vel, juxta alios, circumventum & coactum, inſignia ** Regni reſignare ac mittere filio perſuadent.* Hæc Otho Friſingenſis. Tum ſubdit : *Quæ omnia utrum licitè an ſecùs acta ſint, nos non diſcernimus :* adeò hæc omnia, licèt autoritate Romani Pontificis Paſchalis II. facta, à viris doctis, ſanctiſque, pro ambiguis habentur. Henricus IV. Coloniam pergit, exinde Leodium, in utrâque parte Regio more ſuſceptus, bellum inſtaurat. Hac ergò temporum neceſſitudine, Leodienſes, quòd Epiſcopum ſuum ſecuti, Henricum ſeniorem adversùs filium tuerentur, à Paſchale II. excommunicati, juſſuſque Robertus Comes Flandrenſium ferro adoriri eos. Extat epiſtola Paſchalis II. quæ incipit : *Benedictus Dominus :* quâ, Comiti ejuſque militibus, *in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipit*, ut Leodienſes Clericos, omneſque *Henrici hæreticorum Capitis* fautores *pro viribus perſequatur.*

Tom. x. Conc. pag. 630. Dodech. an. 1105. 1106. 1107.

* Id eſt an. 1105. ante Natale Domini.

** Crucem ſcilicèt, lanceam, ſceptrum, globum, atque coronam.

Oth. Friſ. lib. vij. cap. viij. ix. x. xj. xij. Urſp. p. 143.

Tom. x. Conc. epiſt. vij. Paſc. ij. pag. 629.

Eâ cauſâ Leodienſes, ſuperſtite adhuc Henrico IV. belliſque inter patrem & filium flagrantibus, gravem edunt epiſtolam ſub hoc titulo : *Omnibus hominibus bonæ voluntatis :* quos quoniam Baronius ut ſchiſmaticos ſuggillat, ne inauditos damnemus, audire nos oportet. Ergò prolixæ epiſtolæ hæc ſumma eſt.

Ibid. pag. 630. Bar. tom. xij. an. 1102. p. 26.

Primum quidem, Leodienſes Romanam Eccleſiam non aliter quàm *matrem*, Paſchalem non aliter quàm *patrem*, quàm *Apoſtolicum*, quàm *Epiſcopum Epiſcoporum*, quàm *Angelum Domini*, quàm *Chriſtum Domini*, appellant : *Ad quem pertineat ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Hildebrandum etiam ſeu Gregorium VII. non aliter quàm pro Papâ habent. Jam ergò conſtat eos non adhæſiſſe Antipapæ, neque à vero Pontifice receſſiſſe.

Vid. tot. epiſt. ſed impr. pag. 633.

Secundò, negant excommunicari ſe debuiſſe, quòd Regem colerent, ac Cæſari redderent quæ eſſent Cæſaris, laudatiſque Petri & Pauli locis de-

Ibid. pag. 636. 637.

Ibid. & p. 639. colendis Regibus: *Quia ergò*, inquiunt, *Regem honoramus, quia Dominis noſtris non ad oculum, ſed in ſimplicitate ſervimus, ideò excommunicati dicimur?* Addunt inviolabilem eſſe quæ Regi, ex Regalibus ejus acceptis ab omni tempore, jurata ſit fidelitas: primum Hildebrandum hæc commoviſſe: hunc *novellæ traditionis* autorem, ut debita Regi ac jurata etiam fidelitas ſolveretur. Quod autem Paſchalis II. Henricum ſeniorem vocaverat Ibid. pag. 338. 339. hæreticorum Caput, ſic reſpondent: *Si talis eſt, quod abſit, & pro nobis dolemus, & ipſi Domino noſtro condolemus: nihil modò pro Imperatore noſtro dicimus; ſed hoc dicimus, quòd etiamſi talis eſſet, tamen eum nobis Principari pateremur, quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Eſto, concedimus vobis inviti, eum talem eſſe qualem dicitis, nec talis à nobis repellendus eſſet, armis contra eum ſumptis, ſed precibus ad Deum fuſis.*

Patet ergò Henrici IV. tempore fuiſſe multos, qui cùm ſedem Apoſtolicam, eique præſidentes Romanos Pontifices colerent, interim à Regum obedientiâ, Pontificiis decretis abduci ſe poſſe pernegabant. Tota enim Leodienſis Eccleſia, divinis eloquiis erudita, eam doctrinam tuebatur.

Neque dicas Leodienſes, commotiores ſcilicèt, quædam profudiſſe, quæ nec ipſi probemus: neque enim noſtrâ refert, quàm commoti fuerint, qui ferro, flammâque vaſtari juberentur; ſed quàm veram doctrinam de Romanis Pontificibus deque Regibus tradiderint.

Neque etiam objicias, aperto errore laboràſſe eos, qui excommunicari poſſe Reges negare videantur. Neque enim id abſolutè dicunt, quòd Reges Ibid. pag. 637. & Imperatores excommunicari non poſſint: ſed *quòd aut minimè, aut difficilè poſſunt Reges & Imperatores excommunicari, ſecundùm etymologiam nominum illorum, & juxta determinationem excommunicationis.* Hæc enim non obſcurè ſignificant, rarò quidem & difficilè veniendum eſſe ad excommunicandos Reges, quod nemo diffitetur: minimè verò & nunquam, ad excommunicandos eos eâ excommunicatione, quâ ſocietas etiam civilis abrumpitur. Unde excommunicationem à Pontificibus latam, non abſolutè nullam, ſed *indiſcretam* appellant.

Côc. Rom. iv. tom. x. p. 370. vid. p. 638. Quid autem eſſet illa excommunicatio *indiſcreta*, prolato canone Gregorii VII. exponunt his verbis: *Quòd excommunicati dicimur, non gravius juſto feras; quia, ut credimus, nos ab excommunicatione excipiet, ſaltem ipſa Romana autoritas. Hildebrandus Papa, qui autor eſt hujus novelli ſchiſmatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra Diadema Regni, primo indiſcretè Henrico faventes excommunicavit; ſed reprehendens ſe intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos qui Imperatori adhærebant, neceſſariâ ac debitâ ſubjectione, non voluntate faciendi, vel conciliandi malum; & hoc pro decreto ſcripſit:* quod eſt illud decretum, *quoniam multos*, à nobis integrè Sup. lib. j. ſect. ij. c. xxviij. ſuo relatum loco; in quo & illud notavimus, liberari ab excommunicatione eos, qui non ita Curiales ſunt, ut eorum conſilio *ſcelera perpetrentur;* quo quidem Leodienſes ſatis ſe tutos ab excommunicatione putabant, cùm nullius malæ rei autores extitiſſent.

Ergò ea erat Leodienſibus *indiſcreta* excommunicatio, quæ *indiſcriminatim* communicationem omnem cum Imperatore, etiam in civilibus ac neceſſariis negotiis prohiberet: quam profectò doctrinam toto terrarum Or-

Digitized by Google

be à Leodienſi Eccleſiâ divulgatam, à nemine erroris fuiſſe notatam legimus, aut nunquam ab eâ Eccleſiâ poſtulatum ut eam ejuraret.

Quod autem objiciunt, Leodienſes petitâ veniâ in communionem receptos, nihil hoc ad ejuratam epiſtolæ doctrinam pertinere teſtatur ipſe Baronius, qui eâ de re ex Urſpergenſi (*c*) ſic ſcribit: *Leodienſis Epiſcopus, cæterique Coepiſcopantes, inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quòd cadaver ipſius excommunicati per ſe pridie in Monaſterio tumulatum effoderent, & abſque ullâ ſepulturâ vel exequiarum communione, in loco non conſecrato deponerent; comprobantibus his qui aderant Archiepiſcopis & Epiſcopis; quia quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit.* Rectè omninò & ex priſcâ diſciplinâ; meritòque Leodienſes emendare coacti, quod pravâ miſericordiâ fecerant: interim patet hanc unam ab eis conditionem poſtulatam, ut cadaver excommunicati, ſacro loco projicerent: non profectò ut epiſtolæ ſuæ doctrinam abdicarent. Manet ergò epiſtola, antiquæ doctrinæ de inviolabili Regum Majeſtate teſtis, adversùs Gregorii VII. novitatem, quam diſtinctè notat; neque quiſquam eam notam eluit. Manavit opinio hujus novitatis ad poſteros, ut vel Othonis Friſingenſis à nobis relata verba teſtantur. Alios poſtea teſtes audiemus. Hìc quidem Germanici nominis Epiſcopos ac Scriptores commemorare voluimus. Bar. tom. xij. an. 1106. pag. 51.

CAPUT IX.

Quod hæc decreta Gregorii VII. *aliorumque Pontificum, nullo deliberante aut approbante Concilio, tum peſſimo exemplo & infelicibus auſpiciis facta ſint.*

ID verò in primis notatu dignum arbitror, quòd illud Gregorii VII. factum, nullâ in legitimâ Synodo dictis ſententiis, comprobatum fuit. Nam ſolenne eſt Romanis Pontificibus, ut quæ approbante Concilio fecerunt, edicant factum aut conſtitutum eſſe, *ſacro approbante Concilio*, vel aliam ſimilem adhibeant formulam, quâ ea quæ egerint Synodi judicio confirmentur. Id paſſim videre eſt in Romanis Conciliis, quorum geſta habemus. Placet, exempli cauſâ, referre Concilium à Joanne VIII. habitum, de Carolo Calvo in Imperatorem electo. Sic interrogat Pontifex: *Quæ in præfato piiſſimo.... Carolo.... geſſimus ſententiæ prolatione, ſi unanimi generalitati veſtræ videtur, & per manus ſubſcriptionem etiam in præſenti ac venerabili Synodo.... iterato promulgemus ac roboremus. Sancta Synodus reſpondit: Placet & valde* Côc. Rom. j. ſub Joan. viij. tom. ix. pag. 298.

(*c*) *Urſpergenſi.*] Non alio unquam nomine Baronius appellat Conradum à Lichtenaw, Urſpergenſis Monaſterii in Sueviâ Abbatem. Ille ſcripſit chronicon ab Aſſiriorum Rege primo Belo ad an. 1229. de quo ſic ſtatuit Bellarminus: *Obſervandum eſt hunc autorem, ob amorem erga Imperatores ſuæ nationis, non pauca contumelioſa ſcripſiſſe de Innocentio III. & Gregorio IX. Pontificibus.... alioqui autem ſcriptorem eſſe ſatis diligentem & dignum qui legatur.* De ſcript. Eccl. an. 1215. Non immeritò dubitari poteſt an eâ de re judex candidus ſedeat Bellarminus, quem tam ſæpe audimus gravioribus cenſuris notantem eos omnes, qui, ut ipſe eſt, Pontificum non ſunt æterni laudatores.

placet.... Tunc... Pontifex.... piiſſimi.... Caroli.... ad Imperialia ſceptra electionem & promotionem.... ex tunc & nunc, & in perpetuum firmam & ſtabilem decernimus permanſuram. Reſponderunt omnes: Placet, placet, fiat, fiat. Fit communi conſenſione decretum: ei ſubſcribitur eo ritu paſſim: *Joannes*, vel alius quivis, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus huic decreto à nobis promulgato ſubſcripſi:* eodem tenore ſinguli Epiſcopi ſubſcribunt: *Decreto à nobis promulgato.* Sexcenta ejuſmodi acta in Conciliis extant. At in Gregorii VII. Conciliis nihil ſimile. Non uti Joannes VIII. de confirmando, ita hîc Gregorius de deponendo Rege Epiſcopos interrogat; neque illi decretum aſſenſione firmant. Solus Gregorius hæc edicit: *Regnum contradico, juramentum ſolvo, ne quis ut Regi pareat interdico.* Cùmque tot decreta Romanorum Pontificum extent in Conciliis promulgata, quibus Concilii conſenſio & approbatio inſeratur; in deponendis Regibus nihil unquam tale legimus: imò in Concilio Lugdunenſi Œcumenico, illi decreto quo Fridericus II. ab Innocentio IV. deponitur, non eſt appoſitum ex formulâ conſuetâ: *Sacro approbante Concilio*, ſed *ſacro præſente Concilio;* adeò Pontifices id ſibi privatim reſervare voluerunt. Quod quidem, quocumque animo geſſerint, certè ipſi teſtantur, hæc, non Conciliorum autoritate, ſed ab ipſis tantùm Pontificio nomine eſſe geſta.

Tom. xj. Conc. pag. 640.

Quàm autem inauſpicatò geſta ſint, multa teſtantur. Imprimis infauſtum illud, quòd tum primùm cœpit de deponendis Regibus cogitari, cùm bellis civilibus attrita Reſpublica, ipſa etiam Regia nutaret autoritas. Saxonibus enim ab aliquot annis rebellantibus, *nonnulli Longobardorum, Francorum, Bavarorum, Suevorum, datâ & acceptâ fide conglutinati ſunt, qui Regem undique bellis pulſarent.* Autor vitæ Henrici id prodit: id Lambertus Schafnaburgenſis: id Saxonici belli ſcriptor; jamque adverſùs Henricum tota ſe Germania, totum Imperium commovebat. Tunc Gregorius deponendum aggreditur Imperatorem, *ut à ſuis deſtitutum*, ſcribit Otho Friſingenſis. Gregorius ergò ambitioſis Principibus & quomodocumque Regem aggreſſuris, gerendi belli colorem & qualemcumque titulum, autoritate Apoſtolicâ præbuit: quo quid infelicius? Hoc verò exemplo (piget commemorare quidem; ſed cauſæ ratio id poſtulat, neque manifeſta diſſimulâſſe quidquam juvet) hoc, inquam, exemplo cæteri Pontifices tum Regibus adimere Regna cœperunt, cùm ultrò ruere, vel certè inclinari bellis maximè inteſtinis, fatiſcente Republicâ, viderentur. At ſi his prolatis decretis bella ceſſarent, tamen infauſti erat ominis, Apoſtolici nominis autoritate ambitionem alere; nunc autem magis magiſque bella civilia exarſere, profligati ingentes exercitus, qui Pontificum regnabant auſpiciis Rodolphus Suevus, Hermannus Lotharingus (*d*) in prælüs cæſi: & quod Bertholdus Conſtantienſis tradit, Pontificiarum partium per eam ætatem ſtudioſiſſimus: *Totum Romanum Imperium civili bello, nimio ſchiſmatis diſſidio laboravit, aliis quidem Domino Apoſtolico, aliis Henrico faventibus: ob hoc, utrimque*

Aut. vit. Henr. IV. Urſperg. p. 381.

Ott. Friſ. de geſt. Frid. lib. j. cap. j. ap. Urſt. p. 407.

Berthold. ap. Herm. an. 1083. Urſt. pag. 352.

(*d*) *Hermannus Lotharingus*,] Seu potius Luxemburgus, & ideò dictus Lotharingus; quia profugus in Lotharingiâ, poſtquam Saxones, a quibus Rex electus fuerat, ſibi ſenſit infidos, ibi diem ſupremum obiit. Non enim, id quod innuere videtur D. Bossuet, *prælio cæſus eſt.* Vid. Berthold.

totum

totum Regnum prædâ, ferro & igne miſerabiliter devaſtantibus. Quo bello per triginta fere annos Germania & Italia conflagravit; Roma ipſa capta, recepta, hoſtibus & auxiliantibus prædæ fuit; quodque omnibus pejus eſt, ad poſteros exempla manârunt: & quoties à Pontificibus ſunt inchoata talia, eædem conſecutæ calamitates toti Orbi teſtabantur, quàm infauſto omine à Gregorio VII. hæc cœpta ſint.

Neque verò hæc referens, id noſtræ cauſæ patrocinari volo, quòd Rodolpho & Hermanno, Pontificiâ autoritate bella moventibus, res improſperè ſucceſſerint. Sanè ſcriptores ii qui noſtris temporibus Gregorii VII. aliorumque Pontificum eadem conantium acta, tanquam cœpta divinitùs, tuenda ſuſceperunt; ubi Pontificias partes felicioris ſucceſſûs aura afflaverit, continuò altiùs ſe extollunt: tanquam neſciremus Chriſtiani, occultis judiciis hæc agi, ac plerumque pœnæ loco à Deo immitti victoriam. Nos autem, ſi proſpera omnia Romanis Pontificibus tam nova in Imperium molientibus, contigiſſent; non minus infauſtam prædicaremus Apoſtolicæ ſedi poteſtatem eam, quæ ipſi tot ſtragibus, totque bellis, quantumcumque proſperis conſtitiſſet.

Nihil ergò hìc attinet commemorare Henrici IV. calamitates, armatoſque in ipſum filios; Henricum præſertim V. jam unum ſuperſtitem, à quo victus pulſuſque eſt: niſi quòd hoc quoque pars eſt infelicitatis, quòd Gregorii VII. Paſchaliſque II. decreta, tantæ impietati occaſionem dederint, in eâque opem & præſidium nacta ſint.

Neque eò meliùs Paſchali II. res poſteà ſucceſſerunt, qui Henricum V. tanto à ſe ſtudio ad viventis patris Regna provectum, ſtatim atque Imperatorem coronavit, hoſtem expertus eſt, rupto iterùm Sacerdotii ac Regni fœdere, novoque de inveſtituris bello comparato. Sed hæc poſtea paucioribus. Nam Gregorii VII. Henricique IV. rebus, quæ hujus quæſtionis fons & caput eſſent, diutiùs nos immorari oportebat: cætera leviùs tranſibimus.

CAPUT X.

PHILIPPUS I. *Francorum Rex excommunicatus, nullâ unquam depoſitionis mentione.*

QUIDQUID Gregorius, eumque ſecuti Romani Pontifices in deponendis Regibus aggreſſi ſint, non manavit ad Gallias infauſtæ depoſitionis exemplum; cujus rei his temporibus inſigne habemus documentum. B r tom. xj. an. 1073. G eg. vij. li. j. epiſt. xxxv.

Anno Chriſti 1094. 20. fere annis poſtquam Gregorii VII. de Henrico deponendo infauſta ac feralia edicta exierunt, Hiſtorici hujus ævi, ac poſt illos Baronius memorat: Philippum I. Francorum Regem repudiâſſe Bertham uxorem legitimam, & duxiſſe Bertradam Fulconis Comitis Andegavenſis uxorem; ad hæc cognatam ſuam, atque adulterium raptu etiam & Bar. ib. an. 1094. pag. 648. tom. vi. Conc. Bin. part. j.

pag. 505. Labb. tom. x. p. 499. Berthold. an. 1094. append. ad Herm. ap. Urſt. pag. 372.

inceſtu cumulâſſe. Id factum Urbano II. Pontifice. *Tum*, inquit Bertholdus hujus ævi ſcriptor, *in Galliarum civitate quam Oſtionem vulgariter vocant, congregatum eſt generale Concilium, à venerando Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo ac ſedis Apoſtolicæ Legato, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus diverſarum Provinciarum. 17. Kal. Novembrium: in quo Concilio Rex Galliarum Philippus eſt excommunicatus, eò quòd vivente uxore ſuâ, alteram ſuperinduxerit.... hac omnia, inquam, ibi ſunt conſtituta & Apoſtolicâ Legatione firmata.*

Ibid. an. 1095. pag. 373. Ibid.

Anno ſequente, ipſe Papa Urbanus II. habuit Placentinum Concilium. Citatus Philippus, eodem Bertholdo teſte, *inducias impetravit.* Paulò poſt eodem anno 1095. *in Galliis*, inquit, *ad Clarum-montem Synodus generalis à Domino Papâ congregata eſt, in quâ tredecim Archiepiſcopi cum eorum ſuffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque Paſtorales virgæ numeratæ ſunt. In hâc Synodo Dominus Papa.... Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eò quòd, propriâ uxore dimiſſâ, militis ſui uxorem in conjugio ſociavit.* Alii Hiſtorici idem memorant; nec tanto ſcelere, nec tam juſto anathemate toties iterato, neque tanti Conciliì, tantique Pontificis autoritate, detractum Imperium Philippo fuit. Nemo id decrevit, nemo minatus ſaltem eſt, nemo id animo deſignavit; cùm tamen præceſſiſſent Gregorii VII. Henricum deponentis multa decreta, graveſque ad Philippum ipſum aliis de cauſis maximis, etiam intentatæ depoſitionis minæ, quas vidimus. Sed neque his Franci auſcultabant, & ab iis adversùs Francos Romani Pontifices temperabant.

Sup. lib. ij. cap. xxvij.

Berth. p. 375.

Verum quidem eſt quod Bertholdus ſcribit anno 1096. *Philippum Regem Galliarum, jam dudum pro adulterio excommunicatum, tandem Domino Papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem veniſſe, &, abjuratâ adulterâ, in gratiam receptum eſſe, ſeque in ſervitium Domini Papæ ſatis promptum exhibuiſſe.*

Iv. Carn. ad Rād. Rhem part. ij. ep. ccxj. pag. 90.

Sed eò fuit ſceleratior atque odioſior, quòd Vicario Chriſti datam fidem fefellit. Unde Ivo Carnotenſis, per ea tempora Epiſcopus, omniumque Epiſcoporum doctiſſimus atque ſanctiſſimus ſcribit: *Regem excommunicatum à Domino Papâ Urbano in Claromontenſi Concilio, factoque cum Bertradâ divortio, reverſum ad ejus conſortium, iterum excommunicatum eſſe in Pictavenſi Concilio à Cardinalibus Joanne & Benedicto.* Quâ de re ſic ſcriptum legimus in hujus ævi hiſtoricis: *Per idem tempus duo Cardinales Apoſtolicæ ſedis Legatione fungentes, ad urbem Pictavium Concilium convocârunt, in quo CXL. * Patres adſuerunt, qui Philippum Regem Francorum, propter uxorem Fulconis Conſulis Andegavenſium, quam in adulterio tenebat, anathematis vinculâ percuſſerunt.* Idem refert Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico ad annum 1100.

Vit. Bernard. j. Abb. de Tirono per Gauf. Groſſ. Ducheſ. tom. iv. p. 167. Labb. tom. x. p. 720. & ſeq. Bar. tom. xj. an. 1100. Hug. Flavin. in Chron. eod. an.

Cùm autem Philippus hoc ad flagitia addidiſſet, ut, reverſus ad vomitum, diutiſſimè in excommunicatione ſordeſceret ac computreſceret, nihilo tamen ſeciùs Epiſcopi æquè ac cæteri omnes in obſequio perſtitêre. Perſtitit ipſe Ivo Carnotenſis omnium fortiſſimus, pro eâ quoque causâ, tantique ſcandali Eccleſiaſticâ ultione ab iniquo Rege carceres, aliaque infanda perpeſſus, ut ad alia Regis ſcelera etiam perſecutoris nomen accederet.

* Lxxx. tantùm nu-

Procul ergò ab noſtrorum animis abfuit illud Germanis multis hoc tempore perſuaſum ; nempe excommunicatione ſeu anathemate abrumpi omne vinculum (*e*) ſocietatis humanæ, ac nequidem in civilibus communicari poſſe cum excommunicatis Regibus : procul abſuit à Francorum Regno illa, de deponendis Regibus Reipublicæ infauſta ſententia, cùm Regi flagitioſiſſimo excommunicationis datæque fidei, per tantum temporis ſpatium contemptori, nemo eam pœnam vel verbo intentârit, nedum re ipsâ intulerit. merat Hugo Flaviniacenſis.

CAPUT XI.

Loci quidam IVONIS *Carnotenſis per ſummam inſcitiam objecti ſolvuntur : Corona Regia Regi reſtituenda in his locis quid ſit ?* IVONEM *cum aliis omnibus Francis in obſequio perſtitiſſe :* GUILLELMI *Malmesburienſis locus.*

QUANQUAM hæc per ſe clara & invicta ſunt, tamen expedire nos oportet ea quæ ſunt à Franciſco Jureto notata, ad Ivonis epiſtolam XLVI. & à Cardinale Perronio objecta. Obſerv. ad Ivon. epiſt. xlxj. part. ij. Perr. œuv. div. p. 607. Epiſt. xlvj. pag. 21.

Nempe Ivo ſic ſcripſit ad Urbanum II. *Venturi ſunt ad vos in proximo Nuntii ex parte Regis Francorum... qui confidentes in calliditate ingenii ſui & venuſtate linguæ ſuæ, prædictis de cauſis impunitatem flagitii ſe impetraturos Regi, à ſede Apoſtolicâ promiſerunt : hâc ratione ex parte uſuri, Regem cum Regno ab obedientiâ veſtrâ diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſolvatis.* Hîc quidem videmus anathemate percuſſum haud minùs pro Rege agnoſci. Subdit Regis *præceptum* de convocandis Trecas trium Provinciarum Epiſcopis, quibus Rhemenſis, Senonenſis, Turonenſis Archiepiſcopi paruiſſent : adeò nihil intermiſſum eorum, quæ Regiis præceptis conſueviſſent fieri, ac tam pronam omnium Ordinum circa Regem fuiſſe conſtat obedientiam, ut etiam periclitari poſſe videretur unitas Eccleſiaſtica, niſi excommunicatum Regem Urbanus abſolveret. Quo quidem metu Ivo negat Eccleſiaſticam diſciplinam ſolvi debere ab Urbano. Verùm hæc ſcribens, nihil interim de adimendo Regi Imperio cogitat. Sed Franciſcus Juretus hæc Ivonis verba commemorans : *Niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſolvatis*, hæc addit : *Hic locus eorum adjuvat ſententiam qui aſſerunt Philippo excommunicato à Papâ Urbano II. interdictum ſimul Regnum Franciæ.* Nimis imperitè ille quidem. Sanè Ivo ſcribit ſic epiſtolâ LXVI. ad Hugonem Lugdunenſem Romanæ Eccleſiæ Legatum : *Turonenſis Archiepiſcopus in natale Domini, Regi contra interdictum veſtrum coronam imponens, hâc arte à Rege obtinuit ut Joannes eidem Eccleſiæ præficeretur Epiſcopus.* Item epiſtolâ LXVII. *Turonenſis Archiepiſcopus contra interdictum Legati veſtri in natale Domini Regi coronam impoſuit.* Item

(*e*) *Abrumpi omne vinculum.*] Longiſſimè aberant Galli noſtri ab illo errore, in quo tunc plerique Germanorum verſabantur, quibus perſuaſum erat, eum, qui *in excommunicatione ſorbuerat* diem & annum, non poſſe deinceps Regem eſſe. Vid. ſup.

epiſtolâ LXXXIV. ad Joannem Preſbyterum Cardinalem, Romanæ Eccleſiæ Legatum: *Quidam Belgicæ Provinciæ Epiſcopi in Pentecoſte contra interdictum bonæ memoriæ Urbani, coronam Regi impoſuerunt.* Videmus in natali à Turonenſi Archiepiſcopo, & in Pentecoſte à Belgis Epiſcopis coronam impoſitam: quæ ſi quis retulerit ad ſolennem illam coronationem, quâ inaugurantur Reges, prorsùs ineptiat. Ea enim & ſemel fit, neque à Turonenſi aut Belgis Epiſcopis fieri conſueverat, ſed ab Archiepiſcopo Rhemenſi: quo jure longè anteà, ut Annales habent, Philippus vivo Henrico Patre *anno* 1059. *Henrici Regis* 32. *à Gervaſio Rhemenſi Archiepiſcopo conſecratus* fuerat, cùm *ſeptennis eſſet*. Ergò illa corona, de quâ Ivo agit, quotannis in præcipuis feſtis imponi ſolebat. Quam cerimoniam honoris Eccleſiaſtici genus quoddam, ab ipſis Epiſcopis adhiberi ſolitum, Regi anathemate percuſſo, Pontifices eorumque Legati adhiberi vetabant. Hæc illa eſt corona, quam *reſtitui* ſibi, ſoluto anathemate, Philippus poſtulabat; non autem corona Regia, ſive Regia poteſtas, quâ uſque adeò integrâ potiebatur, ut eâ etiam exerceret, quæ in Eccleſiaſticis negotiis ipſiſque etiam Epiſcopalibus promotionibus, ad Regium officium pertinerent.

Duch. tom. iv. p. 161.

Sanè Ivo ſignificat detineri à ſe tantiſper de excommunicando Rege literas ab Urbano II. miſſas: quia, *nolo*, inquit, *Regnum ejus, quantum ex me eſt, adversùs eum aliquâ ratione commoveri.* Sed aliud profectò eſt, propter eas literas aut aliquod decretum Pontificium Regno cadere; aliud Regnum in Regem *aliquâ ratione commoveri*; quod quidem plerumque fit in impios Reges, legum divinarum atque Eccleſiaſticæ cenſuræ publicos contemptores: quo ſenſu item dixit: *Regis anathemate periclitari terram.* Cæterùm quæ ulteriùs de ſollicitato Regis Imperio Juretus ſuſpicatur, mera ſomnia ſunt, à Francorum moribus ac ſenſibus aliena.

Ep. xxiij. pag. 11.

Ep. cxliv. Paſc. ij. p. 61.

Et quidem Willelmus Malmeſburienſis Anglus de Concilio Claromontano hæc ſcribit: *In eo Concilio excommunicavit Dominus Papa Regem Philippum Francorum, & omnes qui eum vel Regem vel Dominum ſuum vocaverint, & ei obedierint, & ei locuti fuerint, niſi quod pertineret ad eum corrigendum.* Cæterùm cùm unus hæc ſcribat, cæteris repugnantibus, facilè intelligimus ſcriptorem extraneum, ac rerum noſtrarum ignarum, audito excommunicationis pronunciatæ nomine, ex ſuo ſuppleviſſe, quæ Imperatoris excommunicationi Pontifices miſcuiſſent. Sed profectò quæ turbato Germaniæ ſtatu in Imperatores audebant, haud competebant Franciæ, altâ pace, optimis legibus, atque hæreditariâ ſucceſſione firmatæ.

Willel. Malm. lib. iv. de geſt. Reg. Ang. cap. ij.

Quis autem ſanæ mentis crediderit deponendo Regi Francorum delectam eſſe à Pontifice Claromontanam urbem, partem Imperii Francici, aut Francos Epiſcopos, qui in eâdem Synodo frequentiſſimi ſederint; cùm eos in Regis obſequio perſtitiſſe, vel ex uno Ivone ſatis conſtet? Jam Regi depoſito quis ſubſtitutus fuit? Ludovicuſne VI. ejus filius, quem patri ſemper fuiſſe obſequentiſſimum Sugerius Abbas in ejus vitâ ſcribit? An nobiliſſimum Regnum in anarchiam redactum ab Eccleſiâ eſt, eo tempore, quo Proceres ſuos cruce-ſignatos, ac nobilitatis robur in Chriſtiani nominis hoſtes emittebat? Quis hæc deliria non contemnat?

Sug. vit. Lud. v. ap. Duch.

Sanè quod memorat Juretus in Chronico Cœnobii ſancti Dionyſii ſcriptum eſſe: *Toto tempore excommunicationis ejus actis publicis ſolitum ſubſcribi: Regnante Domino* JESU-CHRISTO, longè eſt inſulſiſſimum, cùm profectò non niſi imperitiſſimus ac ſtolidiſſimus negare poſſit, hunc titulum in honorem Regis Regum JESU-CHRISTI longè ante ea tempora; ipſis etiam Caroli Magni temporibus, ac deinceps paſſim & ubique terrarum frequentatum, ſub iis quoque Regibus, qui vel maximè Eccleſiaſticâ pace florerent.

Si tamen obſtinatè Willelmo Malmeſburienſi creditum volunt, dictam ab Urbano in Philippum depoſitionis ſententiam; cùm interim conſtet Francos etiam Epiſcopos, eoſque ſanctiſſimos atque fortiſſimos, in Regis obedientiâ perſtitiſſe; nempe id quoque argumento erit, quàm hæc de deponendis Regibus decreta apud Francos nulla habeantur. Sed nos in rebus geſtis ipſam veritatem, non cauſæ noſtræ præſidia, etiam ab adverſariis miniſtrata, quærimus.

CAPUT XII.

De inveſtituris inter PASCHALEM II. *&* HENRICUM V. *Imperatorem: excommunicationes à Conciliis latæ: depoſitio in Rhemenſi Concilio à ſolo Papâ: facta compoſitio in Lateranenſi I. generali ſub* CALIXTO II. *revocatæ depoſitionis, aut Regis rehabilitati nullâ mentione.*

PER eadem fere tempora ſub Paſchale II. & Henrico V. Imperatore Henrici IV. filio, gravis illa à Gregorii VII. & Urbani II. decretis inchoata de inveſtituris contentio, in apertum bellum erupit; quamvis inveſtituræ etiam per annulum & baculum, priſcis temporibus à viris etiam ſanctiſſimis frequentatæ, adhuc in Franciâ, alio licèt ritu celebrarentur. *(f)* Sed Germani Imperatores per eam tempeſtatem abutebantur iis, ut Eccleſias venderent, æternæque ſervituti Chriſti ſponſam addicerent. Illud certum, tanta diſſidia haud difficulter potuiſſe componi, paululum, ut poſteà factum eſt, immutatis ritibus; ſi jam inde ab initio pacatos animos adhibuerit. Sed Germani ferociebant: Itali aſpernabantur: interim prælia, cædes, belliſque atrocibus Germania, Italia, Roma ipſa, in ſuis quoque mœnibus conflagrabat.

(f) Alio licèt ritu celebrarentur.] Quis fuerit ille alius ritus prorſus ignoro. Certè, primæ ſtirpis Francorum Reges per baculum inveſtituras dediſſe teſtis eſt S. Romanus, quem eo ritu Clodovæus ij. ſeu pater ejus Dagobertus Rothomagenſem Epiſcopum inveſtivit; neque alio ritu Alricum Cenomanenſem Epiſcopum à Ludovico Pio an. 832. inveſtitum fuiſſe memorat is, qui Alrici vitam ſcripſit. Eodem ritu modoque celebratas fuiſſe inveſtituras per annulum & baculum tempore Ivonis Carnotenſis, ex ejus ſcriptis intelligimus. Sed Calixto ij Pontifice, cùm Romani Imperatores per ſceptrum ſuos Epiſcopos cœperint inveſtire, placuit Francis Regibus vivâ voce deinceps, vel ſcripto inveſtituras dare.

Adactus Paſchalis ab Henrico, ut inveſtituras ipſi concederet, atque ejus privilegii cauſâ hæreſis etiam infamatus. Quare anno 1112. Concilio Romæ habito, Lateranenſi II. ſeſe ultrò à ſede Apoſtolicâ (g) deponere voluit: ſed vetitus eſt à Patribus, qui, hortante Pontifice, hanc ſententiam protulerunt: *Privilegium illud, quod non eſt privilegium, ſed pravilegium... per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio, cum eodem Domino Papâ congregati, canonicâ cenſurâ & Eccleſiaſticâ autoritate, judicio Sancti Spiritûs, damnamus & irritum eſſe judicamus.... & acclamatum eſt ab univerſo Concilio: amen, amen: fiat, fiat:* quod iterum atque iterum notari volumus, ut intelligatur quo ritu agi ſoleat, cùm Patrum conſenſione decreta firmantur.

Tom. x. Conc. pag. 768.

De eâdem Synodo Lateranenſi anno 1112. hujus temporis ſcriptor manuſcriptus in Conciliorum editione à Binio aliiſque deinceps collectoribus relatus, hæc ſcribit: *Anno Incarnationis Dominicæ 1112. celebratum eſt Romæ Concilium, in quo irritum judicatum eſt prædictum privilegium, dataque eſt ſententia excommunicationis in perſonam Regis, non à Papâ, qui juraverat ſe nunquam facturum hoc, ſed ab Eccleſia injuriam ſui Patris vindicante.* Nihil hîc de depoſitione audimus, quod infauſto ſucceſſu, hæc nonnihil tum refrixiſſe videantur; neque in Conciliis, Patres ita pronuntiare ſolerent.

Bin. tom. vij. part. j. pag. 543. Labb. tom. x. p. 771.

Idem enim advertere eſt in Concilio Viennenſi, Guidone Archiepiſcopo, mox Calixto II. Papâ præſidente. Sic autem Patres decernunt: *Henricum Teutonicorum Regem excommunicamus, anathematizamus, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtramus:* ubi diſertè eum pro Rege habent; ac poſteà epiſtolâ ad Paſchalem datâ de confirmando hoc decreto, hæc ſcribunt: *Adfuerunt Legati Regis*, &: *Scriptum illud quod Rex * à ſimplicitate veſtrâ extorſit, damnavimus; in ipſum etiam Regem nominatim ac ſolenniter & unanimiter ſententiam anathematis injecimus.* Sic à Concilio Lateranenſi jam, & à ſe quoque nunc excommunicatum, Regem appellant; neque de depoſitione quidquam agunt: adeò, quod jam diximus, hæc à Conciliorum ritu & conſuetudine abhorrebant.

Tom. x. Conc. pag. 784.

* Henricus V.

Ib. p. 785.

Conon quoque Prænestinus ſedis Apoſtolicæ Legatus, Hieroſolymis habito Concilio, *excommunicationis ſententiam in Regem dictavit, & eamdem in Græciâ, Hungariâ, Saxoniâ, Lotharingiâ, Franciâ, in quinque Conciliis, conſilio prædictarum Eccleſiarum renovando confirmavit.* Hæc anno 1116. in Concilio Lateranenſi IV. aliis III. ſub Paſchale II. relata & probata ſunt. Quare & illud approbatum eſt: Henricum V. & eſſe excommunicatum, & tamen permanere Regem: contra quod Germanos multos per ea tempora ſenſiſſe vidimus. In eâdem Synodo decretum à Paſchale factum eſt, in hæc verba: *Illud malum ſcriptum, quod pro pravitate ſui pravilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate, ut ſit nullius unquam bonæ memoriæ, & rogo vos omnes ut idem faciatis: tunc ab univerſis acclamatum eſt: fiat, fiat.* Sic nempe agebatur cùm Concilii autoritate & approbatione res fierent;

Vid. ibid. p. 767. & 808.

Ib. p. 807.

(g) *Se ultrò... deponere voluit.*] Sic unus Gotfridus Viterbienſis. Cæteri hiſtoriarum aut chronicorum Autores hoc dicunt tantùm: Paſchalem ij. hæreſeos inſimulatum, ſeſe eâ ſuſpicione liberaviſſe. Vid. Gotfr. Chron. part. xvij. pag. 508.

cujus generis decretum in deponendis Regibus nullum unquam legimus ab ullo Concilio factum.

Denique Paſchale II. ac Gelaſio II. Pontificibus, de excommunicato Henrico V. multa; de depoſito, nihil in actis legimus: quanquam multi, inolitâ à Gregorii VII. temporibus opinione, excommunicationem ipſam cum depoſitione conjunctam putabant, & à Regis obedientiâ abhorrebant.

At, Calixto II. Papâ, aliter geſtum eſt; neque tantùm excommunicatus Henricus V. ſed etiam depoſitus: quæ tamen diverſiſſimis ritibus facta ſunt. Id videre eſt in Concilio, quod Calixtus II. adverſus Henricum. V. ejúſque Antipapam Burdinum, anno 1119. Rhemis habuit. Eo enim in Concilio, Patrum ſententiâ, tranſacta ſunt omnia, præter ea, quæ ad Henricùm deponendum attinerent. Ac ſtatim quidem, cùm de compoſitione ageretur, profecturus Pontifex ad Imperatorem, ſic Synodum allocutus eſt: *Sicut conventionem pacis, ſi fiat, vobiſcum & per vos confirmare optamus; ſic in commentorem fraudis, ſi infidelis evaſerit, judicio Spiritûs Sancti & veſtro, gladium Petri vibrare tentabimus.* Neque res aliter geſta eſt. Itaque non modo ea, quæ de compoſitione deque inveſtituris; ſed etiam quæ de excommunicatione Imperatoris, & Antipapæ tractata ſunt, Patrum conſenſione & judicio acta memorantur; idque eſt geſtis inditum. At poſtquam Imperator pollicitis non ſtetit, omiſſumque eſt jam pacis negotium; in actis legitur à CCCCXXVI. Epiſcopis & Abbatibus candelas tenentibus excommunicatos eos eſſe, *quos præcipuè propoſuerat excommunicare Dominus Papa; inter quos primi nominati ſunt Rex Henricus, & Romana Eccleſia invaſor Burdinus*, quem ſchiſmatici Gregorium VIII. appellabant. Sic Patres cum Papâ de excommunicatione decreviſſe referuntur. Tum de Papâ tantùm additur: *Abſolvit etiam Dominus Papa, autoritate Apoſtolicâ, à Regis fidelitate, omnes quotquot ei juraverant, niſi reſipiſceret:* totumque illud quod in depoſitione Regum fit, tacentibus Epiſcopis, à Romano Pontifice ſolo agitur. Factum ſæpe notamus, facti cauſas poſteà inveſtigabimus.

Ib. p. 872. 875.

Ibid.

Ib. p. 878.

Ibid.

Neque ita multò poſt Calixtus & Henricus, diſſidiis belliſque atrocibus feſſi, in hanc formam conſenſerunt: Imperator quidem, *ut inveſtituram per annulum & baculum dimitteret, ut liberam Eccleſiis electionem & conſecrationem fieri concederet;* Papa verò, *ut electiones Teutonici Regni, in Regis fiant præſentiâ: ut electus Regalia per Sceptrum à Rege recipiat:* quæ in Concilio generali Lateranenſi I. ſub Calixto II. anno 1123. geſta & probata ſunt, quemadmodum jam in Concilio Rhemenſi omnium Epiſcoporum judicio tractata, compoſita, limata, & confirmata fuiſſe diximus.

Conc. Later. I. gener. ibid. p. 901. 902.

Nihil quidquam aliud ab Imperatore, depoſito licèt, cùm Eccleſiæ reconciliatus eſt, poſtulatum fuit. Uti regnabat Henricus, vetante licèt Pontifice, ita porrò regnavit. Non ſe ille Regno reſtitui aut rehabilitari, ut vocant, voluit; juris ſui ſecurus, ſatiſque confiſus eâ in re à Pontifice, ut nihil detrahi, ita nihil dari poſſe. Neque etiam eâ de re quidquam Pontifex cum Imperatore egit, aut ab eo poſtulavit, cùm poſtularet ea quæ juris Eccleſiaſtici eſſe reputabat: quod certo argumento eſt, nihil hæc viſa eſſe ad Eccleſiaſticum dogma, aut omninò ad jus Eccleſiaſticum pertinere, cùm ab errantibus & delinquentibus expreſſa ejuratio poſtuletur eorum, quibus dogmata Eccleſiæ aut certè ejus jura violari judicetur.

CAPUT XIII.

Sanctorum Patrum ejus ævi, ANSELMI *Cantuarienſis*, IVONIS *Carnotenſis*, BERNARDI *Claravallenſis de Imperatorum depoſitione ſilentium: Locus* ANSELMI *probantis* VALERANUM, HENRICO IV. *depoſito, ut Regi adhærentem.*

VIXERE his temporibus (id eſt undecimo & duodecimo ſæculo) viri ſanctitate ac doctrinâ conſpicui, Epiſcopi, Fulbertus Carnotenſis, Anſelmus Cantuarienſis, Ivo item Carnotenſis, Bernardus Claravallenſis Abbas, aliique multi, quorum de omni re Eccleſiaſticâ habemus epiſtolas, ſermones, tractatus. Memorabile certè eſt de deponendis Regibus nihil ab eis ſcriptum, cùm eâ contentione tota jam Eccleſia perſonaret; & tamen multa tractârunt, quæ huic cauſæ proxima viderentur: Anſelmus in inveſtituris tollendis, adversùs Reges Anglos multa egit, multa ſcripſit, multa ſuſtinuit; intentaturque ſæpè tunc excommunicationis, at, ne verbo quidem, depoſitionis metus. Ivo Carnotenſis prolati in Philippum I. Francorum Regem, anathematis defenſor acerrimus, multus in eo negotio eſt; at interim de deponendo Rege Eccleſiæ contemptore, ne quidem cogitâſſe, imò in ejus obedientiâ, gravibus licèt afflictum incommodis, perſtitiſſe vidimus. Bernardus, ut alia omittamus, diſcipulum ſuum Eugenium III. docet omnia ſigillatim, quæ ad Pontificale officium pertinere videantur. Subit autem admirari, cùm de minutiſſimis agat, de deponendis Regibus, tam gravi re, ne verbo quidem egiſſe, aut monuiſſe quidquam, imò verò deterruiſſe, ut ſequentia demonſtrabunt. Interim, ut de ſilentio dumtaxat hîc agamus, tanti profectò ſilentii, in tantâ re, tantoque Chriſtiani Orbis motu ac tumultu geſtâ, cauſam aliquam fuiſſe oportet. Nullam autem invenio niſi hanc: quòd huic rei tam novæ, tam inſolenti, immiſceri nollent.

Facilè autem eò adduci potuerunt ut à ſcriptis temperarent, quibus vel tantillum Romanus Pontifex læderetur; ne ſcilicet peſſimis Imperatoribus & Pontificibus apoſtaticis, quos Imperatores ſuſtentabant, adversùs veros Pontifices favere viderentur. Ad hæc viri boni reprehendere plerumque Romanorum Pontificum, Joannis etiam XII. manifeſta flagitia verebantur: teſtis Otho Friſingenſis ſæpe memoratus. De autore vitæ Henrici IV. jam vidimus, quàm cunctanter memoret eorum aſſertiones, qui ejus depoſitionem improbarent. Si tam timidè ille agebat, qui Henrico faveret, quantò libentiùs alii Catholici conticeſcebant! Atque utinam infauſta hæc oblitterari ſinerent præpoſteri defenſores, ac non pro fidei decretis obtruderent. Fortaſſis hæc meliùs tacerentur. Quominùs miramur fuiſſe paucos, qui adversùs Pontifices Regum depoſitores expreſsè dicerent; at qui pro ipſis ſcriberent, innumerabiles haberemus, niſi hæc tum pro Pontificum honore ac pace Eccleſiæ, tacenda potiùs quàm laudanda viderentur.

Neque tamen eò uſque conticuere, ut non ſuam quoque ſine ullius offenſione ſententiam expromerent; quod vel ex uno Anſelmo probare poſſumus.

Is Theologicâ ſcientiâ præcellentiſſimus, Cantuarienſis Archiepiſcopus factus, eſt, Urbano II. Pontifice: quo tempore imperabat Henricus ille IV. tot decretis depoſitus, inducto etiam Guiberto Antipapâ, jam apertè ſchiſmaticus. Per ea ergò tempora, Walerannus Naumburgenſis Epiſcopus *, Henricianarum partium, miſit ad Anſelmum epiſtolam quâ interrogabat de azymo & fermentato, aliiſque ritibus. Huic epiſtolæ reſcripſiſſe Anſelmum anno 1094. Urbani II. tempore memorat Dodechinus, & poſt eum Baronius. Anſelmi epiſtola ſic incipit: *Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis Waleranno Naumburgenſi Epiſcopo. Scienti breviter loquor. Si certus eſſem prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Julii Cæſaris, & Neronis, & Juliani Apoſtatæ, contra ſucceſſorem & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos ut amiciſſimum & reverendum Epiſcopum ſalutarem.* Quo loco ſtatim id occurrit: à beato Anſelmo, ut Urbanum Petri, ita ſchiſmaticum Imperatorem, pro ſucceſſore Cæſarum, Julii, Neronis & Juliani Apoſtatæ, fuiſſe agnitum, quos veros ac legitimos Imperatores fuiſſe nemo negat. Ac de ipſo Nerone Scriptura teſtatur. Sed mentem Anſelmi, quæ deinde ſecuta ſunt, luculentiùs edocebunt.

* In Saxoniâ.

Dodech. Chron. an. 1094. pag. 135. Bar. an. 1097. tom. xj. p. 713. vid. oper. Anſel. p. 135.

Urbano mortuo, ac Paſchale II. in ejus locum ſubſtituto, interrogat iterum Anſelmum Walerannus de *Sacramentorum diverſitate*, atque in fine epiſtolæ hæc ſcribit: GRATIA DEI SUM ID QUOD SUM; *ex Saulo Paulus, ex adverſario Romanæ Eccleſiæ, intimus Paſchali Papæ, acceptiſſimus Cardinalium conſecretarius, & in omnibus in hâc parte proſperos ſpero ſucceſſus. Joſeph in domo Pharaonis, ego in Palatio Henrici Imperatoris; neque iniquitas, neque peccatum meum, ſi, quod abſit, aut quaſi Nero inceſtus, aut apoſtata Julianus.* An igitur ille converſus ex Saulo Paulus, ille Papæ acceptiſſimus, Henricum Regem depoſitum ac ſchiſmaticum ejuravit? Minimè: quin potiùs apud eum fuit, ut apud Pharaonem Joſephus. Atqui Joſephus Pharaonem, ipſâ Scripturâ teſte, procul dubio pro vero Rege habuit, quippe Regni adminiſter: igitur & Walerannus Henricum; neque ei denegabat agnitam in Nerone ac Juliano Apoſtatâ dignitatem, ſed tantùm averſabatur ſcelerum conſortium; neque ab ejus Imperio, ſed tantùm à ſchiſmate diſcedebat.

Ep. Wal. ad Anſel. int. oper. Anſel. pag. 137. 138. 139.

Ad eum ſic affectum erga ſchiſmaticum & depoſitum Principem, hæc reſcribit Anſelmus: *Domino & amico Waleranno, gratiâ Dei Naumburgenſi venerabili Epiſcopo, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis ſalutem, ſervitium, orationes, dilectionis affectum. Gaudeo & gratias ago Deo, quia, ſicut ſcribitis, glorificat eum in vobis Eccleſia Catholica, quoniam in veſtra mutatione divinæ bonitatis apparet gratia, & Domini Papæ Paſchalis amicitiam habetis & familiaritatem; ut jam mihi liceat veſtram amicabiliter ſalutare ſanctitatem.* Ergò Walerannus, Anſelmus, ac, ſi verum amamus, ipſe Paſchalis, depoſitiones iſtas à Gregorio VII. inventas, pro nihilo habebant; *(b)* idque tantùm poſtulabant, ut Epiſcopi à Guibertino ſchiſmate abhorrerent: adeò horum pertæſum erat.

Ib. p. 139.

(*b*) *Anſelmus depoſitiones iſtas... pro nihilo habebant:*] nec mirum; quippe qui ducem ſequebatur Lanfrancum ante ſe Cantuarienſem Archiepiſcopum, illum quem in ſuis epiſtolis impenſiſſimè venerarur. Lanfrancus autem, poſteaquam Hugonem quemdam, ut cenſent P. Bened. redarguit, eò quòd, in epiſtolâ ad ſe miſſâ, Gregorium vij. vituperabat, Guibertum Antipapam plurimùm extollebat, & victoriam ab Henrico de Rodolpho re-

CAPUT XIV.

IVONIS *Carnotenſis loci quidam expenduntur: exempla memorantur: horum occaſione de Regaliæ cauſâ, atque initâ per Epiſcopos Gallicanos compoſitione, actum: de* GRATIANI *Decreto quædam afferuntur.*

EADEM ætate vigebat ſanctus Ivo Carnotenſis, in cujus Decreto multa legimus ex antiquâ de Regibus Eccleſiæ Traditione deprompta; illud imprimis ex Iſidoro deſcriptum: *Populi peccantes judicem metuunt: Reges autem, niſi ſolo Dei timore metuque gehennæ coercentur, liberè in præceps proruunt.* Quippe qui in ſupremâ temporalium arce ab ipſo Deo conſtituti, in temporalibus nihil niſi à Deo metuant: quæ profectò vana ſunt, ſi deponi poſſunt, depoſitique ac privati, aliis quoque pœnis obnoxii vivunt.

Decr. Ivō. Carn. part. xvj. c. xlij. vid. ſup. lib. j. ſect. ij. cap. xxxij.

Quod autem ſcripſit, id etiam exemplo docuit, qui Regi, Eccleſiæ atque anathematis contemptori, tam promptam ubique præſtitit obedientiam.

Sanè in Decretum tranſtulit partem epiſtolæ Gregorii VII. ad Herimannum Metenſem; ſed cur eam attulerit, quidve ex eâ probare voluerit, teſtatur hic titulus: *Nullam dignitatem ſæcularem, ſed nec Imperialem honori vel dignitati Epiſcopali poſſe adæquari.* Quare eum locum epiſtolæ protulit, quo Gregorius VII. ex Gelaſio, Ambroſio, aliiſque probat, Sacerdotes Chriſti Regibus antecellere. Quæ autem huic loco inſerta atque implicita reperit de Rege Francorum depoſito, ille profert quidem, ne textum mutilet; ſed in quo vim faciat, titulus indicavit.

Ibid. part. v. *De ſubl. Epiſc.* pag. 378.

Non ergò id Ivo fecit, quod Gratianus poſtea. Nempe hic ex relato Gregorii VII. loco, ejuſque de depoſito Childerico ſententiâ, caput particulare fecit, jam ſæpe memoratum: *alius*, idque ad proprium finem retulit. Diſertè enim ſcribit: *A fidelitatis etiam juramento Romanus Pontifex nonnullos abſolvit, cùm aliquos à ſuâ dignitate deponit.* En Gratiani mens, ac velut hujus capitis titulus. Cui rei probandæ addit alia duo capita: alterum ex eodem Gregorio VII. alterum ex Urbano II. neque enim habuit antiquiora, quæ exprómeret. At Ivonis tempore nondum hæc idonea viſa erant, quæ in decretorum librum ſuo venirent nomine ac titulo: neque poſt Gratianum, proprio ac nativo ſenſu, pro verâ depoſitione à Gloſſariis accepta ſunt, uti jam vidimus.

Cauſ. xv. quæſt. vj. cap. iij.

Erant tamen ea tempora, quibus vel maximè flagraret, poſt Gregorii VII. Urbani II. ac Paſchalis II. decreta, de inveſtituris cum Henrico V. ſuborta contentio. Neque tamen Ivo eò adduci potuit, ut inveſtituras prorsùs intolerabiles judicaret, nedum inter hæreſes, ut multi illius temporis, deputaret. Teſtis epiſtola ad Joannem Lugdunenſem. Idem poſt interdictum Concilii

portatam magnificentiùs prædicabat, ſic dicit de Henrico Imperatore: *Credo quòd Imperator, non ſine magnâ ratione, tantam rem non eſt aggreſſus patrare, nec ſine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam conſummare.* Lanf. ep. lix. edit. Bened. p. 329.

Claramontani : *Ne Epiſcopus vel Sacerdos, Regi vel alicui Laico in manibus ligiam fidelitatem faciat*, Radulphum Archiepiſcopum Rhemenſem adduxit ad Regem, qui talem fidelitatem ipſi faceret, quia aliter pax Eccleſiaſtica ſtare non potuit. Id fecit vir κανονικώτατος verique ac neceſſarii Eccleſiæ juris defenſor acerrimus. Hujus exemplo diſcimus primitiva Eccleſiæ jura inviolata habere : adventitia quoque & ſecundaria tueri pro viribus : ex neceſſitate interdum melioris rei gratiâ ac pacis ſtudio, omittere. Quo exemplo, Epiſcopi Gallicani eam de Regaliâ compoſitionem inierunt, quâ neceſſaria permitterent, jam amiſſa relaxarent, nova, & iis quæ concederent potiora, lucrarentur ; ut & obiter aliquid, occaſione Ivonis, quod ad hanc cauſam & initam à Clero Gallicano pacem faciat (quandoquidem noſtri cenſores tantopere hanc improbant) afferamus.

Epiſtol. ccxxxvj.
Conc. Claromont. Can. xvij. tom. x. Conc. p. 508. Ivo Carn. ep. cl.

Cæterùm id præcisè è quæſtione noſtrâ eſt, quòd Ivo Pontificum Romanorum ſtudioſiſſimus, non modò non tuetur ea, quæ in deponendis Imperatoribus fecerint, ſed antiqua de Regibus à ſolo Deo judicandis Patrum decreta, & verbo & exemplo defenderit.

Nicol. Dubois & Charlas tract. de libert. Eccl. Gall. paſſ.

CAPUT XV.

BERNARDUS *Claravallenſis Abbas : ſub* INNOCENTIO II. *ſchiſma ingens extinctum : Libri de Conſideratione ad* EUGENIUM III.

GRATIANUS ille quem memoravimus, Monachus Bononienſis, triginta fere annis poſt Ivonem mortuum, Decretum ſuum compoſuit ex Conciliorum canonibus, decretalibus epiſtolis, & Patrum ſententiis. Qui quidem, quàm imperitè, nulloque delectu multa congeſſerit, nihil neceſſe eſt commonere doctos. Is primus omnium, decretis inſeruit illum titulum, quem ſuprà memoravimus : Quòd *Romanus Pontifex quoſdam à juramento fidelitatis abſolvat*. Quòd igitur Romanis Pontificibus maximè omnium favere videretur, ab iis commendatus, magnam apud poſteriores Canoniſtas & Theologos autoritatem obtinuit ; ſed longè poſtea, cùm decimo-tertio ſæculo vix innoteſcere cœperit. Cæterùm, uti jam diximus, apud omnes conſtat, tanti valere ab ejus Decreto deprompta capita, quanti ſunt autores ii, ex quibus deſcripta ſunt.

Jam verò Apoſtolicum virum, neque tantùm Eccleſiæ Gallicanæ, verùm etiam univerſæ lumen, Beatum Bernardum audiamus. Is XXII. annos natus Ciſtercienſe Monaſterium ingreſſus eſt, eo tempore, quo gravibus diſſidiis cum Henrico V. Eccleſia laborabat, atque Imperatorum depoſitionibus omnia perſtrepebant. Anno deinde Chriſti 1130. & ſequentibus, egregia ejus fuit opera pro Innocentio Pontifice, adversùs Petrum Leonis, qui Anacleti nomine Petri Cathedram occupârat. Quo in diſſidio lata perſæpe excommunicatio adversùs ſchiſmaticum Pontificem ejuſque aſſeclas, quorum multi erant Principes, eâque cauſâ nominatim excommunicatus Rogerus Siciliæ Rex, in Lateranenſi II. generali Concilio, præſidente Innocentio, anno 1139. de Conc. La-

ter. ij. tom. x. p. 999. & ſeq. depoſitione ne minæ quidem auditæ ſunt, cùm in ſchiſmate, novem jam annis obſtinatiſſimo animo perduraret. Innocentius ac Bernardus aptioribus remediis rem Eccleſiaſticam promovebant.

Anno poſteà circiter 1152. ſcribere aggreſſus eſt admirandum opus *De Conſideratione ad Eugenium III.* ex quo libro multa depromimus; ſed priùs libri argumentum afferendum eſt. Eo ergò libro ſanctiſſimus vir, Eugenium III. olim in Clara-valle optimis vitæ Monaſticæ præceptis inſtitutum, ad Apoſtolicæ jam gubernationis vitæque regulas informabat. Cùm autem undique temporales cauſas ad Apoſtolicam ſedem ultrò deferrent, iiſque curis, vel maximè Romani Pontifices premerentur; has quidem Sanctus vir, etſi Apoſtolico officio non ſatis dignas, haud tamen omninò removeri poſſe putabat: *Ego autem*, inquit, *parco tibi: non enim fortia loquor, ſed poſſibilia. Putaſne hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus litigantibus pro terrenâ hæreditate, & flagitantibus abs te judicium, voce Domini tui reſponderes*: O HOMINES, QUIS ME CONSTITUIT JUDICEM SUPER VOS? *In quale Judicium mox venires? Quid dicis homo ruſticanus & imperitus, ignorans Primatum ſuum, inhonorans ſummam ac præcelſam Sedem, derogans Apoſtolicæ dignitati?* Hæc quidem Curiales; at Bernardus: *Et tamen non monſtrabunt, puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum Judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum.* At nunc, ſi Deo placet, pro Apoſtolicâ autoritate Orbem ad arbitrium divident, ac Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ipſa etiam Regna diſtribuent. Pace eorum dixerim, ne putent imminutam à nobis Apoſtolicam dignitatem, ſi ea reſpuamus quæ Curiales jactarent, quæ Bernardus Apoſtolicæ dignitatis ſtudioſiſſimus prædicator diceret, amplectamur. Pergit porrò Sanctus vir: *Stetiſſe denique lego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itane imminutor eſt dignitatis ſervus, ſi non vult major eſſe eo qui ſe miſit? Aut filius, ſi non tranſgreditur terminos, quos poſuerunt Patres ſui?* QUIS ME CONSTITUIT JUDICEM, *ait ille Dominus & Magiſter? Et erit injuria ſervo, diſcipuloque, niſi judicet univerſos?* At nunc viam docent novi Theologi quâ Pontifices religionis nomine ſæcularia omnia judicanda ad ſe trahant.

Bernard. de Conſ. lib. j. cap. vj.

Non ignorabat Bernardus, cùm hæc ſcriberet, Apoſtolici judicii dignitatem; proſequitur enim ſic: *Mihi tamen non videtur bonus æſtimator rerum, qui indignum putat Apoſtolis ſeu Apoſtolicis viris, non judicare de talibus, quibus datum eſt judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cœleſtibus & Angelos judicabunt? Ergò in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra; quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claves Regni Cœlorum, prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores.* Non igitur profectò ſucceſſores Petri, pro poteſtate clavium, legitimos poſſeſſores poſſeſſione dejicient: non adſciſcent alios, nec humana jura confundent; imò peccata ſolvent, cœlum claudent prævaricatoribus, pœnitentibus aperient, terrena relinquent iis, quibus humana jura conceſſerint; niſi fortè à *poſſeſſiunculis* quidem abſtinere, Regna verò dare jubentur. At non ita Bernardus. Urget enim ratio Bernardi disertè negantis, de iis judicari pro Apoſtolicâ poteſtate, quæ ad claves non pertineant: ad claves verò pertinent ſola cœleſtia *propter quæ data ſunt*, non terrena quævis, etiam Regna & Imperia *propter quæ data non ſunt.* His circumſcri-

bit finibus Eccleſiaſticam atque Apoſtolicam poteſtatem, quam nunc adverſarii ad terrena omnia extendere ſe poſſe confidunt, dummodò *indirectam* appellent, eoque nomine ludant.

Concludit poſteà Bernardus his verbis : *Quænam tibi major videtur & dignitas & poteſtas dimittendi peccata, an prædia dividendi ? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infima & terrena judices ſuos, & Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? Non quia indigni vos, ſed quia indignum vobis talibus inſiſtere, quippe potioribus occupatis: denique ubi neceſſitas exigit, audi quid cenſeat*, non ego, ſed *Apoſtolus :* SI ENIM IN VOBIS JUDICABITUR MUNDUS, ESTIS INDIGNI QUI DE MINIMIS JUDICETIS. *Sed aliud eſt incidenter incurrere in iſta, causâ quidem urgente ; aliud ultrò incumbere iſtis, tanquam magnis, dignisque tali & talium intentione rebus.*

Quid ſit in rem aliquam *incidenter incurrere*, Juriſconſulti ſciunt. Puta cùm quis Judex Eccleſiaſticus de matrimonio cognoſcens, *incidenter* &, ut aiunt, *caſualiter* de dote, alimentiſve decernit ; atque ad ejuſmodi res Bernardus fortè reſpexerit. Utcumque eſt, Regna & Imperia *incidenter* dari, longè eſſet abſurdiſſimum. Cæterùm quænam ſit illa neceſſitas incurrendi in temporalia, quam vir Sanctus agnoſcit, ſatis perſpicuè aperit : quoniam, ut ſupra diſſeruerat, homines ultrò hæc ab Apoſtolicis exigunt, ac de his *judicium flagitant*. Favent Apoſtoli allegata verba, quæ de delectis arbitris agunt. Ut autem hæc Pontifex pro jure ſuo ad ſe trahat, prohibent ea verba, quibus Beatus Bernardus horum poteſtatem datam eſſe negat, horum tractationem alieni muneris invaſionem vocat. Cujus ſententiæ ſæpe nos in ſequentibus meminiſſe oportebit.

Huc etiam facit ille locus, quo Sanctus vir tam gravia, tam fortia de interdicto Apoſtolicis dominatu docet. Non enim video quomodo dominationem, eamque ambitioſiſſimam ac ſuperbiſſimam evitent, ſi Regna quoque conculcant. & quolibet transferunt. Ibid. lib. ij. cap. vj.

Neque propterea à Pontificum metu ſuperbos Reges abſolvit, qui docet : Pontificem *oportere eſſe ultorem ſcelerum .... virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem ... poſtremò Deum Pharaonis ;* atque inſuper addit : *Intellige quæ dico : Dabit tibi Dominus intellectum. Ubi malitiæ juncta potentia eſt, aliquid tibi ſupra hominem præſumendum. Vultus tuus ſuper facientes mala. Timeat ſpiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempſit. Cui tu iraſceris, Deum ſibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum & contra ſe paveat.* Hæc ſumma doctrinæ eſt quam epilogando tradidit, *cùm librum clauderet*, eoque vim omnem contulit. Sic ergò Pontifex *malleus tyrannorum*, ac Pharaonis in morem obduratos, ipſe in Moſis morem, impetrato extraordinario auxilio, non ex tabulâ decreto recitato, dejicit. *Hoc timeat*, inquit, *qui hominem non veretur, gladium non formidat.* Humanâ omni poteſtate major, non id profectò timeat, ne datâ ſententiâ deponas, ne Regnum alteri dono dederis, quod neque unquam Chriſtus, neque Apoſtolici factitârunt, ſed ne oratione divinam ultionem elicias: *Timeat orationem qui admonitionem contempſit.* Neque enim præter- Ibid. lib. iv. cap. vij.

Ibid. lib. j.cap.vj.lib. iv. cap. iij. mittit cenſuram Eccleſiaſticam, *admonitionis* nomine comprehenſam. Hanc & alibi paſſim commendat; claveſque cœli & judicia de ſolvendis retinendiſque criminibus, & gladium ſpiritualem memorat, quem, ubi opus fuerit, Pontifex evaginet: eam poteſtatem quâ Regna omniaque temporalia ordinare ſe poſſe putabant proximi Eugenii anteceſſores, non modò omninò tacet, verùm etiam, ut vidimus, negatâ penitùs temporalium poteſtate, proſcribit. (*i*)

CAPUT XVI.

Ejuſdem BERNARDI *allegoria de duobus gladiis: quid ad eam Majores noſtri reſponderint obiter indicatur.*

Bern. de Conſ. lib. iv. cap. iij. vid. ſup. lib. j. ſect. ij. cap. xxxvij.

UNUM eſt quod ex Bernardo objici ſoleat de duplici gladio: (*k*) ſic enim loquitur ad Eugenium: *Aggredere eos* (Romanos contumaces)

(*i*) *Proſcribit.*] Locus eſt celebris in epiſtolâ Bernardi ccxxvij. ad Cardinales de electione Eugenii, à D. BOSSUET hic prætermiſſus, ex quo quidam Theologi malè concludunt non proſcriptam, imò aſſertam a Bernardo hanc poteſtatem fuiſſe. Hæc ſunt Bernardi verba: *Ridiculum profectò videtur pannoſum homuncionem aſſumi ad præſidendum Principibus, ad imperandum Epiſcopis, ad Regna & Imperia diſponenda.* Quæ quidem 1°. non ſtrictè nimis accipienda ſunt, ſed benignâ interpretatione mollienda ad mentem ſancti Doctoris, qui ideò verbis exaggerat & amplificat Apoſtolicam poteſtatem, ut Eugenium huic tantæ dignitati quàm maximè diſparem & inæqualem oſtendat.

2°. Jubent leges criticæ ut in omni autore, ſi quæ ſint obſcura, ea locis dilucidioribus explanentur; neque ſtatuas eam eſſe ejus ſententiam, quam præ ſeſe ſtatim ferunt quædam verba ambigua, quæ illi, de aliis rebus diſſerenti, fortuitò exciderunt; ſed quam demonſtrat ſeries & contextus orationis, in illis præſertim locis, in quibus, deditâ operâ, quæſtiones eas tractat de quibus controverſia eſt. Igitur non ſtatuendum ex eâ epiſtolâ ad Cardinales, quid Bernardus de Pontificiâ poteſtate, quam hic tangit obiter, ſenſerit; ſed adeundi ſunt libri *de Conſideratione ad Eugenium*, poſt hanc epiſtolam ſcripti, in quibus ſigillatim explicat omnia officia & jura Pontificis, eo modo, ut ſupremum ejus in Reges dominatum proſcindat. Itaque aut Bernardus ſeipſum correxit, aut ipſa verba epiſtolæ aliud, quàm id quod primâ fronte videntur, ſignificant. Nam

3°. Ea verba: *Diſponere Regna & Imperia*, & illa: *jure ſuo de Regnis & Imperiis dirimere ac judicare*, plurimùm inter ſe diſcrepant: quandoquidem verbum *diſponere* ſæpe apud Latinos idem ſit ac deſcribere, ut apud Tullium de petit. conſ. *diſponere cuique munus ſuum*, idem ſignificat ac *deſcribere cuique quid faciendum ſit.* Porrò verbum *diſponere* ſic interpretatum ſanam habet ac veram ſententiam; cùm Pontifex ſuo jure poſſit eo modo Regum officia deſcribere, ut eos adhortetur, imò jubeat ſuum munus adimplere. Sic profectò intelligendus eſt S. Bernardus, ne tantus Doctor ſibi ipſi contrarius eſſe videatur.

Denique, quanquam, quod non credimus, Bernardus eo abreptus turbine, quo, à temporibus Gregorii vij. cæteri ferè omnes rapiebantur, in Regum ſupremam autoritatem, verbulo uno incautè dicto, peccâſſet, non minùs ſtaret ſuo pondere doctrina Cleri Gallicani, cùm opinio huic doctrinæ contraria non habeat autorem Gregorio vij. antiquiorem.

(*k*) *de duplici gladio.*] Hanc allegoriam primus reperit Abbas Vindocinenſis Goffridus, quam deinde ornavit & amplificavit Bernardus. Goffridi autoritas ea eſt, quæ eſſe poteſt & debet Doctoris non rarò pugnantia loquentis E. G. opuſc. ij. tom. xx. Bibl. Patr. p. 60. *inveſtituram* cum Gregorio vij. vocat *hæreſim*: idem opuſc. iv. p. 61. ſic affirmat: *Inveſtire non videtur criminoſum.* Ille etiam credit Reges de Regni ſolio à Pontificibus Romanis deturbari poſſe. Nam poſtquam oſtendit, *dum Regnum & Sacerdotium unum ab altero impugnatur, utrumque periclitari*, addit: *Rex ſacro-ſanctâ communione pariter & Regiâ dignitate privatur.* Utriuſque gladii allegoriam reperies quoque apud Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum xj. ſæculo. At ille optimè diſtinguit utramque poteſtatem, ne Pontificibus utroque gladio promiſcuè uti liceat; cùm Deus utrumque non *uni* ſed generatim

Digitized by Google

ſed verbo, non ferro. Quid tu denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam; quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: CONVERTE GLADIUM TUUM IN VAGINAM. *Tuus ergò & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu evaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apoſtolis:* ECCE GLADII DUO HIC, *non reſpondiſſet Dominus:* SATIS EST: *ſed nimis eſt. Uterque ergò Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicèt gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſiâ, ille verò & ab Eccleſiâ exerendus eſt: ille ſacerdotis, is militis manu; ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & juſſum Imperatoris. Et de hoc aliàs*, ſupple egimus. Quæ ultima verba maniſeſtè ſpectant Bernardi epiſtolam CCLVI. ad Eugenium Papam, in quâ quidem epiſtolâ, de duobus gladiis eadem habet, quæ in libro *De Conſideratione* mox legimus; ut hos profectò locos eodem collimare conſtet. Jam in eâ quid egerit, quâve occaſione de duobus gladiis dixerit, audiamus. Agebat autem cum Eugenio de magnâ Chriſtiani exercitûs ſtrage in Paleſtinâ, de quâ item in libris *De Conſideratione* multis agit, ac poſtquam in epiſtolâ hanc ſtragem memoravit, hæc ſubdit: *Exerendus nunc uterque gladius in Paſſione Domini, Chriſto denuò patiente, ubi & alterâ vice paſſus eſt: Per quem autem, niſi per vos? Petri uterque eſt: alter ſuo nutu, alter ſuâ manu, quoties neceſſe eſt evaginandus.* Ac paulò poſt: *Tempus & opus eſſe exiſtimo ambos educi, in defenſionem Orientalis Eccleſiæ.*

De Conſ. lib. ij. cap. j. ep. cclvj.

Jam ergò facilè intelligimus, quatenùs gladius materialis non modò ſit Imperatoris, ſed etiam Pontificis; quatenùs Pontificio nutu, Imperatorio verò juſſu exeratur. Notum enim eſt in Regibus ac fidelibus ad ſacra bella ciendis, Pontifices quid egerint. Hic mihi, ſi quis nutum eo ſenſu accipiat, ut Imperatores ac Principes, ſtatim atque Pontifex arma capienda vel nutu ſignificaverit, ea capere teneantur; is profectò nec nutum à juſſu ſecreverit, & id aſſeruerit quod neque Pontifices cogitaverunt. Prædicando, adhortando, dando indulgentias, ac ſacrum Eccleſiæ theſaurum aperiendo, Chriſtianos Principes ac milites ad ſacra bella incitabant; ea etiam ſuſcipienda injungebant in remiſſionem peccatorum; quâ conditione obſtringebant eos, quibus animus inerat ſacrâ indulgentiâ frui: ut autem ad ſacra bella, Imperiis umquam ac pœnis adigerent, & abſurdiſſimum eſt, & in Eccleſiâ inauditum.

Hoc ergò voluit Sanctus Bernardus, ut ad bellum Pontifex nutu impellere, Imperator juſſu cogere habeat; ex quo id quidem ſequitur: gladium materialem, cùm propriè in Imperatoris poteſtate ſit, tamen in poteſtate Pontificis ſuo modo eſſe, quatenùs bonus piuſque Imperator, pro Dei & Eccleſiæ cauſâ prompto atque alacri animo, annuente Pontifice, bella ſuſcipiat.

Quod autem Gregorius IX. ac Boniſacius VIII. Evangelii locum, in quo

Greg. ix. ep. vj. tom. xj. Conc. p. 325. Boniſ. viij extr. *unam ſanctam.*

Eccleſiæ membris evaginandum commiſerit. Hildeberti verba hæc ſunt: *Uterque* (gladius) *oſtenditur in membris corporis Chriſti: membrum enim Chriſti Rex, membrum Chriſti Sacerdos... gladius Regis cenſura Curiæ, gladius Sacerdotis Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ.* Hinc patet S. Bernardum non primum excogitâſſe hanc allegoriam, ſed tantùm eam, ab aliis repertam, in ſuos uſus accommodaſſe.

Bernardus piè luſerit, ita urgere videantur, ut materialem gladium, propriè ac ſtricto jure, ſuum eſſe defendant; id quidem ad hoc ſtabiliendum dogma, reluctante omni antiquitate, non ſufficit: ac ſubit admirari Baronium, qui hæc eorum dicta ad fidem Catholicam pertinere novo exemplo aſſerit; cùm profectò conſtet, neque ad credendum propoſita, neque pro certo fidei dogmate recepta fuiſſe unquam; majora enim hæc ſunt, quàm ut uno Bernardi verbo, & loco, quantumvis clarus eſſet, unâque allegoriâ comprobari poſſint. Dicit ſanè Dominus: *Qui non habet peram, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus eſt:* nempè & illud ad Chriſti contumelias pertinebat, ut violentis hominibus ſtipatus, neque immeritò, per vim militum comprehenſus eſſe videretur. Reliqua quæ Sanctus Bernardus cæterive, alii aliò, piè ingenioſeque detorſerint, ad elucidanda quæ aliunde certa ſint, Theologi admittimus: non certè progredi eò uſque ſinimus, ut iis quoque firmari Theologica dogmata arbitremur.

Bar. tom. xj. an. 1053. p. 190.

Luc. xxij. 36. 37.

Si quis tamen ſcire vult, quid ad Bernardi interpretationem anteceſſores noſtri, cùm eâ premerentur, Bonifacii VIII. tempore, reſponderint, Ægidium Romanum, * Joannem de Pariſiis, alioſque hujus ævi conſulat. Nos enim, Theologis parum dignum arbitramur, ut hæc allegorica fuſiùs pertractentur.

Ægid. Rō. de poteſt. Pap. Joan. de Par. de poteſt. Reg. & Pap. cap. xj. xv. ij. aut quæſt. de pot. Pap. vind. Mai. tom. j. pag. 43. 82. 195.

* Columnâ Archiep. Burdigal. virum eâ ætate doctiſſimum.

CAPUT XVII.

HUGONIS DE SANCTO VICTORE *locus ab adverſariis objectus.*

Bern. ep. lxxvij. int. tract. p. 625.

HUGO de Sancto Victore, *Magiſter Hugo* dictus, Sancti Bernardi æqualis, ad quem etiam ejuſdem Bernardi extat epiſtola, Saxo fuit nobilis, (*l*) atque à primâ ætate in Victorino Pariſienſi Cœnobio, pari pietatis ac ſcientiæ laude floruit. Hujus autoritas ab indirectæ poteſtatis defenſoribus objicitur. Jure, an injuriâ, locus integer, quem jam proferimus, indicabit. Is igitur lib. II. de Sacramentis fidei Chriſtianæ parte II. cap. IV. de duabus poteſtatibus, ſæculari, & ſpirituali, hæc habet: *Illa poteſtas dicitur ſæcularis, iſta ſpiritualis nominatur; in utrâque poteſtate diverſi ſunt gradus, & ordines poteſtatum, ſub uno tamen utrinque capite diſtributi, & velut ab uno principio deducti, & ad unum relati. Terrena poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis poteſtas ſummum Pontificem. Ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem Summi Pontificis pertinent quæ ſunt ſpiritualia, & vitæ ſpirituali attributa univerſa. Quantò autem vita ſpiritualis dignior eſt quàm terrena, & ſpiritus quàm corpus; tantò ſpiritualis poteſtas, terrenam ſive ſæcularem poteſtatem honore ac dignitate*

Tom. iij. p. 607.

(*l*) *Saxo fuit nobilis.*] Sic ſtatuunt Canonici Regulares S. Victor. Par. in vitâ Hugonis, quam ejus operibus præfixerunt. At Mabillonius tom. j. analect. Sac. p. 263. Hugonem vocat Ypreſem, cui aſtipulantur D. FLEURY tom. xiv. & DUPIN Bibl. x. ſæculi.

dignitate præcedit. Nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem & inſtituere habet, ut ſit, & judicare ſi bona non fuerit; ipſa verò à Deo primùm inſtituta eſt; & cùm deviat, à ſolo Deo judicari poteſt, ſicut eſt ſcriptum: SPIRITUALIS HOMO DIJUDICAT OMNIA, ET IPSE A NEMINE JUDICATUR. j. Cor. ij. xv.

Hæc illa Hugonis verba ſunt quæ ab indirectæ poteſtatis defenſoribus adducuntur. Reliqua audiamus: *Quòd autem ſpiritualis poteſtas, quantùm ad divinam inſtitutionem ſpectat, & prior ſit tempore, & major dignitate, in illo antiquo veteris inſtrumenti populo, manifeſtè declaratur, ubi primùm à Deo Sacerdotium inſtitutum eſt; poſteà verò per Sacerdotium, jubente Deo, Regalis poteſtas ordinata. Undè in Eccleſiâ adhuc Sacerdotalis dignitas poteſtatem Regalem conſecrat, & ſanctificans per benedictionem, & formans per inſtitutionem. Si ergò, ut dicit Apoſtolus, qui* BENEDICIT MAJOR EST, *& minor qui benedicitur; conſtat abſque omni dubitatione quòd terrena poteſtas, quæ à ſpirituali benedictionem accipit, jure inferior exiſtimetur.* Capite VII. quærit *quomodò Eccleſia terrena poſſideat: Quædam*, inquit, *Eccleſiis Chriſti, devotione fidelium conceſſa ſunt poſſidenda.* Et paulo poſt: *Spiritualis ſiquidem poteſtas non ideò præſidet, ut terrena in ſuo jure præjudicium faciat: ſicut ipſa terrena poteſtas, quod ſpirituali debetur, nunquam ſine culpâ uſurpat.* Capite VIII. quæritur, *quot modis in ſæculari poteſtate determinandâ eſt juſtitia.* Quos inter modos & hunc refert: *Secundùm cauſam juſtitia determinatur, ut videlicèt negotia ſæcularia à poteſtate terrenâ, ſpiritualia verò & Eccleſiaſtica à ſpirituali poteſtate examinentur.* Tum ſubdit: *Sæcularis autem poteſtas Caput habet Regem ſive Imperatorem, ab illo per ſubjectas poteſtates, & Duces, & Comites, & Præfectos & Magiſtratus alios deſcendens, qui tamen omnes à primâ poteſtate autoritatem ſumunt, in eo quod ſubjectis prælati exiſtant.*

Heb. vij. 7. Hug. ib. cap. vij. p. 608. Ibid. cap. viij.

Summa ergò doctrinæ eſt: ambas poteſtates, juribus, officiiſque diſcretas, ad ſuum ſupremum Caput, per diverſos gradus referri ſingulas; nec ab alterâ alterius fines invadi oportere: atque id doctrinæ favet, quâ eas poteſtates ſub uno Deo coordinari, non autem alteram alteri ſubordinari diximus. Jam quod Hugo dicit: *Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem & inſtituere habet, ut ſit, & judicare, ſi bona non fuerit*, ad illud referendum eſt quod poſteà ex vetere Teſtamento prodidit: *Sacerdotium à Deo primùm inſtitutum, poſteà verò per Sacerdotium, jubente Deo, Regalem poteſtatem ordinatam.* Quod ad Saülis hiſtoriam ſpectat manifeſtè, nec niſi ad mandatum Dei extraordinarium referri poteſt; non autem ad ordinariam poteſtatem, de quâ nunc agimus. Undè etiam Hugo explicat, *Deo jubente*, id factum, à Samuële ſcilicèt, ad eam rem expreſsè delegato, atque extraordinario, Propheticoque, ut diximus, potiùs quàm Levitico miniſterio. Quod autem poſteà ſubdit: *Poteſtatem Regalem adhuc in Eccleſiâ ſanctificari per benedictionem & formari per inſtitutionem*; nemo, credo, ita interpretabitur, ut Reges à conſecrante propriè ac ſtrictè poteſtatem accipiant. Quod ſi Hugo dixiſſet, ab omnibus, præſertim verò à Francis exploderetur, apud quos pridem conſtabat, Reges ex genere eſſe; nec fieri, ſed naſci. Sed nos, quò pertineat Regiæ conſecrationis unctioniſque ritus, ſuo loco expoſuimus. Cæterum, in hac Hugonis diſputatione, nihil de Imperatorum

Sup. lib. I. ſect. ij. cap. vij. Sup. lib. ij. cap. xliv.

Henrici IV. & Henrici V. depoſitionibus memoratur, quas toto Orbe celebratas, ac recentiſſimâ memoriâ factas, Germanus homo non ignorabat; neque has ad quæſtionem maximè pertinentes omninò tacuiſſet, ſi apud Catholicos bonâ atque integrâ famâ eſſe intellexiſſet.

CAPUT XVIII.

FRIDERICI I. *res: duplex diſſidium: primum cum* ADRIANO IV. *quid ſit beneficium, quid coronam dare ex* ADRIANI *reſponſo? Varius* ADRIANUS*: ejus decretum de Inſulis.*

* ij.
** Ænobardus nuncupatus.

SANCTI Bernardi tempore, Lothario * Saxoni, & Conrado Suevo, Fridericus I. item Suevus ** à Principibus electus fuit ſucceſſor, anno 1152. Hujus temporibus multa contigerunt, partim ſub Adriano IV. partim ſub Alexandro III. quæ ad noſtram quæſtionem ſpectant.

Radev. de geſt. Frid. j. lib. j. cap. x. Urſt. pag. 482.

Ac ſub Adriano quidem IV. non tulit Fridericus, ut Curia Romana Imperialem coronam beneficium ſeu feudum prædicaret ſuum: ſed eam uni Deo acceptam referebat. Quare nec ferebat in Palatio Lateranenſi inſcriptos hos verſus (*m*).

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores:
Poſt HOMO *fit Papæ, ſumit quo dante coronam.*

Adr. iv. ep. ij. tom. x. Conc. p. 1145.

Quos verſus eò uſque Friderico diſplicuiſſe refert Radevicus, rerum Friderici ſcriptor coætaneus, ut illos omninò deleri vellet. Cùm igitur Imperator ac Principes hæc à Pontificibus vindicari ſibi moleſtiſſimè ferrent, venit ad Fridericum epiſtola Adriani, in quâ commemorabat, *quantam ei Eccleſia Romana plenitudinem poteſtatis contulerit & honoris, Imperialis inſigne corona libentiſſimè conferens.* Addebat Pontifex ſe gaviſurum, ſi Imperator *majora beneficia de manu ſuâ ſuſcepiſſet.*

Radev. loc. cit.

Commotus eſt vehementer Imperator ambiguo beneficii nomine, quod ſenſu jam uſitato *feudum* ſonaret. Refert etiam Radevicus *Principes omnes indignatione commotos*, quòd paſſim jactaretur, *dignitatis & honoris plenitudinem Imperatori à Pontifice Romano collatam: Reges Imperium Urbis & Regnum Italicum, donatione Pontificum hactenus poſſediſſe.*

* Otto Palatinus Comes de Baioariâ Legato necem intentabat.
Ibid.
Ibid.

Quin etiam à Principibus exerti gladii, * cùm Legatus Papæ dixiſſet: *A quo ergò habet, ſi à Domino Papâ non habet Imperium?* Compoſito motu Imperator per omne Imperium edidit epiſtolam, cujus initium eſt: *Cùm divina potentia, à quâ omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, nobis, Chriſtis ejus, Regnum & Imperium commiſerit, &c.* Quo fundamento poſito, ſignificat quàm horruerit illam *beneficii* vocem aliaque id genus, ab Adriano jactata: additque *per electionem Principum à ſolo Deo Regnum & Imperium*

(*m*) *Non ferebat ... inſcriptos ... verſus,*] in eâ tabulâ, in quâ Lotharius ij. Imperator pingebatur flexis genibus à Papâ ſtante accipiens coronam.

ſibi eſſe conceſſum : *quicumque Imperialem coronam pro beneficio à Papâ ſuſceptam à ſe eſſe dixerit, divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacii reum eſſe :* quod iterum inculcat, applaudentibus Epiſcopis : *ac liberam Imperii coronam uni Deo tantùm adſcribit.* Quod & memorant Epiſcopi ac laudant in eâ epiſtolâ, quam ſcripsêre, à Radevico relatâ. Ibid. cap. xvj. p. 486.

Tantâ ergò totius Imperii conſenſione permotus Adrianus, ſic ſuam epiſtolam emollivit, ut *beneficium* uſu Latinæ Linguæ interpretaretur, *non feudum, ſed bonum factum :* quòd autem Imperator moleſtè tuliſſet illud, *Contulimus tibi inſigne Imperialis coronæ*, ſic Pontifex interpretatur : per hoc vocabulum, *contulimus tibi inſigne Imperialis coronæ, nihil aliud intelleximus quàm, impoſuimus.* Ergò coronam imponit Epiſcoporum ritu, non propterea poteſtatem confert. Quo Pontificio reſponſo, omnia ex coronatione deprompta argumenta corruunt. Ib & tom. x. Conc. p. 1147.

Fatendum quidem altioris eſſe ſpiritûs, quæ paulò poſt ſcripſit idem Adrianus; cùm Friderico objiciens, *homagium exactum ab Epiſcopis, & eorum ſacras manus ejus manibus innexas*, aliaque ejuſmodi, hæc addit : *Reſipiſce ergò, reſipiſce, tibi conſulimus ; quia cùm à nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus.* Quid reſcripſerit Fridericus ad rem noſtram non pertinet, ſicut neque aliæ inter Pontificem & Imperatorem ſubortæ ſimultates. Sed profectò, cùm videmus Romanum Pontificem talia comminantem pro iis, quæ nunc omnium uſu innoxia celebrantur; tùm etiam de coronâ conceſsâ ab eodem tam variè ſcribi ; ſanè meminerimus, hæc & alia generis hujus ſedi Apoſtolicæ attributa ad jura ſecundaria, quæ immutari poſſunt ; non ad jura primitiva, quæ à Chriſto conceſſa ſint, certamque & incommutabilem rationem obtineant, pertinere, ut jam diximus. Adr. epiſt. vj. ibid. p. 1149. Sup. lib. ij. cap. xxxvj.

Hic ille eſt Adrianus IV. quem ſupra memoravimus ſcripſiſſe ad Henricum II. Angliæ Regem : *Hiberniam & omnes Inſulas, quibus ſol Juſtitiæ Chriſtus illuxit, ad jus beati Petri & Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere ;* neque id *eſſe dubium : Pertinere* autem eo ſenſu, non quo grex regendus ad paſtorem pertinet, ſed quo bona poſſeſſa ad dominum. Quo jure Hiberniam, cenſu annuo reſervato, Regi Angliæ habendam, poſſidendamque tradit. Quæ ſi tam certa ſunt, quàm certò Adrianus aſſerit, pace ejus dixerim, nihil jam aliud ſupereſt, quàm ut ei cum Inſulis, Continentem quoque terram omnem, quæ non potiore jure eſt, & totius Chriſtiani Orbis Imperium concedamus : ad quæ, credo, confitenda nemo nos adiget. Sup. lib. j. ſect. j. cap. xiv.

CAPUT XIX.

Alterum FRIDERICI I. *diſſidium cum* ALEXANDRO III. *Excommunicatur, deponitur, nec minus agnoſcitur pro Imperatore, etiam à Papâ: excommunicatio, res ſeria, depoſitio pro nihilo habetur.*

ALTERUM illudque maximum Friderico I. diſſidium cum Alexandro III. (*n*) interceſſit. Offenſus quippe Fridericus Romanis Pontificibus, quòd victis Italis ac rebellantibus favere, ac Germanorum jugum ab Italis depellere velle viderentur; Octavianum ſchiſmaticum Pontificem, Victorem III. appellatum, adversùs Alexandrum III. virum ſanctiſſimum tuetur. Anno circiter 1160. à ſancto Pontifice Victor merito anathemate unà cum aſſeclis, atque ipſo Imperatore percellitur (*o*). Alexander profectus ad Francos, afflictorum Pontificum per quadringintos jam annos commune perfugium, anno 1163. in Concilio Turonenſi excommunicationem renovat, nulla hactenùs depoſitionis mentione: hanc enim ab excommunica-
Conc. Turon. tom. x. p. 1411. tione Romani Pontifices ſeparabant. Itaque nemini eſt viſum, Fridericum, licèt in ſchiſmate obduratum, eoque nomine excommunicatum, Imperio cecidiſſe; conſtititque apud omnes, excommunicatos Principes ſuo jure regnare, nec abrumpi anathemate civilis ſocietatis fœdus, contra quod tempore Gregorii VII. ſentiebant.

Anno demum 1168. in Concilio Lateranenſi Fridericum ab Alexandro
Ibid. pag. 1449. 1450. III. novo anathemate ac ſimul depoſitione mulctatum ſcribit Joannes Sariſberienſis, epiſtolâ ad Cantiæ Sub-priorem. Sed qui has depoſitiones admittere nos cogunt, videant an hæc etiam autoritate eâdem decreta probare velint: *Abſtulit* (Romanus Pontifex) *ei etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit autoritate Dei, ne vires ullas amodò in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur: in quo ſecutus eſt exemplum Gregorii VII. deceſſoris ſui, qui, noſtrâ ætate, Henricum Imperatorem Eccleſiæ privilegia convellentem deponens in Concilio Romano, ſimili ſententiâ condemnavit.* Non habuit Hiſtoricus antiquius, quod referret, talis depoſitionis atque excommunicationis exem-

(*n*) *Cum Alexandro iij.*] Is Rolandus anteà dictus & Legatus Adriani iv. Friderico eam epiſtolam attulerat, de quâ dixit capite præcedenti D. BOSSUET, quæ quidem tam graves excitârat Sacerdotium inter & Imperium controverſias.

(*o*) *Victor... anathemate... percellitur.*] Baronius, quem ſequitur autorem D. FLEURY, pronuntiat: Alexandrum iij. *cum apud Anagniam excommunicationis vinculo innodaret Octavianum* (ſeu Victorem iij. Antipapam) *ſimul eos, qui cum Friderico juramento fidelitatis tenebantur adſtricti, ab ipſo juramento abſolviſſe.* tom xij. an. 1160. p. 459. Sed utrumque allucinari patet ex epiſtolâ ipſius Alexandri ad Arnulphum Lexovienſem Epiſcopum, in quâ ea narrat quæ acta fuerant in Papienſi Conciliabulo, quod Fridericus coegerat, eò ut Octavianum Pſeudo-Papam conſtitueret; deinde addit, ſe Anagniæ *Fridericum cum Octaviano & fautoribus ſuis excommunicaſſe.* tom. x. Conc. p. 1399. At verò *de eâ abſolutione à juramento fidelitatis*, quam Baronius comminiſcitur, ne verbum quidem facit.

ſum : tametſi eam dicit *de Petri privilegio latam.* His ſcilicèt Petri claves & excommunicationis vim commendari poſſe putabant. Nos autem arbitramur has irritò jactatas eſſe minas ; hæc de victoriis ſubmovendis excommunicationi præter ordinem ac Traditionem adjuncta, effeciſſe ut magno ſuo malo, Chriſtiani excommunicationem minùs minuſque vererentur, fallente plerumque eventu, aut fortuitis caſibus conſecuto.

Anno 1177. Concilio Venetiis habito, facta pax ; quâ de re, acta manuſcripta Bibliothecæ Vaticanæ Baronius refert, quibus noſtra firmantur. Ibi enim cernimus Fridericum ſemper Imperatorem nominari, depoſitum quamvis ; quodque vel maximum, Imperatoris Procuratores coram Domino Papa jurâſſe in hæc verba : *Ego Comes Diedo juro quod Dominus Imperator mandavit mihi*, & : *Ego Sigilboth juro, quod Dominus Imperator, &c.* Ex quo, Papâ etiam audiente, quantumlibet depoſitus, pro Imperatore eſt habitus. Sequitur in actis miſſos à Pontifice ad Imperatorem Legatos, qui quidem Imperatorem, *poſtquam renunciavit ſchiſma, promiſſam quoque obedientiam Domino Alexandro ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, ipſum à ſententiâ excommunicationis pariter abſolverunt, & Catholicæ unitati aggregârunt.* Audis quàm ſollicitè de excommunicatione dictum, de depoſitionis ſententiâ nihil prorsùs. Quæ planè demonſtrant, quantùm inter excommunicationem jure divino conſtitutam, & depoſitiones novitiis exemplis inductas interſit diſcriminis. Imperator excommunicatus ab excommunicatione ſolvitur : depoſitus ubique, etiam cum Pontifice, pro Imperatore ſe gerit, nec ſe reſtitui petit ; ſed ſuo jure regnat. Cæterùm quæ de conculcato Friderico commemorant, hæc Baronius meritò amandat ad fabulas.

Conc. Venet. ibid. p. 1481. Bar. tom. xij. an. 1177.

Ibid. pag. 1485.

Ibid.

Jam putamus hæc, quæ ſæpè inculcamus, certo certiùs ſtabilita : ſchiſmaticum & excommunicatum Principem haud minùs jure regnare : à ſchiſmaticis & excommunicatis Regibus ritè poſtulatum, ut ſchiſma ejurarent ac veniâ petitâ abſolverentur : à depoſitis, nunquam ut ſe jure deponi potuiſſe faterentur : addimus depoſitos haud minùs pro Regibus agentes, à Pontifice quoque fuiſſe agnitos : ut excommunicatio, prout revera eſt, res ſeria & gravis ; depoſitio verò tanquam vana nullumque effectum conſecuta, ac per ſe ipſam nulla haberetur, quantâcunque pompâ in ſpeciem prolata.

CAPUT XX.

HENRICI VI. FRIDERICI *filii excommunicatio ſine depoſitione per* CÆLESTINUM III. *Item* PHILIPPI AUGUSTI *Regis Francorum, ob repudiatam uxorem per* INNOCENTIUM III. *Item depoſitio* OTHONIS IV. *Imperatoris per eundem* INNOCENTIUM : *bella atrocia, harum depoſitionum appendix.*

HENRICUS VI. Imperator Friderici I. filius, quòd Regem Angliæ Richardum Hieroſolymis à ſacro bello redeuntem carcere tenuiſſet, anathemate condemnatus à Cæleſtino III. & contumaciter obſurdeſcens,

Baron. an. 1193. 1197. vid. tom. x. Conc. pag. 1768.

placidè tamen regnavit, neque eſt depoſitus. Ejus cadaver juſſu Pontificis inſepultum manſit, quoad Richardo Regi de redemptionis pretio ſatisfactum eſſet.

* Ingeburgâ Daniæ Regis filiâ. ** Nempe Agnetê Meraniæ Ducis filiam. Rigord. in Phil. Aug. an. 1193. tom. v. Duch.

Anno 1199. quòd Philippus Auguſtus Rex Franciæ, pulſâ uxore, * aliam ſuperduxerit, ** juſſu & autoritate Innocentii III. *tota Philippi terra Eccleſiaſtico interdicto ſubdita eſt*; cui interdicto deferentes Epiſcopos magnis Rex incommodis affecit. Idem poſteà, Eccleſiæ de injuſto divortio, Epiſcopis etiam de injuriis ſatisfecit, magnâque omnium lætitiâ, *interdicti ſententia relaxata eſt.* At cùm per annum ferè integrum tenuerit, nemo interim de obedientiâ denegandâ, de deponendo Principe nemo cogitavit; neque Franci talia admittebant.

* Monachus S. Dionyſii. Ibid. an. 1210. Nauc. tom. xj. Conc. p. 56.

Idem Innocentius III. Othonem IV. Imperatorem, quorumdam Appuliæ oppidorum & Siciliæ invaſorem, anathemate primùm, deinde depoſitione affecit. Quæ Rigordus noſter, * ejus ævi ſcriptor, eumque ſecutus Joannes Nauclerus accuratiſſimè diſtinxerunt; nihil ut ſit certius quàm depoſitionem ab excommunicatione ſejunctam. Quâ depoſitione, ut & aliis præcedentibus, bella atrocia commota ſunt, atque inter Othonem, & Fridericum II. multo ſanguine decertatum eſt.

CAPUT XXI.

Poſt Imperatores hactenùs depoſitos, primus aliorum Regum, JOANNES SINE TERRA *Anglus, ab* INNOCENTIO III. *depoſitus, Regno ſedi Apoſtolicæ tradito reſtitutus; quæ ſedis Apoſtolicæ odio & contemptui vertunt.*

Matt. Par. Hiſt. Angl. an. 1207. p. 222. 223. vid. Rap. Thoyr. lib. viij.

HACTENUS Romani Pontifices Imperatores ſolos, Regeſque Germaniæ atque Italiæ depoſuerant, quos peculiari titulo obnoxios ſibi eſſe putabant. Primus omnium Innocentius III. alios quoque Reges deponere aggreſſus, ducto initio ab Angliæ Rege, miſero illo Joanne qui *ſine terrâ* dicitur. Is, juſſu Papæ, electum Cantuarienſem Archiepiſcopum Stephanum de Langetune, Presbyterum Cardinalem, doctrinâ, moribuſque conſpicuum nolebat admittere. Cantuarienſeſque Monachos, penes quos electio erat, Pontifici obſecutos, ut Majeſtatis reos exagitabat. Grave id Pontifici viſum. Cœptum ab interdicto eſt; denunciatumque Regi per Legatos Apoſtolicos, *ut ſi per hoc pertinaciam ſuam non duceret corrigendam, ipſe* (Pontifex) *manum adhibere curaret graviorem.*

Matt. Par. an. 1208. p. 226.

Ibid. an. 1209. pag. 228.

Rex, propter interdictum, in Anglos ac Romanos in Angliâ verſantes, diris indigniſque modis ſæviit. *Poſt continuatam per biennium perſecutionem graviſſimam, decretum à Pontifice nominatim excommunicari Regem, & ab omnibus evitari*; quæ ſententia, licèt ab Epiſcopis Regem metuentibus promulgata non eſſet, omnium tamen *ora repleverat.*

Rex conſueto more ac jure regnabat; neque quidquam Pontifex de eo deponendo decreverat aut etiam interminatus erat. At anno 1212. jam totâ in Regem commotâ Angliâ, præcipuis Epiſcopis Anglicanis id poſtulanti-

bus, Innocentius definivit: *Ut Rex Anglorum Joannes à ſolio Regni deponeretur, & alius, Papâ procurante, ſuccederet. Ad hujus ſententiæ executionem ſcripſit potentiſſimo Regi Francorum Philippo, quatenus, propter omnium remiſſionem peccaminum, hunc laborem aſſumeret, & Rege Anglorum à ſolio Regni expulſo, ipſe & ſucceſſores ſui Regnum Angliæ jure perpetuo poſſideret.* Hîc ergò videmus non modò deturbatum Regem, ſed etiam domum Regiam, Joanniſque liberos etiam innocuos; & ampliſſimum Regnum privatum eſſe jure eligendi ſibi Principes; & ad extraneos tranſlatum Imperium, Pontificio juſſu. Quis hæc congerendis quàm ſolvendis peccatis aptiora eſſe neget? Ibid. an. 1212. pag. 232.

At enim objiciunt, huic decreto Francorum Regem Philippum paruiſſe, ac Pontificiam in deponendis Regibus agnoviſſe poteſtatem. Certè, qui per eam occaſionem, eoque decreto, Angliam ſuo Regno infenſiſſimam occupare conaretur. Quanti autem hæc exempla valeant, & omnes per ſe vident; neque eo tempore ignorabant; cùm Comes Flandriæ * Regem ad bellum ſequi juſſus, id etiam objecerit: *Fuiſſe injuſtum idem bellum, quod ad debellandum Regem Anglorum ſuſceperat; cùm nullus anteceſſorum ſuorum jus hactenus ſibi aliquod in Regno Angliæ vendicâſſet*: adeò hi tituli regnandi vani habebantur.

* Ferdinandus Sanctii Luſitaniæ Regis filius.

Poſteaquàm Joannes Rex miſerrimus, atque haud minùs contemptus quàm deteſtatus, ſuis tantam vim à vicinis Francis ac Rege victorioſiſſimo imminere vidit; Innocentio III. ejuſque ſucceſſoribus Regnum Angliæ tradidit, quod ipſe à Pontifice ſub *homagii ligii* fide reciperet. Quid multa? Continuò Joannes Regno reſtitutus; ab Innocentio in Barones perduelles anathemata vertuntur, atque in Philippum ipſum, niſi bellum incœptum ſtatim omitteret. Sed Barones in propoſito pergunt, Ludovicum Philippi filium Regem pronuntiant; id in Joanne maximè deteſtantur, quòd Regnum nobiliſſimum *chirographo æternæ ſervitutis obligâſſet.* At ex illâ ſervitute Joannes id commodi referebat, ut Baronibus, bellorum neceſſitate initiſque fœderibus multa pollicitus, multa largitus, ea omnia, tanquam ſine Romani Pontificis ſupremi jam ſui Domini autoritate conceſſa, facilè revocaret. Nec deerat Innocentius, qui promiſſa ac donata reſcinderet. Interim Ludovicus mare trajecit, nihil deterritus excommunicatione, quæ profectò humanis jam intentata ac ſoluta conſiliis, piis quoque, quorum numero fuit Ludovicus, proh dolor! ſæpe contemptui erat; ac vana tantùm ſuffugia quærebantur. Et quidem Ludovici cauſa coram Innocentio acta. (p) Objectum eſt inter cætera, decretum Concilii Late-

Ibid. an. 1213. pag. 236.

Ibid. an. 1215. vid. Chart. Joã. Spicil. tom. v. pag. 574. & Concil. tom. viij. p. 554.

(p) *Ludovici cauſa coram Innocentio acta.*] Obſervandum eſt Ludovici Oratores nunquam dicere, *quod ille haberet jus de Regno Angliæ, quia Joannes à ſolio depoſitus fuerat, Papâ procurante*, ut Matthæi Pariſienſis verbis utar. Hoc enim argumentum non ſatis tutum firmumque eis videbatur. At verò dicunt; poſtquàm Joannes morte damnatus eſſet a Baronibus Franciæ, & de ſolio dejectus propter varia crimina ab ipſis Angliæ Baronibus, jus occupandi Regni Ludovico veniſſe, non modo, quia Rex Anglorum electione renuntiatus fuerat; ſed etiam hæreditario jure Blanchæ è Caſtellâ ejus uxoris. Addebant Joannem, qui Rex non eſſet, ſummo Pontifici Angliæ Regnum dare non potuiſſe; cùm Rex quoque id non poſſet, niſi Baronum conſenſus accederet; unde concludebant: Joannem, ſuo donationis diplomate, Regnum quidem non dediſſe; ſed ſemetipſum exauctorâſſe; neque deinceps eſſe in illius poteſtate dignitatem Regiam recuperandi. Vid. D. FLEURY & eos quos allegat. Adi quoque RAPIN THOYRAS lib. viij.

ranenſis III. generalis, quod tamen non extat. (q) Oratores, Ludovici nomine, reſpondebant : *Quòd tempore lata ſententia Dominus Papa neſciebat quòd Ludovicus haberet jus de Regno Angliæ, & cùm hoc illi conſtiterit, non credit quòd Concilium poſſit ei jus ſuum auferre.* Sic ſanè, ut poterant, in Curiâ Romanâ, Regum jura ab Eccleſiaſticâ poteſtate libera tutabantur. Denique morte Joannis finita controverſia eſt. Tunc odia Anglorum concidere; in Henricum Joannis filium converſa omnium ſtudia, atque in Ludovicum odia; ac tunc metui cœpit excommunicatio, cùm vires undique defuêre. In hæc miſera & infanda Eccleſiam induxerunt, qui partem tantam Apoſtolicæ poteſtatis, in temporalibus ordinandis ſeu potiùs ſubvertendis, peſſimo conſilio collocârunt. Hæc verò utcumque excuſare libeat, tanquam bono animo, per hujus ætatis imperitiam, à bonis etiam Pontificibus geſta, ut ſæculum ſæculo repercuterent; tamen colere non poſſumus, quæ nunquam à Chriſto, aut Apoſtolis, Patribuſque prodita, tam infauſtis ſucceſſibus prodierunt.

Matt. Par. an. 1216. p. 285.

CAPUT XXII.

Refertur caput, Novit, *extra. de judiciis : hujus edendi occaſio ; nihil ad rem : interpretatio neceſſaria.*

PER ea tempora * Innocentius III. multùm laboravit in componendâ pace inter Francos & Anglos, ut deinde in Infideles arma converterent. Pontifice digna res! Novum illud, quòd pro poteſtate pacem vel inducias Regibus imperaret. Grave id Gallicanis Epiſcopis viſum ; *& Regem excuſabant, Papam rogantes, ut non læderet juriſdictionem Regis Francorum* : at graviter redarguti ſunt ab Innocentio, datâ ad eos epiſtolâ, cujus initium eſt : *Novit ille* extra. de judiciis. Summa epiſtolæ eſt, non *ſe judicare de Feudo*, cujus judicium ad Regem pertinet ; *ſed decernere de peccato, cujus ad nos*, inquit, *pertinet ſine dubitatione cenſura* : hinc coërceri à ſe poſſe qui pacem abrumpant, præſertim juratam ; cùm Eccleſiæ ſit *de juramenti religione cognoſcere.* Quæ quidem nihil ad hanc quæſtionem pertinent, cùm non agat Innocentius de Regibus metu depoſitionis coërcendis, quod unum quærimus ; vanique omninò ſunt & à quæſtionis recedunt ſtatu, qui hæc objiciunt. Sed tamen ſi ad extremum urgeantur, jam decernant Epiſcopi ac præſertim Romanus Pontifex, non tantùm de bello ac de pace, quod ipſum per ſe eſt graviſſimum & Regii officii pars maxima ; ſed etiam de militiâ, de judiciis, de Magiſtratibus, de Feudis etiam, quorum cognitionem à ſe Innocentius amoverat ; cùm in his omnibus juramenti religio interveniat ;

* An. 1199.

Nicol. Trivet. Chron. Spic. tom. viij. p. 531. Ext. Greg. ix. lib. ij. tit. j. cap. xiij.

(q) *Quod tamen non extat.*] Extat in Concilio Lateranenſi iv. his verbis ; *Statuimus ut ſaltem per quadriennium... diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter obſervandam ; & qui acquieſcere fortè contempſerint, per excommunicationem compellantur.* tom. xj. Conc. part. j. p. 232. 233.

niat; ac ſi ab aliis rebus juramentum abſit, non abeſt certè peccatum; quo nomine, privata omnia & publica ad poteſtatem Eccleſiæ revocentur. Quare hæc Innocentii vel emolliant neceſſe eſt, interpretatione commodâ, ac modum aliquem adhibeant, vel omnia Imperiorum jura confundant.

Id Philippus Auguſtus ſenſerat, cùm olim * Legato Clementis III. minitanti: *Niſi Rex Franciæ, & Comes* ** *Richardus* *** *cum Rege Anglorum* (Henrico II.) *componerent, fore ut terras eorum ſub interdicto concluderet; reſpondit ſe illius ſententiam nullatenùs formidare, cùm nullâ æquitate fulciretur. Addidit etiam ad Epiſcopum Romanum minimè pertinere in Regem aliquem, maximè Francorum, per ſententiam animadvertere, ſi Rex idem in* HOMINES *ſuos, dementes & Regno ſuo rebelles, ulciſcendi causâ inſurgere diſpoſuerit.* Sic in ſæculis etiam ineruditis, Reges noſtri, & majeſtatem intelligebant ſuam, & pro virili parte tuebantur. Itaque his minis nihil Clemens III. nihil Innocentius III. profecêre. De peccato cognoſcat Romanus Pontifex, legitimo, canonicoque ordine, ubi grave facinus evidenter injuſtum, notorium, neque ullâ tergiverſatione celandum, vel, ſi velint, claris probationibus certum: tunc excommunicationem tantùm, idque adhibitâ Chriſtianâ prudentia, non autem depoſitionem comminetur. Ut autem peccati nomine, Regnorum jura, ambiguaſque bellorum cauſas, & Imperiorum arcana ad ſe trahat, ne ipſe quidem velit. Cæterùm in foro conſcientiæ, ubi habemus confitentem ac pœnitentem reum, quo pacto quæcumque peccata ſunt, etiam in temporalibus (ſive illa ſint ambigua, ſive certa, ſive publica, ſive occulta) clavibus Eccleſiæ ſubdantur, quatenùs quidem peccata ſunt, nemo ſanus objiciet: neque ad rem ullo modo pertinet. Quod propter tardiores, aut cavillatores monitum eſſe volumus.

* An. 1188.

** Pictavienſis.

*** Filius Henrici ij. Regis Angliæ ac deinde ejus ſucceſſor.

Matt. Par. an. 1188.

CAPUT XXIII.

BONIFACII VIII. *cum* PHILIPPO III. PULCHRO, *Francorum Rege diſſidium: acta* BONIFACII *reſciſſa à* CLEMENTE V. *Rex omneſque Regni Ordines, Regni in temporalibus tuentur independentiam.*

HIC temporum ratio poſtulabat, ut de Friderico II. ageretur; ſed quandoquidem novo exemplo in Concilio generali eſt depoſitus; in eoque negotio, de Concilii generalis autoritate multa mentio fuit, totam rem eò remitti placet, ubi de iis quæ in Conciliis circa temporalia ordinanda geſta ſunt, differemus. Properamus ad alia, neque tamen animus eſt explorare omnia quibus Pontifices uſurpatam ſemel temporalem poteſtatem exercere aggreſſi ſunt. Poſteaquàm enim Orbis Chriſtianus his aſſuefactus eſt, non defuêre Reges ac Principes, qui hunc cupiditati & invaſioni titulum obtenderent; placebatque jactare in vulgus, Sedi Apoſtolicæ obſecutos; dum fœdæ cupiditati morem gererent. Cæterùm ſeditiones ac bella atrocia ſequebantur; quo metu factum eſt, ut hæc reformidarent omnes; & magno

Inf. lib. iv. cap. vj.

terrori fuit, quòd his decretis, ſi non dari Regna, ſaltem perturbari poſſent. Quæ poſtquam generatim diximus, ea tantùm ſigillatim referemus, quæ ad hanc elucidandam quæſtionem aliquid ſingulare præferre videantur; qualia ſunt impſimis ea quæ ſub Bonifacio VIII. contigerunt.

Eo Pontifice nullus unquam graviùs à Gregorii VII. temporibus conculcavit Imperia: quo nomine non tantùm apud noſtros, quos acerrimè aggreſſus eſt; verùm etiam apud exteros malè audivit. Teſtis Joannes Hoc-
Hocſ.Hiſt. Epiſc.Leod. cap. xxix. ſemius Canonicus Leodienſis, ejus ævi ſcriptor: *His*, inquit, *temporibus, Bonifacius animoſè nimis omnia facta ſua expediebat pro libito, nec fratrum ſuorum conſilia ſequebatur, & quia videbat quòd propter potentiam Regni Franciæ, ſuam non poterat exequi voluntatem, & conſiderans Regis Formoſi ſimplicitatem, eò quòd totum Regni regimen à ſuis Conſiliariis dependebat, ad Regis & Regni humiliationem pro viribus nitebatur.* Haud longè abſimilia Joannes
Vill. hiſt. pag. 180. Villanus Italus prodidit. Alii ab eodem multa ſuperbiſſimè atque arrogantiſſimè dicta geſtaque commemorant. Manavit ea opinio ad poſteros.

Plat. vit. Bonif. viij. pag. 233. edit.Colon. 1626. Platina Italus hiſtoriæ Pontificiæ ſcriptor nobilis: *Moritur Bonifacius, qui ſemper Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potiùs quàm religionem injicere conabatur; quique dare Regna & auferre, pellere homines & reducere pro animi arbitrio conabatur.... Diſcant hujus exemplo Principes omnes tam religioſi quàm ſæculares, præeſſe Clero & populis, non ſuperbè & contumelioſè, ut hic, de quo loquimur, ſed ſanctè & modeſtè, ut Chriſtus Rex noſter ejuſque diſcipuli.*

Huic adversùs Regna, præſertim verò adversùs Francos gravia molienti, Philippus III. Pulcher appellatus, acerrimi ingenii atque animi Rex Francorum, Francique omnes, Principes, Nobilitas, plebs, Clerus ipſe magnâ conſenſione vehementiſſimè obſtiterunt. Quæ per vim facta ſunt adversùs
Rain. an. 1311. n. 36. Hiſt. du differ. pag. 597. Pontificem, lacrymis proſequenda, neque Rex probavit, hujuſque ſceleris inſons, Pontificio quoque judicio pronuntiatus eſt; & nos ſilentio prætérimus. Quæ ad illud quod tractamus doctrinæ caput pertinentia utrinque prolata ſunt, exequemur, prout ea apud Odoricum Rainaldum Baronii continuatorem, Annalium XIV. & XV. tomis legimus, & in editione Pariſienſi anni 1655. hiſtoriæ hujus diſſidii ex Regeſtis regiis diligentiſſimè colliguntur.

Cæterùm cùm Bonifaciana decreta, quoad hoc negotium attinet, Clementis V. partim antiquata autoritate, partim temperata, partim ex Regeſtis tolli juſſa, ac reverâ ſublata & deleta in Regeſtis Vaticanis ab Odorico Rainaldo reperta ſunt: nos ubi ea decreta ex temporum ſerie referemus, ſuam cuique apponemus notam, ut lector veritatis amans, & quid decretum ſit, & quo loco habendum uno intuitu complectatur.

Hiſt. &c. pag. 300. Rain. an. 1311. n. 26. & ſeq. Ac ne quis exiſtimet hæc, quæ à Rainaldo ex Regeſtis deleta reperta ſunt, privatis fortè conſiliis fuiſſe ſublata, præmittimus Clementis V. decretum, in Bullâ quæ incipit, *Rex gloriæ*, quæ quidem ab Odorico Rainaldo, omiſſâ tantùm præfatione, deſcribitur. Sic autem decernit Clemens: *Nos, eorum quæ tantis periculis atque malis cauſam & occaſionem dediſſe noſcuntur, volentes abolere memoriam... ſententias, conſtitutiones, declarationes, privilegiorum revocationes, ſuſpenſiones, excommunicationes, interdicta, privationes, depoſitiones, & proceſſus prædictos, de libris capitularibus, & Regiſtris*

Digitized by Google

Eccleſiæ Romanæ, de fratrum noſtrorum conſilio omninò tolli & penitùs mandavimus amoveri.

Extat etiam apud Odoricum Rainaldum authentica declaratio ipſi Regeſto Bonifaciano inſerta, quâ hæc omnia juſſu Clementis V. eraſa eſſe conſtat. Quæ autem potiſſimùm Bonifacii decreta Clemens V. antiquavit & revocavit, docet ipſe Rainaldus ex manuſcriptâ hiſtoriâ Bernardi, quæ in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervatur. Hæc enim verba hiſtorici refert: *In Kal. Feb. duas conſtitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam quam direxerat Regi Franciæ, in quâ ſcribebat eidem, ipſum Regem eſſe ſubjectum Romanæ Eccleſiæ in temporalibus & ſpiritualibus; aliam verò, quæ incipit:* CLERICIS LAICOS, *revocavit, & omnia quæ ex ipſis conſtituta.* Jam poſtquam univerſim rerum formam delineavimus, ſingularia geſta aggredi placet. Rain. an. 1301. n. 31. Bernard. Chron. ap. Rain. an. 1306. n. 1.

Diſſenſionis exordium, aut maximum fuit incentivum celebris illa anno 1296. Bonifacii VIII. edita conſtitutio invidioſiſſimo exordio: *Clericis Laicos infeſtos oppidò prodit antiquitas.* Hâc vetat Bonifacius, ſub anathematis pœnâ, ne quid in Regnorum & Reipublicæ ſubſidium, aut Principes exigant à Clericis, aut Clerici ſolvant ſine Sedis Apoſtolicæ licentiâ. Hiſt. &c. p. 14.

Commotum eâ re Philippum ſignificat Bulla, *Ineffabilis*, ad ipſum eodem anno directa; ſed Bonifacius ſuam ſententiam ſic temperat: *Non præcisè ſtatuimus pro defenſione vel neceſſitatibus tuis, vel Regni tui, ab iiſdem Prælatis Eccleſiaſticiſque perſonis, pecuniarum ſubſidium non præſtari; at adjecimus, id non fieri abſque noſtrâ licentiâ ſpeciali.* Ib. p. 15.

Neque explicatio placuit, parum ut videbatur publicis neceſſitatibus conſulens. Quin anno ſequente, ipſe Bonifacius dato diplomate declaravit: cùm *neceſſitas immineret, peti ac recipi* ab Eccleſiaſticis poſſe pecunias, quas etiam, Pontifice Romano inconſulto, *impertiri teneantur*, atque ut *neceſſitatis declaratio, Regis & ſucceſſorum ſuorum conſcientiis relinquatur.* Ib. p. 40. Rain. an. 1297. n. 50.

Quid autem neceſſe erat talia invidioſiſſimè commoveri, ut deindè Regum permitterentur arbitrio? Denique Clemens V. id Bonifacii decretum, omniaque ex eo ſecuta, antiquavit & haberi voluit pro *infectis*, editâ Bullâ, cujus initium eſt: *Quoniam ex conſtitutione.* Preuv. du Diff. pag. 287.

Eodem anno 1296. Philippus vetuit *aurum, argentum, pecuniam, victualia, arma, equos, munimenta, à quocumque, cujuſcumque dignitatis ac nationis, à Regni limitibus, ſine ſuâ ſpeciali licentiâ deferri*; ut his Regnum afflueret, neque *inimici augmentarentur.* At Bonifacius Bullam, *Ineffabilis*, ad ipſum Regem dirigit, quâ fatetur interdùm id utile, ne civibus neceſſaria ſubtrahantur, eaque ad hoſtes tranſeant: *Sed*, inquit, *ſic generalem proferre ſententiam, ut tuliſti, non ſolùm reprobatur in ſubditos, ſed etiam in exteros cujuſlibet nationis.* Tùm addit: *Et ſi, quod abſit, fuerit condentium intentio, ut ad nos & fratres noſtros Eccleſiarum Prælatos, Eccleſiaſticaſque perſonas, & ipſas Eccleſias, & noſtra & ipſorum bona, non ſolùm in Regno tuo, ſed etiam conſtitutorum ubilibet extendatur: hoc non ſolùm fuiſſet improvidum, ſed inſanum, velle ad illa temerarias manus extendere, in quibus tibi ſæcularibuſque Principibus nulla eſt attributa poteſtas. Quin potiùs ex hoc, contra libertatem eandem temerè veniendo, in excommunicationis ſententiam promulgati canonis incidiſſes.* At non puto quemquam eſſe Pontificiorum dicto- Ib. p. 13. Ib. p. 15.

rum tam protervum defenſorem, qui tueri hæc audeat : improvidum, inſanum ac anathemate plectendum eſſe facinus, ſi Princeps prohibeat ne ab Eccleſiaſticis res tam neceſſariæ, ſine Regiâ licentiâ extra Regnum tranſportentur. Qui verò ſic defendunt Eccleſiaſticam libertatem, profectò non defendunt; ſed Regnis invidioſam ac noxiam reddunt; Clericoſque, non cives, ſed propemodùm hoſtes, atque omnibus graves, inviſoſque faciunt. Quare Philippus ab edicti ſui gravitate & autoritate non receſſit.

Ib. p. 17. Neque commotus eſt his Bonifacii minis : *Cogita & repenſa Romanorum, Angliæ & Hiſpaniæ Regna, quæ undique te circumſtant, eorumque potentias ac ſtrenuitatem & multitudinem incolarum, & patenter agnoſces, quòd non ſit tempus acceptabile, non dies ſalutis in diebus iſtis, nos & ipſam Eccleſiam talibus perturbare puncturis. Nec revocare debuiſſes in dubium, quòd noſtri & Eccleſiæ adjutorii & favoris ſola ſubtractio, in tantùm te debilitaret, ac tuos, quòd, ut cætera tua omittamus incommoda, perſecutiones adversùs ferre non poſſes; ac ubi nos & eandem Eccleſiam tibi adverſarios conſtitueres principales, adeò noſtra & ejuſdem Eccleſiæ & aliorum prædictorum provocationis tibi ſarcina gravior redderetur, quòd ad ejus pondus tui efficerentur humeri impotentes.* Ac poſteà : *Quid ergò tibi accideret, ſi, quod abſit, Sedem ipſam offenderes graviter, eamque hoſtium tuorum conſtitueres adjutricem; quin potiùs contra te faceres principalem?* Judicet lector Pontificiumne ſit ac paternum, Catholico Regi Regium officium fortiter ac innoxiè executo, neque quidquam contra religionem aut Eccleſiam molienti, hæc intentare, commovere adversùs eum Reges, ſe præbere *adjutorem*, imò *adverſarium principalem*.

Ib. p. 18. Neque erat levius, quòd ſubortis Philippo cum Romanorum atque Angliæ Regibus controverſiis, Bonifacius ſic ſcriberet : *Numquid ſuper iis dicti Reges denegant ſtare juri? Numquid Apoſtolicæ Sedis, quæ Chriſti-colis omnibus præeminet, judicium vel ordinationem recuſant? Dumque in eos ſuper iis peccare te aſſerunt, de hoc judicium ad eandem Sedem non eſt dubium pertinere.*

Ib. p. 23. & 84. Ad hæc reſpondet Philippus oblatum à ſe eſſe ut Reges ſtarent arbitris; ac poſteà de controverſiis cum Rege Anglo *compromiſit in ſummum Pontificem*, ſed *tanquam in privatam perſonam, ac Benedictum Cajetanum*, quod erat Pontificis nomen proprium ac gentilitium. Hoc enim expreſsè additum, ne Pontificiæ poteſtatis nomine, hoc ad ſe judicium neceſſariò deferendum putaret; quod quidem arbitri officium eâ conditione Pontifex ipſe ſuſcepit.

Ibid. pag. 41. Rain. an. 1298. n. 2. Cùm autem anno 1297. Franciæ atque Angliæ Regibus * ſub excommunicationis pœnâ treugas ſeu inducias indixiſſet, Legatique eâ de re Bonifacii ad Philippum literas attuliſſent; quid ille reſponderit, & in vulgus ſpargi juſſerit, Legati teſtantur ſic : *Cùm dictas literas præſentaremus dicto Regi legendas, idem Rex in continenti, antequàm literæ eæ legerentur, nomine ſuo & ſe præſente, fecit exprimi & mandavit in noſtri præſentiâ proteſtationes ejuſmodi, & alia quæ ſequuntur : videlicèt, regimen temporalitatis Regni ſui ad ipſum Regem ſolum, & neminem alium pertinere; ſeque in eo neminem ſuperiorem recognoſcere nec habere; nec ſe intendere ſupponere vel ſubjicere modo quocumque viventi alicui, ſuper rebus pertinentibus ad temporale regimen Regni.* Ac poſteà : *Quatenùs autem ipſius Regis tangit animam, & ad ſpiritualitatem attinet, idem Rex prædeceſſorum ſuorum ſequens veſtigia, paratus eſt mo-*

* Atque etiam Regi Romanorum. Hiſt. &c. p. 28.

nitionibus & præceptis Sedis Apoſtolicæ devotè ac humiliter obedire, in quantùm tenetur & debet, & tanquam verus & devotus filius Sedis ipſius, & ſanctæ matris Eccleſiæ reverentiam obſervare. Sic ſua tuebatur, nec Sedi Apoſtolicæ, cujus autoritate res Eccleſiæ ſtant maximè, quidquam derogabat.

Anno 1301. paſſim circumferebantur breviſſimæ Bonifacii ad Philippum, & Philippi ad Bonifacium literæ omnibus notæ. Bonifacii epiſtolæ tale eſt initium: *Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes.* Ib. p. 44.
Quæ ne in præjudicium traherentur, *die Dominicâ poſt octavam Purificationis beatæ Mariæ* 1301. *Rex Franciæ fecit comburere Bullam Papæ, in medio omnium nobilium & aliarum perſonarum, quæ erant eâdem die Pariſiis, & cum trompis fecit combuſtionem hujus Bullæ per totam villam Pariſiis præconiſari: item à die Veneris antè diem Dominicam erant elapſi quindecim dies, quòd idem Rex condemnavit filios ſuos in præſentiâ totius Curiæ ſuæ, & Procerum omnium, qui erant præſentes, ſi advoharent ab aliquo vivente, niſi ſolummodo à Deo Regnum Franciæ.* Ib. p. 59.

Quòd ergò Regia poteſtas, alteri quàm Deo in temporalibus ſubjici diceretur, id non modò Regi, ſed etiam univerſæ genti adeò intolerabile viſum, ut nullâ unquam in re fuerit omnium Ordinum tanta conſenſio. Eâ de re conſultus Petrus De Boſco Regius advocatus, ita reſpondebat: *Quòd Papa ſic ſcribens & intendens ſit, & debeat hæreticus reputari*; neque tantùm miniſtri Regis hæc Pontificis cogitata adverſabantur, ſed etiam graviſſimi hujus ætatis Theologi ſcriptis editis confutabant; ac ne jam privatos appellemus, Franci Principes, Duces, Comites, Barones, nobiles, in iis actis quæ ad Cardinalium Collegium ediderunt, illud horruerunt, quod exprobrabant à Bonifacio dictum: *Regem in temporalibus ſubjectum ipſi eſſe propter Regnum Franciæ, cùm Reges Francique omnes ſemper dixerint, omnibuſque ſit notorium, id Regnum in temporalibus ſoli Deo ſubdi.* Ib. p. 45. Ib. p. 60.

Huic conteſtationi eodem anno Clerus univerſus aſſentitur, datis ad Bonifacium literis, ſub hoc titulo: *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores Conventuales, Decani, Præpoſiti, Capitula, Conventus, atque Collegia Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum Regularium, & ſæcularium totius Regni Franciæ Pariſiis congregati*; teſtanturque ad tuendam Regis in temporalibus ſupremam poteſtatem *ſe adfuturos eidem, debitis conſiliis atque auxiliis opportunis.* Ib. p. 67.

Quod ipſum poſteà anno 1303. luculentiùs declarant. Cùm enim à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium Œcumenicum Rex & Barones appellarent, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates præcipui in appellationem conſentiunt, atque hæc inſuper addunt: *Nos dicto Domino Regi, & Baronibus, ac ſibi aſſiſtentibus aſſiſtemus, & ſecundum Deum pro viribus defendemus, nec nos ſeparabimus ab iiſdem, nec abſolutionibus à juramentis fidelitatis, vel aliis quibuſcumque relaxationibus, indultis & indulgendis, impetratis, vel impetrandis, vel ultrò oblatis, vel offerendis, vel concedendis, utemur: imò ſemper eidem Domino Regi, Baronibus & adhærentibus adhærebimus.... jure Romanæ Eccleſiæ, noſtroque & Eccleſiarum noſtrarum in omnibus & per omnia ſemper ſalvo.* Ibid. pag. 112. 113.

Quæ appellationem ad Concilium ſpectant non ſunt hujus loci. Hic vi-

diſſe ſufficiat, conſentire omnes Regni Ordines in eam ſententiam, Regem in temporalibus ſoli Deo ſubeſſe, atque etiam ſpeciatim Prælatos profiteri, nullis ſe ſententiis aſſenſuros quibus à fidelitate Regi debitâ abſolvantur. Cogitet nunc lector diligens, an hæc Majoribus noſtris tam gravia viſa, indirectæ poteſtatis diſtinctiunculâ emolliri poſſe videantur: noſtri certè non voces, ſed rem ipſam judicabant intolerabilem.

CAPUT XXIV.

Bullæ, Auſculta fili, *&*, Unam ſanctam; *expenduntur.*

NON deſunt qui dubitent, verane an falſa ſit parva ea epiſtola Bonifacii VIII. quam anno 1301. toto Regno divulgatam, eodemque tempore confutatam à tot gravibus viris, Regiâ quoque autoritate combuſtam vidimus. Verum id nihil noſtrâ intereſt, dummodo apud nos conſtet, omnibus curæ fuiſſe, ne apud Francos doceretur, Regem in ſpiritualibus ac temporalibus Papæ ſubeſſe. Sanè Bonifacium id ſibi vindicâſſe, & hiſtorici hujus ævi ſu-
Ib. p. 48. prà memorati, & certa monumenta probant, imprimis Bulla, *Auſculta fili*,
* à Jacobo *de Normandis* Archidiaco Narbonenſi. quam ad Philippum anno 1301. perlatam eſſe conſtat, * & Bulla, *Unam ſanctam*, quas nunc perpendere nos oportet.

Ergò Bonifacius in Bullâ, *Auſculta fili*, poſtquàm ex Jeremiæ verbis id ſibi tribuit, *conſtitutum eſſe ſe ſuper gentes, & regna*, ſic concludit: *Quare nemo tibi ſuadeat quòd ſuperiorem non habeas, & non ſubſis ſummo hierarchæ
Ibid. pag. 48. 54. Eccleſiaſticæ hierarchiæ.* Id quidem à Philippi mente longè aberat, ſi de ſpi-
Jerem. j. 10. ritualitate ageretur. Audivimus enim Regem pio ſtudio hanc obedientiam profeſſum; ſed Bonifacius aliò ſpectabat. Accuſatâ enim Regis adminiſtratione perverſâ tam in rebus temporalibus quàm Eccleſiaſticis, ſignifica-
* 1. Nov. Hiſt. &c. p. 50. 51. bat evocatos eſſe Romam ad diem certum * nempe totius Regni *Archiepiſcopos & Epiſcopos, unà cum Abbatibus, Capitulíſque Eccleſiarum, & Magiſtris in Theologiâ, & jure Canonico; ut*, inquit, *ſublatâ repentinâ exceptione conſilii, cum iis, ſicut cum perſonis apud te omni ſuſpicione carentibus, quin potiùs acceptis, & gratis.... tractare conſultiùs, & ordinare ſalubriùs valeamus, quæ ad præmiſſorum emendationem.... ac bonum, & proſperum regimen ipſius Regni videbimus expedire.* Invitabat deinde Regem ut fidos viros mitteret per quos deliberationi intereſſet. *Alioquin*, inquit, *tuam, & ipſorum abſentiam divinâ replente præſentiâ, in præmiſſis, & ea contingentibus, ac aliis, prout expedire videbitur, procedemus.* Quæ ſi valuiſſent, ac de Regni regimine Romanus Pontifex Romæ, Rege, ſive abſente ſive præſente, decerneret, nempe regnaret Pontifex: ipſe Rex nudum Regis nomen obtine-
Vid. Rain. tom. xv. ret: quæ abſurda & nimia teſtatur Odoricus Rainaldus eraſa, & expuncta Clementis V. juſſu fuiſſe, neque ex his Bonifacii literis quidquam integrum remanſiſſe in actis, præter ea quibus Regem ad Hieroſolymitanam expeditionem adhortatur.

Sed quamquam hæc Regi vehementiſſimè diſplicebant, non ibi tamen conſtitit Bonifacius, Anno enim 1302. edidit illam celebrem extravagan-

tem, *Unam ſanctam*, in quâ duo à nobis diligentiſſimè ac ſubtiliſſimè ſecerni oportet: primùm, id quod exponit Pontifex: alterum, id quod definit ac decernit: hæc enim non ejuſdem virtutis eſſe & ſæpè diximus & omnes confitentur. Expoſitionis autem hæc ſumma eſt: *Unam Eccleſiam eſſe: unum ejus caput Chriſtum Chriſtique vicarium Petrum ac Petri ſucceſſorem: duos eſſe gladios, ſpiritualem ſimiliter & materialem: hunc etiam Petri eſſe, dicente Domino:* CONVERTE GLADIUM TUUM IN VAGINAM; *ſed Regum, & militum manu exerendum: tum gladium eſſe ſub gladio, & temporalem autoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati, cùm* QUÆ A DEO SINT, ORDINATA SINT; *neque ordinata futura eſſe, niſi ſecundum beatum Dionyſium inferior reduceretur per alium in ſupremâ.* Addit poſtea: *Veritate teſtante, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet & judicare, ſi bona non fuerit, ut inde verificetur illud Jeremiæ:* TE CONSTITUI SUPER GENTES ET REGNA: *quare ſi deviat temporalis poteſtas, à ſpirituali judicanda, ſi ſpiritualis, minor à ſuo ſuperiori: ſi ſpiritualis maxima, à Deo ſolo, teſtante Apoſtolo:* SPIRITUALIS HOMO JUDICAT OMNIA; IPSE AUTEM A NEMINE JUDICATUR, *quæ quidem ſpiritualis poteſtas maxima Petro eſt tradita his verbis:* QUODCUMQUE LIGAVERIS: QUICUMQUE *igitur, inquit, huic* POTESTATI *à Deo ſic ordinata* RESISTIT, DEI ORDINATIONI RESISTIT, *niſi duo, ſicut Manitheus, fingat eſſe principia, quod falſum & hæreticum judicamus; quia teſtante Moyſe, non in principiis, ſed* IN PRINCIPIO CÆLUM DEUS CREAVIT ET TERRAM. Extra. *de Maj. & obed.* Hiſt. &c. p. 54. & ſeq.

His ergò expoſitis, eò viam ſibi paràſſe videbatur, ut Romano Pontifici omnem poteſtatem eſſe ſubditam, etiam in temporalibus, pro certo fidei dogmate definiret. At profectò non eò uſque proceſſit: hoc enim tantùm habet definitio: *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, diffinimus, & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis;* quod quidem eſt veriſſimum, & apud Catholicos certum, ſi de ſpirituali poteſtate intelligatur: animadvertique hìc volumus audentiſſimum Pontificem, nec id fuiſſe auſum, ut poteſtatem temporalem, licèt in expoſitione ſæpe memoratam, uti ſibi ſubditam in temporalibus, in ipſâ definitione ac determinatione diceret. Quippe cùm in citatiſſimo curſu eo quoque abripiendus eſſe videretur, ut temporalia invaderet, repreſſit ſe ſtatim, rei novitate ac difficultate deterritus, deflexitque ad ea, quæ ſpiritualem poteſtatem certiſſimè ſtabilirent. Ibid.

Dum hæc agebantur, negabat Pontifex, negabant Cardinales à Pontifice dictum unquam, *quòd Rex recognoſceret ſe tenere Regnum ſuum ab aliquo, aut ab Eccleſiâ, aut ab ipſo Pontifice*, neque profectò *homagium* poſtulabat, quæ plana & mera eſſet inſipientia. Sed quid verba proderant, ſi alioquin Pontifex, Regnum, ut apertè præferebat, inconſulto Rege, Romæ ordinaturus eſſet, & ſi ratione peccati omnia ad ſe traheret? Ad hæc frequente Conſiſtorio minaretur, *ſe Regem Philippum depoſiturum, ut unum garcionem:* quin etiam in Bullâ, *Unam ſanctam*, apertè ſcriberet, *quòd ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere haberet ac judicare;* hoc eſt, procul dubio, datâ ſententiâ deponere, quam à ſe inſtitui doceat: quâ ſubjectione nulla erat major, ne quidem in eo quod vocant homagio-ligio? Quid quòd *gladium materialem in poteſtate Pontificis* planè eſſe dicebat, aliâ licèt, *Re-* Hiſt. &c. p. 63. 74. 75. Ib. p. 79.

gum nempe & *militum manu exerendum?* Quæ ſi doctrina valeat, ac jus ſic Pontificibus in bello ac pace tractandi; non jam hortatione, & conſilio, ſed, uti Bonifacius facere aggreſſus erat, ſummâ poteſtate, ac pro imperio agere; nempe Reges nihil aliud quàm Pontificum miniſtri & executores eſſent.

Quare etſi Bonifacius non hoc definire, aut pro certo & Catholico dogmate aſſerere videbatur, grave erat Francis Regique Philippo, hæc, quibus continetur regiæ poteſtatis certa pernicies, Pontificio nomine quocumque modo doceri; impetraruntque à Clemente V. extravagantem, *Meruit*, cujus hæc verba ſunt: *Nos Regi & Regno* (Francorum) *per definitionem ac declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit* unam ſanctam, *nullum volumus vel intendimus præjudicium generari; nec quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati, ampliùs Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quàm antea exiſtebant; ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantùm ad Eccleſiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas ſuperius nominatos.*

Ext. cõm. *de privileg.* Hiſt. &c. p. 288.

Sic decretalis, *unam ſanctam*, tanto apparatu prolata, perinde habita eſt à Romanis etiam Pontificibus, ac ſi nunquam fuiſſet edita. Clemens enim V. id ſanxit; atque à Leone X. quidem innovata, ſed ſine præjudicio declarationis Clementis V. quæ incipit, *Meruit;* remque omnem ad Traditionem antiquam ac Majorum placita reduci placuit. Neque noſtri refugiebant, ſatis ſibi conſcii, quàm procul ab antiquâ Patrum Traditione, atque ab Eccleſiæ Gallicanæ ſenſu nova hæc abfuiſſent; ſeque omni ex parte tutos arbitrabantur, dummodo Bonifacii VIII. Conſtitutio nocere non poſſet. Et certè fateamur eſt neceſſe, nec ſtare potuiſſe, quæ ſolis allegoriis atque accommodatitiis, non literalibus genuiniſque Scripturæ interpretationibus niterentur. Quale enim illud eſt, de Romani Pontificis ſupremo judicio: *Spiritualis homo à nemine judicatur;* tanquam hîc *ſpiritualis homo*, apud Apoſtolum fuerit Romanus Pontifex, non autem quivis Chriſtianus, qui Deo per Chriſtum in ſpiritu ſerviat; aut illud, ad duo principia refellenda magis ſit appoſitum, *non in principiis*, (*r*) *ſed in principio fecit Deus cælum & terram:* aut quorſum pertinebat huc duo Manichæi adverſa principia allegare? Quaſi duæ poteſtates, Eccleſiaſtica ac civilis, adverſæ eſſent, non ſociæ; aut ita ſupremæ in ſuo ordine, ut nec in Dei poteſtate eſſent, neque ejus providentiâ regerentur. Quæ ſi quis ad literam tueri voluerit, næ ille ſe omnibus deridendum, non jam confutandum præbeat.

Leo x. Bull. *Paſtor ater.* Tom. xiv. Conc. pag. 313.

j. Cor. ij. 15.

Gen. j. 1.

Cæterum quod decretalis, *Meruit*, ſoli Francorum Regno conſulit, cauſa eſſe potuit, quòd Bulla, *Unam ſanctam* occaſione Francici exorta diſſidii, Francorum Regnum maximè petere videbatur. Huc accedit quod cùm Germani, Angli, aliique in temporalibus colla ſubdidiſſent, Franci exiſtimabant ſuper alia Regna, hujuſce Regni dignitatem ac libertatem à Regibus

ac

(*r*) *non in principiis, &c.*] Bonifacius viij. primus, & profectò ſolus hanc interpretationem omni abſurditate majorem excogitavit, quâ nec Manichæi confutantur, nec alii hæretici. Nihil in textu ſacro, nihil in verſionibus tam veteribus quàm neotericis reperies, quo ille hunc, quem vocant, *accommodatitium ſenſum* tueri poſſit.

ac Majoribus ſuis fuiſſe defenſam : quippe qui Chriſtianiſſimi, pariterque fortiſſimi, in ſpiritualibus quidem Romano Pontifici maximè omnium paruerant, in temporalibus verò minimè omnium huic poteſtati ſe obnoxios fecerant.

CAPUT XXV.

Reliqua BONIFACIANI *diſſidii acta: Gallicana intacta: * BONIFACIANA *à ſucceſſoribus antiquata.*

QUÆ ſuperſunt in Bonifacianâ contentione leviter tranſilimus. Anno 1303. prodiere in Philippum duæ Bullæ, quarum initium eſt: *Per proceſſus noſtros*, & : *Nuper ad audientiam*, quibus declarabatur Philippus *multiplici excommunicatione conſtrictus*; ſed eæ, teſte Rainaldo, juſſu Clementis V. eraſæ expunctæque ſunt.

Hiſt. &c. p. 98. 166.

Conſcripta quoque fuerat depoſitionis ſententia, adeoque horum omnium deleri memoriam, ac leviſſima etiam veſtigia placuit; ut hæc ſententia, eodem teſte Rainaldo, *eraſa & expuncta ſit*, quamvis *pronuntiata* non eſſet. Sanè Bonifacius, antequam eam ſententiam promulgaret, Albertum Imperatorem ſæpè à ſe rejectum, omni ſtudio atque induſtriâ conſtabiliverat, in eo idoneum ſuæ ſententiæ executorem, Regnique Francici invaſorem nactum ſe eſſe arbitratus. Quo fretus præſidio, cùm extrema omnia moliretur, captus ipſe Anagniæ per proditionem civium, Columnarumque & aliorum, ac Guillelmi præſertim Nogareti infandum ſcelus, paulò poſt obiit. Irâne ac furore percitus, ut memorant, an mœrore oppreſſus, an aliâ causâ, nihil ad noſtram quæſtionem? Quàm autem omnia impotenter & intemperanter egerit adversùs Philippum, vel id abundè teſtatur, quòd ejus ſucceſſores ea ſtatim pro irritis habuêre; ac Benedictus XI. qui ei proximè ſucceſſit, Philippo *nec petenti*, excommunicationem relaxavit, abſolvit etiam Epiſcopos, Barones, & alios eâdem cauſâ excommunicatos à Bonifacio; privilegia Regum Chriſtianiſſimorum ab eodem ſuſpenſa reſtituit; denique ſponte reſcidit quidquid Bonifacius in Regni Regiſque dignitatem fecerat: Clemens verò V. omnia ejus geſta hujus occaſione diſſidii eraſit, expunxit, antiquavit, reſque eo loco eſſe declaravit, quo fuerant ante ea geſta decretaque.

Rain. an. 1311. n. 39. 40.
Rain. ib. n. 44. 49.
Hiſt. &c. p. 207. 208.

Legimus in regeſtis regiis ad Benedictum XI. Bonifacii ſucceſſorem, multas expoſtulationes editas per Fratrem Petrum de Peredo, religioſiſſimum virum, Romam à Philippo miſſum. Is ergò conqueritur multa à Bonifacio geſta, quæ à ſanctorum Patrum moribus abhorrerent. In his ergò hæc habentur: *Temporibus Patrum non fieri ſolere jura ad nutum oculi, ut diceretur ſtatim: abſolvimus omnes in talibus Provinciis conſtitutos, ut nonobſtante ſacramento & juramento fidelitatis quocumque adſtricti ſunt, obediant tali Principi amico noſtro,* Addebat, neque illud dici ſolitum: *Quòd Papa eſt Dominus ſpiritualitatis, & temporalitatis, & quòd graviter peccat, qui hoc non credit; & quòd à temporalibus Regum appelletur ad Dominum Papam: &*

Ib. p. 212. 213.

Digitized by Google

quamquam Romani Curiales non hæc diſertè aſſerebant, noſtris tamen, ſummæ rei intentis, non ad alium pertinere ſcopum Bonifaciana decreta videbantur. Hæc ergò conqueritur Legatus Regius, ſubditquè: *Dicitur in Franciâ, quòd non reſtat, niſi quòd fiat una conſtitutio, quæ æquipolleret omnibus, quòd omnes Clerici, & Laici eſſent miniſtri duntaxat ad nutum ſummi Pontificis, eorumque qui præſident.* Quem locum ſic concludit: *Hæc autem conſimilia non fiebant temporibus ſanctorum Patrum; ſed de vitâ & honeſtate Clericorum, & defenſione libertatis Eccleſiaſticæ & jurium fiebant Conſtitutiones, cum pœnis excommunicationis & interdicti*; ut profectò doceret quæ res, Eccleſiaſticæ ſcilicèt, quibuſve pœnis, nempe Eccleſiaſticis, excommunicatione & interdicto ſancirentur. Hæc nomine Regis ſignificata Pontifici, neque improbata ſunt: adeò irreprehenſibilia videbantur.

Inf. lib. x. cap. xxv.

Cætera quæ in hoc negotio geſta ſunt ad alium pertinent locum. Quòd autem ad hanc quæſtionem ſpectat, hæc ſumma eſt: quidquid Bonifacius VIII. edidit, ut Regiam poteſtatem, quoad temporalia, ſibi obnoxiam faceret, non modò à Rege Regnoque Francorum, totâque Eccleſiâ Gallicanâ rejectum; ſed etiam à ſummis Pontificibus antiquatum fuiſſe: quod autem Rex Regnumque, & Gallicana Eccleſia eâ de re profeſſa eſt, & à ſummis Pontificibus illæſum permanere, & ſempiternæ hominum memoriæ conſecratum; datumque eſt omninò ſæculis ſecuturis exemplum illuſtre, doctrinam Scripturâ, antiquitate, Traditione nixam, quocumqne nomine, quâcumque autoritate oppugnatam, æterno atque invicto robore in Eccleſiâ Catholicâ manere conſtitutam.

Hæc ex publicis geſtis hauſimus. Jam ſi excutimus quæ privati Doctores ſcripſerint, inveniemus id Ægidii Romani aliorumque Theologorum ſummâ conſenſione defenſum:

Ægid. Rô. quæſt. diſp. art. iij. vind. Maj. lib. ij. cap. xxxj.

Clavium poteſtati nullam temporalium poteſtatem à Domino fuiſſe adjunctam: nunquam inveniri ſediſſe Apoſtolos, ut de temporalibus judicarent, nec petiiſſe ut Reges & Principes eis in temporalibus ſubjacerent, aut de ejuſmodi reſpondere deberent: falſum eſſe & invalidum, neque Francis ferendum, quod de Childerico per Romanos Pontifices depoſito, &

Joan. de Par. de pot. Reg. & Pap. cap. xv. ib. pag. 107.

Pepino per eoſdem ſubſtituto jactaretur: falſum item quod de tranſlato à Græcis ad Francos Imperio; neque à Papâ eſſe tranſlatam Imperii veritatem, ſed nomen; cùm Carolus Magnus jam rerum potiretur; quodque hîc factum eſt, qualecumque fuit, non fuiſſe factum per ſolum Papam, ſed populo acclamante & favente, cujus eſt ſe ſubjicere cui vult, ſine alterius præjudicio, & ex causâ neceſſariâ pro ſui defenſione; neque trahenda in exemplum, quæ poſtea in deponendis Imperatoribus facta ſunt, poſtquam illi Papæ ut Domino paruerunt: tum verò hæc omnia nihil eſſe, quod ſunt argumenta de facto, & dicunt quod factum ſit, non quod fieri debeat;

Joan. de Par. ib. & aliis paſſ.

aliaque ejuſmodi quæ mirum eſt ad ea ſæcula permanare potuiſſe, cum tot depoſitionum exemplis, tot falſis donationibus Conſtantini, Ludovici Pii, aliiſque tot falſis hiſtoriis, tot novis per tolerantiam aut conſuetudinem inductis, ſeu veris, ſeu prætentis, coloratiſque juribus undique premerentur; ad hæc in ſummâ juris publici ignoratione verſarentur: ut profectò hæc integra & ſana, non niſi ex antiquæ Traditionis robore & curſu, oppoſitas moles evicerint, & ad eos uſque perruperint.

CAPUT XXVI.

JOANNIS XXII. *ſucceſſorumque acta adversùs* LUDOVICUM BAVARUM *Imperatorem ſummatim referuntur, nec ad noſtram quæſtionem pertinere oſtenduntur.*

QUÆ in Ludovici Bavari Imperatoris electi depoſitione geſta ſunt, ad noſtram quæſtionem vix pertinent; cùm iis facta ſint juribus, quæ ad Imperium Romano-Germanicum ſpeciatim ſpectent: rerum tamen ſummam perſtringemus, ne quis ſuſpicetur latere nonnihil, quod cauſæ noſtræ officiat.

Anno 1314. * Henricus Luxemburgicus Imperator obiit. Clemens V. * Sive
decreto edito, cujus eſt initium: *Nos ad quos Romani vacantis Imperii re-* potius an.
gimen pertinere dignoſcitur, Robertum Siciliæ Regem, quoad electus Impe- 1313. menſe Auguſt.
rator à ſede Apoſtolicâ fuerit approbatus, Vicarium Imperii ad ſedis Apoſ- Rain. an.
tolicæ beneplacitum conſtituit, ſed in Italiâ tantùm, quòd Germania hæc 1314. n. 2.
jura non agnoſceret. Nec ita multò poſt obiit Clemens. Sed vacante ſede, Ludovicus Bavarus & Fridericus Auſtriacus diſcordibus Electorum Principum ſuffragiis, Reges Romanorum electi ſunt.

Prolata à Rainaldo acta teſtantur, dictam communi ſeptem Electorum Ibid. n. 18.
conſilio electioni diem: * adfuiſſe omnes Francofurtum, in loco conſueto, * 19. Octob.
præter Henricum Colonienſem Archiepiſcopum & Rudolphum Comitem Palatinum: prorogatum horum gratiâ electionis diem: citatoſque illos, ut ad eum convenirent, defuiſſe: Ludovicum Bavarum quinque reliquorum concordibus ſuffragiis fuiſſe electum.

Satis conſtat Fridericum extra Francofurtum à Colonienſi & Palatino
fuiſſe electum. Sed ii obtendebant è quinque Electoribus, qui Ludovico Ibid. n. 25.
ſuffragati eſſent, tres fuiſſe, de quorum jure eſſet controverſia; ac parem
utriuſque electi conditionem fuiſſe: quo Rainaldus contendit litem à Papâ Id. an. 1316.
fuiſſe dirimendam. Vacabat interim Apoſtolica ſedès. Anno 1316. Joan- n. 10.
nes XXII. electus eſt. Is Ludovicum Bavarum electum ad pacem cum Frederico electo adhortatur: neutrum confirmat. Anno 1317. vacantis Impe-
rii regimen ad Romanum Pontificem eſſe devolutum pronuntiat, *cui in per-* Id. an. 1317.
ſonâ Petri terreni ſimul & cæleſtis Imperii jura Deus ipſe commiſit: quo jure n. 27.
Vicarium deſignat vacantis Imperii, ſed in Italiâ tantùm, cùm tamen Petri jura, ſi ſeriò allegentur, ad totum Chriſtianum Orbem protendi conſtet.

Interea Ludovicus & Fridericus de Imperio in Germaniâ ferro decerne-
bant. Anno 1322. Fridericus magno prælio victus captuſque eſt; Ludovi- Id. an.
cum Joannes ad clementiam adhortatur, ſuamque operam ad pacem conci- 1323. n. 29.
liandam offert.

Victor Ludovicus anno 1323. pergit ad Italiam, tueturque eos qui Pontifici diſplicebant; imprimis Vice-Comites (ſ) Mediolanenſis Ducatûs

(ſ) *Vice-Comites*] erant Gibellinorum duces factionis, adversùs quam Guelphæ pro Pontifice ſtabant. Cur autem hæ factiones, quæ Italiam in duas partes diu iſſime diſtraxerunt,

invaſores, ab eo excommunicatos. Quo loco hæc habet Rainaldus: *Inde lis in Ludovicum Bavarum, ac legibus in eum agi cœptum eſt. Præcipua accuſationis capita hæc erant: Ludovicum diſcordibus electum ſuffragiis, antequam ea controverſia dirimeretur à ſede Apoſtolicâ, Imperii adminiſtrationem corripuiſſe; alterum, quod maximè Pontificis animum aſperaverat, Galeatii, quem*
Ib. n. 30. & ſeq. *hoſtem & hæreſi contaminatum pronuntiârat ſedes Apoſtolica: tum perduellium Ferrarienſium patrocinium ſuſcepiſſe.* Itaque his de cauſis autoritate Apoſtolicâ Ludovicus ab Imperii adminiſtratione eſt prohibitus, quoad ejus electionem ſedes Apoſtolica approbâſſet.

Ex iis profectò conſtat hanc controverſiam non ad Regum cauſam generatim, ſed ad Imperii Romano-Germanici ſingularem ac proprium ſtatum pertinere.

Eodem pertinent ea, quæ ſunt ineundæ pacis cauſâ, à Ludovico Bavaro
Id. an. 1336. n. 18. ultrò oblata Benedicto XII. Joannis ſucceſſori, de limitandâ in Italiâ & Romæ autoritate Imperatoriâ, & ut idem Ludovicus, ſi pactis non ſtaret, excommunicationi, interdicto, ac privationi ſubeſſet: quæ quidem vel ad Imperium Romano-Germanicum, vel ad Ludovici perſonam propriè & ſingulatim ſpectant.

Interim Ludovicus ſæpè & publicè, actis editis eſt conteſtatus ea jura, quæ ſibi Joannes XXII. in Imperium vindicaret, à ſe & Imperio non agnoſci;
Gold. Côſt. Imp. tom. j. imò improbari; extatque ſolennis electorum Principum nomine ad Benedictum XII. anno 1338. edita declaratio, quâ adversùs Joannis XXII. decreta conteſtantur: *Quòd vacante Romano Imperio, is qui eligitur concorditer, vel à majore parte tantùm Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus, & quòd nec nominatione, approbatione, confirmatione, conſenſu, vel autoritate ſedis Apoſtolicæ, ſuper adminiſtratione bonorum & jurium Imperii indiget, ſive titulo Regio aſſumendo; quòdque jura & bona Imperii adminiſtrare poterit de jure & conſuetudine, nullâ ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc licentiâ habitâ, vel obtentâ.* Hæc igitur omnia oſtendiſſe contenti, eo quo ſunt loco, intacta relinquimus.

Quòd autem Ludovicus Bavarus Joannem XXII. hæreſis accuſatum depoſuerit, fœdum Antipapam ſubſtituerit, Franciſcanos adversùs Pontificem juverit; hæc à tanto Principe exaſperato licèt facta, lugemus.

CAPUT XXVII.

De Navarræ Regno Hiſpanis tradito: item de JOANNA ALBRETANA, *hæreſis crimine, ſub privationis pœnâ Romam à* PIO IV. *evocatâ, quod Galli improbârint ac prohibuerint.*

QUOD à Julio II. in deponendo Joanne Albretano Navarræ Rege, factum eſſe dicitur, id & Hiſpani variè referunt, & nullum hujus rei diploma proferunt; & qualecumque eſt, ſive ſub Brevis Bullæve, aut ſen-

Guelpha & Gibellina vocatæ fuerint, non traditur; quanquam quidam Hiſtorici multa de earum origine, conjecturâ ducti magis quam ſcientiâ, narraverint.

tentiæ formâ, Joannes Mariana Hiſpanus Hiſtoricus celeberrimus, ſubreptitium & nullum fuiſſe ſignificat; totamque rem, verane an falſa ſit, Odoricus Rainaldus ſub dubio relinquit, apud quem etiam videre eſt Marianæ, aliorumque Hiſtoricorum locos. Henricus verò Spondanus ex temporum notis diploma falſi convincit. Quòd autem à Julio II. anno 1512. 12. Kal. Aug. in Lateranenſi Concilio de Ludovici XII. ſociis, quorum numero Navarricus erat, decretum eſt editum, ut excommunicarentur, & omni dignitate privarentur, niſi ab eâ ſocietate diſcederent, Spondanus idem docet (*t*) primum haud æquo jure fuiſſe editum; tum verò Hiſpanis, ad Navarram occupandam nihil prodeſſe potuiſſe, multis quidem de cauſis, eâque imprimis, quòd, nondum elapſo tempore ad reſipiſcendum dato, Navarricum Regnum à Joanne innocuo & repentè oppreſſo deſertum, Hiſpani invaſerint.

Rain. an. *1512.* n. 60. & ſeq. Spond. eod. an. tom. ij. p. 296. & ſeq.

Addit Caroli Auguſti (*u*) & Philippi II. notiſſimas graveſque de hujus Regni poſſeſſione legitimâ fluctuationes; adeoque abſuiſſe Romanos Pontifices ab eo, ut Regnum Navarræ jure ad Hiſpanos tranſlatum fuiſſe crederent, ut Pius IV. Antonium Borbonium Navarræ Regem, anno 1561. ad obedientiam pro Regno Navarræ admiſerit: quod omnium hiſtoriarum monumentis conſtat.

Quare ea depoſitio atque tranſlatio, quæ ſola memoratur ad effectum uſque perducta, ab ipſis Hiſpanis iniqua, ab aliis dubia, ab aliis atque etiam à Romanis Pontificibus nulla eſſe judicatur.

Quò factum eſt ut idem Pius IV. anno 1563. Joannam Albretanam Antonii viduam, ut Reginam Navarræ, hæreſis cauſâ Romam citaret, ſub pœnâ privationis Regni, niſi ſe judicio ſiſteret; quod quidem Carolus IX. prohibuit, ac fœderatæ cognatæque, injuriâ communi etiam Regiæ Majeſtatis permotus, tutelam ſuſcepit: cujus etiam juſſu, *cùm Henricus Clutinius Oiſellus, tunc Romæ Orator Regius, graviter eâ de re apud Pontificem expoſtulâſſet, & Regem injuriam talem, qualem Majores ſui nunquam inultam reliquiſſent, minimè laturum oſtendiſſet, tandem obtinuit, ut diploma jam in Urbe ſolenni more publicatum revocaretur, & omninò induceretur, ita ut inter Pii IV. Conſtitutiones hodie minimè reperiatur.* Hæc Thuanus refert, quæ adeò certa ſunt, omnibuſque hiſtoriis comprobata, ut de iis ampliùs laborare ſit ſupervacaneum, liquidumque omninò ſit Francos ab eo abhorruiſſe, ut quidquam ad Reges deponendos Pontificio nomine moveretur.

Thuan. lib. lxxxij. tom. ix. p. 276. vid. lib. xxxv. tom. iv. p. 581. edit. Gall. 1734.

(*t*) *Spondanus... docet*] Hiſpanos hiſtoricos dicere alium aliud. Et quidem hic narrat illas *Pontificias Bullas datas* fuiſſe 18. Februarii, ille 1. *Martii*, alter *menſe Julio; allatas autem Româ duntaxat menſe Auguſto*, aut retentas Romæ, aut *à Ferdinando occultas*, qui eas non oſtendit, niſi *poſtquàm Regnum occupatum fuit.* Cæterùm nullus hiſtoricus dicit ſe vidiſſe Bullam hanc integram, aut ſaltem illius aliquam partem: hoc tantùm omnes referunt, quod famâ & auditione acceperant.

(*u*) *Caroli Auguſti &c.*] Aiunt Carolum V. morti proximum Philippo ij. in mandatis dediſſe, ut Navarræ Regnum reſtitueret, & Philippum *ij.* morientem eadem juſſa dediſſe, Philippo iij.

CAPUT XXVIII.

SIXTI V. & GREGORII XIV. ***decreta in*** **HENRICUM IV.** ***Navarræ, ac poſtea Francorum & Navarræ Regem, quoad temporalia nullo loco habita : à*** **CLEMENTE VIII.** ***abſolutio eidem*** **HENRICO IV.** ***nullà rehabilitationis mentione, ut Regi impertitur : obiter notatur, qui adversùs Declarationem Gallicanam de libertatibus Gallicanis ſcripſit Anonymus.***

Thuan.lib. lxxxij.pag. 369. & ſeq.

ANNO 1585. Henrico III. Rege, Sixtus V. edito diplomate, Henricum Borbonium, Navarræ Regem, Antonii & Joannæ filium, ejuſque agnatum Henricum Borbonium Condæum tanquam hæreticos & in errorem relapſos, ad hæc hæreticorum fautores ac defenſores publicos, ac fidei Catholicæ hoſtes proſcripſit : Navarrum eo Regno, ac Benearnenſi Principatu excidiſſe : utroſque ad ullum Principatum, ac maximè Regnum Franciæ jure hæreditario capeſſendum inhabiles declaravit : quod decretum Rex, Francique omnes moleſtè tulerunt. Quòd autem, tunc temporis conjurati, ſeu *Ligæ*, ut vocant, addicti, Catholicæ religionis obtento ſtudio, multa in Regem moverent, eumque ut ſuſpectum hæreticæ pravitatis apud vulgus traducerent, Navarruſque & Condæus Calvinianæ factionis duces bellum Regi inferrent; *ideò*, ut ait Thuanus, *qui circa Regem erant ſatis pro tempore habuerunt, cavere ne decretum uſpiam in Regno promulgaretur, aut ejus ratio publicè haberetur*; quod infirmum quidem, & priſcæ circa eas res Francici Regni fortitudini haud ſatis congruum, ſatis tamen demonſtrabat quàm hæc nulla putarentur.

Ib. p. 376. Ib. p. 377.

At Navarrus programmate in ipsâ Urbe ac celebrioribus ejus locis affixo, multa egit in Pontificem, ac publicè declaravit, appellare ſe ab hoc decreto, quantùm ad Regni jura attinet, ad Curiam Parium Franciæ, quorum ipſe Princeps eſſet, primus ſcilicet Regii ſanguinis Princeps, quantùm autem ad hæreſim ſibi objectam, ad univerſale Concilium: quibus id perfecit, ut ipſe Pontifex talia intrepidè auſum ac gnaviter executum, magnanimitatis nomine collaudaret.

Id. lib. xcvj. tom x. p. 673. vid. tom. xj. lib. xcvij. p. 1. & ſeq. & lib. cj. p. 343. Decret. Boch. lib. i. tit. xvj. cap. iij. & ſeq. Th. l.b. cj. p. 367. 372. 374.

Cæterùm nihil ad noſtram quæſtionem, ſi quid ſuæ conteſtationi, hujus quo adhuc tenebatur, erroris aſperſerit. Certum illud, cordatioribus Francis probatum, quòd Pontificem de jure regnandi decernentem non tulerit : adeòque hæc decreta pro irritis ac nullis apud nos habebantur, ut Henricus III. cum Henrico Navarro, pace compoſitâ, eum haud minùs pro primo Regii ſanguinis Principe agnoſceret, & ſocium adversùs conjuratos Regiæ familiæ hoſtes adhiberet, & moriens ſucceſſorem lege ſalicâ renunciaret; cui ſententiæ flos nobilitatis etiam Catholicæ, multique etiam ſacrorum antiſtites adhærebant, Henricumque IV. Regem agnoſcebant. Neque Gregorii XIV. decreto, 1. Martii 1591. dato, à Regis obſequio deterreri ſe paſſi ſunt; imò diploma illud, quod de temporalibus factum, pro Apoſtolico & Eccleſiaſtico non habebant, Parlamenta, quæ ut religioni, ita Regi, Regnoque fida, Regiâ autoritate Cæſaroduni Turonum, Catalauni, & Cadomi reſidebant, vehementiſſimis ſententiis proſcripſerunt; temperatiùs Præ-

ſules Conventûs Autrici Carnutum habiti decreverunt; *& tamen ex autoritate Scripturæ Sacræ ſanctorumque decretorum Conciliorum generalium, Canonicarum Conſtitutionum, perpenſis ſanctiſſimorum Patrum exemplis, juribus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quarum præſcriptione deceſſores ſui Epiſcopi, ſe adversùs ejuſmodi conatus ſemper tutati ſunt; eapropter interdictiones, tam in formâ quàm in materiâ, nullas & injuſtas, & ſuggeſtione hoſtium Franciæ factas declarârunt, ſalvo cultu & honore qui Romano Pontifici deberetur.* Decreto dato duo Cardinales, Carolus Borbonius * & Philippus Lenoncurius, qui ſacro Conventui præerant, ſubſcripsêre: acta hæc ſunt anno 1591. ab iis Præſulibus, qui Regi Regiæque familiæ adhærebant.

* Fratris filius alterius Cardinalis Borboni qui *Ligæ* Rex fuerat.

Quo ex loco, ut id obiter memoremus, ille confutatur qui adversùs Gallicanam Declarationem de libertatibus Gallicanis tractatum edidit autor Anonymus. Is enim primum caput Gallicanæ Declarationis oppugnandum aggreſſus ſic incipit: *Difficile intellectu eſt, quâ ratione illuſtriſſimi Antiſtites Gallicani, libertates Eccleſiæ illius Regni defendendas ſuſcipientes, à propoſitione auſpicati ſint, quæ juri Eccleſiæ potiùs adverſatur.* Nempè id inter Eccleſiæ jura revocat, ut poteſtate clavium Reges deponi poſſint: quæ jura Gallicani præſules ignorabant, partemque libertatis Eccleſiæ Gallicanæ in his prohibendis juribus reponebant; quippe qui intelligerent libertatem Gallicanam priſcis juribus contineri; quæ his eſſent ſuperaddita, ea ad turbandam gravandamque Eccleſiam pertinere. Sed nos eum virum, qui de libertatibus Gallicanis ludat potiùs quàm diſſerat, omittamus. Nobis ſufficiat quòd Gallicani Præſules in hâc noviſſimâ Declaratione Majores ſuos ſecuti ſunt; eoſque Præſules Regi Regnoque fidos cæteri deindè complexi ſunt omnes. Neque enim attendi debet quid pars adverſa ſenſerit; quippe quæ jam indè ab Henrici III. temporibus religionem fœdæ rebellioni obtendebat: non, inquam, attendi debet, quid illi ſenſerint vel fecerint, qui Guiſianos, ſi Deo placet, Capetis Regibus, ſanctique Ludovici poſteris anteferrent, Hiſpanicíſque artibus, imò Hiſpanico auro corrupti, ad hæc *ligæ* furoribus dementati, Hiſpanos Lotharenoſque ſe eſſe, quàm Francos malebant. Hæc ergò febricitantium deliria contemnamus; quid ſana & pacata Francia fecerit ac ſenſerit, attendamus.

Tract. de Libert. &c. lib. iv. cap. j. n. 1. pag. 155.

Converſus ad Catholicam fidem Rex, omnium clementiſſimus atque fortiſſimus, à Reginaldo Belnenſi Archiepiſcopo Bituricenſi, in ſancti Dionyſii celeberrimâ toto Orbe terrarum Eccleſiâ, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium admiſſus eſt. Quæ cùm à ſede Apoſtolicâ comprobari è re eſſet, Henricus ſe quidem ejus ſedis autoritate ab hæreſi abſolvi ſupplicavit, miſſis ad Clementem VIII. Procuratoribus; ſed de *rehabilitatione*, quam vocant, agi vetuit, indignum id Gallicâ majeſtate ratus: neque Franci, etiam conjurati, aliter ſentiebant; quippe qui, Rege converſo, in obſequium certatim ruerent, nullâ Sixtiani & Gregoriani decreti ratione habitâ. Tentati Procuratores, Jacobus Perronius Ebroicarum Epiſcopus deſignatus, & Arnaldus Oſſatus poſtea Cardinales: *An coronam ad pedes Pontificis vellent deponere, ac per illud ſignum quaſi Regnum Franciæ in ejus manus conſignare, quòd ille ſe pro Rege gerens, quamvis à ſanctâ ſede jure ſucceſſionis privatus, contra divina jura & humana occupâſſet; quam coronam poſt illam ſummiſſionem in capite Procuratorum mox reponeret. Verùm illi ab eâ conditione ſe valdè*

Thuan. lib. cvij. tom. xij. p. 32. & ſeq.

Id. lib. cxiij. p. 473.

alienos oſtenderunt, cùm dicerent: Reges Franciæ, quantùm ad juriſdictionem ſpectat, nullum agnoſcere ſuperiorem; neque verò pati poſſe Francos, ut Reges ipſorum ulli ſe tanquam ſuperiori ſummittant, ac præſertim nobilitatem; ac longè decipi eos, & in rerum noſtrarum cognitione toto cælo errare, qui aliter credant; nam ſolos id eos ſibi perſuadere, qui de Regni uſurpatione cogitant.

Ibid. pag. 475. 476. Cùm autem *Pontifex abſolutionem ab Epiſcopis Gallicanis conceſſam, tanquam nullam & irritam revocare decreviſſet, Procuratores aſſentiri noluerunt: cùmque animo pertenderet Pontifex, & fruſtra abſolutionem ſuam peti aut dari diceret, ſi prior valida maneret, non adprobatâ à Procuratoribus revocatione: conventum ut ſtatim in decreto Pontificio ea clauſula adjiceretur, quâ Pontifex cuncta religionis acta, quæ in perſonâ Regis ſecuta, & quæ per ipſum facta erant, vi abſolutionis in Franciâ conceſſæ probaret & confirmaret, perinde atque ſi jam tunc à Pontifice Rex abſolutus eſſet. Quâ in re cautè à Procuratoribus ſervatum fuit, ut tantùm ad religionis acta confirmatio porrigeretur.* Adeò quidquam, quocumque prætextu, circa temporalia attentari refugiebant.

Omni ergò temporalium ac rehabilitationis omiſsâ mentione, impoſitæ volenti Regi conditiones, quæ Regiæ majeſtati convenirent; (*x*) revocatæ Sixti V. & Gregorii XIV. cenſuræ; quod noſtri de excommunicatione intelligebant; permiſſum aliis ut de ſolutâ quoque depoſitione interpretarentur, nullâ licèt ejus factâ mentione, ne quid novæ rei, vel eo prætextu, inquieti homines conarentur. Cæterùm à Clemente nihil aliud factum eſt, Ib. p. 478. quàm id quod unum Rex poſtulaverat: *Nempe ut Henricum Regem à vinculo excommunicationis, quâ, ex causâ hæreſis erat ligatus, abſolveret.* Res autem ita geſtæ ſunt, ut nemini Catholico, aut etiam Eccleſiaſtico fraudi eſſet, quòd Regem nec dum Catholicum, votis potiùs quàm armis ad veram religionem vocaviſſent, atque interim coluiſſent, ut qui optimo jure ex Salicâ lege regnaret; fuitque Rex ſummâ poſtea apud omnes Catholicos Principes ſedemque Apoſtolicam autoritate & gratiâ. Ex Thuano hæc referimus eò libentiùs, quòd ille nihil aliud quàm acta publica certaque hujus rei, apud nos celebris, monumenta retulit. Quæ ſi cui rerum noſtrarum Œuv. div. de Du Perr. p. 754. & ſeq. p. 858. & ſeq. nimis imperito ſuſpecta ſint, apud Cardinalem Perronium omnia inveniet ſuo ordine recenſita. Ipſa etiam Bulla Clementis VIII. abunde teſtatur Henrico IV. Magno abſolutionem ab hæreſi, ut Regi ab omnibus, ipſoque Pontifice agnito, nihil autem aliud fuiſſe impertitum. Jam quantùm ea valeant, ad aſſerendam Eccleſiæ Gallicanæ, ac Francici Regni de ſupremâ in temporalibus ſolique Deo obnoxiâ poteſtate ſententiam; quamque ex his liquidò conſtet, nunquam ab eâ deſtituros, qui verè ſint Francici nominis ac generis, omnes per ſe vident.

(*x*) *Conditiones quæ Regiæ majeſtati convenirent*] Perronium & Oſſatum Procuratores Regios accuſat Mezeray parùm veriſimiliter, quaſi ſiviſſent abſolutionem in Franciâ datam, ut nullam & irritam revocari; quos quidem ipſe Thuanus hâc culpâ liberat, ut mox vidimus. Attamen illi Procuratores, ad quos, eodem Mezeray teſte, ſingulis horis Regia juſſa ferebantur, ne quid Regiæ majeſtati indecorum paterentur, in eo maximè peccàrunt, quòd paſſi ſunt ut *Pontifex, virgâ quam manu tenebat, ſingulorum humeros leviter tangeret.* Spond. tom. ij. an. 1595. p. 899. Hinc natum apud nos illud proverbium: *Rex in humeris Perronii & Oſſati baculo cæſus eſt:* Gallicè: *Le Roi a reçu des coups de baton par procureur.* Vid. Mez. abr. Chron. tom. vj. p. 144. edit. Amſtel. 1674.

DEFENSIO DECLARATIONIS
CLERI GALLICANI
DE
ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER QUARTUS,

Quo à GREGORII VII. temporibus res in Conciliis Œcumenicis geſtæ referuntur ad CAPUT PRIMUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Canon *XXVII. Concilii Lateranenſis III. ſub* ALEXANDRO III. *quo pœnæ temporales adversùs hæreticos decernuntur: ibi diſtinctio notabilis, eorum quæ Eccleſia per ſe, & eorum quæ gerat Principum adjuta Conſtitutionibus: hinc lux huic & aliis ejuſdem generis ſecutis Canonibus: his decretis Principum conſenſus intervenire ſolitus: hinc quoque certa illis autoritas.*

POSTQUAM expoſuimus, quæ propriè à Romanis Pontificibus circa temporalem poteſtatem ordinandam deponendamque; nunc quæ eâdem de re in Conciliis Œcumenicis geſta ſint, explicemus.

Primum autem occurrit Lateranenſis Concilii III. ſub Alexandro III. anno 1179. caput XXVII. *de Hæreticis*. Quo capite affirmant doceri & exerceri indirectam poteſtatem, dum autoritate Con- Tom. x. Conc. cap. xxvij. pag. 1522. 1523.

cilii adverſùs Albigenſes hæreticos, eorumque ſtirpem Brabantianos & alios, incendiis, cædibus, populationibus omnia devaſtantes, fidelitatis & obſequii juramento ſancitum obſequium relaxatur, & ſubditi ſeu vaſſali à Dominorum poteſtate abſolvuntur.

Miror, qui iſta objiciunt, non ſaltem advertiſſe quo fonte profluant. Sanè initium hujus capitis ex ſancti Leonis epiſtolâ XCIII. excerptum ſic habet: *Sicut ait beatus Leo, licèt Eccleſiaſtica diſciplina Sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones; Catholicorum tamen Principum Conſtitutionibus adjuvatur, ut ſæpè quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuunt evenire ſupplicium.* Sic Patres Lateranenſes ſubtiliter diſcernunt id quod pertinet ad *Sacerdotale* judicium, ab iis in quibus Eccleſia *ad corporale ſupplicium, Catholicorum Principum Conſtitutionibus adjuvatur.*

Leon. ep. xv. al. xciij.

His poſitis, jam utrumque remedium à ſacrò Concilio adverſùs hæreticos adhibetur; nam & illi & illorum fautores anathemate puniuntur, ſocietate fidelium, ſacris oblationibus, Chriſtianâ ſepulturâ privantur, quibus continetur Sacerdotale judicium. Tum ſpiritualibus expeditis, expediuntur etiam *corporalia ſupplicia*, quibus Eccleſia *Principum Conſtitutionibus adjuvatur*; ex quo fonte hæc profecta ſunt: *Relaxatos autem ſe noverint à debito fidelitatis & hominii & totius obſequii, donec in tantâ iniquitate permanſerint, quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi: ipſis autem cunctiſque fidelibus, in remiſſionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus ſe viriliter opponant, & contra eos armis populum Chriſtianum tueantur, confiſcenturque eorum bona, & liberum ſit Principibus, hujuſmodi homines ſubjicere ſervituti.* Quòd ergò hæretici ſuorum *hominio* ac fidelitate priventur; quòd in ſervitutem redigantur; quòd armis oppugnentur; quòd eorum bona confiſcentur; ea ſunt quæ Eccleſia, non *Sacerdotali judicio*, ſed *Principum Conſtitutionibus adjuta decernit.* Quare locus ille omninò nos juvat, cùm ex eo videamus temporalia ſupplicia, quæ hîc *corporalia*, ſpiritualibus ſcilicèt oppoſita, nominantur, ab Eccleſiaſtico ordine, non niſi conſenſione Principum attrectari.

Quòd autem bellum in hæreticos omnia populantes injungunt *in remiſſionem peccatorum*; atque id bellum ſuſcipientibus, *biennium de pœnitentiâ injunctâ relaxant*, Eccleſiaſticæ eſt. poteſtatis: neque hoc decreto ſibi tribuunt armorum inſerendorum poteſtatem; ſed iis præcipiunt, qui hanc poteſtatem habeant, ut ſi modò Eccleſiæ indulgentiâ uti velint, eam poteſtatem ad hæreticorum furores comprimendos adhibeant.

Ut autem Concilii Patres hominia, ſervitutes, confiſcationes ſibi potiùs, quàm armorum poteſtatem vindicent ratio non ſinit. Quare eſt neceſſe id ſtare quod diximus, ut hæc omnia eorum numero cenſeantur, quæ Principum conſenſione præſtet Eccleſia.

Hæc ſemel explicata ſub tanto Pontifice Alexandro III. atque ab œcumenicâ Synodo tam nobili Lateranenſi III. procul dubio omnibus ejuſdem generis decretis lucem præferunt, ac debeant ſubintelligi, etiam ubi expreſſa non ſunt.

Huc accedit quòd Conciliis generalibus aderant Principes per Legatos,

Digitized by Google

ac decreta in ſacro Conventu promulgata recipiebant: ſicut de hoc Concilio Lateranenſi III. legimus apud Rogerum Hovedenum * hujus ævi ſcriptorem, qui ſacri Concilii *canonibus recenſitis*, hæc addit: *His decretis promulgatis, & ab univerſo Clero ac populo circumſtante receptis, &c.* Populi autem nomine, Eccleſiaſtico more ſtyloque, laici omnes intelligebantur, ipſique adeò Principes & eorum Legati. Quare ſi quid in Conciliis adversùs hæreticos decerneretur, quod ad civilem poteſtatem pertineret, id quamquam ad majorem religionis reverentiam Concilii nomine editum; tamen à civili poteſtate receptum ac ratum habitum, ex eâ conſenſione vim ſuam obtinebat.

* Anglum juris Canonici peritiſſimū & bonum hiſtoricum.

Vid. tom. x. Conc. p. 1525.

Eodem modo rituque actum eſt ſub eodem Pontifice, adversùs eoſdem hæreticos, in Concilio Turonenſi * cap. IV. quod incipit, *in partibus Toloſæ.* Poſtquam enim Patres decreverunt quæ ſunt Sacerdotalis judicii, nempe: *Quiſque contra hæc venire tentaverit, anathemate feriatur*; jam quæ Principum autoritate fiant exequuntur his verbis: *Illi verò ſi deprehenſi fuerint, per Catholicos Principes cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione mulctentur.* Sic Patres ſuo defuncti officio, Principibus quoque ut ſuas jam partes exequerentur, indicebant; nihil temporale ipſi per ſe attrectabant. Hæc dicimus ad canonem XXVII. Concilii III. Lateranenſis, ex quo conflatum eſt caput, *ſicut ait*, & caput, *abſolutos*, aliaque ſimilia, *ext. de hæreticis.*

* Habito an. 1163.

Vid. ibid. p. 1419.

Ext. Greg. ix. lib. v. tit. vij. *de Hæret* cap. viij. xvj.

CAPUT II.

Concilii Lateranenſis IV. Canon III. ſub INNOCENTIO III. *quod ad pœnas temporales attinet, ejus eſt generis, in quo Eccleſia conſenſu & Conſtitutionibus Principum adjuvatur: Principes facilè comprobabant quæ adversùs hæreticos ab Eccleſiâ ſancirentur.*

HAUD aliâ mente actum eſſe in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. æqui rerum æſtimatores facilè judicabunt. Ad hoc Concilium Reges omnes, datis à Pontifice literis, per Legatos invitati adfuerunt, eâ præcipuè cauſâ vocati, ut quæ ab eorum poteſtate penderent, ipſi ſuâ non modò præſentiâ, verùm etiam conſenſione firmarent. Quare nihil mirum eſt ibi fuiſſe conditum cap. III. quod incipit: *Excommunicamus*, eodem initio relatum ext. *de hæreticis*, in quo quidem capite hæc habentur: *Si Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hâc hæreticâ fœditate, per Metropolitanum & cæteros comprovinciales Epiſcopos vinculo excommunicationis innodetur; & ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſſalos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine ullâ contradictione poſſideant, &*

Tom. xj. Conc. pag. 126. 127.

Ext loco mox cit. c. xv. & tom. xj. Conc. p. 148.

Digitized by Google

in fidei puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis; dummodò ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eâdem nihilominus lege ſervatâ circa eos qui non habent Dominos principales. Decernunt poſteà, ut defenſores & fautores hæreticorum *ſint etiam infames, ſint inteſtabiles, nec ad teſtimonium admittantur, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedant:* quæ omnia ex iis ſunt, quæ non Sacerdotali judicio, ſed Principum adjuta Conſtitutionibus Eccleſia ſanciat.

Ibid. pag. 149. Ejuſdem generis ſunt quæ ſubduntur poſtea in hæreticum ſeu fautorem: *Nullus ipſi ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur.... ſi judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem... ſi Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur: ſi Tabellio, ejus inſtrumenta confecta per ipſum, nullius penitus ſunt momenti.*

Quæ ſi per ſe ad Eccleſiaſticam pertinent poteſtatem, quid erat neceſſe ut Romani Pontifices eadem iiſdem verbis ab Imperatoribus impetrarent, ut factum eſt in iis legibus, quæ à Friderico II. Imperatore editæ, atque ex canonibus XXVII. & III. Conciliorum Lateranenſis III. & IV. conflatæ expreſſæque ſunt. Is enim Conſtitutione quæ incipit, *in die*, eadem quæ in his Conciliis habebantur repetit, de Dominis temporalibus ac principalibus: item hæreticorum terram exponit à Catholicis occupandam: hæreticos eorumque fautores bonorum publicatione mulctat: infames, inteſtabiles, iiſdem verbis pronuntiat: de Advocatis, de Judicibus, de Tabellionibus decernit eadem: quæ profectò ſatis demonſtrant à quo fonte hæc manant, & unde transfuſa ſint in Eccleſiam.

Conſt. Frid. poſt lib. feud.

Atque has leges edidit Fridericus, *in die*, inquit, *illâ, in quâ de manu ſacratiſſimi Patris noſtri ſummi Pontificis, recepimus Imperii diadema.* Recepit autem ab Honorio III. qui Innocentio III. eſt proximus, à quo hæ Friderici *leges laudantur, approbantur*, non profectò conduntur.

Conſt. Honor. iij. ibid.

Ac profectò Principes tam pronâ voluntate Eccleſiam ad extinguendas hæreſes cæteraque officia adjuvabant, ut in eâ Conſtitutione Fridericus hæc diceret: *Cum ergò, diſpoſitione divinâ favente, nihil velit Eccleſia, quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concurſu & eâdem non placeat voluntate, &c.* Quâ Principum voluntate confiſa Eccleſia, multa edicere de temporalibus haudquaquam verebatur, quibus poſteà Principes, religionis ſtudio, expreſsè vel tacitè conſentirent.

Quare, quod diligenter notari velim, cùm Concilia Lateranenſia III. & IV. hæc decernunt de hæreticis, ut feudis, ut homagiis, ut honore mulctentur; nequaquam autoritate clavium, aut Apoſtolicâ poteſtate, de quâ hîc controverſia eſt, id faciunt, aut facere ſe declarant, aut omninò eam poteſtatem allegant; patetque explicatio vera ac nativa, quâ nimirum hæc fieri à Conciliis intelligantur, quòd Principes præſentes, ac decreta recipientes, hæc fieri vellent, permitterent, conſentirent, ac poſtea etiam, ne dubium ſupereſſet ullum, legibus editis, confirmarent, ut à Friderico II. paulò poſt factum eſſe cernimus.

CAPUT III.

Antiquorum Imperatorum leges, quibus Eccleſia juvabatur ad pœnas temporales adversùs hæreticos, in Conciliis Lateranenſibus III. & IV. decernendas.

AT ſi quis quæſierit quales illæ ſint Conſtitutiones Principum, quibus in Concilio Lateranenſi III. Canone XXVII. Eccleſia adjuvari ſe profitetur, cùm nondum Friderici II. leges, aut etiam ipſe Fridericus extitiſſet, facilè reſpondebimus. Præceſſerant enim multis ſæculis, antiquorum Principum circa hæreticos Conſtitutiones eæ, quas in codice Theodoſiano & Juſtinianeo legimus, ac præſertim inſignes erant, titulo *de hæreticis* leges IV. & V. Cod. Juſtin. tit. v. leg. iv. & v.

Quarta quæ eſt Honorii, Arcadii, ac Theodoſii Auguſtorum ſic habet: *Manichæos, ſeu Manichæas vel Donatiſtas meritiſſimâ ſeveritate perſequimur. Huic ergò hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus ſit commune cum cæteris: ac primùm quidem volumus eſſe publicum crimen, quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, quos bonorum etiam omnium publicatione perſequimur..... præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non poſtremò contrahendi cuiquam convicto relinquimus facultatem..... ergò & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit ſive teſtamento, ſive codicillo, ſive epiſtolâ, ſive quolibet alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuiſſe convincitur; ſed nec filios hæredes eis exiſtere aut adire permittimus, niſi à paternâ pravitate diſceſſerint.*

Manichæi, Donatiſtæque hîc notantur mulctandi ſupra cæteros: Manichæi quidem, propter inſignem in eâ ſectâ Dei creatoris contumeliam, & quod præ cæteris per occultos conventus & obſtinatam conſpirationem fœdi, ſubdoli, malefici habebantur: Donatiſtæ verò propter immanes illos Circuncellionum furores, quos beatus Auguſtinus ſæpè deplorat. Vid. paſſ. Aug. cont. Donat.

Eaſdem decernunt pœnas lege V. Theodoſius Auguſtus & Valentinianus Cæſar, ac disertè *etiam Manichæos de civitatibus pellendos, & ultimo ſupplicio tradendos.*

Has leges, qui diligenter attenderint, fontem invenient eorum quæ à Conciliis III. & IV. Lateranenſibus adversùs hæreticos Eccleſia *Principum Conſtitutionibus adjuta* decrevit. Statim enim intuemur cur infames, cur inteſtabiles habeantur, cur bonis priventur; ac tametſi hæc de Manichæis, & Donatiſtis ſpeciatim dicta ſunt, haud immeritò ad cæteros hæreticos extenduntur, præſertim ad Albigenſes, quos Manichæorum ſtirpem fuiſſe docti ſciunt: cùm præſertim in Provinciis devaſtandis Donatiſtarum furores imitati, iiſdem quoque pœnis meritò coercerentur. Nec mirum carcere attineri, ad ſervitia redigi, bellis oppugnari, quos etiam leges vitâ privent.

Veterum Imperatorum legibus ſecuti Principes addiderunt, quæ temporum conditionibus apta eſſent; multaque in hæreticos Eccleſiaſticis permiſerunt, ut magis magiſque ſacro ordini, adversùs contemptores, debita

reverentia ſanciretur. Hinc illa de feudis circa Dominos temporales principaleſque dicta. Domini autem principales dicebantur ii, qui cùm inferiores ſub ſe haberent Dominos, ipſi ſupremis abſolutiſque Dominis, hoc eſt, Regibus, immediatè ſuberant; neque refugere poterant ea, quæ ſupremorum Dominorum, Regum ſcilicèt, qui per Legatos aderant, conſenſione decreta eſſent.

De Regibus verò, quos ſpecialiter deſignari oportere, eorum quoque temporum jura poſtulant, ſi quid in iis aliiſve Conciliis expreſſum legeretur, quod nullibi occurrit, tamen nihil nocerent quæ ipſis præſentibus, atque odio hæreſum ultrò conſentientibus agerentur.

CAPUT IV.

Ex hiſtoriis demonſtratur quæ de feudis aliiſque temporalibus, Eccleſiaſticà autoritate gererentur, Principum conceſſione & conſenſione valuiſſe.

NON deſunt qui putent ea quæ in his Conciliis de feudis decernuntur, ad feudos tantùm Eccleſiaſticos pertinere. Nos generatim dicta, ad omnes pertinere non refugimus, & Principum conſenſione decreta oſtendimus.

Adſtipulantur nobis monumenta hiſtoriarum. Willelmus Brito, diligentiſſimus per eam ætatem Hiſtoricus, Philippidos lib. XII. memorat de Albigenſium negotiis habitum fuiſſe Pariſiis totius Galliæ generale Concilium, procurante Philippo Auguſto.

Will. Brit. Philipp. lib. xij. in hiſt. Franc. Pithoei. pag. 389. edit. Francof. 1696.

Quo fine, cùm reliqui nihil definire valerent,
Quamvis torreret ipſum intolerantia febris,
Pariſios, Medicis contradicentibus, ibat.

Nempe damnatâ jam Albigenſium hæreſi, quæ per hæc tempora Epiſcoporum Synodi habebantur, eæ in puniendis per bonorum ademtionem atque alias temporales pœnas hæreticis totæ ſunt, ut acta ejus ævi legenti videre eſt. Quare haud immeritò Willelmus hæc *à reliquis* ſine Rege *definiri poſſe* negat.

Guill. de Pod. c. xxvj. Duch. tom. v. pag. 681. 770. &c. Rigord. ap. Duch. tom. v. p. 66.

Et quanquam paſſim apud autores legimus Comitatum Toloſanum & alias terras Simoni Comiti Montis-fortis, per Innocentium III. & generale Concilium fuiſſe adjudicatas; hæc tamen vero ſenſu explicata ſunt ab iis, qui rem ſubtiliùs diſtinxerunt. Rigordus imprimis audiendus de geſtis Philippi Auguſti. *Per hæc*, inquit, *tempora* (anno 1215. quo tempore eſt habitum Lateranenſe Concilium) *Simon Comes Montis-fortis factus eſt Comes Toloſanus, Papâ Innocentio procurante, & Philippo Rege concedente, propter hæreticam pravitatem Albigenſium & propter apoſtaſiam Raymundi Comitis Toloſani.* Verba memoratu digna: Papa enim *procurat*, Rex verò *concedit*; & tamen Pontifici omnia tribuuntur; quòd in causâ religionem attinente, Reges omnia delata ipſi vellent.

Et cùm in Concilio Lateranenſi IV. capite illo III. *de Hæreticis*, quod nobis objicitur, diſertè ſcriptum ſit de ſummo Pontifice: *Terram exponat Catholicis occupandam, qui eam ſine ullâ contradictione poſſideant;* tamen id nonniſi Regum conſenſu factum ex Willelmo Britone conſtat, cujus, de Raymundo hæreticorum defenſore extant hi verſus Philippidos libro VIII. pag. 192.

Rex & Papa ſimul exponunt omnibus illum,
Et res & patriam totam, quæ ſpectat ad illum;
Ut qui prævaleat armis & viribus illi
Tollere quid, proprios licitè convertat ad uſus,
Et dominus fiat rerum, quas auferet illi.

Will. Brit. lib. viij. p. 329.

In aliis feudis haud aliter actum facilè intelligimus. Utriuſque poteſtatis concurrebat autoritas: ac Regia quidem hæretico Principi feudum adimebat, alteri Principi concedebat; Pontificia verò & de hæreſi judicabat, & in hæreticum meritò hæc à Rege fieri declarabat, dantemque & accipientem in conſcientiâ tutos præſtabat; & ſic etiam ſuo modo concedere putabatur.

Neque Reges repugnabant quin Simon & alii novos feudos ab hæreticis captos Pontifici acceptos referrent, ut ſedi Apoſtolicæ atque Eccleſiæ Catholicæ eò fideliores eſſent, quò, autore Pontifice, talia beneficia impetrarent.

Quare de Concilio Bituricenſi anni 1225. ſub Ludovico VIII. Romano Legato præſide, Matthæus Pariſienſis hæc refert: *Simon de Monte-forti*, (Amalricum ejus filium dicere debuit: pridem enim obierat Simon, anno ſcilicet 1218. in ſecundâ obſidione Toloſanâ lapide percuſſus; ſed hæc nihil ad rem) *Simon* ergò *de Monte-forti petiit ſibi reſtitui terram Raymundi Comitis Toloſani, quam Dominus Papa & Rex Francorum Philippus ſibi & patri ſuo contulerunt, exhibens ſuper donatione factâ, utriuſque, Papæ ſcilicet & Regis monimenta.* Quæ in Chronico Turonenſi, in geſtis Conciliorum inſerta diſtinctiùs explicantur his verbis: *Quibus* (Raymundi ſcilicet petitionibus) *Amalricus Comes de Monte-forti obvians, literas Papæ Innocentii, nec non & Philippi Regis Franciæ oſtendebat, in quibus continebatur, & dicti Comitis Toloſani damnatio, & terra Albigenſium Simoni de Monte-forti patri ſuo facta donatio.* Quibus intelligimus Regis donationem Pontificis damnatione nixam, ſuo quoque modo ad eum relatam, à quo damnatio proceſſiſſet. Quis autem propriè ac reipsà donaret, non erat obſcurum. Is nempe Rex fuit, à quo terram Simon *recepit*, qui Simonem *inveſtivit*, terram *ei & hæredibus confirmavit;* ut profectò Rigordus accuratè diligenterque, *Pontifice procurante, Rege concedente*, hæc facta eſſe ſcripſerit; ſed in hæreticis puniendis, Reges Pontificiæ poteſtati ſere omnia tribuebant.

Matt. Par. an. 1226. p. 177. & tom. xj. Conc. p. 291.

Ibid. pag. 291.

Quare qui talia Pontificiæ poteſtati per ſeſe innata, non autem conceſſione aut conſenſione tacitâ vel expreſsâ civilis poteſtatis quæſita eſſe dixerit, prorsùs ineptiat. Idem judicium eſſe volumus de trium denariorum cenſu, quem Innocentius III. de terrâ contra hæreticos acquiſitâ ſedi Apoſtolicæ annuatim reſervabat.

Pet. de Valc. hiſt. Albig. cap. lxxxiij. p. 658. vid. ap. Duch.

CAPUT V.

Eccleſiaſtica poteſtas multa ſibi vindicavit civilia : ſacra bella religionis cauſâ, ſive Cruciatæ : aliæ ejuſmodi occaſiones : S. Ludovici *de* Philippo Augusto *avo inſigne teſtimonium : tacitæ conſenſionis exceptio utrique ordini ad ſua jura explicanda neceſſaria eſt : utriuſque poteſtatis ſancta ſocietas :* Petri Damiani *repetitur locus.*

Neminem, credo, latet, multa ejuſmodi contigiſſe ſacrorum bellorum, quæ *Cruciatas* vocant, tempore, ſive illæ in Saracenos recuperandæ Paleſtinæ gratiâ, ſive in hæreticos ſuſceptæ eſſent ; placebat enim Chriſtianis Regibus, in illis ſacris bellis, præeſſe omnibus Pontificiam poteſtatem, ut & conjunctioribus animis, & majori religionis reverentiâ rem gererent.

Sæpe etiam Reges, ac Principes bellum ſacrum inituri, ſe ſuaque omnia Pontificibus tuenda commendabant. Hæc obvia & nota tantùm referimus. Neque dumtaxat in ſacris, ſed etiam in omnibus bellis, pacto de pace fœdere, hujus firmandi & exequendi gratiâ, Sedi Apoſtolicæ ſe ultrò ſubmittebant ; aliiſque multis modis ſe religionis nomine ac reverentiâ tutabantur ; quibus fieret ut ſæcularia negotia maxima, Romæ potiſſimùm coram Pontifice tractarentur.

Per eam interim occaſionem ſpiritualis poteſtas multa Regum jura invadebat ; cùmque id perſpicerent boni ac pii Principes, non ſemper repugnabant.

Notum illud in teſtamento Sancti Ludovici, quo Rex ſanctiſſimus & maximus, Philippo filio & ſucceſſori colendam omni ſtudio Eccleſiam commendat his verbis : *Cùm Philippo Regi avo meo* (Auguſtus ille eſt) *Conſiliarii indicarent à Sanctâ Eccleſiâ multis modis ejus jura invadi & minui, ac mirum videri ſibi quòd hæc æquo animo ferre videretur ; reſpondiſſe memorant optimum Principem : hæc quidem ſibi nota, cùm tamen conſideraret quanta à Deo ſibi conceſſa eſſent, malle de jure ſuo decedere, quàm ſanctæ Eccleſiæ contentionem ac litem movere, aut creare incommodum.* Digna quidem Chriſtianiſſimo ac maximo Rege ſententia ! Quâ tamen interim demonſtretur, non eſſe ſemper pro vero innatoque Eccleſiæ jure reputandum id quod ea egerit, habuerit, decreverit, tacentibus Regibus ; ſed diligentiſſimè ſecernenda, quæ à Chriſto conceſſa ſint, ab iis, quæ Regum autoritate, conſenſu, permiſſu, conniventiâ, ſilentio denique geſſerit aut habuerit.

Teſt. S. Lud. poſt Hiſtor. de Joinv. vid. Mon. S. Diony. ap. Duch. tom. v.

Quod itidem uſu venit in Eccleſiaſticis rebus, quas ſæpe videmus Regibus attributas. Sic Imperatores id ſibi ſexto etiam ſæculo & Gregorii Magni tempore vindicabant, ut nemo in cathedrâ Petri etiam electus ſederet, niſi qui ipſis probaretur. Sic in Epiſcopatus omnes, Reges Franci, primæ quoque dynaſtiæ tempore, atque aliarum gentium Reges, id ſibi juris tribuebant,

bant, ut nonniſi eorum voluntate ac juſſu Epiſcopi fierent; eòque res devenit, ut editâ formulâ, à ſe deſignatis prædicationis munus injungerent, ac *Pontificalem in nomine Dei committerent dignitatem*; eos denique à Metropolitanis, cæteriſque Coepiſcopis benedici præciperent. Sic denique à tot ſæculis, tot Præbendas, tot Eccleſiaſticas dignitates, tot alia Beneficia cum curâ & ſine curâ, vel *Regalium*, vel alio quocumque nomine, pleno etiam jure conferunt. Non ideò adverſarii hæc omnia Regibus eſſe innata per ſe, imò verò ab Eccleſiâ manâſſe decernent: ac tametſi nullæ conceſſiones producuntur, valere tamen ea omnia ex conſenſione tacitâ facilè demonſtrabunt. Quid ita? Quia ſcilicèt ipſa rerum natura docet Eccleſiaſtica nonniſi per Eccleſiam haberi poſſe. Sic ubi Eccleſia feudos adimit, concedit, aut aliud quid ex civili poteſtate decerpit, ea civilis poteſtatis conſenſioni, ſaltem tacitæ, accepta referemus.

Marculp. lib. j. form. cap. v. vj. vij. tom. xij. Bibl. Par. p. 771.

Sanè paſſim occurrit in Imperatorum, Regumque authenticis & capitularibus, ut qui hæc & hæc fecerit, ſacro ordine deponatur, excommunicetur, in pœnitentiam redigatur: quæ haud minùs intelligimus Canonum autoritate fieri; tametſi non id ſemper expreſſum eſt.

Capit. tom. ij. t.t. xxiv. cap. x. pag. 94.

Multa etiam à Regibus de Eccleſiis ordinandis edicta ſunt, quæ in Canonibus vix ac ne vix quidem invenire poſſumus. Conſenſu Eccleſiæ valere ea facilè intelligimus.

Sit etiam id exempli cauſâ poſitum. Decernit ita Carolus Calvus: *Hæc ſi quis tranſgreſſus fuerit, anathematis vindictâ feriatur, & Comitis diſtrictione conſtringatur*: quæ uno licèt tenore poſita, tamen ad ſuos fontes quæque revocamus. Sic cùm Pontifices eodem contextu Eccleſiaſticis civilia miſcent, ſanè meminerimus haud minùs ſecernenda eſſe, quæ ipſis per ſeſe competant, ab iis, quæ à civili poteſtate mutuantur.

Nempè utriuſque poteſtatis ſancta ſocietas poſtulabat, ut altera alterius munia in ſpeciem uſurparet, eo jure, quo amici amicorum rebus utuntur: his certè omnibus communi ſocietate & conſenſione valituris. Quò ſpectans ſanctus vir Petrus Damiani Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, hoc à nobis jam commemoratum tradidit: *Quodam mutua charitatis Glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege.* Ac poſteà: *Ceterùm* (Pontifex) *delinquentes, cùm cauſa dictaverit, forenſi lege coerceat; & ipſe Rex cum ſuis Epiſcopis ſuper animarum ſtatu, prolatâ ſacrorum Canonum autoritate decernat.* Quæ quidem mirè congruunt cum his quæ de Conciliis Lateranenſibus III. & IV. diximus. Quo enim jure Reges ex Canonibus, ſuper animarum ſtatu, toties cum Epiſcopis decreverunt; eodem jure Pontifices, in Conciliis Lateranenſibus III. & IV. ſuper temporalia, cum Regibus Synodo adhæreſcentibus atque præſentibus, ex legum autoritate decreviſſe vidimus. Reliqua hujus loci verba ex antedictis repetat, cui hæc recolere eſt animus. Hìc tantùm volumus, ut cum ſummo viro, & Pontificia ab Regiis diſtinguantur officia, & liquidò appareat, ſic Regem inter & Pontificem conſentire, ut ſi quid alter ex altero uſurpârit, id ambobus volentibus, conſenſione mutuâ, tacitâ vel expreſſâ factum, neutri fraudi eſſe poſſit.

Sup. lib. ij. cap. xxix. Pet. Dam. diſcept. ſyn. tom. ix. Conc. pag. 1172. & int. op. Dam. tom. iij. opuſc. iv. pag. 30.

Hoc ſocietatis ac mutuæ amicitiæ jure Lucius III. capite, *ad abolendam*

Ext. Greg. ix. lib. v. tit. vij. cap. ix.

de hæreticis ſtatuit, *ut Comites, Barones, Rectores, & Conſules civitatum & aliorum locorum.... niſi requiſiti Eccleſiam adjuvent contra hæreticos..... honore quem obtinent ſpolientur, neque ad alios aſſumantur.*

Sext. Decr. lib. v. tit. ix. *de pæn.* cap. v. *felicis.*

Hoc jure vel nullo, Bonifacius VIII. capite *Felicis*, *de pœnis*, in Sexto, in eum qui Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus hæc ſtatuit : *Ut ſit infamis, diffidatus (a), bannitus, inteſtabilis, ab omni ſucceſſione repulſus : dentur cuncta ejus ædificia in ruinam : nullus ei debita reddere, nullus reſpondere in judicio teneatur : bona ejus fiſco vel Reipublicæ dominio applicentur ; neque eorum filiis aut nepotibus ulla unquam pateat janua dignitatis aut honoris Eccleſiaſtici vel mundani, nullus aditus ad legitimos actus.* Tot merè temporalia, ſi in Eccleſiæ ac Pontificum poteſtate ſint, eo tantùm nomine, quòd Eccleſiæ ſint utilia ; utilitas Eccleſiaſtica nunquam deerit, quâ Pontifices ſemper & ubique inconſultis etiam invitiſque Principibus, de temporalibus decernant, atque abſolutè regnent : quod, nec ipſe, credo, Bellarminus dixerit. Quare eſt neceſſe aſſentiantur omnes, hæc decreta, quatenùs de temporalibus ſtatuunt, non aliter valere poſſe, quàm conſenſu Principum tacito vel expreſſo ; prælatamque ſemel à Conciliis III. & IV. Lateranenſibus lucem ſequi omninò nos oportet.

Hæc ad Canones Conciliorum Lateranenſium III. & IV. ex Lateranenſis III. luculentâ interpretatione aliiſque monumentis, dicenda habebamus.

CAPUT VI.

De FRIDERICO II. *depoſito : ſub* GREGORIO IX. *acta : excommunicatus, deinde depoſitus, à* S. LUDOVICO *& Gallis pro Imperatore eſt habitus : Concilium Oecumenicum à Gallis requiſitum, à* GREGORIO IX. *Romam convocatum.*

DEVENIMUS ad Friderici II. depoſitionem ; atque hanc primam invenimus in Concilio Œcumenico promulgatam : quo nomine dignam arbitramur, quam diligentiùs conſideremus ; ſed primùm ſunt exponenda quæ anteceſſerunt.

Quòd ergò Imperator Fridericus II. voto, juramento, ac pœnâ excommunicationis ultrò ſuſceptâ, ad ſacrum bellum obſtrictus, nec promiſſis ſteterat, & Chriſtianos, eâ ſpe magna conatos ac poſteà deſtitutos, in gravia incommoda conjecerat ; Gregorius IX. anno 1228. eam dixit ſententiam, quam ſuprà aliâ occaſione retulimus : *Imperatorem Fridericum excommunicatum, quam[illegible]m inviti, publicè nunciamus & mandamus ab omnibus arctiùs evitari : contra ipſum, ſi contumacia ejus exegerit, graviùs proceſſuri.* Sic nominatim eum excommunicabat : gravius aliquid, depoſitionem nempe excommunicationi additam intentabat ; nondùm deponebat.

Sup. lib. j. ſect. i. cap. xxix. Greg. ix. epiſt. ij. tom. Conc. xj. p. 315. Matt. Par. p. 308.

(a) *Diffidatus.*] *Diffidare propriè eſt à fide quam quis alicui debet, aut pollicitus eſt per literas deficere*, inquit DUCANGE Gloſſar. mediæ & infimæ Latinitatis.

Digitized by Google

Cùm autem Fridericus Reges ac Regna, præſertim verò Anglos recenti ſervitute, per Joannem *ſine terrâ* Romano Pontifici obſtrictos, eâque re indignatos adversùs Romanam Curiam, quibus poſſet clamoribus concitaret, ac Romanæ Eccleſiæ civitates invaderet, Gregorius quoque altiùs inclamavit; datiſque ad Romanum ſuum ad Francos Legatum literis, mandat: *Quatenùs per terram Legationis ſuæ hæc ſolenniter prædicans Chriſti fidelibus, eos inducat, ut pro ſtatu fidei & religionis obſervantiâ ſtent ex animo, tanquam proſequentes ſinguli proprium intereſſe.*

Matt. Par. ibid.

Ibid. pag. 349. & ep. 11j. Greg. ix. tom. xj. Conc. pag. 316.

Tunc ea contigerunt, quæ ſunt aliâ occaſione à nobis ſcripta paucis, & à Matthæo Pariſienſi, ejus ævi ſcriptore fusè memorata. *Eodem anno * Fridericus Imperator, mare Mediterraneum ingreſſus, ut Domino peregrinationis votum perſolveret, apud Achon applicuit. Venientes ei obviam Clerus terræ & populus, cum magno honore, ut tantum decebat virum, illum receperunt: verumtamen, quoniam noverant eum à Papâ excommunicatum, non ei communicaverunt in oſculo, neque in menſâ; ſed conſuluerunt ut Domino Papæ ſatisfaciens, rediret ad Sanctæ Eccleſiæ unitatem. Templarii verò & Hoſpitalarii in adventu ejus flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deoſculantes, & omnis fidelium, qui aderat exercitus, glorificabat Dominum in adventu ipſius, ſperantes quòd per eum ſalus fieret in Iſrael.* Ergò Imperatorem ut excommunicatum habebant, & à communione ejus abſtinebant *in oſculo & in menſâ*, ut jam ſuprà diximus, cæterùm ut Imperatorem honorabant.

Sup. lib. j. loc. mox cit.

* 1228.

Matt. Par. loc. cit.

Parebant etiam; eumque ut ducem ſequebantur Principes & rectores exercitûs Chriſtiani, *Dux* ſcilicèt *Lemburgenſis, Patriarcha Hieroſolimitanus, Archiepiſcopi Nazarenſis, Cæſarienſis, Narbonenſis, Epiſcopi Vintonienſis & Exonienſis, ac Magiſtri hoſpitalis ac Teutonicorum*; qui omnes Eccleſiaſtici æquè ac laici, *præparatis omnibus ad progrediendum neceſſariis, proceſſerunt feliciter, prævio Imperatore, & apud Joppen proſperè pervenerunt.* Ib. p. 351.

Pergit Hiſtoricus: *Anno 1229. Papa Gregorius nimis moleſtè ferens quòd Romanorum Imperator excommunicatus & rebellis, ad terram ſanctam tranſierat, de illius pœnitentiâ deſperabat. Decrevit ergò eum, quem contumacem vidit & rebellem, ab Imperiali faſtigio depellere, & alium quemlibet filium pacis & obedientiæ, loco ejus ſubrogare.* Ib. p. 353.

Intereà Geroldus Patriarcha Hieroſolimitanus, datis ad univerſos Chriſti fideles literis, de Friderico multa conqueritur: at nihilominùs ubique Imperatorem appellat. Id. p. 359.

Anno 1229. *videns Dominus Papa robur & conſtantiam Imperatoris nondùm enervatam, ſibi & Romanæ Eccleſiæ nondùm incurvari, miſit per totam Allemaniam Prælatis magnificis, & aliàs manentibus, epiſtolas prolixas, commonitorias, & præcepit diſtrictè, ut omnes inſurgerent in Imperatorem, Deo & Romanæ Eccleſiæ rebellem.... abſolvit etiam omnes qui eidem fidelitatis juramento tenebantur adſtricti.* Hæc Matthæus Pariſienſis parùm Pontifici ceſſiſſe memorat. Quas cauſas attulit, referre non libet, nec niſi neceſſaria memoramus. Id. p. 362

Extat ea depoſitionis ſententia in Conciliorum voluminibus, ubi iteratâ excommunicatione, ſic legitur: *Omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur,* Greg. ix.

Ep. ad Ott. Card. tom. xj. p. 339. *decernendo ab obſervatione juramenti ejuſmodi abſolutos, & firmiter prohibendo, ne ſibi fidelitatem obſervent, donec fuerit vinculo excommunicationis adſtrictus.*

Ne tamen dixeris depoſitionem per ſe cum excommunicatione connexam, cùm Fridericum vinculo excommunicationis adſtrictum, prohibente nemine, ne ipſo quidem Pontifice, regnâſſe videamus; ſed ipſe ſententiæ ſuæ, quem vellet adhibebat modum.

Ep. xij. ib. p. 348. Alio dato diplomate, ait, Fridericum aſſeruiſſe hæreſim, *dùm conſtanter proponeret*, inquit, *quòd per nos tanquam Chriſti Vicarium excommunicationis vinculo adſtringi non potuit.* Quòd autem negaverit paſſim ſe potuiſſe deponi, hæreſi non imputatur: adeò hæc diverſâ autoritate conſtant.

Intereà illa contigit memorabilis ad Regem S. Ludovicum & *Francorum Baronagium*, de Roberto Regis fratre ad imperium eligendo, Gregorii IX. Legatio. Franci pro Regni Francici nobilitate ac domûs Regiæ dignitate, magnificè multa; cæterùm, quod ad rem noſtram attinet, reſponderunt: *Si Fridericus* ab apice Imperiali, *meritis exigentibus, deponendus eſſet, nonniſi per generale Concilium caſſandus judicaretur.* Matthæus Pariſienſis memorat addidiſſe eos: *Inſontem ſibi videri adhuc Fridericum, neque quid ſiniſtri in eo viſum, vel in fidelitate ſæculari, vel fide Catholicâ; miſſuros ad Imperatorem qui quomodò de fide Catholicâ ſentiat diligenter inquirant: tum ipſum, imò etiam ipſum Papam, ſi malè de Deo ſenſerit, uſque ad internecionem perſecuturos.* Quæ quidem non probamus omnia, ſed referimus, atque ab Hiſtoricis recenſita percurrimus.

Matt. Par. p. 517.

Credibile eſt Gregorium eâ Francorum reſponſione permotum fuiſſe ut Concilium Œcumenicum convocaret. Certum quidem eſt, Romam ab eo Pontifice fuiſſe convocatum. Fridericus Epiſcopos multos etiam Gallicanos, ad ſedem Apoſtolicam ex obedientiâ properantes, cepit. Quâ de re graviter conqueſtus eſt S. Ludovicus, datâ ad Fridericum epiſtolâ. Interim ad eum ſcribit ut ad Imperatorem, ejuſque Imperium cum Francico Regno conjunctiſſimum agnoſcit; quantùmvis Fridericus à Gregorio IX. fuiſſet anathemate & depoſitione perculſus. Addit: *Praneſtinum Epiſcopum & alios Legatos Eccleſiæ, in præjudicium veſtrum volentes ſubſidium noſtrum implorare, manifeſtè repulimus; nec in Regno noſtro contra majeſtatem veſtram potuerunt aliquid obtinere.* De Epiſcopis ſuis hæc ſignanter notat: *Nam ſicut ex eorum literis manifeſtè didicimus, nihil contra Imperialem celſitudinem excogitaverant; etiamſi ſummus Pontifex fuiſſet ad aliqua minùs debitè proceſſurus.* Hæc ſenſerunt de Imperatore depoſito Epiſcopi Gallicani: hæc ſenſit Rex, quo nullus unquam ſanctior, nullus ſapientior, aut ſedi Apoſtolicæ obedientior,

Int. epiſt. Pet. De Vin. lib. j. c. xij. vid. Nang. de geſt. S. Ludov. an. 1239. Duch. tom. v. p. 336.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quæ ſub INNOCENTIO IV. GREGORII IX. *ſucceſſore geſta : Concilium Lugdunenſe* II. *in eo acta ; atque ex his & ante dictis, argumenta contra nos.*

GREGORIO mortuo, ad Innocentium IV. habendi Concilii cura tranſmittitur. Is igitur anno 1245. Concilium convocat Lugdunum, hâc, inter alias, causâ memoratâ : *Necnon pro negotio quod inter Eccleſiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Eccleſiarum, & alios mundi Principes duximus advocandos.* Ac poſteà : *Nos dictum Principem in prædicatione noſtrâ citavimus, ut per ſe, vel per ſuos Nuntios, in Concilio celebrando compareat, reſponſurus nobis & aliis, qui aliquid contra ipſum duxerint proponendum.*

Ep. Inn. iv. tom. xj. Cõc. p. 656. Matt. Par. an. 1245.

Miſit Fridericus Procuratores ſuos, qui primùm dilationem peterent, mox *ad futurum Pontificem & Concilium futurum generalius appellarent. Atque Dominus Papa reſpondit : quòd illud erat Concilium generale, quia tam Principes ſæculares quàm Clerici, ad illud fuerant invitati ; ſed omnes qui in juriſdictione Imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permiſit, propter quòd appellationem non admittebat.*

Vid. in Cõc. Lugd. brev. not. &c. tom. xj. p. 639. 640. Matt. Par. pag. 666.

Prolata ſententia eſt in hanc formam : *Innocentius Epiſcopus, ſacro præſente Concilio, ad rei memoriam ſempiternam.* Mox relatis Friderici criminibus, atque allegatâ clavium poteſtate, addit : *Memoratum Principem..... ſuis ligatum peccatis & abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus ac denuntiamus ; & nihilominùs ſententiando privamus.* Tum abſolvit à fidelitatis juramento ſubditos ; & qui pareant vel faveant, vinculo excommunicationis adſtringit.

Tom. xj. Conc. loc. cit.
Ib. p. 645.
Ib. p. 661. Matt. Par. p. 672.

Poſteà, *Dominus Papa & Prælati aſſiſtentes Concilio, candelis accenſis, in dictum Imperatorem Fridericum, qui jam Imperator non eſt nominandus, terribiliter, recedentibus & confuſis ejus Procuratoribus, fulgurârunt.*

Hinc argumenta congerunt : depoſitum Imperatorem virtute clavium ; idque præſente Concilio generali ; adfuiſſe Principes cum Epiſcopis ; reclamâſſe neminem ; quin ab ipſo Friderico agnitam Eccleſiæ poteſtatem, cùm ab hoc Concilio ad futurum Pontificem & futurum Concilium appellârit ; agnitam etiam expreſſiſſimè à Francis, quos antiqui juris retinentiſſimos fuiſſe jactamus ; cùm etiam ipſi reſponderint id quod ſuprà vidimus : *Si Fridericus deponendus eſſet, nonniſi per generale Concilium caſſandus judicaretur* : quo reſponſo fateantur Imperia ſubjici Eccleſiaſticæ poteſtati ; neque enim referre multi, Concilione an Papæ ſubſint, quæ ſuâ jam arce dejecta ſint.

Sup. hoc lib. cap. vj.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Solutio objectorum præcedentis Capitis: duo quædam notatu digna; Depoſitio edita, SACRO PRÆSENTE CONCILIO, *non* SACRO APPROBANTE CONCILIO, *ut ſolet.*

HÆc nos ex geſtis facilè explicamus. Primùm ergò obſervari volumus in rei geſtæ ſerie, quam diligentiſſimè deſcriptam habemus, enarrari quid Pontifex, quidve alii dixerint. De nullâ autem aliâ re tractatum videmus quàm de Friderici ſceleribus, decretiſque in eum latis; de his quæſitum, deliberatumque eſſe: an autem datum Eccleſiæ à Chriſto ſit ut Reges deponeret, ne inquiſitum quidem fuiſſe; neque quidquam eâ de re dictum; neque hîc in tantâ Synodo, neque alibi uſquam: quod tamen vel ſemel fieri oportebat.

Reſp. Hiſt. Theol. colô. 1683. p. 64. Secundò notamus ſingularem formulam: *Sacro præſente Concilio.* Et quidem ille Theologiæ Profeſſor Anonymus, qui adversùs Declarationem Cleri Gallicani edidit reſponſionem Hiſtorico-Theologicam, hæc ſcribit: *Innocentius in publico totius Orbis Chriſtiani univerſali Concilio, ipſoque approbante, Fridericum Regno privat.* Vide quàm oſcitanter hæc legant, vel malâ fide referant, qui noſtra oppugnent: cùm tantùm interſit, an quid fiat, dumtaxat *ſacro præſente Concilio*, an etiam *ſacro approbante Concilio.* Nos autem advertimus paſſim quidem in Conciliis, ubi adeſt præſens Pontifex, edi decreta ejus nomine, ſed ubique adſcriptum: *Sacro approbante Concilio*, Tom. xj. Conc. pag. 649. 654. 655. vel aliquid ejuſdem roboris. In hâc etiam Synodo, celebrata hæc formula eſt: & de uſuris quidem, capite XIII. *præſentis Concilii approbatione ſancimus*: & *ejuſdem Concilii autoritate firmiter inhibemus*: & capite XVII. *definientes, ſacro approbante Concilio*: & *communi Concilii approbatione ſtatuimus.* Quin etiam, more Majorum in hoc quoque Concilio vidimus, ab omnibus Epiſcopis ſententiam excommunicationis pronuntiatam fuiſſe. At is qui reliqua omnia, *ſacro approbante Concilio*, decernit Pontifex, ſententiam in quâ depoſitio ſancita eſt, *ſacro* tantùm *præſente Concilio*; dictat. Ib. p. 645.

Et quidem interſerit hoc à ſe decretum eſſe, *cum fratribus & ſacro Concilio, deliberatione prehabitâ diligenti.* Aliud autem eſt, cum Epiſcopis deliberâſſe, & eorum conſilia exquiſiiſſe: aliud, Concilii autoritate atque approbatione decretum aliquid eſſe.

Ne verò arbitremur ideò illâ formulâ Pontificem pronuntiâſſe, quòd Imperatoris depoſitionem, tanquam rem maximam, ſuæ autoritati poteſtatique reſervaret. Ecce enim excommunicationem more Majorum cum ſacro Concilio ſuiſque Coepiſcopis pronuntiat: quæ tamen ſententia eò eſt gravior majoriſque poteſtatis, quo Regno cœleſti quàm terreno privari gravius eſt ac luctuoſius. Et tamen in Conciliis paſſim communi Patrum decreto atque approbatione anathemata promulgantur; communi decreto Epiſcopi deponuntur, quorum depoſitio, pro ſpiritualis poteſtatis amplitudine, majorem in Eccleſiâ poteſtatem requireret, quàm laicorum quorumcumque;

nemini denique decreto, fidei dogmata ac ſymbola ſacrique Canones pro[illegible]tur, quo nihil eſt in totâ religione majus aut gravius. Cùm igitur [illegible]ſiaſtica omnia, quanticumque ſint ponderis, communi autoritate ac *ſacro approbante Concilio* promulgentur; quæ *præſente* tantùm *Concilio* fieri dicuntur, habere ea non debemus pro Eccleſiaſticis.

Certè docent Patres, ac Theologi confitentur, quæ verè Eccleſiaſtica ſint, atque à Chriſto tradita, ea quidem in Petro & ſucceſſoribus eminere: cæterùm ad omnes manare Epiſcopos, atque in Epiſcopatu toto unam eſſe poteſtatem. Nihil enim Papæ attributum, quod non ſub ipſo & cum ipſo facere ac decernere Coepiſcopi poſſint. Rursùs ergò teſtantur Romani Pontifices, non eſſe Eccleſiaſticam Principes deponendi poteſtatem, quam ſoli exerceant.

CAPUT IX.

De ſtatu Imperii Romano-Germanici quædam quæ ad objectorum ſolutionem ſpectant.

TERTIÒ notamus, reverâ Imperatores Germanos, ſeu Romano-Germanicos eâ conditione fuiſſe, ut Romani Pontifices exiſtimarent, præter illam poteſtatem, quam à Chriſto haberent in omnem animam Chriſtianam, aliquid ſibi peculiaris juris in eos, proceſſu temporis quæſitum & comparatum fuiſſe. Neque tantùm Romanos Pontifices, ſed etiam alios multos in eam ſententiam conſenſiſſe.

Placet colligere hîc paucis, quæ ſparſim eâ de re monumenta extent, quorum etiam partem maximam ſuo loco retulimus. Sup. lib. ij. cap. xxxiij.

Primùm autem vidimus, quæ à Baronio relata ſunt, ut probaret jam pridem ſub Othonibus, Imperium Romano-Germanicum ejuſque Imperatores, Romanis Pontificibus ita fuiſſe obnoxios, ut ab eis acciperent, non modò imperium, ſed etiam ſucceſſoris deſignandi poteſtatem. Hoc primum: tum illud conſecutum, ut extinctâ Othonum familiâ, Romani Pontifices, ſuâ autoritate deſignarent eos Germaniæ Principes, qui Regem Teutonum eligerent, in Romanum poſtea Imperatorem à Romano Pontifice promovendum. Quæ quidem Baronius à Gregorio V. Germano, anno Chriſti 996. circa ipſa initia imperii Romano-Germanici conſtituta eſſe memorat. Ibid. cap. xl. Bar. tom. x. an. 964. p. 783. 784. an. 996. p. 909.

Hæc ſi tam vera ſunt, quàm à Baronio magnâ vi affirmantur, fateri nos oportet, Imperium Romano-Germanicum, ejuſque Imperatores, in ipſâ ſuâ origine Romanis Pontificibus, quoad ipſa temporalia fuiſſe obnoxios.

Non ita multò poſt circa Gregorii VII. tempora audivimus, quid autor vitæ Henrici IV. ſcripſerit; nempè ad eum Pontificem à Germanis perduellibus fuiſſe jactatum, *non decere* (Henricum IV.) *tam flagitioſum, plus notum crimine quam nomine, regnare, maximè cùm ſibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ ſuum jus in conſtituendis Regibus reddi: providerent Apoſtolicus & Roma ex conſilio Principum, cujus vita & ſapientia tanto honori congrueret.* Hæc igitur à Germanis Gregorio VII. fuiſſe ſuggeſta narrat coævus Hiſtoricus: *Quâ ſubreptione deluſum Apoſtolicum, ſimul & ho-* Sup lib. j. ſect. j. cap. xij. Urſt p. 382.

Digitized by Google

nore creandi Regis quem ſibi fallaciter obtulerant. Quæ profectò oſten... his jam temporibus, in Romano Pontifice fuiſſe notatum peculiare aliqu... jus ad conſtituendum eum Regem, qui poſtea Imperator futurus eſſet; atque ad eùm poſteà deponendum.

Ibid. Hunc ad locum pertinet illud, ab eodem Gregorio VII. Romanis Imperatoribus poſtulatum, regiæ fidelitatis ſacramentum, quod memoravimus ſuprà.

Gotf. Viterb. chron. Sub Paſchale II. qui Romanus Pontifex à Gregorio VII. eſt tertius, ab hujus ævi hiſtorico Gotfrido Viterbienſi relata hæc ſunt, tanquam à Romanis Pontificibus dicerentur:

Imperium dedimus, tu pauca dediſſe videris;
Imperio noſtro, Cæſar Romanus haberis.

Hinc profectum illud, quod ex Radevico retulimus, de Imperatore Lothario Saxone inſcriptum Lateranenſi Palatio:

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores.
Poſt Homo *fit Papæ, ſumit quo dante coronam.*

Sup. lib. iij. c. xviij. Radev. de geſt. Frid. j. cap. x Urſt. pag. 482. Huc etiam facit, id quod eſt ab Adriano IV. ad Fridericum I. ſcriptum de *beneficio*, atque inſigni coronæ Imperatoriæ per Pontificem dato: quæ quanquam ab ipſo Pontifice eraſa & emollita, uſque adeò Pontificis animo adhærebant, ut poſteà rurſùs ad Fridericum ſcriberet, datum à ſe imperium atque auferri poſſe, à quo datum eſſet.

Sup. ibid. *An. 1163. Serm. Arnulph. Lex. in Concil. Tur. tom. x. pag. 1415. Id paſſim fuiſſe creditum teſtatur paulò poſt in Concilio Turonenſi * habitâ ab Arnulpho Lexovienſi concio, quâ, ubi docuit eam quam Fridericus I. Imperator communem cum cæteris Eccleſiæ debebat obedientiam, hæc ſubdit: *Præterea ſpecialem cauſam habet quâ ſanctam Romanam Eccleſiam dominam recognoſcere debet: alioquin manifeſtiſſimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus hiſtorias, certum erit prædeceſſores ejus Imperium non de alio jure, quàm de ſolâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratiâ percepiſſe. Nihil igitur plus juris vendicare Principes poſſunt, quàm quod in eos contulit dignatio largientis.*

Inn. iij. ext. lib. j. tit. vj. *De electione.* cap. *Venerabilem.* Neque ita multò poſt Innocentius III. hæc declarat: de Electoribus quidem, jus eorum omne ab Apoſtolicâ ſede deſcendere, de electâ verò perſonâ, ſi indigna haberetur, eam à Romano Pontifice rejici poſſe, ne Eccleſia Romana idoneo defenſore carere cogeretur: quæ in gratiam Friderici II. facta & ab eo agnita, ejus deponendi jus Romano Pontifici tribuebant.

Clem. lib. ij. tit. ix. *De jurejur.* cap. unico *Principes Rom.* Huc accedit, quòd jam pridem Romanis Pontificibus ab Imperatoribus id præſtitum fuerat juramentum, quod *fidelitatis* fuiſſe Romani Pontifices poſtea declaraverunt: ſummi certè obſequii fuiſſe nemo diffitetur.

Cùm ergò hæc, & ſibi Romani Pontifices vendicarent, & omnes paſſim pronis animis acciperent; haud abſurdum videbatur dejici Imperio poſſe Imperatores, qui erga Pontificem, quo autore regnarent, debito ac jurato officio defuiſſent: quam in ſententiam toto jam Orbe vulgatam. Lugdunenſes

Digitized by Google

nenſes Patres, Pontificio honori faventes, facilè adductos eſſe nihil mirum eſt.

Quod autem jus illud quæſitum & adſcititium, Romani Pontifices cum Apoſtolicâ poteſtate ſedi ſuæ innatâ pariter exercerent, ſimulque Imperatorem excommunicarent, atque deponerent; excommunicationis quidem Epiſcopi ut participes clavium, pro antiquo jure ac more, ſe ſocios adhibebant; depoſitionem verò, in quâ jus ſibi nullum, neque innatum neque quæſitum vendicarent, nolebant à ſe, aut pro poteſtate decretam, aut approbatione ſolenni firmatam; ſed tantùm, quod res erat, præſentes eſſe ſe, atque etiam in conſilium adhibitos fatebantur. Quo ritu aliquid, quod verè eſſet Eccleſiaſticum, ab Epiſcopis geſtum nemo unquam in Conciliorum actis oſtendet.

Neque tamen arbitramur, ſi hæc in Fridericum, ſacro Concilio approbante, geſta eſſent, ideò ſtatim rem eſſe confectam; quærendumque ſupereſſet, an ita geſta ſint, ut ſolent ea, quibus certa Eccleſiæ fides ſummaque autoritas explicatur, ut dictum eſt ſupra. Conſentiunt enim Catholici omnes, non ejuſdem eſſe generis, quæ in Conciliis etiam Œcumenicis fiunt; quæque expreſsè quæſita, quæ de fide, quæ lato canone ſancita ſunt, magno ab aliis habent diſcrimine, & tamen hîc maximum eſt cauſæ deploratæ argumentum, quòd Concilium generale non eam ſuſceperit, neque tali facto adſcribi voluerit ſolennem formulam: *Sacro approbante Concilio.* Sup. lib. iij. cap. 5.

Recolique hîc volumus, id quod eſt à nobis perpetuâ rerum ſerie demonſtratum: quæcumque hactenus à Romanis Pontificibus, ad deponendos Reges, etiam in Synodis ſunt geſta, in iis, Deo ita providente, nunquam, ac ſemel quidem adſcriptum, hæc Patrum conſenſione, approbatione, decreto geſta eſſe: quæ formula, cùm in cæteris Eccleſiaſticis decretis, Pontifice præeunte perpetua ſolenniſque ſit, certum eſt hæc quidem, quanquam Petri nomine agi videbantur, longo diſcrimine diſtincta à reliquis, quæ certò, verèque eſſent Eccleſiaſtica.

Ex antedictis ſolvimus, quæ de Francis Imperia Concilio generali ſubjicientibus ſunt objecta. Et quidem, ſi Franci id vel maximè tertio decimo ſæculo facere incepiſſent, gliſcente imperitiâ, tamen anteactis ſæculis ſtare nos oportet; quantò magis cùm id nequidem cogitaverint?

Primùm enim, ſi quis ſtrictè eorum ad Gregorium IX. de deponendo Imperatore reſponſa perpenderit, inveniet ab iis non abſolutè dictum, Imperatorem à Concilio deponi poſſe; ſed, *ſi exigentibus meritis deponendus eſſet, nonniſi à Concilio generali caſſandum videri:* tum etiam illud de Imperio Romano-Germanico dici, quod ſingulari titulo Eccleſiæ obnoxium credebatur; putabantque noſtri tantam rem, qualis eſt depoſitio Romani Imperatoris, qui Reipublicæ Chriſtianæ caput haberetur, ad Romanam licèt Eccleſiam pertineret, nonniſi exquiſito totius Orbis Concilio perfici debuiſſe, aut etiam potuiſſe. Cæterùm coronam Franciæ, nec Papæ, nec Concilio, Franci unquam ſubjecerunt. Imò verò non multò poſt, Bonifacii ſcilicet VIII. tempore, cùm objicerentur eis depoſiti Imperatores, hæc ſta-

Tract. Joã. de Par. de pot. Reg. & Pap. cap. xv. vind. Maj. lib. ij. pag. 107. vid. ib. quæſt. de pot. Pap. pag. 188.

tim reponebant : *Quod dicitur, quòd Papa deponit Imperatorem : reſpondeo, verum eſt illum quem ipſe poſuit, quia ab ipſo accepit feudum.* Et de Friderico II. diſertè : *Quod autem dicitur de Friderico, quem depoſuit Innocentius IV. dico quòd verum eſt, & de illo Imperatore concedo ; quòd Papa eſt ejus Dominus temporalis, quoniam ille Imperator fit per electionem, & a Papâ confirmationem recipit & coronam ; ſed nihil horum eſt in Rege Franciæ.* Hæc noſtri quadraginta circiter poſt Fridericum depoſitum annis, facti recente memoriâ, reſpondebant.

Matt. Par. an. 1239. p. 518.

Quò etiam pertinebat illud, ſancti Ludovici tempore, à Francorum Legatis dictum : Regem Franciæ, *quem linea Regii ſanguinis* provexit ad ſceptra Francorum, excellentiorem eſſe aliquo Imperatore, quem ſola electio provehit voluntaria. Quantùm autem noſtri ab eo abſuerint, ut coronam Franciæ ulli alteri, quam Deo ſubditam eſſe vellent, Bonifaciana, quæ jam retulimus, geſta demonſtrant.

Sup. lib. iij. c. xxiij. & ſeq.

CAPUT X.

Conſtantienſia & Baſilienſia decreta : SIGISMUNDI *Imperatoris in Synodo Conſtantienſi Imperiale decretum : ejuſdem Imperatoris de Romano-Germanici Imperii Principibus, declaratio.*

FACILE eſt ex antedictis, Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis, ea quæ objiciunt decreta explicare. Pari enim ratione dicimus, ſi quid ibi à Patribus de pœnis temporalibus decernatur, id fieri conſenſu Principum, qui ex toto Orbe Chriſtiano per Legatos aderant : eoque jure, quo Eccleſia ad temporales pœnas inferendas, Principum Conſtitutionibus adjuvatur.

Concil. Conſt. Seſſ. xiv. tom. xij. p. 115. 116.

Id verò ex ipſo Conſtantienſi Concilio ſatis conſtat. Anno enim 1415. Seſſione XIV. decretum legimus hoc titulo : *Quòd Imperator det operam, ut Concilium ſit tutum.* Sic autem decernit : *Sacroſancta Synodus exhortatur invictiſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ Regem, quatenus placeat patentes literas ſub ſuæ Majeſtatis ſigillis dare, & omnibus Principibus, Vaſſallis & ſubditis ſacri Imperii, & præſertim civibus & incolis civitatis Conſtantienſis præcipere & mandare, quòd manutenebunt & defendent prædictum Concilium.... quandiu duraverit, & quicumque... non obſervaverit.... ſententiam Imperialis banni incurrat, perpetuò ſit infamis, nec ei unquam porta dignitatis pateant.... omnibus feudis.... ſit ipſo jure privatus.* Quæ ad Eccleſiaſticam dignitatem & utilitatem maximè pertinentia, ſi per ſeſe ſancta Synodus decernere potuiſſet, non erat cur à Rege requireret.

Quâ de re Rex decernit his verbis : *Qui ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum, & utrorumque miniſteria ordine miro diſpenſans, ſicut choros Angelicos variis dignitatibus.... mirabiliter inſignivit ; ſic & Eccleſiam adhuc militantem in terris, diverſis tam ſpiritualium quàm temporalium*

Digitized by Google

diſtinxit titulis poteſtatum, ut pulchra fidelibus, & infidelibus terribilis apparens, ut caſtrorum acies ordinata procedat. Quâ temporalium & ſpiritualium diſtinctione ex jure divino explicatâ, temporales pœnas ipſe decernit, utilitati Eccleſiaſticæ ſervituras. At ſi has Eccleſia per ſeſe inferre potuiſſet, diſtinctionem vanam, neque ex jure divino Imperator explicâſſet, neque ſancta Synodus recepiſſet.

Per ea tempora Fridericus Dux Auſtriæ Georgium Epiſcopum Tridentinum, ejus civitatis aliorumque locorum poſſeſſione dejecerat. Res ad Imperatorem delata per Epiſcopum; Dux Epiſcopo reſtituere juſſus, Imperatoris juſſis non ſtetit. Seſſione XXVIII. Epiſcopus poſtulat à Concilio Conſtantienſi monitorias literas, quibus Dux bonis occupatis cedere cogeretur, ſub pœnis in Conſtitutionibus Caroli IV. (*b*) Imperatoris editis aliiſque gravioribus. Eâdem Seſſione XXVIII. dat Synodus monitorium, quo declarat, Fridericum Ducem incidiſſe in pœnas *privationis feudorum & inhabilitationis in Conſtitutione Carolinâ contentas*, addito anathematis vinculo. Non ergò has pœnas per ſe decernit, ſed Principum adjuta Conſtitutionibus. Ibid. Seſſ. xxviij. pag. 208. 211.

Multa ſanè decreta ſunt à Principibus adversùs eos qui in hæreſi obſtinatè permanſerint, quique in excommunicatione ſorduerint. Ea verò legimus in Conſtitutione Friderici II. memorata ſuprà, eademque ab aliis poſteà Principibus decreta, confirmata, amplificata ſunt; quibus adjuta Synodus Conſtantienſis decernit, contumaces adversùs Eccleſiam *ſpiritualiter* & *temporaliter* puniendos, ut eſt in decreto, *contra invaſores accedentium & recedentium a Concilio*, & in *monitorio contra Philippum Comitem Virtutum.* Conſtit. Cõc. Cõſt. cont. invaſ. Seſſ. xv. p. 144. vid. Seſſ. xxxj. p. 216.

Quo etiam ex fonte manavit id quod eſt à Martino V. ſacro Conſtantienſi Concilio approbante, editum in Bullâ, *inter cunctas*, adversùs Wiclefi Huſſique defenſores; nempè, *ut quâcumque dignitate præfulgeant, etiamſi Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Regali, Reginali, Ducali*, in eos ab Epiſcopis atque Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, *inquiratur*; ab iiſque *per excommunicationis pœnam, ſuſpenſionis, interdicti, necnon privationis dignitatum, perſonatuum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac feudorum, quæ à quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, ac aliis locis Eccleſiaſticis obtinent, ac etiam bonorum, & dignitatum ſæcularium, ac graduum ſcientiarum, quarumcunque Facultatum, & per alias pœnas, ſententias & cenſuras Eccleſiaſticas, ac vias & modos, quos ad hoc expedire viderint.* Ibid. poſt Seſſ. xlv. p. 271. Quæ conglobata licèt, quis non videat jure tamen diverſiſſimo decerni, nec ab eodem fonte manare, confuſèque dicta, tamen congruè aptèque ſingulorum ratione habitâ, intelligi exercerique debere? Quis enim cùm audiat eodem tenore intentari *privationem bonorum ac dignitatum ſæcularium*,

(*b*) *In Conſtitutionibus Caroli IV.*] Is Rex Bohemiæ, deinde an. 1346. factus Imperator, edidit an. 1355. celebrem *Bullam auream*, de Imperatoris Romani electione. Hic cognominatus eſt *Sacerdotum Imperator.* Fuit enim in viros Eccleſiaſticos adeò pius, ut an. 1359. Conſtitutione ſanciverit, *Sub Imperialis banni pœnâ, Principibus & aliis in officiis publicis conſtitutis, quatenus ſtatuta in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis edita, omnino revocarent.* Addebat: *Quòd quicumque Sacerdotem aut Clericum diffidaret, proſcriberet, captivaret, ſpoliaret, occideret, mutilaret, præter pœnas à ſacris canonibus inflictas, redderetur infamis, nec ad conſilia nobilium admitteretur.* Vid. Goldaſt. Conſt. Imp. tom. ij. p. 92. Illâ igitur Imperiali Conſtitutione adjuta Synodus Conſtantienſis, pœnas decernit etiam temporales.

ac graduum ſcientiarum quarumcumque Facultatum; quis, inquam, cùm hæc audiat colligata, ideò putet ab iiſdem Inquiſitoribus, dignitates omnes, etiam, ſi Deo placet, Regiam pari jure tolli poſſe, ac Doctoratum, Baccalaureatum & magiſterium artium? Quare hæc omnia conglobatim licèt dicta atque congeſta, tamen diligenter ſecerni oportere, luce eſt clarius.

Ac ſi vel maximè hujus vi decreti etiam Regna tolli poſſunt; quis vetet intelligi de iis Regnis, quæ ſunt feudi Eccleſiaſtici; cùm expreſsè dicatur tolli quidem feudos, ſed eos, *qui à quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, ac aliis locis Eccleſiaſticis obtinentur?*

Seſſ. xix. in confir. Conſt. Frid. ij. & Caroline. vid. p. 273. & ſeq.

Vel decretum Seſſionis XIX. audiamus, contra invaſores Eccleſiaſticæ libertatis atque ditionis. Ibi inveniemus inter bona Eccleſiaſtica, quæ occupata reddi debeant, bis terque recenſeri, *Regna, Provincias, Comitatus, Dominia, Territoria, Civitates.* Neque immeritò; cùm Regna utriuſque Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, ad Eccleſiæ Romanæ Feudum certâ poſſeſſione pertinere conſtet, ut alia Regna omittamus, quæ ſe ultrò huic conditioni ſubjecerint, atque etiam Imperium Romano-Germanicum, quod eodem, vel ſimili jure habere pertendunt; ut profectò nec mirum eſſet, ſi in Concilio Conſtantienſi, privati fuiſſent Reges, qui amplexi hæreſim, juratam Eccleſiæ Romanæ fidelitatem ejurâſſent. Ut autem eodem jure, Franciæ aut Caſtellæ, quo Sardiniæ aut Corſicæ Regna adimantur, neque quis animo cogitare, neque Conſtantienſi Concilio, ſine gravi contumeliâ, tribuere poſſit.

Hæc ergò conglobatè licèt confusèque dicta, valeant aptè, congruè, diſtributivè, reſpectivè, ſuo quæque ordine ac modo; neque omnia eodem jure conſtare, aut cum poteſtate Clavium conjuncta eſſe intelligantur; ſed adhibitâ diligenti cautione, ad ſuos fontes quæque revocentur.

Ibid. Seſſ. xvij. p. 160. 161.

Quo itidem ſenſu decretum fuerit, ut qui Sigiſmundum Romanorum Regem ad Hiſpaniam pacis Eccleſiaſticæ causâ profecturum impediant, *quâcumque dignitate, aut Eccleſiaſtico Beneficio, ſeculari ve priventur.* Quatenùs ſcilicèt eæ dignitates, ea Beneficia, Eccleſiæ ſint, vel innato, vel acquiſito jure.

Ib. p. 239.

Idem dicimus de Conſtitutione ejuſdem Concilii Seſſionis XXXIX. cui eſt titulus: *Proviſio adversùs futura ſchiſmata*; quâ Bonifacii VIII. Conſtitutio, *felicis*, à nobis ſuprà memorata, adversùs eos extenditur, qui *Imperiali, Regali, Pontificali, vel aliâ quavis Eccleſiaſticâ, aut ſæculari præfulgeant dignitate:* quæ ita intelliguntur, primùm ut temporalia ad conſenſum Principum referantur; tum ut non omnia omnibus, ſed ſingulis, quæ ſingulis ſint congrua, applicentur.

Sup. hoc lib. cap. v.

Conc. Baſ. Seſſ. ix. tom. xij. p. 500. 501.

Nec alio ſenſu valent ea quæ eodem modo à Concilio Baſileenſi (*e*) ſeſſione IX. decreta ſunt *ſub pœnâ excommunicationis & privationis dignitatis cujuſlibet Eccleſiaſticæ aut mundanæ.* Neque enim illis Conſtantienſibus Baſileenſibuſque formulis uſquam exprimitur, hæc temporalia ad Eccleſiaſticum ordinem autoritate clavium ac jure divino pertinere, de quo uno

(*e*) *à Concilio Baſileenſi*,] in illo decreto irrita declarantur ea quæ adversùs Sigiſmundum Imperatorem Synodi defenſorem Eugenius IV. fecerat.

litigamus; ac facilè intelliguntur privari dignitate, etiam mundanâ, eos in quos ſibi tale jus Eccleſia comparavit.

Et quanquam Eccleſia Catholica, ſeu Concilium generale eam repræſentans, nullos per ſe feudos, nullas ejuſmodi res obtinet; ſacræ tamen Synodi, Conſtantienſis ac Baſileenſis, eo jure, quo ſe in Romanum Pontificem alioſque Prælatos illa jura obtinentes pollere intelligebant, de iis quoque decrevêre.

Novo id exemplo in his Conciliis factum eſſe confiteor; neque mirum hæc, quæ nullatenùs ad fidem perpetuamque morum doctrinam, ſed ad variabilem diſciplinam pertinent, variè tractata, ordinata, adminiſtrata fuiſſe.

Qui ergò hæc Conſtantienſia & Baſileenſia tanto ſtudio inculcant, jam credo ipſi intelligunt, nihil hæc ad noſtram quæſtionem pertinere: velimque meminerint, quâ defenſione à Concilii Conſtantienſis ſeſſionibus I V. & V. tutos ſe eſſe putent. Nempè lata illic tam clara, tam firma de Conciliorum ſuperioritate decreta, ſic elevare ſolent, quòd Concilium ſeſſione I V. *non tractet ex propoſito materias aut quæſtiones fidei, nec intendat ibi dogmata fidei ſtatuere aut hæreſes vel errores damnare;* neque id decretum fecerit *per modum definitionis; quia non additur ita ſecundùm fidem Catholicam eſſe tenendum; nec dicitur anathema contrarium ſentientibus, ac docentibus.* Hæc autor *doctrinæ Lovanienſium* ex Joanne Viggers: hæc Bellarminus & alii ſcribunt, Melchiorem Canum ſecuti, cujus hæc verba ſunt: *Si quis* (tradita in ſeſſione IV. Concilii Conſtantienſis) *diligenter expendat, inveniet ea non formam habere decreti, quo videlicèt aut fideles obligentur, aut contrarium ſentientes explodantur.*

Doct. Lov. p. 73. 74.

Bell. de Conc. aut. lib ij. cap. xix. Melch. Can. de loc. Theol. lib. v. cap. vj.

Oſtendant has formulas confuſè congeſtas, *formam habere decreti:* oſtendant in his propoſitum aliquid omnibus ad credendum: oſtendant ſaltem in iis aliquid diſtinctè dictum, quod ad rem noſtram, & ad Clavium à Domino conceſſam poteſtatem pertineat. Quod cùm intellexerint nullo modo poſſe fieri, dum hæc profectò objicere pergunt, nihil aliud quàm fucum faciunt, & imperitos ludunt.

Quòd ergò ſic argumentatur paſſim Nicolaus Dubois: vel hæc eſſe admittenda, vel Conciliorum Conſtantienſis ac Baſileenſis contemnendam autoritatem: næ ille ſuo more nugatur, qui contra Theologorum omnium, ſuaque etiam placita, res à Concilio obiter, confuſè, indiſtinctè, nullâ deliberatione dictas, æquiparet iis, quæ à Concilio diſertè, datâque operâ decretæ, ordinatæ, definitæque ſunt.

Pars 1a. refut. p. 29. 31. & paſſ.

Idem D. Dubois Synodo Baſileenſi exprobrat: quòd de feudo judicare voluerit, prohibitaque ſit ab Imperatore Sigiſmundo: quaſi verò negemus fieri potuiſſe, ut ea Synodus, aliæve, inconſultò aliena tractarent, & ab iis vetitæ abſtinerent. Sed quandoquidem hæc objicit, velim, cogitet, quæ à Sigiſmundo in his expreſſa ſint actis: *Palam ac ſolenniter proteſtati ſumus, quòd Archi-principatus, Archi-mareſchallatus, & jus eligendi Romanum Principem à nobis & ſacro Romano Imperio immediatè deſcendant, ac in feudum dependeant.* Aliâ occaſione idem Sigiſmundus ad eandem Synodum Baſileenſem hæc ſcribit: *Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm inter alios Orbis Principatus, ſacrum Romanum Imperium divinitùs inſtitutum*

App. j. Conc. Baſ. p. 968. 969.

Ibid.

Ib. p. 964.

obtineat principatum &c. Quæ à religioſiſſimo Imperatore dicta, de Principatibus divinitùs inſtitutis, noſtræ ſententiæ favent. Quatenùs autem ad Romanum ſpectant Imperium, Electorumque & aliorum Principum jura ad Imperium revocant, nullâ Romanorum Pontificum mentione, vehementiſſimè dicta decretaque videmus. Ex quo appareat in his temporalibus, nullo fidei religioniſque periculò, poſſe quædam à Romanis Pontificibus vendicata, à Romanis Imperatoribus propulſari. Sed hæc quidem parùm ad nos. Ad propoſitum revertamur.

CAPUT XI.

Concilium Lateranenſe V. ſub Julio II. *De Concilii Tridentini decreto Seſſionis XXV. capite XIX. de Reformatione: Quid noſtri etiam Curiæ Romanæ addictiſſimi ſenſerint.*

NE quid prætermittamus quod Concilii Œcumenici titulo nobis objici poſſit, recenſenda ſunt quædam quæ ſub Julio II. in Concilio Lateranenſi ſub eâ formulâ, *ſacro approbante Concilio*, decreta ſunt: imprimis illud anni 1512. quòd Rex Ludovicus XII. Regnumque Franciæ, exceptâ Britanniâ, ac maximè Lugdunenſis civitas Conciliabulo, ut aiunt, Piſano adhæſiſſent; conſtat non modò excommunicationem & interdictum pronuntiatum eſſe, ſed etiam *ex Lugduno in civitatem Gebennenſem translatas nundinas*. Sic bellis flagrantibus, Galliſque abſentibus, Julius II. in Lateranenſi Synodo hoſtili animo decernebat. Quæ quidem proferimus in exemplum eorum, quæ licèt magno nomine, nimia, & ad terrorem compoſita; atque ut nullo effectu, ita nullâ autoritate geſta, nemo cordatior diffitebitur.

Conc. Later. v. Seſſ. iij tom. xiv. pag. 83.

Objiciunt Concilii Tridentini caput *deteſtabilis* de duellis, quod eſt Seſſionis XXV. caput XIX. de Reformatione. *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites & alio quocumque nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione & dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo vel apud quem duellum permiſerint fieri, quod ab Eccleſiâ obtinent, privati intelligantur, & ſi feudalia ſunt, directis dominis ſtatim acquirantur.* Hæc conceptis verbis *de feudis Eccleſiaſticis* decreta, favent nobis potiùs quàm nocent; cùm nec tanti ſceleris atrocitate compelli potuerit ſancta Synodus, ut aliquid de feudis temporalibus decerneret. Interim cùm excommunicationem & feudi privationem pari verborum tenore decernat, hoc exemplo docet, optimè à nobis dictum, ad diverſiſſimos fontes eſſe revocanda, quæ à ſanctis Conciliis perſæpè colligata atque congeſta ſint.

Cōc. Trid. Seſſ. xxv. de refor. cap. xix. *Deteſtabilis.* tom. xiv. p. 916.

Quod addit ſacra Synodus: *Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum proſcriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant*; id à nobis relatum eſt inter eas cauſas, quibus Franciæ regnum prohibitum ſit ab acceptandis tanti Concilii de diſciplinâ ac reformatione decretis.

Bochel. Dec. Eccl. Gall lib. v. cap. xiv.

Digitized by Google

Hæc enim & ſimilia effecerunt, ut anno 1576. ſub Henrico III. in conventu Ordinum Blæſis habito, tametſi deputati ferè omnes è conjuratis ſive ex *Ligâ* erant, Curiæque Romanæ eo nomine addictiſſimi; Concilii tamen Tridentini de reformatione decreta, nonniſi eâ exceptione admitterent, *ſalvis Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus.*

Neque etiam illa ſeſſionis XXV. clauſula in Conſtitutionem Blæſenſem illata eſt; cùm tam multa ex Concilii reformatione petita eò conferrentur.

Quin etiam in eâ congregatione, quæ nomine conventûs Ordinum anno 1593. vigente *Ligâ*, habita Pariſiis eſt, à Duce ſcilicèt Meduanenſi convocata: cùm Dux Feriæ Hiſpanique Concilium recipiendum urgerent, prolati ſunt articuli, quibus Franci deterrerentur à Concilii decretis admittendis, quos inter articulos is legitur: *Concilium excommunicat & privat Regem eâ civitate, aut loco, in quo duellum permiſſum ſit:* ſeſſione XXV. Addita nota: *Hic articulus lædit poteſtatem Regis, qui temporali ſuo ullâve ejus parte privari non poſſit; cùm eo reſpectu nullum ſuperiorem agnoſcat, qualiſcumque ille ſit.* Quæ juſſu Cardinalis Pellevei, conjuratorum anteſignani, qui ſacro Ordini præſidebat, allata, eo tempore & loco ubi Romana Curia regnare videbatur, oſtendunt quàm ſit inſitum Francis ne quid Eccleſiaſticæ poteſtati in temporalia juris tribuant. (Vid. Dupleix tom. iv. Hiſtor. Henr. iv. Thuan lib. cv.)

Sic decreta de rebus temporalibus à Conciliis etiam Œcumenicis prolata, rata ſunt vel irrita, prout Principum vel conſenſione admittuntur, vel diſſenſione reſpuuntur: nedum ad clavium divinam poteſtatem aut ad fidei invariabilem regulam pertinere poſſint. Atque hæc quidem ſunt, quæ ex Conciliis Œcumenicis opponantur; pateteque clariſſimè ſacras Synodos de rebus temporalibus nihil autoritate Clavium decreviſſe.

CAPUT XII.

Noſtri ſæculi geſta ultimo loco reſervata: diſſidium Venetum, ſub PAULO V. HENRICI IV. MAGNI *operâ compoſitum.*

PRIORUM ſæculorum geſtis evolutis, quæ noſtro ævo noſtrâque memoriâ geſta ſunt, ultimo reſervamus loco.

Quòd anno 1602. Dux & Senatus Reipublicæ Venetorum de bonis immobilibus per Eccleſias ac Monaſteria, ſine Senatûs licentiâ acquirendis, quædam judicia legeſque edidiſſent, & quaſdam Eccleſiaſticas perſonas *propter prætenſa crimina carceri mancipâſſent*, Paulus V. die 17. Aprilis, anno Chriſti 1606. Pontificatûs I. Monitorium promulgavit, quò Ducem ac Senatum, niſi ea omnia certis præſtitutis temporibus revocarent, excommunicatos, civitatem ipſam Venetorum terraſque omnes eorum ditioni ſubjectas, Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitas nuntiat & declarat. (Monit. Paul. v. ap. Gold. tom. iij. p. 282.)

Statim atque id Breve perlatum eſt ad Epiſcopos ac Prælatos Venetæ ditionis, ad quos directum erat die 6. Maij; prodiit ad eoſdem edictum *Leonardi Donati, Dei gratiâ Venetorum Ducis* nomine, in quo annotamus ea quæ ad quæſtionem noſtram faciunt. Hoc primum: *Nos qui tranquilli-* (Ib. p. 285.)

Digitized by Google

tatem ac quietem dominii, noſtro regimini à Deo commiſſi ſervare tenemur, & autoritatem Principis, neminem ſuperiorem in temporalibus ſub Divinâ Majeſtate agnoſcentis debemus tueri &c. Tum iſta: *Cùm cognoverimus præfatum Breve, contra omne jus & æquum emanâſſe, & contra ea quæ divina Scriptura & ſanctorum Patrum doctrina ſacrique canones præcipiunt, in præjudicium autoritatis ſæcularis à Deo nobis traditæ, & libertatis Reipublicæ noſtræ, cum perturbatione tranquillæ poſſeſſionis.... non ſine omnium ſcandalo promulgatum fuiſſe; prædictum Breve non modò ut injuſtum indebitumque, verùm etiam ut nullum nulliuſque roboris aut momenti, nobis habendum eſſe non dubitamus; atque ita invalidum, irritum, & fulminatum illegitimè, & de facto nulloque juris ordine ſervato; ut ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus Majores noſtri & alii ſupremi Principes uſi ſunt cum Pontificibus, qui poteſtatis ſibi in ædificationem traditæ limites ac modos egreſſi fuerint.* Sic ipsâ per ſe notâ nullitate contenti, appellationem ad Concilium Œcumenicum ſuperfluam cenſuerunt. Hujus diſſidii eventus cùm neminem lateat, tantùm obſervamus hîc aliqua, quæ cauſam noſtram ſpectent.

Primùm: excommunicatos Ducem & Senatum Reipublicæ Venetorum; civitatem aliaſque ejus Imperii terras Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitas; nihil ſollicitatum Imperium; & excommunicationem penitùs à depoſitione ſejunctam, contra quod Gregorii VII. tempore ſentiebant; cæterùm de depoſitione nihil actum eſſe, neque autoritate Apoſtolicâ diſſolutas leges à Senatu conditas, quas Pontifex improbaret, ſed juſſum Senatum ut eas antiquaret: metuentibus, ni fallor, Romanis Curialibus, ne depoſitiones aliaque ejus generis, oculato ſæculo, jamque harum rerum pertæſo, parum approbari poſſent.

Secundò: Ducem ac Senatum dato edicto profeſſos Principum poteſtatem in temporalibus ſoli Deo ſubeſſe: Papam, dum ad ea proſiliret, egreſſum eſſe limites ac modos traditæ ſibi à Deo poteſtatis: ejus decretum Scripturis, Patribus, ſacriſque Canonibus adverſari.

Tertiò: omnes Venetos atque Eccleſiaſticos Religioſoſque, haud minùs quàm laïcos, exceptis pauciſſimis, (*d*) eâ doctrinâ nixos, Senatui obtemperâſſe, decreta Pauli V. pro nullis habuiſſe.

Quarto: conſtitiſſe decretum Leonardi Ducis: conſtitiſſe leges, quas de temporalibus rebus Senatus dixerat; tametſi Eccleſiaſtica bona perſonaſque concernerent: nihil eorum à Senatu fuiſſe revocatum: excommunicationem rerum temporalium cauſâ latam, prætextis licèt Eccleſiaſticis immunitatibus, pro nullâ habitam, ac revera ut talem per ſeſe cecidiſſe; nullâque vel in ſpeciem à Senatu veniâ poſtulatâ, (*e*) aut abſolutione acceptâ, pro Catholicis atque Eccleſiæ Romanæ filiis eos eſſe habitos. Quintò:

(*d*) *Exceptis pauciſſimis.*] Ii fuerunt, præter omnes Jeſuitas, nonnulli ex familiis Capucinorum & Theatinorum, qui, Senatui ne obtemperarent, maluerunt eſſe exules.

(*e*) *Nullâ ... veniâ poſtulatâ.*] Cardinalis DE JOYEUSE, cui hoc negotium Henricus Magnus commiſerat, quemque Pontifex ſuâ inſtruxerat autoritate, cùm Senatus nollet, aut petere abſolutionem, id quod Pontifex vehementer cupiebat, aut etiam illam non petitam ſaltem accipere, dixit in Senatu: *Sublatum eſſe interdictum*; & Senatus *carceri mancipatos Eccleſiaſticos* tradidit, non quidem *ei Prelato* cui Papa juſſerat; ſed Legato Regis Franciæ. Hiſtoria pauca habet exempla *diſſidiorum*, quæ, ut illud, ad finem uſque tam firmiter & conſtanter defenſa fuerint.

Quintò: factum id eſſe Henrici IV. operâ, totâ Galliâ, imò etiam totâ Eccleſiâ applaudente: Hiſpanis etiam in hujus gloriæ partem venire cupientibus (*f*): nullo Catholico extra Curiam Romanam ſuſcipere conato Pauli defenſionem; nullo oppugnante ea, quæ Senatus, publico edicto toto terrarum Orbe promulgâſſet: quin etiam edictum à nullo Romano Pontifice, ullâ unquam cenſurâ fuiſſe improbatum.

Sextò: non promoveri aut augeri, ſed potiùs atteri rem Eccleſiaſticam nimiùs aut præpoſteris incœptis; defendique potuiſſe, adversùs Pontifices vehementiſſimos ac nimia auſos, temporalia jura ſupremarum poteſtatum, integrâ religione ſediſque Apoſtolicæ reverentiâ; cùm ille frater Paulus Calvinianæ hæreſi, quam Cucullatus fovebat, per eorum diſſidiorum occaſionem (*g*), aditum aliquem quærens, nullum invenerit, aut Senatum inducere auſus ſit, inſidioſiſſimus licèt, ad infringendam ſedis Apoſtolicæ majeſtatem.

Hæc perpendant, qui religione ſemel nominatâ, Romano Pontifici permittenda omnia, etiam temporalia; eamque ſententiam ad Romanam fidem putant pertinere.

Neque eò ſeciùs hæc atque alia hujuſmodi diſſidia, & inviti commemoramus, & toto animo, ut Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ noxia averſamur; gravemque putamus divini numinis ultionem incumbere his, qui hæc vel induxerint, vel libenti animo ſuſceperint, aut ullo modo aluerint, vel ad ea ociùs reſtinguenda ſudoribus ac ſanguini pepercerint.

(*f*) *Hiſpanis .... in hujus gloria partem venire cupientibus.*] Rex Hiſpaniarum Philippus iij. ſolus dilatæ pacis cauſa fuit, dum ſe cum omnibus ſuis copiis Pontifici offerebat, ad bellum Venetis inferendum. Vid. ejus epiſt. ad Paulum v. ap. Thuan. lib. cxxxvij. Deinde, ſeu pudore victus, ſeu quâlibet aliâ de causâ, pacis arbiter eſſe voluit; & quidem nonnullas conditiones propoſuit. Veneti ipſum arbitrum admiſerunt; non item conditiones, quas, ut iniquas, nec Reipublicæ dignas majeſtate reſpuerunt. Quapropter, rebus demum compoſitis, quanquam uno Henrico Magno reconciliatæ pacis honor deberetur, & Hiſpani exiguam operam navaſſent, Veneti tamen Hiſpaniarum quoque Regi gratias referri juſſerunt.

(*g*) *Per eorum diſſidiorum occaſionem*,] Anonymus libellum fixerat Venetiis, quo Rempublicam adhortabatur ad deſciſcendum ab Eccleſiâ Romanâ. Hujus porrò libelli autorem fuiſſe fratrem Paulum ſeu FRA-PAOLO non eſt veriſimile. Quî enim clandeſtinis artibus ille ageret, qui tantùm poterat autoritate, quique, ut totius gentis Venetorum Theologus, earum rerum quæ tunc fiebant pars erat maxima? Utcumque eſt, Senatus in libelli autorem inquiri juſſit, & interea edicto confirmavit, ſe à fide & obedientiâ ſanctæ Sedis nunquam diſceſſurum. Hujus diſſidii tempore, FRA-PAOLO uſus operâ Marci-Antonii DE DOMINIS, edidit apud Anglos hiſtoriam Concilii Tridentini, eo nempe conſilio, ut Curiam Romanam calumniis reſpergeret, & ſanctæ Synodi decretorum imminueret autoritatem. P. LE COURAYER, olim S. Genovefæ Bibliothecarius, nunc Doctor Oxonienſis, hanc hiſtoriam Gallicam fecit, eique addidit notas plurimas, in quibus multa peccat multiſque modis; cujus errores Theologicos & hiſtoricos confutari neceſſe eſſet, non ſtrictim & leviter, quod jam nonnulli fecerunt; ſed ſingulos penitus rimando & perſcrutando. Non enim P. LE COURAYER is eſt qui contemni debeat, doctus nimirum & facundiſſimus. Quapropter manu cum illo nemo conſerat, niſi qui multâ inſtructus doctrinâ, erit etiam in arte criticâ non parùm exercitatus.

CAPUT XIII.

Cardinalis BELLARMINI *libri adverſùs* BARCLÆUM: *Senatûs decretum, antiquis ejuſdem Senatûs decretis congruum, quæ ſacra Facultas ſuſceperit: Regii Conſilii decretum:* PERRONII *Cardinalis opera.*

Arreſt du Parlem. 26. Nov. 1610. vid. lib. cui titulus *Recueil de piec. concer. l'hiſt. de Louis* xiij. Par. 1717. tom. iv. p. 11.

ANNO 1610. 26. Novembris aliquot menſibus poſt Henrici IV. infandam ac parricidialem cædem, Cardinalis Bellarmini tractatus de poteſtate ſummi Pontificis in temporalibus, adverſùs Guillelmum Barclæum, prodiit. Is ſtatim à Parlamento Pariſienſi eſt proſcriptus, *vetitumque eſt ſub pœnis læſæ Majeſtatis, ne quis eum librum haberet, ederet, venderet, ut qui contineret falſam & deteſtabilem propoſitionem, eò pertinentem, ut ſubmitterentur homini à Deo conſtitutæ ſupremæ poteſtates; & adversùs eorum perſonas & Imperia ſubditi populi concitarentur.* Interdictum toto Regno, ne quis eam propoſitionem directè vel indirectè doceret.

* 12. Novemb.

Bochel. Dec. Eccl. Gall. lib. v. cap. vj. vij. v d. Dup. xvj. ſæc. p. 1469.

Hoc Senatûs decretum conſonabat ei quod ab eodem Senatu *anno 1561. editum fuerat, juſſuſque Tanquerellus hæc verba promere: *Mihi diſplicet, quòd dixerim, quòd Papa Chriſti Vicarius Monarcha, ſpiritualem & ſecularem poteſtatem habens, Principes ſuis præceptis rebelles, dignitatibus privare poteſt.*

Item ab eodem Senatu anno 1595. eandem doctrinam ejurare juſſus eſt Florentinus Jacob Clericus regularis ſancti Auguſtini.

Utroque decreto vetita ſacra Facultas hanc doctrinam permittere, gratias Senatui egit, decretiſque paruit.

Rec. de piec. &c. ib. p. 13.

His ergò conſona adverſùs Bellarmini librum Senatus decreverat; cujus decreti, Cardinalis Perronii operâ, ſuſpenſa eſt à ſupremo Regis Conſilio, executio, uſque ad Regis beneplacitum; decretumque id eâ eſt formâ, quâ Rege præſente decerni ſolet.

Cauſabatur Perronius Bellarmini in Eccleſiam merita, dicebatque, pupillo Principe ac novo Principatu, omitti oportere ea, quæ Romanæ Curiæ diſplicerent. Datum ergò temporibus, ut res in ſuſpenſo haberetur; neque quidquam aliud potuit impetrari. Data clam opera eſt, ne Bellarmini hic evulgaretur liber, aut ſententia doceretur, virique tantùm nomini & honori parcitum. Alii laudabant Perronii prudentiam: plerique, hoc obtentu, veterem Galliæ vigorem infringi, & gliſcere adulationem dolebant.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Conventus Ordinum Regni 1614. Articulus propoſitus à tertii Ordinis deputatis : cur Clerus obſtiterit, adjunctâ nobilitate : PERRONII *Cardinalis oratio quatenus à Clero probata : an hæc noviſſimæ Cleri Gallicani Declarationi noceant?*

ANNO 1614. habiti ſunt, jubente Rege, generales Ordinum regni conventus; anno deindè 1615. Decembris 15. à tertii Ordinis deputatis, inter articulos Regi offerendos, primus hic fuit : *Ne invaleſceret perniciosa doctrina, quam ab aliquot annis contra Reges ac poteſtates à Deo conſtitutas, ſeditioſi homines inducere conarentur : Regi ſupplicandum ut haberetur id pro lege fundamentali Regni, in conventu Ordinum fixâ : à nullâ poteſtate deponi poſſe Reges noſtros, aut eorum ſubditos à Sacramento fidelitatis abſolvi : eamque doctrinam, ut verbo Dei conſonam, ab omnibus tenendam & ſubſcribendam, etiam ab Eccleſiaſticis, antequàm ullius Beneficii poſſeſſionem obtinerent : contrariam ſententiam, quòd Reges occidi ac deponi poſſent, ut impiam ac deteſtabilem eſſe rejiciendam : quicumque exterorum eam tuerentur, publicos regni hoſtes; quicumque civium, perduelles ac Majeſtatis reos nullo diſcrimine judicandos.* Merc.Frãc. & Hiſt. de Louis xiij. Par. 1716. tom. j. pag. 297.

Sacro Ordini grave viſum eſt, à regni Ordinibus, autoribus tertii Ordinis deputatis, de religione decerni; tum de autoritate Papæ moveri controverſias, ac fieri decreta, quibus Eccleſiæ ſcinderentur. Cardinales, qui conventui frequentes aderant, magni apud omnes nominis atque autoritatis, his maximè movebantur : decretumque eſt, articulum non eſſe admittendum. Delegatus à ſacro Ordine Perronius Cardinalis, adjunctâ nobilitate, ad tertii Ordinis deputatos, eam orationem habuit, cujus mentionem ſæpè fecimus. Summa eſt : *De tribus agi : primum, de Regum Parricidiis : alterum, an Reges noſtri ſupremâ temporali poteſtate gauderent, nullius ſcilicèt feudo obnoxii; ac de his duobus nullam eſſe controverſiam.* Tertium caput, *de quo eſſet quæſtio*, ita Cardinalis proponebat : *An Reges dato ſacramento ad tuendam Catholicam fidem Deo ac populis obligati, ſi eam fidem publicè ejurarent ac perſequerentur, hujus juramenti religione contemptâ, deponi poſſint, ac ſubditi viciſſim exſolvi à præſtito fidelitatis ſacramento, & à quo id fieri poſſit.* Contendebat autem eam quæſtionem inter *problematicas* recenſendam; eò quòd *ab undecim ſæculis numquam ei in Eccleſiâ propugnatores defuiſſent : ad hæc ſi judicanda videretur, id fieri non poſſe à conventu Ordinum, qui ſæcularis eſſet, oborturaque hinc ſchiſmata, imò etiam hæreſim, cùm anteacta ſæcula, ipſique Pontifices erroris damnarentur.... multa quoque in regnum & Rempublicam incommoda, perturbationes graves ſecuturas : quin etiam nocere Regum incolumitati ac Majeſtati ea, quibus illam adjuvare vellent.* Œuv. div. pag. 599. Ib. p. 601. 602.

Hæc vir maximus toto eloquentiæ flumine peroravit. Jam objicitur nobis, non modò tanti Cardinalis Archiepiſcopi Senonenſis toto Orbe cele-

bratiſſimi, ac de Eccleſiâ Catholicâ benè meritiſſimi, verùm etiam Cleri totius, cujus nomine agebat, autoritas; quæ duo magno habemus diſcrimine. Aliud enim eſt Cleri decretum, aliud ab oratore ingenioſiſſimo quæſita & aptata cauſæ argumenta.

Ac de Clero quidem quod objici poteſt, noſtros nempè Epiſcopos nunc à Majorum ſententiâ deflexiſſe, cùm id anno 1682. declarârint, quod ne declararetur, eorum anteceſſores anno 1615. tanto ſtudio obſtiterunt: facilis reſponſio ex dictis.

Quòd enim Clero Gallicano anno 1615. diſplicuit, hæc quæ ad religionem pertinerent, nomine Ordinum regni fieri, idque autoribus laicis tertii Ordinis deputatis, nihil ad conventum noſtrum anni 1682. attinet. Conventus Ordinum regni, licèt ibi ſacer Ordo, & ut regni membrum interſit, & pro ſuâ dignitate primas ferat, tamen civilis conventus eſt, Reipublicæ, non rei Eccleſiaſticæ causâ convocatus; ubi Ordo Eccleſiaſticus, conventûs tertia pars, à duobus Ordinibus laicalibus numero ac ſuffragiorum autoritate vincitur; de cujus articulis Rex decernit ſupremâ autoritate: conventus verò noſter anni 1682. totus Eccleſiaſticus, ac de re Eccleſiaſticâ congregatus, à Rege non decreti firmamentum, ſed executionem, Patrum more, expectavit.

Quòd autem anno 1615. metuebant ne ſchiſmata fierent, gravi adversùs Catholicos, qui à nobis diſſentirent, intentatâ cenſurâ, id conventus noſter cavit, dum & veritatem aſſeruit, & ab omni cenſurâ temperatum eſſe voluit.

Quæ cùm ita ſint, nihil jam neceſſe eſt nos de Perronio Cardinale admodùm laborare, utcumque adverſæ ſententiæ faviſſe videatur. Facilè enim credimus vehementiſſimum oratorem, ipſo, quo rapiebat cæteros, eloquentiæ impetu, fuiſſe abreptum: neque veritum auditores ultra metas impellere, ut cùm ſe repreſſiſſent, tamen quo ipſe vellet loco conſiſterent, atque à cenſurâ abſtinerent. Quamquam & aliæ cauſæ inerant, cur in Romanam Curiam propenderet; ut nec mirum ſit, ſi Gallicani Patres potioribus ducti momentis, ab ejus ſententiâ diſceſſerint.

Ne quid tamen prætermiſiſſe videar de ejus oratione, quæ meo quidem judicio momenti ſint maximi, pauca dicam.

CAPUT XV.

In Perronii *Cardinalis oratione ad tertium Ordinem annotata quædam: ejus dicta confutantur: acta laudantur: hujus controverſiæ finis.*

AC ſtatim occurrit ipſa quæſtio artificioſiſſimè conſtituta. Illud ex dialectices regulis, atque ab intimo artificio depromptum, quòd oppugnaturus univerſalem negativam iſtam, quam legis fundamentalis loco eſſe volebant: *Nullo caſu Reges à Pontifice deponi poſſunt*; opponebat ille particularem affirmativam hanc: *Poſſunt à Pontifice deponi aliqui Reges, his nempè conditionibus; ſi fidei Catholicæ propugnandæ ſacramento obligati ſunt*,

Vid. Perr. loc. cit. p. 600.

ſi eam deſerunt ; ſi denique perſequuntur. Quibus cùm finibus quæſtionem circumſcriberet, eò coarctare adverſarios nitebatur, ut, quod erat invidioſiſſimum, Reges hæreticos, violatique jurisjurandi reos, ad hæc perſecutores, defendere viderentur. Illud interim ſtudioſiſſimè tacuit, quod ſæpè jam diximus : inter indirectæ poteſtatis deſenſores, neminem umquam fuiſſe aut eſſe potuiſſe, qui ſe his finibus contineret ; quippe cùm indirectam poteſtatem Dei gloriâ, animarum ſalute, & poteſtate clavium metiantur : quam quidem ad hos tres redigere caſus, non modò eſſet abſurdum, verùm etiam hæreticum.

Quare nec ipſe Cardinalis, qui ſe ad eos redegiſſet, quidquam probare potuit, niſi ultra tenderet; protulitque depoſitos Henricos *, Fridericos **, nullum Catholicæ fidei articulum denegantes, Childericum etiam Francico Regno, & Græcos Imperatores imperio Occidentali nudatos, cùm nihil Eccleſiæ repugnarent. Nec tantum virum puduit allegare Gregorium Magnum, tanquam privaturum Imperio Reges, ſi unius Xenodochii privilegium violaſſent. * iv. & v. ** j. & ij.

Id ſenſit vir acutiſſimus, atque ultrò profeſſus eſt, *adhiberi à ſe ejuſmodi exempla, quatenùs inſervire poſſent huic theſi generali : dari quoſdam caſus, quibus ſubditi exſolvi poſſent à præſtito Regibus ſacramento; aut huic hypotheſi particulari : licere id fieri in Principes hæreticos, ſive apoſtatas, ac perſecutores.* Tanquam in oratoris poteſtate eſſet, coercere ad arbitrium ipſam argumentorum vim; non autem aut totâ vi ſuâ valeant, aut, ſi nimis probant, totâ vi ſuâ corruant. Ib. p. 602. 603.

At illud diſſimulare non poſſum, quòd etiam ab Orientalibus bellis ſacris præſidium quærit ; contenditque : non alio nomine juſtum piumque eſſe Chriſtianorum adversùs Turcas bellum, quàm quòd infidelis Princeps, nullum jus ſibi in Chriſtianorum provincias comparare poſſit : *Quod negare*, inquit, *nihil aliud eſſet, quàm errorem Lutheri defendere, priſcorumque heroum, qui adversùs Mahometanos tanta bella geſſerunt, Sancti etiam Ludovici damnare memoriam.* Ib. p. 630.

Neque illud perpendere voluit, Mahometanos ac Turcas ex quo extiterunt, hoſtilem animum, atque inexpiabile bellum profeſſos adversùs Chriſtianas Provincias, meritò ut perpetuos hoſtes atque invaſores haberi, qui etiam ubi pacem ſe fovere ſimulant, nihil niſi bella cogitant, idque ex ipſis impiæ legis placitis : nullâ nobiſcum pace tutâ, nullo fido fœdere, nullo unquam beneficio, niſi Cyclopico ; ut extremi pereant, quibus interim pepercìſſe videantur. Quo jure quis dubitet juſta Chriſtianorum inter ſe adversùs communem hoſtem fœdera, juſtas ſocietates; ac prorsùs ſuo more inſanìſſe Lutherum, qui à tetris prædonibus bellum amoliretur ? Hæc quàm procul abſint à noſtrâ quæſtione, ne imperitiſſimos quidem fugit, nedum tantum virum latere potuerit ; qui tamen hìc, ſi Deo placet, & S. Ludovici damnandam memoriam & Lutheri errores crepabat, credo, ut pueros territaret.

Peſſimum & illud quod toties inculcavit : cauſam depoſitionis, vel maxime in eo eſſe, quòd mutuo ſacramento, & ſe Reges populis ad tuendam rectam fidem, & populi Regibus ad fidele obſequium obligârint; ut ſi illi à

Digitized by Google

juramenti religione diſceſſerint, hi quoque viciſſim à dato ſacramento abſolvi poſſint: neque verò obſtare *Quòd Reges etiam ante coronationem factamque unctionem, ac præſtitum jusjurandum regnent; reſponderi enim ab indirectæ poteſtatis defenſoribus, Reges nondum conſecratos ſic haberi, ut qui jam in prædeceſſoribus ſolenne jusjurandum populis præſtiterint.* Hæc enim quam vanè jactentur, multa demonſtrant; imprimis quòd ne illud quidem ad cauſam, hoc eſt, ad Pontificiæ poteſtatis quæſtionem pertinebat: quippe cùm ſi ſemel ſtatuamus Reges conditionali tantùm conventione regnare, jam, nullo Pontificiæ poteſtatis interventu, ſponte evaneſceret illa Regii nominis autoritas, ruptis conventis conditionibus quibus niteretur. Huc accedit illud à Cardinali pro certo poſitum: Principum juramentis eam contineri regnandi conditionem, quâ deficiente ſimul ſolvantur Imperia; quod ille immeritò pro certo habuit. Ea enim juramenta valere ut commendetur inſigaturque Principis animo vera fides; non eo profectò ut regnandi jus ad conditionalia pacta neceſſariò revocetur, ut ſuo loco docuimus, & Anaſtaſii, Leoniſque Imperatoris ſuprà memorata exempla teſtantur.

Ib. p. 599. 627. 628. 630. 643.

Sup. lib. ij. cap. vij. xj. xij. & ſeq.

Neque tolerari poteſt quòd Perronius ita argumentatur: *Aliud eſſe, adversùs jurisjurandi religionem actu quodam, aliud ipsa profeſſione pugnare, aliud peccare adversùs jusjurandum, aliud ipſum jusjurandum evertere contrario etiam edito jurejurando.... & quidem cùm aliquis Princeps injuſtè judicat, peccare illum contra jurisjurandi religionem; at ſi profiteretur juramentoque firmaret, ſe ſemper injuſtas dicturum ſententias; tum verò everteret*, inquit, *ipſum jusjurandum de ſervandâ juſtitiâ, ſimulque regnum abdicaret, everſa conditione regnandi.* Ita deindè reſpondet: *Regni ſub Chriſto obtinendi fieri incapaces, qui à præſtito ipſi Chriſtianiſque populis fidei Catholicæ ſervandæ ſacramento defecerint.* Hîc lubens à tanto viro quærerem, in hiſtoriis ac libris, quos ſtudioſiſſimè evolvit, ecquem invenerit Principem, qui ipſam juſtitiam factâ profeſſione ejurârit? Certè neminem. Multos autem à rectâ fide abhorruiſſe lugemus, qui nihilo ſeciùs Rempublicam benè geſſerint; quandoquidem Deo placuit, veram fidem, non humanâ ſapientiâ comparari, ſed divinâ gratiâ provenire. Quorsùm iſta? Ut pateat, illam quam fingit Cardinalis de juſtitiâ ubique contemnendâ profeſſionem juramento firmatam, ne in inſani quidem Principis mentem incidere poſſe. Quamobrem ſi fingendum eſt quid fieret de Principe qui ita juſtitiam ejuraret, facilè reſpondemus, amovendum eum à gubernaculis, dandumque tutorem, non quidem ut ei qui regnandi conditionem violaverit, ſed ut ei qui propriè ſtrictèque ſupra omnem humanum morem inſaniat. Ita, inquam, ei tutor adhibendus eſſet, uti phreneticis ac furentibus Principibus factum eſt, ab iis ad quos pertinet; non tamen profectò à Romano Pontifice aut ſacrorum Antiſtitibus, qui quidem nihilo magis huic rei ſe immiſceant, etiamſi eam vel maximè placet fieri, ex conditionalibus pactis. Maneret enim jus ſuum integrum liberæ civitati; quo jure fraudari nequeat; nequidem ſi religio conditionali fœdere continetur. Eo enim caſu poſtquam de religione ſacriſque, ſacrorum Antiſtites, tum de Imperio, libera Reſpublica civitaſque decerneret; ut profectò hæc omnia, quæ tanto circuitu apparatuque verborum amplificat eloquentiſſimus Cardinalis, extra cauſæ ſtatum tota ſint, nec niſi imperitis fucum faciant.

Perr. loc. cit. p. 628.

Ib. p. 663.

Ib. p. 628.

Quòd autem declamat Reges, ſacramento dato, Chriſto Regi obnoxios, *ipſo feloniæ crimine, excidere feudis, quos à ſupremo Domino Chriſto obtineant;* tanquam Chriſto Regi, accepto à Regibus fidelitatis ſacramento, novum jus in Reges compararetur: hæc ut in populari oratione toleramus, ut Theologicè ac ſeriò dicta reſpuimus; neque propterea tanti viri judicio noſtrum anteponimus; ſed tamen docemus multùm intereſſe, an quis oratoriis ampullis, an Theologicâ gravitate ac ſimplicitate diſſerat.

Cæterùm id ſufficit maximi Cardinalis gloriæ, quòd ſi ejus dicta quædam reprehendere cogimur, certè geſta laudamus. Gloriatur enim, nec immeritò, *ſe verè genuinèque Francum Francorumque filium, ſemper adhæſiſſe Regibus, ſemper reſpexiſſe Reges; ac poſt Henrici III. necem Henrico IV. Magno obſecutum eſſe; & quidem tutâ conſcientiâ, ex utriuſque partis ſententiâ; cùm ille Princeps nunquam incorrigibilis fuerit, relapſus verò habitus ſit, informatione falsâ.* Optimè omninò. At illud interim conſtat: eum, dum tutâ conſcientiâ ſequitur Principem à Romanis Pontificibus Regno excluſum, abundè docuiſſe quàm facilè hæc à Pontificibus, circa Imperium ac res temporales decreta, viri boni graveſque omittere potuerint. Ib. p. 636.

Hæc ad orationem Perronii dicenda habebamus. Et quidem ea omnia de regnandi conditionalibus pactis, quæque ſint aut eſſe fingantur, quæque etiam eſſe poſſint, uno verbo tranſegimus; quæſtioneſque eas à causâ noſtrâ prorsùs alienas, ab hâc diſputatione procul amovimus: quippe cùm agamus de jure divinitùs annexo clavium poteſtati, non de ejuſmodi, quales fingi poſſent, Regum, populorumque conventionibus.

Reliqua, quæ tantus Cardinalis copioſiſſimè proſequitur momenta rationum, aptatoſque cauſæ ab artifice ſummo veterum locos priſcæque hiſtoriæ, hîc excuti nihil neceſſe; cùm hæc omnia ſuo loco in hâc tractatione, diligentiſſimè perpenſa, atque explorata ſint, preſſo etiam plerumque autoris graviſſimi nomine.

Neque id omiſimus, quod eſt occaſione hujus controverſiæ coram ipſo Rege, à ſapientiſſimo Principe Condæo peroratum, nihilque hîc dicendum ſupereſt, quod ad noſtram quæſtionem faciat, niſi id: rem ad Regem evocatam, ac poſtea ſilentio eſſe tranſactam. Sup. lib. j. ſect. ij. cap. iij.

CAPUT XVI.

Cenſura SANCTARELLI. *An Cardinalis* PERRONIUS *jure metueret, ne Eccleſia erràſſe videretur, ſi cenſurà notata eſſet illa de deponendis Regibus ſententia.*

CÆTERUM cùm de deponendis Regibus nova quotidie ſcripta prodirent, atque Antonii Sanctarelli exitioſiſſimus eâ de re circumferretur liber; ne porrò pergerent his inventis, Eccleſiæ conciliare odia, ac Rempublicam commovere, noſtræ Facultati viſum eſt, etiam cenſurâ comprimendam ingeniorum licentiam: atque anno 1626. magno omnium conſenſu Magiſtrorum, totiuſque Regni applauſu, illud decretum prodiit quod ſupra retulimus. Ib. cap. iv.

Perr. loc. cit. p. 634. Non illi metuerunt, quod Perronius Cardinalis nimio cauſæ ſuæ ſtudio, in illâ oratione imminere dixerat: ut ſi ſententia de deponendis Regibus cenſurâ notaretur, ſedes Apoſtolica aberrâſſe à fide, imò ipſa à multis jam ſæculis cecidiſſe videretur Eccleſia; non id, inquam, metuerunt. Satis enim intelligebant, illos qui eam ſententiam ſecuti eſſent, non eam amplexatos, ut dogma fidei, uti à nobis luculentiſſimè demonſtratum eſt: neque verò ignorabant præſtandam Theologis ipſam Eccleſiæ Romanæ fidem, non etiam magnorum quamlibet virorum, aut Romanorum quoque Pontificum opiniones certis temporibus natas: neque iis præjudicari adversùs veritatem ac Majorum doctrinam. Neque enim ſi Papias, Juſtinus, Irenæus, aliique Apoſtolici viri ac ſancti Martyres mille annorum Regnum approbârunt, communiſque ea primis ſæculis ſententia ferebatur, ideò nunc vetamur rejicere eam, ut Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ contrariam; quantò minùs eas, quæ poſtremis ſæculis opiniones ſuccreverunt? Imò id argumentum fuerit divinæ providentiæ tuentis Eccleſiam; quod ingeniis ultrò in dubia aut falſa labentibus, curſus tamen opinionum divino Spiritu ſuſtentetur, quominùs in Eccleſiæ fidem irrumpat. Quare ſacra Facultas nihil dubitavit ſubortam de deponendis clavium autoritate Regibus opinionem *improbare & damnare tanquam novam & falſam, erroneam, ac verbo Dei contrariam.* Id tantùm cavit, ne hæreticam, tacente Eccleſiâ, declararet. Huic cenſuræ conſonant articuli anno 1663. Ludovico XIV. oblati, quos alio loco memoravimus: à quibus Facultatis noſtræ decretis, uti incœpimus, ita in his deſinemus; Deoque agimus gratias, quòd hanc tractationem à remotiſſimis uſque temporibus ad noſtra tempora, eo duce atque autore, deduximus, noſtramque doctrinam tot labentibus ſæculis immotam invictamque præſtitimus.

Sup. lib. j. ſect. j. cap. v. vid. diſſ. præv.

CAPUT XVII.

Recapitulatio dictorum ad Caput I. Gallicanæ Declarationis de temporalis poteſtatis ſupremâ autoritate: an quod Cardinalis PERRONIUS *objecit, noſtram ſententiam Romani Pontifices pro erroneâ habuerint? An ab ullis Conciliis damnata ſit? An aliquis ex eâ adversùs Eccleſiæ autoritatem metus?*

JAM quæ ex dictis, totâque hâc tractatione conſequantur paucis colligamus. Et quidem, id erat nobis propoſitum uti doceremus, non modò noſtram ſententiam ab omni cenſurâ eſſe liberam; ſed etiam veram, antiquam, firmam; ac ſi cenſura adhibenda ſit, eam meritò in adverſarios intorqueri. An id probaverimus recenſitis omnibus quæ pro utrâque parte retulimus, documentis, intueri placet.

Sup. lib. j. ſect. j. I. Ergò hæc demonſtravimus: quam Eccleſiaſtico ordini, Romanoque Pontifici, virtute clavium tribuunt rerum temporalium ac deponendorum Regum, ſive directam, ſive indirectam poteſtatem, eam ad nimia, periculoſa

loſa, horrenda deducere, ejuſque ſententiæ novitate totam Eccleſiam perturbatam.

II. Gregorium VII. qui primus omnium de deponendis Regibus cogitavit, etiam requiſitum, nullum ejus rei exemplum, nullam autoritatem proferre potuiſſe: nec niſi manifeſtè vana, nimia & nulla reſpondiſſe: eundem nec ſibi conſtare potuiſſe; novaque ſuperſtruxiſſe novis, quo auſu ſuis decretis omnem autoritatem abrogâſſe.

III. Eam poteſtatem in omnibus veteris novique Teſtamenti libris penitùs inauditam, neque unquam traditam, cùm res atque occaſio id maximè poſtularet; imò disertè explicatum à Lege, à Prophetis, à Chriſto, ab Apoſtolis, regiam poteſtatem in temporalibus ſoli Deo ſubeſſe, eique poteſtati, etiam ſævienti, atque Eccleſiam perſequenti, in civilibus rebus præſtandam obedientiam, nedùm illi ullâ etiam Pontificiâ autoritate repugnetur.

Ib. ſect. ij.

IV. Eam doctrinam ad ſecuta ſæcula dimanâſſe, & uſque ad extremum ferè undecimum ſæculum Regibus idololatris, apoſtatis, hæreticis, excommunicatis, Eccleſiam perſequentibus, fidem atque obedientiam integram eſſe ſervatam: nunquam vel intentatas minas depoſitionis, neque quidquam, de eâ unquam, cùm id res maximè poſceret, à quoquam Chriſtiano, ſive Clerico ſive laico fuiſſe jactatum; ſed omnes ita concurriſſe in obſequium, ut qui nihil aliud cogitarent.

Sup. lib. ij.

V. Id factum iis regulis atque ſententiis, quæ ad omnem ætatem, ad omnia tempora æquè pertineant; peſſimèque mereri de Chriſtianâ religione eos, qui poſtremâ ætate dixerint, Apoſtolis, Martyribus, Patribus, Romanis denique Pontificibus, civili poteſtati etiam adverſanti obedientibus, nocendi vires, non autem voluntatem atque animum defuiſſe. (*b*)

VI. Quæ à Gregorio VII. ac deinceps in eam rem decreta geſtaque ſint, peſſimis initiis, peſſimo exitu proceſſiſſe.

VII. Qui Gregorio VII. autore, à Regis obedientiâ receſſerint, manifeſtè falsâ opinione ductos, malè intellecto interdicto de vitandis excommunicatis; eorumque doctrinæ ſecutos Pontifices, Theologos omnes atque Canoniſtas, ipſum etiam Gregorium VII. obſtitiſſe.

Sup. lib. iij. & hoc lib.

VIII. Pontifices Romanos in deponendis Regibus Gregorium VII. de facto imitatos, non de jure proceſſiſſe; neque unquam quæſitum, neque canone aut profeſſione editâ conſtitutum, utrùm & quid Eccleſiæ circa temporalia ordinanda Chriſtus conceſſerit: unum Gregorii VII. factum pro ſummâ autoritate fuiſſe: ergò Pontifices non ex certo dogmate, ſed ex opinione, quæ ipſis tantùm probabilis videretur judicâſſe, neque hæc ad Eccleſiæ doctrinam omninò pertinere, fatentibus etiam iis, qui Romanæ infallibilitati maximè faveant.

IX. Prolatas etiam in Synodis à Romanis Pontificibus circa Reges deponendos ſententias, à nullâ Synodo dictis ſententiis, editoque Synodico de-

(*b*) *nocendi vires, non... voluntatem..: defuiſſe.*] Præter Pontificiæ poteſtatis nimios defenſores, D. Jurieu, qui in priorum Patrum famam ac ſanctitatem tam irreverenter & protervè invehitur, eam opinionem defendit, eo æſtu & impetu, quo ſæpè ſolet ea tueri, quæ omnibus abſurdiſſima videantur. Vid. hunc à D. Bossuet egregiè confutatum, Avertiſſemens aux Proteſt.

creto comprobatas : tanquam prohibente Spiritu Sancto, ne ſe rebus novis ſacræ Synodi immiſcerent.

X. Viros ſanctos doctoſque, qui poſt ea Pontificum, de deponendis Regibus, decreta floruerint, nihil iis motos in Patrum ſententiâ perſtitiſſe.

XI. Bonifacium VIII. qui primus omnium aggreſſus ſit temporalium rerum ordinandarum ac deponendorum Principum poteſtatem Sedi Apoſtolicæ edito canone in Bullâ, *unam Sanctam*, vindicare, rei novitate deterritum, in nudâ rei expoſitione ſtetiſſe ; neque ad eam definiendam proſiliiſſe; & tamen, ne valeret id quod vel exponendo in publico diplomate dixerat, Bullam, *unam Sanctam*, eâ in parte ab ejus ſucceſſoribus ita habitam, ac ſi nunquam extitiſſet, eâque ratione robore vacuatam.

XII. Eccleſiam Gallicanam, Clerumque Gallicanum apertè obſtitiſſe iis ; quibus idem Pontifex, propter ſubordinata religioni Regna, ſummam ſibi poteſtatem in civilibus tribueret : quæ eâ occaſione Eccleſia Gallicana, Regnique Ordines, ipſe Rex, Doctoreſque Theologi religioſorum Ordinum geſſerint, ſcripſerint, decreverint, ea illæſa & immota ſtetiſſe & ſtare : quæ verò Bonifacius, ea à ſecutis Pontificibus antiquata, eraſa, abolita eſſe.

XIII. Quæ à ſacris Conciliis Œcumenicis circa temporalia decreta ſint, nunquam autoritate clavium facta eſſe : nunquam adſcriptum eâ autoritate fieri ; imò explicatum fieri, mutuatâ à Regibus poteſtate ; neque unquam ea decreta, niſi conſenſu Principum valuiſſe.

XIV. Cùm à Romanis Pontificibus Reges pro poteſtate depoſiti ſunt, nunquam ab ullo Rege, nunquam ab ullius Regni Ordinibus hanc poteſtatem fuiſſe agnitam; imò obſtitiſſe Regna Regeſque, remque ad cruenta bella externa & civilia eſſe deductam : quare nec Regna unquam verè data eſſe ; ſed belli cauſas dumtaxat, atque ambitioni, rebellionique colorem ac titulum, totumque Orbem his bellis conflagrâſſe; atque omninò has Regum depoſitiones Pontificiâ autoritate factas, nulli unquam utilitati, maximo damno atque invidiæ fuiſſe.

Ex his facilè duo hæc Chriſtianus lector intelliget.

Perr. loc. cit. p. 640. mal. 644. Primùm id : Cardinalem Perronium haud ex vero dixiſſe : *A Papâ haberi noſtram ſententiam tanquam erroneam.* Nullus enim Romanus Pontifex id unquam docuit, vel cenſuit : malè item aſſeruiſſe eundem Cardinalem : *A decem Conciliis contrariam ſententiam, ut veram fuiſſe ſuppoſitam* ; cùm ne unum quidem Concilium extiterit, à quo dictis ſententiis Romanorum Pontificum in deponendis Regibus ſententia comprobetur, aut poteſtas temporalium Eccleſiaſticis clavibus annexa doceatur : fruſtrà ergò metuiſſe eundem Cardinalem, ne ſi annexa clavibus temporalium poteſtas, inuſtâ notâ proſcribatur, Eccleſiæ Catholicæ, Sediſque Apoſtolicæ fides, atque autoritas collabeſcat ; cùm nullum Eccleſiæ, nullum Apoſtolicæ Sedis de eâ poteſtate decretum proferatur ; imò talis poteſtas cum Scripturæ ac Traditionis autoritate ſtare non poſſit. Hoc primum ex noſtrâ tractatione conſequitur.

Alterum iſtud : niſi Gallicani Patres ſummo ſtudio pacem colerent, nihil obeſſe potuiſſe, quominùs adverſam ſententiam totâ Scripturarum, ac Traditionis autoritate, longoque malorum experimento proſcriptam, iiſdem

afficerent notis, quibus Sanctarelli doctrinam ſacra & ſapientiſſima Facultas configendam cenſuit. Sed Epiſcopalem Declarationem, quò per ſeſe eſt gravior, eò moderatiorem eſſe debere judicârunt; atque id facere contenti, quò tam periculoſa, tamque invidioſa novitas ultrò corrueret, non modò ab omni contumeliâ, verùm etiam à cenſurâ, quamvis æquâ, temperârunt.

CAPUT XVIII.

De Regibus propter hæreſim & apoſtaſiam deponendis: cur ætate poſtremâ multi Reges conſenſerint? Cur Scholaſtici Doctores? Cur ab eâ ſententiâ diſcedamus?

QUÆRES quî factum ergò ſit, ut Doctores Scholaſtici paſſim in eam ſententiam abierint: Reges Chriſtianos, ſaltem propter hæreſim atque apoſtaſiam, deponi poſſe ab Eccleſiâ; & cur ipſi Principes poſtremis temporibus id ultrò fateri videantur? Cujus confeſſionis quædam acta referuntur.

Facilè reſpondemus: primùm, ut ſæpè diximus, hæreſis atque apoſtaſiæ cauſas nihil habere proprium, quo Reges Pontificibus faciant obnoxios: cùm Clavium poteſtas, cui volunt connexam hanc deponendi Principes poteſtatem, non reſtringatur hæreſis atque apoſtaſiæ cauſis. Quòd ergò quidam fortè Principes ſe propter eas cauſas deponi poſſe conceſſerint, id non oritur ex ullâ poteſtate, quam in Pontificibus agnoſcant ad ordinanda temporalia: ſed quòd hæreſim deteſtati, omnia in ſe ultrò permittant, ſi eâ ſe peſte infici ſinant. Cæterùm cùm ab hæreſi tantoperè abhorrerent, ſanè intelligebant nihil in ſe juris cuiquam dari à ſe, qui hæreſis tantùm causâ dediſſent.

Cur autem non eâ causâ nunc deponi poſſe fateamur: primùm id prohibet, quod verum amamus, ac priſcam Eccleſiæ & profectam ab Apoſtolis Patribuſque doctrinam novitiis opinionibus anteponimus: alterum, quòd hæreſis nomen tam diffusè pateat, ut ad omnem cauſam latâ interpretatione facilè deducatur; quo ambiguo verbo involvi ſublimes poteſtates publica tranquillitas non ſinit: denique, quòd hæreſis etiam ſtrictè ſumptæ ſemel admiſsâ causâ, alias repudiare non ſit integrum; quique eas cauſas ſeparant, vel fraudem moliantur, vel in ſummâ ignoratione verſentur.

De Scholaſticis verò, qui ab aliquot ſæculis poſt Sanctum Thomam & alios, magno conſenſu fateri videantur, hæreſis & apoſtaſiæ causâ deponi poſſe Reges; præter ea, quæ dicta ſunt *, hæc inſuper addimus: manifeſtè eos falſos ac nimios fuiſſe, qui hæreſis atque apoſtaſiæ cauſam ſufficere dixerint; cùm Perronius hæreſi atque apoſtaſiæ violatum jusjurandum ac perſecutionem adjunxerit: Bellarminus verò id ſaltem, ut *ſubditos à fide abſtrahere conentur*; quod ſi defuerit, quietè pacatèque regnent. Quare haud dubium eſt, quin Scholaſticorum hâc in parte caduca & infirma habenda ſit autoritas, cùm ii, Bellarmino & Perronio fatentibus, falſi ac nimii fuerint.

* In Appendice lib. ij. cap. xiv.

Jam ergò meminiſſe nos oportet opiniones Scholæ, quantùm à Scholæ

decretis dogmatiſque differant Melchiore Cano teſte. Eo namque autore nobis eſt integrum, ut à Scholæ opinionibus liberè recedamus, eiſque anteponamus Majorum dogmata, quæ eodem Cano teſte, multò illuſtriora firmioraque ſint.

Idem Melchior Canus decreta ac placita Scholæ eò internoſci docet à Scholæ opinionibus, quòd placita quidem firmo judicio ſtent; nec ſine cenſuræ notâ ii elabantur, qui ab his diſceſſerint. At inter Scholaſticos alicujus certè nominis (quis enim præſtare omnes audeat, aut verò legere velit, quos ad contaminandam potiùs quàm ad tractandam Theologiam diræ intemperiæ tanto numero egerint?) Inter illos, inquam, neminem invenies, qui ad fidei dogmata referat eam, quam Pontificibus tribuunt in deponendis hæreticis Regibus poteſtatem. Quod ergò hîc ſentiunt, ad opiniones, non ad placita Scholæ pertinere conſtat.

Certè Scholaſtici veteres, per librorum penuriam, aliaſque cauſas, tantâ multarum rerum, præſertim juris publici, imperitiâ laborârunt, ut eos in his quæſtionibus teſtes adducere, relictis Patribus, nihil aliud ſit, quàm altâ caligine demerſos, in apertâ ac limpidâ luce verſantibus anteferre. Vel hoc exemplum perpendant. Quis è Scholaſticis, aut verò è Canoniſtis poſtremi ævi, non id docuit: Clericos nullo modo Principibus eſſe ſubditos? Tantâ publici juris ignorantiâ tenebantur! At nunc quotuſquiſque eſt, non dico Clericorum, ſed Religioſorum, Epiſcoporum, etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, qui non ſe ſubditos ſuis Regibus fateantur, ſalvis privilegiis ordini ſuo Eccleſiæ autoritate conceſſis, & publicâ Regnorum lege firmatis? Curiales excipio, eoſque non omnes. Aut dicant in rebus dubiis, quantùm iis fidere nos oporteat, qui Patres apud ſolum ferè Gratianum legerunt; rei Eccleſiaſticæ ſeriem ignorârunt; falſas hiſtorias aut interpolatas, pro veris atque integris habuerunt.

Talibus ergò deluſos, non modò de Principum, ſed etiam de Pontificum juribus multa fugerunt; ac ſi à Pontificibus Reges hæreſis causâ deponi poſſe fateantur, fatentur interim à Regibus quoque ac particularibus Synodis deponi potuiſſe Pontifices; Othoniſque I. in Joannem XII. Pontificem geſta laudant, quæ Baronius deteſtatur: ut non noſtra tantùm, ſed etiam omnium interſit ab his appellari.

Bar. an. 963. tom. X. p. 775. & ſeq.

Mitto Conſtantini aliorumque falſas donationes, falſaſque decretales, veterum Pontificum nomine conſarcinatas, nunc omnium conſenſione rejectas, tunc tamen pro ſacroſanctis habitas; atque in his quidem nihil legimus, quo Pontificibus ulla temporalium poteſtas tribuatur. Adeò hæc, quæ nunc vindicant, his quoque novellis ac poſteris poſteriora ſunt. Sed tamen hæc nos admonent, ne imperitis ſæculis omnia tribuamus, utque recurramus ad ipſos Eccleſiaſticæ Traditionis fontes.

Quòd ſi porrò pergunt Scholaſticorum autoritate nos premere circa Principes propter hæreſim deponendos; duo hîc in memoriam revocari volumus.

Primum, id quod geſtum eſt anno 1615. in Ordinum Regni generali conventu, ubi Cardinalis Perronius, allegato licèt Scholaſticorum ſibi favente conſenſu, tamen id tantùm poſtulabat, ut hæc quæſtio inter pro-

Digitized by Google

blematicas ac liberas haberetur: *An Reges hæretici, ac juratæ etiam in coronatione Catholicæ fidei perſecutores, deponi poſſint?* Ergò exiſtimabat eam ſententiam, quæ depoſitioni faveret, non inter certa Scholæ placita, ſed inter opiniones eſſe recenſendam. Petr. loc. cit. p. 600.

Alterum quod recogitari volumus, hoc eſt cenſura Sanctarelli anno 1626. edita: anno 1682. repetita; ac vulgati acceptique toto Regno articuli ejuſdem Facultatis anno 1663. quibus omnibus ſacra Facultas, non modò profitetur ſententiam de deponendis etiam hæreſis cauſâ Regibus, non eſſe inter certa placita referendam; ſed etiam planè rejiciendam, notiſque atrocibus configendam. Quare privatorum Doctorum Scholaſticorum opinionibus, quas memorant, opponimus totius Scholæ ejuſque graviſſimæ, ex quâ nimirùm plerique veteres Scholaſtici prodierunt, non jam opiniones, ſed certa decreta, toto Chriſtianiſſimo Regno publicè approbata, toti Eccleſiæ nota, à nemine unquam pro ſuſpectis habita, aut ullatenùs incuſata.

CAPUT XIX.

Anonymi autoris, qui tractatum DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ *edidit, liber IV. ex antedictis confutatur.*

SCRIPTOR Anonymus qui de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ tractatum edidit, primam propoſitionem noſtræ Declarationis aggreſſus, inde auſpicatur: *An hæc propoſitio ſpectet ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ?* Quâ quæſtione nihil agit, niſi ut inanem litem moveat. Non enim Clerus Gallicanus Eccleſiæ Gallicanæ libertates tantùm, ſed etiam decreta tutanda ſuſcepit. Scilicet ſic incipit Declaratio: *Eccleſiæ Gallicanæ decreta & libertates à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta, ſacris canonibus ac Patrum Traditione nixa, multi diruere moliuntur.* Quibus verbis, quoniam Anonymus occaſionem cœpit tractandi de libertatibus Gallicanis, ſanè integra ea penſitare debuit. His certè vocibus Clerus Gallicanus Patrum ſcita univerſim antiquis Traditionibus nixa complexus, illud etiam profeſſus eſt: propulſari à ſe ea, quibus *hæretici Apoſtolicam poteſtatem invidioſam & gravem Regibus & populis oſtentent:* quorum numero vel maximè continentur, quæ de illâ Pontificiâ Regum deponendorum poteſtate, tanquam Eccleſiæ Catholicæ dogmata eſſent, invidioſiſſimè objiciunt. Hæc igitur Clerus Gallicanus, ut falſa & Catholicæ Eccleſiæ perperam imputata reſpuit. Tract. de libert. &c. lib. iv. cap. j. Declarat. Cler. Gall. 1682. præf. Ibid.

Sed age: Anonymo concedamus in Gallicanâ Declaratione tantùm agi de Libertatibus: ne tum quidem à verâ libertatum notione diſcedimus, dum earum nomine retinemus ea, quibus Eccleſiæ priſca jura continentur: arcemus autem ea, quibus gravari non modò Rempublicam, ſed etiam Eccleſiam ipſa experientia docuit.

Quod verò Anonymus *difficile intellectu* dicit, *quâ ratione* ad libertates Eccleſiæ revocari poſſint, *quæ juri Eccleſiæ potiùs adverſentur;* facilè admitterem, niſi ea quæ ille jactat jurium nomine, ad Eccleſiæ non jura, ſed incommoda pertinere intelligerem. Anon. loc. cit. n. 1.

Digitized by Google

Ibid. n. 2. Neque, ut Anonymus exiſtimat, Clerus Gallicanus libertates Gallicanas ex Petro Pythœo aut Petro de Marca definivit. Patrum monumenta protulimus, quibus ad Eccleſiaſticam libertatem hæc quoque, de quibus nunc agimus, jura Regia revocantur. Quæ ſanè monumenta non miramur ab Anonymo prætermiſſa; quippe cùm de libertatibus Gallicanis contentioſè magis quàm verè ſolidèque ſcripſerit.

Sup. lib. ij. ii. & hoc lib.

Anon. n. 5.

Neque quod ille putat, adeò abſonum eſt Regni libertatem cum Eccleſiæ libertate eſſe conjunctam. Neque dedecori ducimus quod Theologi Chriſtianique jura Regia defendimus, non tam ut jura Regia, quàm ut Chriſti placita; Chriſti, inquam, placita, Rempublicam ordinantis, tranquillantis Imperium, ut Eccleſia in Imperio futura, jam à ſeditionibus libera, meliùs Deo ſerviat: nec placet, religionis ſpecie, regna peſſundari, quibus religio tutelæ eſſe debeat.

Ibid. n. 4. Objicit Anonymus decretalem, *novit*, in Galliâ receptam, eamque altercationem quæ ſub Philippo VI. Francorum Rege contigit: quâ nempè *Epiſcopi contendebant Eccleſiaſticam juriſdictionem ſeſe ad temporalia extendere; ſaltem ratione peccati*: quam decretalem omniaque adeò hinc ſecuta, ab hâc quæſtione alieniſſima eſſe oſtendimus. Neque enim id agebatur, ut Eccleſiaſtici Judices peccata prohiberent ſub depoſitionis, quod unum hîc quærimus, ſed tantùm ſub anathematis pœnâ, ut profectò mirum ſit, virum eruditum, ipſo in limine, tanquam fundamenti loco illud tantâ ambitione jactâſſe, quod nequidem ad quæſtionem pertinere conſtet.

Ext. *De jud.* lib. ij. tit. j. cap. x ij.

Sup. lib. iij. cap. xxij.

Jam illud quærimus: an ſeriò velit Judices Eccleſiaſticos peccati nomine, de pace, de bello, de tributis ſummâ autoritate decernere, pacta, fœdera publica privatave, ac publica etiam judicia retractare; uno verbo, totam Rempublicam commovere? Neque enim in his nullum eſt peccatum. An igitur hæc peccati nomine, ad Eccleſiaſtica judicia revocabimus? Aut id ad Eccleſiæ jura libertateſque pertinere dicemus? Non id equidem reor. Imò verò pars libertatis fuerit, ne Eccleſiaſtici tot ſæcularibus negotiis implicemur, ſeu potiùs obruamur. Ea ergò decreta de peccatis ad Eccleſiaſtica judicia revocandis commodâ interpretatione molliri, uti nos fecimus, non ad extrema urgeri oportebat.

Neque me fugit extitiſſe tempus, quo Eccleſiaſtici Judices hoc titulo omnia ad ſe traherent, atque ad civilia proſilirent; quæ, ut Eccleſiæ profecerint, experientia docuit. Certè hinc factum eſt, ut civilis magiſtratus, quaſi vice versâ, magno Eccleſiæ detrimento, tot Eccleſiaſtica invaderet. Quæ omnia utrinque reſecari è re eſſet, ut omnes verâ pace, verâ libertate potirentur.

Anon. loc. cit. n. 6. Quærit Anonymus: *Aliane ſit hodiè Eccleſia Gallicana, ab eâ, quæ anno 1615. tam generoſè reſtitit tertio Regni Ordini, propoſitionem hanc primam, aut certè ſimillimam ſtatuere conanti?* Nos autem ex actis docuimus, quàm ea, quæ tunc geſta ſunt, à noſtris tum ipsâ re, tum ipsâ rei tractandæ ratione, abhorrerent. Laudat Anonymus Cardinalis Perronii orationem, *quam ſe totius Cleri, imò & Nobilium nomine pronuntiare affirmabat*, quam Clerus Gallicanus, Cleri actis inſeri probaverit, jam ab anno 1646. & iterum anno 1673. Hæc refert Anonymus; neque id inveſtigat: quam cauſam Perronius

Sup. hoc lib. cap. xiv. xv.

Anon. n. 6. 8.

ſuſceperit; quid Clerus juſſerit; quid à laico aut civili cœtu tractari vetuerit; nec ſi Clerus Gallicanus ſummam ipſam ac ſcopum orationis, ideò omnia quæ in eâ dicta ſint comprobavit. Atque hæc quidem virum doctum ex actis publicis, quæ in omnium ſunt manibus, conquirere, non autem unum Petrum Friſonium (*i*) allegare oportebat.

Quærit deindè Anonymus: *An invidioſa & gravis Regibus & populis fiat* Ibid. cap. ij. *poteſtas Eccleſiaſtica, ſi circa temporalia Principum in certis caſibus exerceri poſſe affirmetur?* Quo loco illud etiam exprobrat, gravem Chriſtianiſſimo Ibid. n. 5. Regi factam ab Epiſcopis Gallicanis injuriam, quòd ſuſpicari viſi ſint, moliturum ea, propter quæ Eccleſia decurrere cogeretur ad extremum illud, *ut ejus ſubditos à præſtito fidelitatis juramento abſolveret.* Quæ quidem non modò invidioſè in Clerum, ſed etiam in Regem ſubobſcurè jactata Anonymus omiſiſſet, ſi cogitâſſet tantum Principem, quò ab illis minis per ſe eſt tutior, eò ſecuriùs approbâſſe ut poſteris caveretur.

Quod autem Anonymus monet: *Cùm Principes ſpiritualia non ſatis pertimeſcant*, facile ruituros, niſi *Principatûs privatione ſe plecti poſſe ſentiant*, Ibid. n. 6. viri ſolertiam agnoſcimus: tanta tuendæ fidei Eccleſiæque remedia à Chriſto, ab Apoſtolis, ab omni antiquitate prætermiſſa, ultimæque ætati reſervata, admiramur.

Quin etiam vir ſolertiſſimus, Regnique Gallicani ſtudioſiſſimus id cavet: cùm Regnum ab unâ ſtirpe in aliam non ſemel tranſlatum fuerit, id exiſtimetur non poſſe fieri, *ſine præſtiti juramenti ſolutione, ac ſine autoritate* Ibid. n. 8. *Eccleſiæ, quæ nunquam interventura ſit, niſi graviſſimæ cauſæ, deficientibus aliis omnibus remediis, & adhibitâ cautelâ quàm maximâ, illuc adigerent*; ut hoc quoque, ſi Deo placet, ad incolumitatem Regiæ domûs pertinere judicemus, ſi aliqua extra Regnum vis dejicere eam & deturbare poſſit. Cæterùm quàm verum ſit, has depoſitiones Regum, non *niſi graviſſimis cauſis, & adhibitâ cautelâ quàm maximâ*, factas, exempla teſtantur.

Quid autem Anonymus mutationes Francici Regni commemorat, tanquam eæ ſint metuendæ, niſi ad Pontificiam autoritatem revocentur? Neque id cogitat in Capetorum, quæ nunc obtinet, domo ſtabiliendâ Pontificiam autoritatem ne quidem eſſe nominatam. At illa familia ſeptingentos jam annos ſtabile Imperium poſſidet: quo nihil unquam firmius aut durabilius rebus humanis contigit. Verùm illa tanta familia, quâ nulla auguſtior extitit, Patrum noſtrorum memoriâ cecidiſſet, ſi hæc quæ Anonymus nunc, Ibid. n. 7. tanquam firmamenta memorat, valuiſſent. Quid ergò Henrici IV. tempora adducit in medium, quem ad fidem Catholicam, non tam quorumdam Catholicorum repugnantiâ, quàm aliorum obſequiis, ipſoque ſucceſſu atque victoriis, perductum fuiſſe novimus? nec ideò hominum inventa probare cogimur, quòd Deum iis ad ſua conſilia exequenda uſum meritò collaudemus.

Ludit ſuo more Anonymus, dum quærit *quos Reges poſſit ab Eccleſiâ alie-*

(*i*) *Frizonium.*] Is Doctor Sorbonicus hiſtoriam Gallorum Cardinalium ſcripſit parùm diligenter, in eo libro, cui titulum fecit: *Gallia purpurata.* Vid. Steph. Baluzii *Anti-Frizonium*, in quo oſtendit, non magis Frizonio narranti hiſtoriam credendum eſſe, quam quibuſdam craſſioribus Scholaſticis quæſtiones Theologiæ obſcuriores tractantibus.

Digitized by Google

Ib. n. 10. *nos facere illa* Regum deponendorum *autoritas? Paganos fortaſſis?* Subditque : *De illis Antiſtites Gallicanos cogitâſſe non puto.* Tanquam non de iis Paulus; quid autem Paulum appello? Chriſtus ipſe cogitârit. Vanum ergò Ibid. illud ac ludicrum, quod reponit Anonymus. At illud inſulſum : *Sed numquid facultas cenſurarum adimenda etiam erit Paſtoribus Eccleſiaſticis, ne illarum metus à ſuſcipiendo baptiſmo retardet? Num inermis eſſe debet omnis ſuperior, ne pœnarum timor ab ejus obedientiâ deterreat?* Infelix Theologus! Inermem & invalidam putat Eccleſiam, ſi à Regno cœleſti tantùm arceat; nullas Eccleſiæ cenſuras, ſi ſpiritualia tantùm, non etiam temporalia auferant. At cogitare debuit non illud invidioſum & grave eſſe Regibus Ethnicis, ſi propter inobedientiam, ex Chriſti mandato ad Ethnicos redigantur, integro regnandi jure, integrâ Republicâ. Ut autem Eccleſia, unà cum Chriſtianâ fide, obtrudat Regibus dominum, cujus nutu deponantur: hoc verò ad efferandos Reges pertinet; hoc eam dedecet Eccleſiam, quæ omnes complexa gentes, omnibus ſecuram pacem, neque tantùm divinam, ſed etiam humanam, Chriſtique Imperio dignam pollicetur.

CAPUT XX.

Reliqua Anonymi argumenta ſoluta paucis: ac primùm quæ ad Scripturam.

HÆC Anonymus duobus primis libri IV. capitibus exequitur : quâ velitatione prætermiſſâ, ad ipſam quæſtionem accedit, ac Scripturæ locos Sup. lib. j. ſect. j. cap. vj. ſect. ij. cap. xiij. & ſeq. aggreditur; neque quidquam dicit, quod non antea fuerit diligentiſſimè confutatum. Hîc verò prætermittere non poſſumus egregiam viri interpretationem ad illud Chriſti dictum : REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI, *dummodò*, inquit, *reddantur quæ ſunt Dei, Deo.* Quam exceptionem ſi ad- Anon. loc. cit. cap. iij. n. 4. mittimus, nihil aliud Chriſtus egerit, quàm ut ea ſtatim everteret, quæ ſtatuta volebat invicto robore; ſtatimque à Cæſare diſcedendum fuit, quem Idolis ſervientem, *quæ Dei ſunt*, *Deo* denegare conſtaret.

Ibid. At enim ſubdit Anonymus, à Cæſare diſcedendum, *ſi non ſolùm quæ Dei ſunt, non reddat*, ſed *ſi ſubditos à fide per vim retrahat*, ac *niſi aliundè mala* Act. v. 29. *graviora timeantur.* Denique *ſi Dei vicarius* declaret, OBEDIENDUM ESSE DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS; quas gloſſas comminiſci quid eſt aliud, quàm Chriſti verbis ſua aliena & inaudita aſſuere?

Anon. loc. cit. n. 5. Sanè autor ipſe intellexit perperam allegari iſtud Actorum : *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Sibi enim objicit, *hinc tantùm ſequi non eſſe parendum Principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea in aliis ab ejus obedientiâ recedendum; ac potiùs bonorum ac vitæ jacturam faciendam.* Quæ cùm veriſſimè dixerit, quid ad hæc reſponderit audiendum : *Laudabile id quidem, ſed quotuſquiſque nunc eſt, qui paupertatis, exilii, ac mortis metu à Dei ſervitio non deterreatur?* Quo concludit, licere Eccleſiæ *Chriſtiano Principi monito & incorrecto poteſtatem nocendi adimere, ac ab ejus tyrannide*

Digitized by Google

rannide populos ſubducere. Sic quia ab Evangelicâ fortitudine tam multi deficiunt, alia nos remedia, Evangelio Patribuſque incognita comminiſci, & humano ratiocinio omnia indulgere oportet, nullâ etiam adductâ Scripturæ autoritate, niſi fortè illâ, quam unam adhibet Anonymus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ*: quæ quàm ad Romanum Pontificem pertineat, & omnes per ſe vident, & ſuprà demonſtravimus.

Ib. n. 1. 2. Math. xxviij. 18.

Sup. lib. j. ſect. j. cap. vj. ſect. ij. cap. xix.

CAPUT XXI.

Argumenta Anonymi deprompta ex antiquitate: tum ex Scholaſticis & Canoniſtis.

NIHIL moramur id quod capite IV. Anonymus agit multis, Regum poteſtatem non ita eſſe à Deo, quin ſit à populorum conſenſu: quæ nemo negaverit, neque quidquam ad rem pertinent. Nos autem quatenus Regia poteſtas à Deo ſit lucidè, expoſuimus.

Sup. loc. cit. cap. j. ij. iij.

Jam Patrum Traditionem capite V. expendit: quo loco de Patribus iis primùm agit, qui in Conciliis ſederint. A Gregorii VII. tempore Traditionem probandam auſpicatur: locos affert ſuprà memoratos ex Conciliis Lateranenſi III. & IV. Lugdunenſi II. Conſtantienſi, Baſileenſi, Tridentino depromptos.

Quid autem attinebat locos referre tantùm, quos nullus ignoret? Res geſtas ac rerum circumſtantias aperire, decretorum cauſas mentemque inveſtigare, de ſolutionibus quærere oportebat eum, qui *amplam diſcuſſionem* Declarationis Gallicanæ initio haud exigui tractatûs, vel ipſe titulo promiſerat. Nos hæc omnia toto hoc libro quarto clarè diſcuſſimus.

Hoc lib.

Copioſiſſimè pertractat ſancti Gregorii dictum de Regibus etiam poteſtate privandis, qui Xenodochii privilegium violâſſent. Quo loco omnia ſatis ſibi tuta arbitratur, ſi epiſtolæ Gregorianæ veritatem aſſerat, ac Joannem Launoium inſectetur. Nos autem alia protulimus, quæ doctis haud ignota, ſi animo providere Anonymus non potuit, his lectis ſperamus ab eâ objectione facilè deſtiturum.

Anon. loc. cit. cap. vj. Sup. lib. ij. cap. ix.

Idem dicimus de Childerico depoſito: quem quidem locum Anonymus copioſiſſimè tractat; ſed interim æqualium autorum teſtimonia pleraque conticeſcit; eorum qui multa poſt ſæcula ſcripſêre, autoritatem plus æquo extollit; rerum circumſtantias prætermittit. Nos omnia evolvimus, & certa documenta adduximus.

Anon. loc. cit. cap. x. Sup. lib. ij. c. xxxiv. xxxv.

A Gregorio II. negata tributa, tranſlatumque Imperium ad Francos; tanquam exploratam rem adducit Anonymus: ac de negatis tributis rem confectam putat, allato Theophane, & Zonarâ, & Joanne Launoio fortaſſis confutato: quid hîc Græci vel attingant, vel miſceant, quid Latini memorent, quid ipſa rerum ſeries poſtulet, prætermittit: quanquam hæc vel à Baronio didiciſſe poterat, quæ nos recenſuimus.

Anon. loc. cit. cap. xj. xij. Sup. lib. ij. cap. xj. xij. & ſeq.

Alia exempla refert Regnorum Pontificiâ poteſtate ademptorum; neque omittit Ivonis locum, de coronâ Philippo I. Regi reſtituendâ, quam per

Anon. loc. cit. cap. xj. n. 5.

ſummam imperitiam de Regiâ poteſtate eſſe intellectam docuimus. Anaſtaſium Imperatorem memorat, ſanctique Symmachi locum; quem niſi à totâ ſermonis ſerie abrupiſſet, ſibi nociturum facilè intellexiſſet, neque id ſaltem explicat: ſi Symmachus depoſitiones cogitabat, cur hæreticum, contumacem, excommunicatum, denique perſecutorem Anaſtaſium, ubique appellet Imperatorem? Neque ex imbecillitate tot ubique adversùs Anaſtaſium ſeditionibus concitatis: neque quòd pejora metueret, quàm quæ jam Eccleſia experta fuerat. Nos hiſtoriam hanc, ut & alias, retulimus integram, quo lector omnia dijudicare poteſt.

Vid. ſup. lib. iij. c. x. Anon. n. 7. 8.

Sup. lib. ij. cap. vij.

Anon. n. 9. At illud omiſimus ab Anonymo relatum: nempè quòd Petrus Bleſenſis, Eleonoræ Reginæ nomine, ad Cæleſtinum III. ſcripſerit pro liberatione Richardi filii, à Leopoldo Auſtriæ Duce capti; hæc, inquam, omiſimus; quippe quæ ad rem non pertinebant. Id enim Regina agit, *ut Petro & ſucceſſoribus omnis poteſtas regendi committatur.* Quare dicit, *non Regem, non Imperatorem, à jugo Pontificiæ juriſdictionis eximi:* excommunicationis certè, quemadmodum factum eſſe vidimus; non depoſitionis metu; nec, ſi quid tale Eleonora Regina rebus ſuis ſerviens duodecimo ſæculo ſcripſiſſet, autoritatem ejus tanti eſſe putaremus.

Ep. Eleon. Reg. ad Cæl. iij. int. ep. Pet. Bleſ. cxlv. tom. xxiv. Bib. Pat. pag. 1059.

Anon. loc. cit. cap. vij. vid. ſup. lib. iij. cap. xvj. Bernardi dictum de duobus gladiis refert Anonymus: quâ occaſione prolatum, ſuo more, tacet. Nos ex ipſo Bernardo, rerumque ſerie expoſuimus.

Anon. cap. vij. viij. ix. vid. ſup. hoc lib. c. xviij. Tum ille, à tertio-decimo ſæculo, Scholaſticos & Canoniſtas longo recenſet ordine. Quibus quanta fides haberi debeat paulò ante diximus. Cæterùm, qui rem penitùs introſpexerit, facilè intelliget Anonymum non in his ſemper bonâ fide eſſe verſatum. Indicio eſſe poterit locus ex Ægidio Romano, ſive, quiſquis ille eſt, quæſtionis diſputatæ autore depromptus.

Anon. cap. viij. n. 7. Hunc laudat Anonymus hæc ſcribentem: *Etſi Rex Franciæ ſecundùm jura non ſubeſt ſummo Pontifici, nec ei tenetur reſpondere de feudo ſui, poteſt ei ſubjacere incidenter & caſualiter, ratione connexionis alicujus cauſæ ſpiritualis, ſicut habetur ext. de judiciis, cap. novit &c.* Quæ verba primùm quidem ad depoſitionem nihil pertinent, quod nunc quærimus. Quin favet gloſſa Hoſtienſis ſuper verbo, *de feudo*, ibidem relata ab Ægidio Romano; quâ gloſsâ Pontificem ſic inducit loquentem: *Non intendimus cognoſcere de feudo, ſed tantùm ratione peccati, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non poteſt agere niſi ſatisfaciat.* Tum illud notandum quod Ægidius paulò ante dixerat: *Cauſæ merè temporales ſunt cauſæ feudales, & cauſæ ſanguinis, & hujuſmodi; iſtas commiſit Deus immediatè & principaliter Imperatori & Regibus, de quibus nec Papa nec alii Prælati debuerunt cognoſcere in Eccleſiâ primitivâ; licèt modo conſuetudine, de perſonalibus quibuſdam & temporalibus, ad utrumque judicem recurratur.*

Æg. Rom. quæſt. diſp. art. iv. vind. Maj. lib. ij. cap. xxxix.

Ib. cap. xxxiv.

His animadverſis, facilè intelligi potuit, quòd Prælati de temporalibus interdum judicent, non id pertinere ad primitiva Eccleſiæ jura, de quibus quærimus; ſed ad conſuetudinem conſenſu mutuo introductam, ad quam autores quoſdam, ab Anonymo laudatos, reſpexiſſe conſtat. Sed hæc utcumque ſe habeant, graviore nos autoritate teneri ſignificavimus.

CAPUT XXII.

Anonymi argumenta ex conſenſu Regum & Sanctorum exemplis.

APUD Anonymum capitis XIII. titulus mira pollicetur: *Principes ipſos aliquam Eccleſiæ in temporalia poteſtatem agnoviſſe.* Sanè meminerimus de illâ poteſtate agi, quâ Reges deponuntur. Quid autem ad eam rem refert Anonymus? Nempè Ludovicum Germaniæ ac Lotharium Auſtraſiæ Reges adversùs Carolum Calvum, de invaſione cogitantem, ad Nicolaum I. confugiſſe; ut quos nulla pacis fœdera, nulla nectunt conſanguinitatis ligamenta, Apoſtolica injunctio per cenſuram Eccleſiaſticam venire compellat. Hîc verò Anonymus depoſitiones ſomniat. Excommunicatione agi volebant, ut in re manifeſtâ; quod ad rem noſtram non pertinet; neque à Nicolao impetrârunt.

Anon. loc. cit. cap. xiij. n. 1.

A nono ſæculo ſtatim ad duodecimum ac tertium decimum Anonymus tranſvolat, quibus depoſitiones iſtas invaluiſſe nemo negat. Hæc ergò penitùs omittere præſtitiſſet. An enim oportebat memorari Philippum II. ac III. Francorum Reges, qui Anglicanum & Aragonenſe (k) Regnum, Pontificiis depoſitionibus nixi, invaſerint; tanquam etiam ad autoritatem trahi poſſint, quæ Reges cupiditate aut errore peccârunt?

At Anonymus (l) ex anteactis ſæculis Juſtinum II. memorat, qui Chriſtianos Perſarmenos à Choſroâ Perſarum Rege deſciſcentes, tutatus ſit, & Choſroæ querenti reſponderit: *Nefas eſſe ut Chriſtiani Chriſtianos tempore belli ad ſe confugientes, deſertos eſſe patiantur.* Quorſum iſta? Ubi hîc depoſitio, aut ſolutum fidelitatis Sacramentum? At enim ait Anonymus: *Nonne meliùs eſt ut fideles Principibus non ſe ſubtrahant, etiamſi juſtam habeant*

Ib. n. 2. vid. Evagr. lib. v. c. vij.

(k) *Aragonenſe.*] Dixit D. BOSSUET lib. iij. cap. xxj. ea quæ, poſt exauctorationem Joannis *ſine terrâ*, Philippus Auguſtus & filius ejus Ludovicus moliti fuerant ad Angliæ Regnum capeſſendum. Sed quoniam Philippum iij. cognomento *Audacem* prætermittit, qui in Aragoniam multa conatus eſt, juvat hanc hiſtoriam paucis narrare. Jura quædam ſua in Siciliæ Regnum adversùs Carolum Andegavenſem venditabat Petrus iij. Rex Aragonum, qui, ut controverſiam brevî præcideret, omnes Gallos in Siciliâ degentes jugulavit, ipſo Paſchatis die, dum Veſperæ cantabantur; unde hanc ſtragem *Sicilianas Veſperas* vocant hiſtorici. Quo execrando facinore commotus Martinus iv. Petrum *anathemate*, Aragoniam *interdicto* obſtrinxit. At Philippus filium ſuum Carolum Aragonum Regem renuntians, ipſe venit in Aragoniam cum exercitu. Pontifex autem *inveſtivit* Regno Carolum, qui paucis diebus maximam Aragoniæ partem ſibi armis ſubjecit. Sed poſteà de jure ſuo Carolus cùm deceſſiſſet, in locum patris ſui Petri Alphonſus iij. hæres ſucceſſit.

(l) *Anonymus*] is eſt ipſe D. CHARLAS, ut alibi diximus, qui ſemper abundat iis exemplis quibus nihil probet; quale eſt illud Juſtini ij. Nam 1°. Juſtinus, libidinibus totus deditus, nihil minùs cogitabat quàm ut religionem defenderet. 2°. Evagrius, qui hanc hiſtoriam narrat, Perſarmenos habet ut rebelles, qui, ſicuti antea cum Juſtino pacti erant, *nequiter Præfectos ſuos necaverunt.* Lib. v. cap. vij. 3°. Multa *Choſroes conqueſtus eſt*, eò quòd Juſtinus, ſine causâ, fidem datam fregerat. 4°. Denique illud exemplum, cùm Eccleſiæ tum Imperio exitiale fuit. Nam Perſæ, interea dum *Juſtinus conſuetis deliciis immerſus ſe ad bellum non paravit*, Perſarmeniam multaſque Imperii provincias igne & ferro vaſtaverunt. Mirum eſt virum Theologum falſas opiniones, quas ſemel animo imbibit, tali exemplo tueri velle, quod cùm cauſæ ſuæ non prodeſt, tum eſt apud hiſtoricos ideò celebratiſſimum, quia ſcelerum multorum cauſa fuit.

cauſam, niſi Eccleſia accedente autoritate? Cur non ergò illud Juſtinus II. aut Perſarmeni cogitaverunt? Nempè illud *melius* nondum Chriſtianorum quiſquam in animum induxerat.

Sup. hoc lib. c. xviij. Quod Henricus IV. Imperator aliique, poſt undecim ferè ſæcula, Principes aliquando dixerint, parùm ad rem facere ſatis oſtendimus.

Anon. loc. cit. n. 10. 11. Hoc. lib. cap. xv. Quod autem Anonymus memorat de jure, *quod penès Rempublicam maneat aliquando Principatus transferendi, deque mutua Principum & ſubditorum obligatione, ad exequenda pacta in inſtitutione Regni conventa*, jam diximus. Quæ quidem, ſi quid valent, Eccleſiam ab his rebus arceant; ut hoc alieno loco quærere nihil aliud ſit, quam hanc quæſtionem involvere, non explicare voluiſſe.

Anon. cap. xiv. n. 2. Quòd Clerus Gallicanus Declarationem ſuam Sanctorum exemplis conſonam eſſe cenſuit, id Anonymus eludi poſſe putat, ſi dixerit: *Per exempla, non actiones Sanctorum, ſed omiſſiones intelligi.* Tum ſubdit: *Fatendum eſt enim aliquos ex Sanctis, tyrannos Eccleſiam perſequentes non depoſuiſſe.* ALIQUOS autem? An ita rem extenuari oportebat, cùm mille eoque ampliùs annis, tot inter graviſſimas perſecutiones, ne unum quidem Sanctorum appellare poſſit, qui talia cogitârit? Neque eſt candidius ac ſincerius, Ibid. cap. xiij. n. 4. quòd idem Anonymus, eam *omiſſionem*, aut ut alibi vocat, *non uſum* illius poteſtatis, nullius roboris eſſe putat. Neque enim diſſimulare oportebat eam poteſtatem, non modò non fuiſſe exercitam, ſed nequidem fuiſſe cognitam nec cogitatam; idque tot ſæculis; idque, cùm tot ac tanta evenerint, quorum causâ ea poteſtas poſterioribus ſæculis exercita fuerit.

Ibid. cap. xiv. n. 2. Quòd autem cauſatur Anonymus, *id ex impotentia Eccleſiæ procedere potuiſſe;* bona fides poſtulabat ut hæc fateretur: primùm quidem, Eccleſiam etiam pollentem viribus iſta tacuiſſe, nedùm exercuerit: tum iis uſam rationibus, quæ ad omnem ætatem pertinerent, præſtitamque perſecutoribus obedientiam, non impotentiæ, quod pudeat; ſed religioni pioque in Rempublicam ſtudio imputâſſe: denique, ſi hanc poteſtatem exercere Eccleſia vetaretur impotentiæ causâ; at debuiſſe ſaltem docere, prædicare, indicare quid poſſet, à quo ultrò abſtineret; ne, ut poteſtatem premere, ita veritatem extinxiſſe, ſeu potiùs prodidiſſe videretur; hæc, inquam, conſiderare ſapientem, hæc promere virum candidum, hæc ſaltem providere & ſolvere Theologiæ Doctorem, de re graviſſimâ ſcribentem, oportebat; non autem pro Catholicâ piâque doctrinâ venditare, quod univerſa antiquitas ignorârit.

Ibid. n. 5. & ſeq. Sanctos commemorat, Martyrologio inſcriptos, qui has depoſitiones exercuerint: Gregorium II. Zachariam, Leonem III. Gregorium VII. tanquam in confeſſo eſſet, eam poteſtatem, de quâ agimus, ab iis fuiſſe exercitam; à quâ tres primos abhorruiſſe credimus, Græcis Imperatoribus, quoad fieri potuit, obſecutos, & à Reipublicæ negotiis, pro poteſtate clavium ordinandis, ex propoſito abſtinentes. Ac ſi vel maximè concedamus eadem, quæ Gregorius VII. cogitâſſe, demonſtrandum erat in Martyrologio id eis laudi datum. Neque enim omnia geſta Sanctorum æquè ſancta probataque. At de Gregorio II. de Zachariâ, de Leone III. nihil tale legimus. Aliquid eſſe videtur, quòd Gregorius VII. laudatur, *ut Eccleſiaſticæ libertatis propu-*

gnator & defenſor acerrimus. Quod autem eâ laude dignum à Gregorio VII. factum ſit, non dicitur; neque Baronius, à quo primo Gregorium VII. Martyrologio Romano inſertum legimus, eo uſque proſiliit, ut eum laudaret, quaſi Apoſtolicâ poteſtate deponentem Reges; quod expreſſiſſimè memoratum oportebat, ſi hæc laudi eſſe conſtitiſſet. Nos autem cùm Sanctorum exempla memoramus, non unum aut alterum, ſed conſenſum ipſum, ſed ſæculorum ſeriem, rerumque geſtarum multitudinem: præclaris laudatiſque inſtitutis conſona facta proferimus, quæ nobis ſuppetunt, deſunt adverſariis. Atque hæc ſunt, quæ de ſcriptoris Anonymi libro IV. poſtquam ejus tractatus in noſtras manus incidit, huic operi jam perfecto ac propemodùm recenſito, addenda duximus; præter ea, quæ hac & illac interſeri rerum nexus curſuſque orationis pateretur.

Neque pluris valent quæ in aliis libris de eodem argumento Anonymus ſparſim ſcribit. Bonifacium VIII. ubique tuetur, eâ præſertim causâ, quòd nihil ſibi vindicaret niſi *ratione peccati*. Scilicèt Philippum IV. arma, equos, victualia, aurum, argentumque injuſſu ſuo tranſportari vetantem, pro Imperio coercebat, bella minabatur, ſedem Apoſtolicam *hoſtem* Regni *principalem* futuram novo ritu prædicabat: Prælatos, Theologos, Canoniſtas, Eccleſiaſticos ferè omnes, Regem ipſum Romam evocabat, de Regno ordinando, Rege ſive præſente, ſive abſente, pro poteſtate acturus: temporalia denique omnia ſibi ſubmittebat, graves depoſitionis intentabat minas; &, quia profitebatur nihil à ſe fieri, niſi *ratione peccati*, ferendum hoc videtur; patiendumque Philippo ut ipſi Pontifex ſummum Imperium verbis relinqueret; re auferret. Hoc Anonymo placet; non profectò Bonifacii ſucceſſoribus, qui hæc omnia ultrò antiquârunt, eraſerunt, reſciderunt. Neque tantùm Clemens V. ſed etiam anteà Benedictus XI. Et quia Galli ambitioſo & impotenti Pontifici non omnia permiſerunt, bonus Anonymus Gallorum ſtudioſiſſimus ſcribit, nec ſemel: *In Gallorum animis tempore Bonifacii VIII. avitam erga ſummos Pontifices obſervantiam aliquantulum refrixiſſe;* cùm profectò, ex illo diſſidio, Gallorum obſervantia eò magis eluceſcat, quòd tam indignis modis vexati, ac laceſſiti, nunquam ſtudioſiùs ſummos Pontifices coluerint. Quid enim omiſerunt aut tunc, aut poſteà; quod ad Sacro-ſanctæ ſedis obſervantiam pertineret? Quid autem detractum eſt cœleſti illi, quam Chriſtus tradidit, poteſtati? Annon eam noſtri ubique ſartam tectamque eſſe voluerunt, idque, actis omnibus indiderunt; & ipsâ re conſtantiſſimè præſtiterunt? Sed quia temporalia invadi non ſinebant, ſtatim avita illa obſervantia refrixerit. Sic ſolent. Sic Anonymus aliique; & Rempublicam perdunt, & Eccleſiam dehoneſtant. Cæterùm quàm malevolo animo ille autor res Gallicanas tractet, Gallorumque non modò jura & inſtituta, ſed etiam perſonas carpat, ubique videre eſt. Neque rem dignam putamus quæ nos diſtineat. Certè apud omnes conſtat Anonymum noſtrum aliquem è Gallis habuiſſe monitorem, ſive malueris, incentorem; ſed ex eorum numero, qui claros viros mordere clam, ac præclarè geſta lividis oculis aſpicere ſoleant.

Ibid. lib. ix. cap. viij. n. 9. 10. 11.

Ibid. lib. j. cap. xvj. n. 2. lib. iij. c. ix. n. 3.

CAPUT XXIII.

De Anglicanâ controverſiâ : concluſio tractationis ad Caput I. Declarationis Gallicanæ : doctrinam hanc Eccleſiæ Catholicæ ornamento, aliam invidiæ eſſe.

DIU multùmque dubitavi, an de controverſiis Anglicanis, quæ ad hunc locum ſpectent, aliquid dicerem. Audimus enim Romæ, in indice anni 1683. fuiſſe repoſitam Magiſtrorum multorum Facultatis Pariſienſis conſultationem, circa juramentum Catholicis à Jacobo Rege propoſitum. Nos autem, etſi profitemur, Eccleſiæ Gallicanæ vetere atque inſolito jure, nihil nos iis teneri decretis, tamen, Deo teſte, vehementiſſimè ab iis abhorremus, quibus hodiernum Curiæ Romanæ regimen culpare videamur. Sed quandoquidem non deerunt ex adverſariis, qui, ſi iſta omittamus, præcipuam quæſtionem ac difficultatem diſſimulatam improperent, hoc quoque neceſſariò, quàm minimâ poterimus offenſione tractemus.

Bullar. Rom. tom. j. Bull. vij. Paul.iij.§.2. p.704. * De Boulen. ** D'Aragon.

Primùm ergò certum eſt, referente Paulo in Bullâ quæ incipit, *ejus qui immobilis*, Henricum VIII. Angliæ Regem, *à Clemente Papâ, poſtquam humaniſſimis literis & paternis exhortationibus, multiſque Nuntiis, & mediis, primò, & poſtremò, etiam judicialiter, ut Annam * à ſe dimitteret, & ad Catharinæ ** ſuæ vera conjugis conſortium rediret, fruſtrà monitus fuerat*, cenſuris Eccleſiaſticis innodatum, contemptis clavibus in iis inſorduiſſe. Ergò excommunicatus à Clemente VII. non tamen Regno privatus.

Ibid. §. 6. & ſeq.

Paulus deindè III. in eâdem Bullâ cùm de Henrico VIII. meritò deſperâſſet, iterum eum excommunicat, Regnoque privat, ſubditis mandat ſub excommunicationis pœnâ, ne eum dominum recognoſcant: item univerſos ab Henrico & Annâ deſcendentes, honoribus, bonis, juribus privat, privatoſque declarat: omnibus Chriſti fidelibus omni cum Angliâ commercio interdicit, vinum, granum, ſal, alia victualia deferri eò, aut indè recipi vetat ſub excommunicationis pœnâ: omnes Chriſtianos Principes, etiam Imperiali aut Regali autoritate fulgentes, requirit in Domino, omnibus qui Imperatore ac Rege inferiores fuerint, quos, propter excellentiam dignitatis, à cenſuris excipit, ſub excommunicationis pœnâ mandat, ne cum eodem Rege ullo fœdere conjungantur: fœdera jam peracta diſſolvit: omnibus Principibus cæteriſque armigeros terrâ marique habentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ mandat, ut Henricum illato bello ad obedientiam ſanctæ ſedis redire compellant, bona ejus ſubditorum ubilibet conſiſtentia capiant, ea omnia bona iis dat de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Data hæc eſt 3. Kalend. Septembris anno 1536. Suſpenſa deindè executio, ac poſtremò juſſa rursùs 16. Kalend. Januarii anno 1538.

Cùm igitur tot ac tanta de temporalibus præceperit, non modò Henrici ſubditis, ſed etiam omnibus Principibus, nec exceptis Regibus, quos à cenſuris tantùm, non autem ab ipſo præcepto aut obedientiâ eximi voluit, nemo certè fuit qui ſe ex eo decreto terrâ marique in Angliâ vel extra Angliam commoveret.

Digitized by Google

Neque Pio V. res meliùs proceſſerunt, poſtquam iteratis vicibus (*m*) anno Chriſti 1569. & 1570. Pontificatûs 4. & 5. Eliſabetham Reginam Regno privatam declaravit. Cui declarationi nullus Catholicorum Principum quidquam detulit, aut ab Eliſabethâ Reginâ agnoſcendâ abſtinuit. Neque quidquam aliud Pontifex conſecutus, quàm ut Anglos Catholicos certiùs perituros ad arma impuliſſe videretur, nullo, aut ambiguo Martyrii titulo; cùm ut perduelles diris modis necarentur. Bull. T. ij. Bull. Pii V. cj. edit. 1570. p. 303.

Interim Eliſabetha, ſub Henrico VIII. inchoatum, ſub Eduardo VI. repetitum juramentum exigebat quod *ſuprematia* vocant; quo ſcilicèt juramento aditus ad dignitates aliaque civilia patebat iis tantùm, qui dato ſacramento agnoſcerent, *quòd Regia Majeſtas unicus eſt & ſupremus gubernator tam in omnibus ſpiritualibus ſive Eccleſiaſticis rebus, quàm in temporalibus: & quòd nullus extraneus Princeps, perſona, Prælatus habet ullam juriſdictionem, vel autoritatem Eccleſiaſticam, ſive ſpiritualem intra Angliæ Regnum.* Vid. Rap. Thoyr. t6. vj.

Anno verò 1606. Jacobus Rex juſſit juramentum præſtari à Romanis Catholicis; (*n*) quod ſi præſtitiſſent, liberè ac tutò certis conditionibus in ſuâ

(*m*) *iteratis vicibus.*] Hæc Bulla anni 1569. nobis non innotuit; niſi fortè ſit ipſa Bulla, *regnans in cœlis*, quæ an. tantùm 1570. edita eſt. Equidem Pontifex an. 1569. Mortoni, à ſe in Angliam miſſo, dederat in mandatis ut Catholicos commonefaceret Eliſabetham falſo titulo Reginam vocari, quod Pontificium mandatum fortaſſis pro Bullâ habitum fuerit. Notandum tamen D. Rapin Thoyras dicere hanc Bullam factam an. 1569. fuiſſe demum Londini affixam an. 1570. Hunc vid. tom. vj. lib. xvij. p. 293.

(*n*) *Jacobus Rex juſſit juramentum præſtari à ... Catholicis.*] Quanto æquiùs juſſiſſet à Proteſtantibus? At verò Angliæ Reges, qui, propter privatorum quorundam opiniones, quas Eccleſia non approbat, ſuſpectam habebant Catholicorum fidem, ſeſe toti credebant Proteſtantibus. Eſt tamen hoc novæ Reformationi proprium & ingenitum nemini ſubjici & ſublimioribus poteſtatibus non parere, ut ipſa facta clamant. An Catholici, quæſo, Angliam ultimo ſæculo tot ſeditionibus turbaverunt, an verò Proteſtantes? Horruit Orbis, quando audivit id actum eſſe Londini, quod apud gentes immaniſſimas nunquam factum fuit; nempe Regem Carolum j. edicto Senatûs morte damnatum, & carnificis gladio publicè cæſum. Profectò hujus tanti ſceleris autores fuerunt & actores ipſi Proteſtantes. Quamquam D. Jurieu, in ſuo libello, cui titulus eſt, *Politique du Clergé de France*, quem D. Arnauld invictiſſimè in ſuâ pro Catholicis apologiâ confutavit, inter abſurda plurima, id etiam dixit, quo nil abſurdius excogitari poterat: Catholicorum impulſu occiſum hunc Regem fuiſſe. Porrò D. Jurieu, qui ſuis paradoxis inſulſis neque veriſimilibus, omnes, quos unquam legerim, vincit autores, ipſe ſolus hanc texuit fabulam, quam ineptam cenſebit ex ipſis Proteſtantibus quiſquis ſanæ mentis erit. 1°. Enim ſententiam tulit Cromwellus cum Senatu Anglicano, in quo Judices ſedebant ſoli Proteſtantes, qui Catholicos tantopere ſpreverant, ut eos vix alloqui vellent; quantò minùs ipſis favere, & cum illis conſilia communicare. 2°. Quî Catholici adeò immanes eſſent, ut hunc Regem occidi cuperent, quem in omnes beneficentiſſimum, in ſe benignum & facilem fuiſſent experti? 3°. Non magnis ſeſe homines implicant ſceleribus, niſi perſpectos habeant ſcelerum fructus. Quid autem erat quod ſperarent Catholici à Cromwello & à Senatu huic tyranno tam turpiter ſervienti? Vidimus etiam Anglos Proteſtantes juramentum illud infringentes, quo ſe Jacobo ij. obſtrinxerant, Regnum extraneo tradere, Principi illi Orangio, qui dum ſocerum ſuum Regno expulit, uno ſcelere, jus commune & gentium, atque ipſum jus naturæ violavit. Illi ergò ſunt Proteſtantes, qui ſe Regibus fideliſſimos, Catholicos infideliſſimos vocant. Et ſanè præclara ſunt illa patientiæ & fidelitatis documenta, quibus Calvinus eam adornat præfationem, quâ ſuam *inſtitutionem* Franciſco j. conſecrat. Eccleſia quoque Anglicana pro certo fixoque ſuæ Reformationis dogmate poſuerat, ut Reges ſoli Deo obnoxii crederentur. Hoc legimus in illo juramento quod *ſuprematiæ* vocant: hanc ratam eſſe Reformationis legem D. Jurieu in ſuis *paſtoralibus literis* iterat ſæpiſſimè. Cur ergò Proteſtantes dicta ſua factis negant? Cur D. Jurieu & plurimi alii rebellionis ſunt ipſi præcones? Hoc ipſum eſt quod dicebat D. Bossuet: *La reforme foible & variable n'a*

Digitized by Google

Ibid. lib. xviij. tom. vij. p. 50. 51.

religione viverent. Tale autem erat juramentum, quo, *in conſcientiâ ſuâ, verè ac ſincerè, nullâ reſervatione mentali, quilibet Catholicus teſtaretur Jacobum eſſe Regem ſuum legitimum, qui à Papâ, aut Apoſtolicâ ſede nullo modo deponi ac deprimi poſſit, Rexque maneat nonobſtante aliquâ declaratione, vel ſententiâ excommunicationis, vel deprivationis, atque etiam tolli non poſſe abſolutione quâvis fidelitatem atque obedientiam ſuæ Majeſtati ejuſque ſucceſſoribus.*

Hoc verò juramentum quod Angli *fidelitatis* aut *allevantiæ* vocant, Cardinalis Bellarminus cum illo Eliſabethæ, quod erat *ſuprematiæ*, re ac ſententiâ convenire aſſerit, negatamque Pontifici excommunicandi Principis poteſtatem: quæ quidem æquo lectori dijudicanda relinquimus. Quæ verò autoritate certâ, in eâ re geſta ſint, proferimus.

Huic certè Jacobi Regis juramento inſidioſiſſimè, atque invidioſiſſimè erat inſertum illud: *Præterea juro, quòd ex corde abhorreo, deteſtor, & abjuro, tanquam impiam & hæreticam hanc doctrinam & propoſitionem: quòd Principes per Papam excommunicati, vel deprivati, poſſint per ſuos ſubditos deponi & occidi.*

Hoc eò pertinere videbatur, ut Catholici quivis privatâ autoritate decernerent *impiam & hæreticam* eam eſſe ſententiam, quam de deponendis, hæreſis ſaltem causâ, Regibus, viri maximi atque ſanctiſſimi, ipſique adeò Romani Pontifices poſtremis ſæculis, bono animo, tanquam probabilem defendiſſent. Et quidem ab eorum ſententiâ abhorrere, perſpectis meliùs rebus, uti nos Franci facimus, erat licitum ac bonum; damnare ut hæreticam, abſque Eccleſiæ autoritate, nimium & temerarium videbatur.

Noſtri Doctores rem totam, in eâ quam prædiximus conſultatione, ſic temperant, ut quandoquidem hæreticum eſſet, & ab Eccleſiâ in Conſtantienſi Concilio ut hæreticum damnatum, tyrannos, hoc eſt Principes etiam legitimos male poteſtate uſos, *occidi poſſe*, eodem titulo poſſit inſigniri ea propoſitio, quæ depoſitionem cum cæde conjungeret, ut erat in juramento poſitum.

Utcumque eſt (neque enim hîc de hâc conſultatione quærimus, ſed rem geſtam enarramus) Paulus V. eodem anno 1606. 10. Kalend. Octobris Breve edidit ad Anglos Catholicos, cujus eſt initium: *Magno animi mœrore;* quo quidem in Brevi, relato juramento, hæc addit: *Vobis ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quòd hujuſmodi juramentum, ſalvâ fide Catholicâ & ſalute animarum veſtrarum, præſtari non poteſt; cùm multa contineat, quæ fidei & ſaluti apertè adverſentur.* De quò Brevi, cùm in Angliâ quidam ambigerent, illud anno ſequenti Pontifex confirmavit, dato alio Brevi, cujus eſt initium: *Renuntiatum eſt nobis.*

Quid autem illud eſſet *quod fidei & ſaluti* apertè adverſetur, Pontifex non exponit, non docet. Multi exiſtimabant illud dumtaxat fidei & ſaluti animarum

pû ſoutenir ce qu'elle avoit d'abord montré de Chrétien, & ce qu'elle avoit vainement tâché d'imiter des exemples & des maximes de l'ancienne Egliſe. V. *Avert. aux Proteſt.* p. 360. Bella illa exitioſa & diuturna a Proteſtantibus illata, ut Beza, JURIEU aliique gloriari non verentur, quibus totam Germaniam & Galliam vaſtaverunt, probabunt poſteris quonam modo illi homines Regibus obediant. Vid. v. *Avert. aux Prot.* & D. ARNAULD librum, cui titulus: *Apologie pour les Catholiques.*

(o) *Falſæ*

animarum adverſari, quòd, abſque Eccleſiæ autoritate, propoſitionem eam ut hæreticam agnoſci oporteret. Cæterùm ut mentem meam eâ, quâ decet Chriſtianum Theologum, ſinceritate promam, id expreſſum eâ perſpicuitate Curia Romana noluit, ne ſi ab hæreſis qualificatione & notâ tantùm abhorreret, propoſitionem aliâ notâ proſcribi poſſe fateretur.

Neque tamen quis reputet poteſtatem deponendi Reges tanquam fide certam fuiſſe propoſitam. Nec enim dogmata fidei ambiguè, aut eâ formâ declarari ſolent. Certè annis 1678. 1679. 1681. Catholici multi, falſæ illius conjurationis (*o*) gratiâ, ultimo addicti ſupplicio, ſub ipſo ictu teſtati ſunt, ſe toto animo profiteri Carolum II. verum ac legitimum Regem eſſe, neque à quoquam deponi poſſe; idque à ſe pro certo exploratoque haberi; neque ab eâ unquam ſententiâ diſceſſuros: id tantùm cavebant, ne deponi poſſe Reges hæreticum dicerent, quòd Eccleſia Catholica, cujus autoritati ſtabant, non id declarâſſet. Hoc omnium expreſſiſſimè Richardus Langhordus Advocatus juris conſultiſſimus: hoc ipſe Stafortius, morituri profeſſi ſunt; ut profectò certum ſit, altè animo hæſiſſe, proque certis habita, quæ tam inſignes viri inter ipſa Martyria declarârint.

Cur enim non liceret (*p*) Anglis id clarè profiteri quod nos Franci publicè, ſummâ omnium Ordinum conſenſione profitemur? Ne verò ſperent, quicumque illi ſint Curialis ſententiæ defenſores, nos à propoſito diſceſſuros. Satis enim confidimus nunquam eventurum, ut Eccleſia Catholica cujus Traditioni, autoritatique adhæreſcimus, ſedeſque Apoſtolica, nos ad hæc nova & inaudita, atque ut verè dicamus, vana compellat,

(*o*) *Falſæ... conjurationis &c.*] Optimè confutat D. ARNAULD, in ſuâ pro Catholicis apologiâ, confictam hanc conjurationem, de quâ nobis pauca dicenda ſunt. Quidam Oates, primum Anglicanæ Eccleſiæ miniſter, tum, ut aiunt, Jeſuita, demum Jeſuiticæ Societatis & Catholicæ religionis deſertor, ſeu potius, quod illi exprobravit Dux STAFFORD, nullius religionis; quippe qui Catholica dogmata falſa reputabat, tum cùm Jeſuita & quidem Diaconus Miſſæ ſacrificio aderat frequenter & communicabat; is ergò Oates dixit Catholicos conjurâſſe de interficiendo Rege, & ſimul de omnibus Proteſtantibus occidendis, ut eo ſcelere Angliam Catholicæ religioni redderent. Addebat Regem Carolum ij. exauctoratum fuiſſe a Papâ, qui quidem Papa Joannem Paulum Olivam Jeſuitarum Præpoſitum generalem conſtituerat, eò ut majoribus Regni dignitatibus eos Catholicos præficeret, quos inter Anglos cognoſceret potentiores: ſe autem ipſa diplomata vidiſſe teſtabatur, & certo ſcite conjurationis conſilium, à Sorbonâ approbatum, ſic peragendum fuiſſe, ut eâdem horâ Rex & cæteri Proteſtantes necarentur; quod ut confici poſſet à Catholicis numero pauciſſimis, auxilio eis adeſſe debuiſſe exercitum ducentorum millium militum, conflatum ex Gallis, Hiſpanis &c. conductum à Papâ, Francorum Rege favente. Teſtes v. aut vj. Oatæ ſimillimi accuſationem confirmabant, quæ quantumvis abſurda eſſet, falſaque ipſâ teſtimoniorum inconſtantiâ probaretur; quanquam Dux STAFFORD aliique Angli nobiliſſimi ſuam innocentiam, etiam juramento teſtarentur, nihilominùs ipſe Dux STAFFORD, alii multi, cùm vitæ integritate tum nobilitate clari, cum nonnùllis Jeſuitis, ut læſæ Majeſtatis rei obtruncati ſunt. Nomen eorum in priſtinum decus Jacobus ij. juſſit reſtitui, & Oatem perjurum virgis publicè cædi quotannis quatuor vicibus, atque ad cyppum alligari. Sed Princeps Orangius, Regno occupato, hunc è carcere eduxit. Vid. *Apol. pour les Cath.* tom. j. & in Oatem Rap. Thoyr. lib. xxij. p. 406. & ſeq.

(*p*) *Cur non liceret &c.*] Cardinalis Barberinus de eâdem re à Scoto quodam interrogatus ſic reſpondebat: *Francis morem non eſſe, ut in hujuſmodi quæſtionibus, Romanos conſulant; conſultos verò ab Anglis, hoc ſine dubio reſoluturos quod juri ſuo magis congrueret. Interim verò Theologis Britannis fas eſſe ſicut & Francis ut jus ſuum perſequantur* Optimè Barberinus & candidè. Vid. Remonſtrantiam Hibernorum à R. P. CARON Erem. &c. cap. iv. §. iv. p. 8. ad calcem tom. ij. tractatuum, quibus titul. *Des Droits & Libert. de l'Egl. Gall.* edit. 1731,

Quid enim eſt, per Deum immortalem, vanius, quàm de deponendis Regibus, quæ nullum moveant decreta conſcribere? Excommunicatio, uti prædiximus, quantùmvis impii ſuperbiant, ipſam ſtatim animam mucrone ſpirituali perfodit. At profectò quid profecit, aut quid nocuit, quòd à Paulo III. Henricus VIII. à Pio V. Eliſabetha regno dejecti ſunt? Nempè inanes chartæ, quòd ad temporalia attinebat, non tantùm ab hæreticis, ſed etiam à Catholicis, ſi verum amamus, nihili ſunt habitæ: eodemque tenore pacta, ſocietates, commercia, negotia proceſſerunt; neque id ita futurum Romanos Pontifices fugiebat; & tamen vanis formulis vanum ſibi titulum curia ſanciebat. Interim id hæretici lucrifecerunt, id Eccleſiæ Catholicæ detrimento fuit, quòd Catholici, non ut Catholici, pœnas darent; ſed ut publici hoſtes, prompti ſcilicèt in Regem inſurgere, ubi Romano Pontifici placuiſſet.

Neque reſpondeant nihil ad Catholicos pertinere quid hæretici de illis
j. Tim. iij. 7. ſentiant, cùm Apoſtolus jubeat *Epiſcopum etiam teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.* Idem Apoſtolus jubet ut præcipuam curam habeamus,
Ib. vj. 1. *ne nomen Domini*, aut doctrina, apud extraneos ſcilicèt, *blaſphemetur*: quâ
Ibid. certè ratione, *quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur.* Hoc præcipit circa dominos etiam infideles, ne ſi Chriſtiani ſervi, quantò magis Regum ſubditi, inobedientiæ ſuæ cauſam religionis obtendant, ſacra illa doctrina infametur, ut quæ familias ac Rempublicam conturbet; quod aliis verbis idem Apoſtolus explicat ad Titum ſcribens:
Tit. ij. 10. *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe*, eâ præcipuè causâ, *ut doctrinam Salvatoris*
Ibid. 5. *noſtri Dei ornent in omnibus.* Quo item ſenſu paulò anteà dixerat: *Mulieres eſſe oportere ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei:* magno enim reverâ ornamento eſt ſanctæ Eccleſiæ Dei, quòd ejus doctrina domos, familias, civitates altâ pace firmet; neque perturbet, ſed ſanciat rerum humanarum ordinem; vetetque ne inquieti homines, unà cum religione, con-
j. Cor. vij. 20. 21. ditionem mutare porrò incipiant: imò *unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat. Servus vocatus es? non ſit tibi cura.* Quantò magis juſſum ut juſto ac legitimo Imperio ſubſis, & communi civium libertate vivas?

Id etiam anteceſſores noſtri ſancti Chriſti Martyres præcipuè obſervârunt; cavebantque, admonente Petro, ne ut rebelles erga Rempublicam, ſed
j. Pet. iv. 16. tantùm ut *Chriſtiani* paterentur: *glorificarent autem Deum in iſto nomine.* Neque aliud inculcabat Paulus, cùm diceret: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei*
Rom. xiij. 2. *ordinationi reſiſtit: qui enim reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ne ergò illam, etiam apud homines, damnationem acquirerent, publico ordini modeſtè ac pacifici homines ſerviebant. Undè illud Origenis in epiſ-
Orig. in ep. ad Rom. lib. ix. cap. xiij. tom. ij. p. 716. edit. Baſ. 1657. tolam ad Romanos: *Si enim ponamus, verbi gratiâ, credentes Chriſto poteſtatibus ſæculi non eſſe ſubditos, tributa non reddere, nec vectigalia penſitare, nulli timorem, nulli honorem deferre; nonne per hæc rectorum ac Principum meritò in ſemetipſos arma converterent, & perſecutores quidem ſuos excuſabiles, ſemetipſos verò culpabiles redderent? Non enim jam fidei, ſed contumaciæ causâ impugnari viderentur.*

Neque verò exiſtimemus hæc quæ Origenes, Apoſtolo autore condemnat, meliùs fieri, ſi Sacerdotum judicio fiant. Meritò enim beatus Joannes

Chryſoſtomus in eundem Pauli locum hæc habet : *Oſtendit quòd iſta imperentur omnibus, & Sacerdotibus & Monachis, non ſolùm ſæcularibus, id quod ſtatim in ipſo initio declarat, cùm dicit* : OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUPEREMINENTIBUS *ſubdita ſit ; etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quiſquis tandem fuerit ; neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Neque verò Eccleſiæ Chriſti decori aut ornamento eſſet, ſi haberet Sacerdotes, quorum autoritate & nomine ſublimes poteſtates contemni ac deponi poſſent ; ſed ei ornamento eſt, quòd qui ſint ſacrorum, iidem ſint etiam in Principes atque Rempublicam fidi obſequii duces. *Deus enim*, inquit, *id exigit, ut creatus ab ipſo Princeps, vires ſuas habeat.... Quod ſi obſervaveris Chriſtianè, & ipſe*, inquit, *Princeps, eò te magis ſuſcipiet, Dominumque tuum, etiamſi incredulus fuerit, hoc nomine glorificabit.*

Chryſoſt. hom. xxiij. in epiſt. ad Rom. tom. ix. p. 686. vid. ſup. lib. j. ſect. ij. c. xv.

Chryſ. ib. n. 11. p. 689.

Sic ergò Catholici *doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus*; neque Pontificibus ſuis id honori vertant, quòd vanos concedant titulos, quibus lugenda bella commoveant : imò ubicumque degunt, ſive in Angliâ, ſive in Hollandiâ, ſive apud Sinenſes Sereſque ultimos * & Japonas ; ne dent locum iis, qui paſſim ubique jactant habere eos Pontificem, quo duce & autore, à legitimis Regibus imperiiſque deſciſcant : quod quidem quantas turbas, quantam Eccleſiæ Dei perſecutionem apud Japonas (*q*) concitârit, ipſis hæreticis referentibus, ac ſua ſcelera jactantibus credimus. Ne ergò iſto titulo, neque ut inquieti & malefidi cives, ſed tantùm ut *Catholici patiantur, glorificent* autem *Deum in iſto nomine*; relinquantque id hæreticis, ut de Reipublicæ charitate ac Regum reverentiâ magna profeſſi, tamen omnium audaciſſimè in arma civilia proruant.

Tit. ij. 10.

* Poſiti ultra ſinas.

Romanos autem Pontifices, quotquot futuri ſunt, Patres noſtros ſanctiſſimos atque chariſſimos rogamus, obſecramus, ſummâque reverentiâ etiam

(*q*) *Apud Japonas &c.*] Non abs re erit hiſtoriam breviter texere ejus perſecutionis, quæ in Japoniâ Chriſtianiſmum extinxit. S. Franciſcus Xaverius & Luſitani quidam Preſbiteri apud Japonas Evangelii primi præcones fuerunt, quorum labores adeò Deus adjuvit, ut an. 1613. Chriſtiani implerent in Japoniâ numerum quadringentorum millium. Veniebant quoque in hanc regionem Hollandi, non tam Evangelii causâ quàm negotiationis. Animadverterat autem Hollandus quidam, Caron nomine, qui, quanquam humili loco natus, menſæ nummariæ Japonicæ Hollandorum præſidebat, Japonas Chriſtianos cum Luſitanis malle, quam cum Hollandis negotiari. Igitur id cogitans ut ad gentem ſuam omne Japonicum commercium transferretur, deteſtandum facinus aggreſſus eſt, quo patrato, ſtatim omnibus Chriſtianis mors intentata eſt. Ad quemdam nobilem Japonenſem ipſe detulit epiſtolam à ſe Luſitanicè ſcriptam, eo artificio, ut legentes facilè ſibi perſuaderent Chriſtianos, conjuratione factâ, Japoniam vaſtare & ipſum Imperatorem opprimere ſtatuiſſe. Atque quò magis Japona ille nobilis Imperatorem ad ſæviendum in Luſitanos inflammaret, addebat : Hiſpanis & Luſitanis hanc ratam eſſe legem, ut populos ad quos veniebant, carceribus & necibus ſuæ religioni adjungerent ; quippe qui credebant Deum ſuum ſibi fore propitium, ſi eos occiderent, quos cogere non poſſent : Hollandos verò omnium populorum & religionum amicos, ſoli commercio intendere. Imperator, lectâ epiſtolâ continuò exarſit, &, nullâ conjurationis inquiſitione factâ, omnes Chriſtianos neci addixit ; adeò ut ne unus quidem an. 1649. in totâ Japoniâ reperiretur. Exinde edicto ſancitum eſt ne quis ultrà Chriſtianus in Japoniam veniret. Soli ergò apud Japonas veniunt Hollandi, qui interrogati cujus ſint religionis, reſpondent, *ſe Chriſtianos non eſſe, ſed Hollandos* ; neque etiam verentur eo gloriari, quòd tam nefariis tamque impiis artibus, tutè cum Japonibus negotiari poſſint. Vid. lib. Franc. Caron Belgi ad calcem tom. ij. Walemb. & TAVERNIER *relat. du Japon*, atque etiam D. ARNAULD *Apolog. pour les Cathol.* tom. ij. p. 303. & ſeq.

atque etiam obteſtamur, ne ſedis ſuæ majeſtati conſulere ſe putent, ſi Gregorium VII. Gelaſiis, Symmachis, aliiſque Gregoriis anteponant: Catholicos verò bonos doctoſque, eâ, quâ par eſt, charitate atque honorificentiâ admonemus, ne ſe ideò benè Catholicos putent, ſi omnia Pontificum geſta decretaque aſſerenda ſuſcipiant. Excuſent ſanè Pontifices quoad fieri poterit, uti nos pro virili fecimus, conati certè ſumus. Cæterùm ſi neceſſe ſit reprehendi interdum eorum aliquos, quorum operâ ac laboribus, magna in Eccleſiam bona provenerint; cùm nempè alienis rebus, bono ſcilicèt animo ſeſe ingeſſerunt, id verò non ad ſedis Apoſtolicæ contumeliam, ſed ad Eccleſiæ, Deique eam protegentis laudem, atque ad Romanæ fidei Apoſtolicique officii commendationem maximam pertinere arbitrentur: cujus quippe fidei, atque officii puritas, ſanctitas, dignitas, tot inter incommoda
ij. Cor. 9. 10. apud pios illæſa perſtiterit; ut hîc etiam valeat ſuo modo Apoſtolicum illud: *Virtus in infirmitate perficitur*; & *cùm enim infirmor, tunc potens ſum.*

Digitized by Google

DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

PARS SECUNDA,

In quâ de Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi & conſectaneis agitur.

LIBER QUINTUS.

De Concilio Conſtantienſi ad Caput ſecundum GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Refertur Declarationis Caput II. hujus libri ſcopus : Synodum Conſtantienſem ſedi Apoſtolicæ nunquàm inſenſam aut ſuſpectam fuiſſe.

SIC autem ineſſe Apoſtolicæ ſedi ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicariis, rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis à ſede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totiùs Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſiâ Gallicanâ perpetuâ religione cuſtodita decreta, de autoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſſione quartâ & quintâ continentur ; nec probari à Declarat. Cler. Gall. cap. ij.

Gallicanâ Eccleſiâ, qui eorum decretorum, quaſi dubia ſint autoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.

Hoc capitulum tria præſtat. Theologi Pariſienſes totaque Pariſienſis Academia, & Eccleſia Gallicana id ſemper egerunt, ut efficaciſſimis æquè ac ſimpliciſſimis verbis agnoſcerent manantem à Chriſto, ad Petrum atque ad Petri ſucceſſores Romanos Pontifices ſummâ autoritate tranſmiſſam vicariam poteſtatem ejuſque plenitudinem: eam ſcilicèt, quæ ad omnia ſpiritualia Eccleſiæ Chriſti commiſſa pateat. Primum hoc. Tùm ad eam certâ ratione explicandam, Concilium illud adhibet, quod ſit ad eam rem maximè idoneum, Conſtantienſe ſcilicèt; quippe quod Papalem poteſtatem poſtremis ſæculis à peſſimis hæreticis Albigenſibus ac Valdenſibus, recentiſſimè verò à Wicleſiſtis & Huſſitis perditiſſimis hominibus obſcuratam, ad hæc infando ſchiſmate per quadraginta ferè annos collapſam ac ſemilaceram, in priſtinam amplitudinem revocarit. Tertiò ac poſtremò, ne quis ſcrupulus ſupereſſe poſſit, eadem Pariſienſis Academia atque Eccleſia Gallicana, ex ipsâ geſtorum ſerie exponit ac firmat Conſtantienſis Decreti autoritatem certam, neque ambiguam mentem.

Diſſert. præv. n. xlij. Et quidem diſſertatione prævia admonuimus procul amovendam illam, quæ per ſummam imperitiam, quorumdam animos inceſſit de egregiâ Synodo ſuſpicionem iniquiſſimam; quaſi ſedi Apoſtolicæ ipſo etiam nomine infauſta videatur, quod contra eſt; cùm omnes quidem univerſales Synodi id innatum inſitumque habeant, ut Pontificiam poteſtatem, ſibi conjunctiſſimam totique corpori præſidentem, venerentur ac foveant, ut omnium ſæculorum ab ipsâ Chriſtianitatis origine teſtatur experientia; illa verò præ cæteris habeat hæc tria: primùm quòd Pontificiam poteſtatem, fœdo extincto ſchiſmate, priſtino ſplendore lucere fecerit: deinde quòd à ſeditioſiſſimis hæreticis ejus poteſtatis luculentiſſimam confeſſionem exegerit: tertiò quòd egregium Pontificem Martinum V. jam inde ab initio hujus conventûs partem optimam, ipſa è ſinu ſuo elegerit ac pepererit: quin etiam cùm eò res deveniſſet, ut abjectis omnibus, qui de Papatu litigarent, verus & indubitatus Pontifex crearetur, hæc ſtatim edixerit:

Concil. Conſt. ſeſſ. xl. p. 245. *Dent operam Electores, cùm de creatione agitur Vicarii* JESU-CHRISTI, *ſucceſſoris beati Petri, univerſalis rectoris Eccleſiæ, gregis Domini directoris, ne quid aliud cogitent, quàm ut eorum miniſterio de utili & idoneo univerſali Eccleſiæ paſtore provideatur.* Quæ verba & alibi memoravimus, & nunquam ſatis inculcanda nunc etiam ſummâ cum animi voluptate repetimus.

Ex his igitur & aliis æquè probatis fœdam hanc Binianæ editionis notam

Diſſ. loc. cit. expungimus: *Concilium Conſtantienſe ex parte approbatum*; quippe quæ Romanâ quoque editione ſpretâ, uti prædiximus, privati hominis temeritate ſit addita. Verùm ut res procedat clariùs, Seſſionum IV. & V. Conſtantienſis Concilii à Pariſienſibus noſtris & à Clero Gallicano laudata decreta referamus.

CAPUT II.

Conſtantienſis Concilii laudata decreta, ex Seſſionibus IV. & V. referuntur: cenſores noſtros, atque etiam ipſum autorem tractatûs DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ, *nec Synodi verba attendiſſe; nedùm intellexerint.*

SESSIONIS IV. hæc verba ſunt: IN NOMINE SANCTÆ ATQUE INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, *hæc ſancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fiendâ..... in Spiritu ſancto legitimè congregata..... ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit, & declarat ut ſequitur. Et primò: Quòd ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans*, POTESTATEM A CHRISTO IMMEDIATE HABET, *cui quilibet cujuſcumque ſtatûs vel dignitatis*, ETIAM SI PAPALIS EXISTAT, *obedire tenetur, in his quæ pertinent* AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, ET REFORMATIONEM GENERALEM ECCLESIÆ DEI, IN CAPITE ET IN MEMBRIS. In hâc ſeſſione, cum Romanorum Rege, *fuerunt ducenti Patres*, ut in ipſo initio ſeſſionis adſcriptum eſt. Concil. Conſt. ſeſſ. iv. p. 19.

Seſſio verò V. ſic habet: *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, pro extirpatione ipſius ſchiſmatis, & unione & reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu ſancto legitimè congregata, ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, liberiùs, unionem & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diffinit, decernit, & declarat ut ſequitur: Et primò, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans*, POTESTATEM A CHRISTO IMMEDIATE HABET, *cui quilibet cujuſcumque ſtatûs vel dignitatis*, ETIAMSI PAPALIS EXISTAT, *obedire tenetur, in his quæ pertinent* AD FIDEM ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, ET REFORMATIONEM DICTÆ ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS. Ibid. ſeſſ. v. p. 22.

Item declarat, quòd quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatûs, & dignitatis, ETIAMSI PAPALIS, *qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis hujus ſacræ Synodi*, & CUJUSCUMQUE ALTERIUS CONCILII GENERALIS *legitimè congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.*

Facilè animadvertet lector diligens Seſſioni IV. per Seſſionem V. quid lucis acceſſerit. Seſſione ſanè IV. ſumma illa autoritas adſcita eſt Concilio; ſed quantùm verba ſonant, Conſtantienſi tantùm. Cùm autem id Patribus anguſtius videretur, quàm ut Eccleſiaſticis morbis remedium afferri poſſet, Seſſione V. itum eſt in eam ſententiam, ut non ſolùm *iſti Concilio Conſtantienſi*, verùm etiam cuilibet alteri, parem autoritatem adſciſceret.

Digitized by Google

Doctr. Lovan. p. 68. 69.

Placet hìc perpendere tantiſper, quàm parùm cenſores noſtri ad verba decreti animum attenderint. Et quidem autor *doctrinæ Lovanienſium* ex Jacobo Latomo & aliis hæc refert: *Ecce manifeſtè patet quòd decretum illorum Patrum, non loquitur univerſaliter de quâlibet Synodo univerſali, ſed de illâ ſingulariter, hoc eſt de Conſtantienſi.*

Diſq. art. v. n. 65.

Idem habet Dominus Nicolaus Dubois in Diſquiſitione: *Omnia*, inquit, *verba decretorum Seſſionum IV. & V. quatenùs de autoritate agitur, concepta ſunt verbis de ipſâ ſolâ agentibus.* Nempè adeò curſim legit Conſtantienſes canones, ut nec illud adverteret: *Quicumque cujuſcumque conditionis, etiamſi Papalis, qui mandatis hujus ſacræ Synodi &* CUJUSCUMQUE ALTERIUS CONCILII GENERALIS *legitimè congregati obedire contempſerit.* En diligentem lectorem, qui Gallicanos Epiſcopos eo nomine caſtigârit, quòd, quæ laudaverint acta, non legerint. Uſque adeò cæcutiunt homines præjudiciis acti, quæque ipſi in ore habent aſſiduiſque terunt manibus, nec legunt nec vident.

Concil. Conſt. ſeſſ. v. Diſq. art. ix. pag. 44. vid. in app. præf. aut.

Tract. de Libert. Eccl. Gall. lib. v. cap. xv. n. 6.

Quin etiam ipſe autor Tractatûs *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, qui cæteris diligentior futurus videbatur, in eundem impegit lapidem: *Notanda*, inquit, *ſunt illa verba:* IN HIS QUÆ AD FIDEM ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, PRÆCEPTIS HUJUS SACRÆ SYNODI SUPER PRÆMISSIS, SIVE AD EA PERTINENTIBUS, *quæ decreta illa circumſcribunt, ac ſine limitatione intelligere vetant.* At quâ fide omittit illa verba: *cujuſcumque alterius Synodi generalis*, & ipſam fidei ac Schiſmati additam reformationem? Ac ne quid deeſſe poſſit, diſertè poſitum, *ſuper præmiſſis & ad ea pertinentibus*, ipſâ etiam huc reformatione concluſâ; quæ profectò voces, ſi quid limitationis ſonant, haud equidem ſcio, quæ deindè generatim dicta intelligantur.

Daguirr. Def. Cath. Pet. Diſput. xxxvj. n. 8. p. 502.

Sanè doctiſſimus Daguirreus (*a*) horum præjudiciis ductus, ipſe quoque ex

(*a*) *Daguirreus*] (Joſephus Saens) Ordinis S. Benedicti Monachus, Doctor & interpres primarius Scripturæ ſacræ in Univerſitate Salmanticenſi, vir plurimâ doctrinâ, & miræ probitatis famâ conſpicuus; multa opera edidit; ac imprimis Concilia Hiſpaniæ quatuor volum. in fol. diligentiſſimè collegit, quibus notas addidit & exquiſitas diſſertationes. In hujus operis præfatione, peſtiferam hanc, quam olim ipſe defenderat probabilitatis doctrinam damnatam jubet eſſe; & in reliquo opere, præcepta morum tradit ita pura ſanctaque, ut omnium calculo Daguirreus approbaretur, niſi eas ſibi tuendas ſuſcepiſſet falſas decretales, quas Romani ipſi apertè contemnunt. Quando exorta eſt de Gallicanâ Declaratione controverſia, multi crediderunt à Daguirreo ſcriptum fuiſſe tractatum illum anonymum *De Libertatibus &c.* quem omnes nunc ſciunt D. CHARLAS fetum fuiſſe. Sed ipſe ſe profeſſus eſt autorem operis ſanè longiſſimi, cui titulum fecit: *Defenſio Cathedræ ſancti Petri &c.* de quo nobis pauca ſuperſunt dicenda, cùm ea ferè omnia D. BOSSUET in ſuâ prævia Diſſertatione egregiè confutaverit, quæ, antequam veniſſet in noſtras manus ea Diſſertatio, nobis animadverſione digna viſa fuerant.

Vid. etiam Diſſ. viij. & x. in Conc. iij. Tolet.

Mirum profectò tantum Cardinalem, non modo ex Bellarmino exſcribere opiniones eas, quas vel iniquiſſimi Ultramontani vix defendere audeant, ſed etiam acerbè interdum (ne quid dicam gravius) in Clerum Gallicanum invehi, & perſonam induere conviciatoris, dignam ſcriptoribus iis, quales erant Marchio DE SARRETO, D. DUBOIS, D. ROCCABERTI, homine verò in cæteris ſuis operibus modeſtiſſimo prorsùs indignam.

Vid. epiſt. dedicator. ad Innoc. xj.

Illud mirum imprimis, a tam docto viro, qui Gallicana monumenta volvit plurima, hoc aſſeri potuiſſe: ante Gerſonem in Galliâ neminem extitiſſe, qui Papæ infallibilitati adverſaretur. Quaſi verò ea acta quæ collegit D. DACHERY Spic. tom vj. non apertè doceant eamdem doctrinam ante Gerſonem à Petro Alliacenſi & Univerſitate Pariſienſi, atque etiam ab univerſo Clero Gallicano traditam fuiſſe; quaſi, inquam, tempore Bonifaciani diſſidii, non fuiſſet omnium Galliæ Ordinum adversùs Pontificiam infallibilitatem unanimis ſententia; quaſi, ut etiam vetuſtiora commemoremus, ambigua eſſet Ivonis Carnotenſis, Hincmari

ex verbis Concilii Conſtantienſis elicit, nullo modo actum eſſe de omni Concilio generali, & in utrâque Seſſione IV. videlicèt & V. ejuſdem Concilii Conſtantienſis, de illo ſingulari Concilio ſolùm prolatam eſſe doctrinam. Credo, non ſatis memor ejus ſententiæ, quam ipſe pro ſuo candore dixiſſet: *Concilium Conſtantienſe definiiſſe* (certo quidem ſenſu) (*b*) *cuivis Concilio generali poteſtatem à Chriſto immediatè habenti omnes teneri obedire, & ipſum Papam.* Ibid. Diſp. xv. n. 12. p. 253.

Atque ipſa canonis ſeries poſtulabat, ut de omni generali Concilio diceretur; Synodi enim Conſtantienſis, hoc certè fundamento conſtituta erat autoritas, *quòd ſit in Spiritu ſancto legitimè congregata: quòd poteſtatem à Chriſto immediatè habeat: quòd Eccleſiam Catholicam repræſentet.* Hæc autem non ad ſolum Conſtantienſe Concilium, quod tunc habebatur, ſed ad omnia æquè Concilia generalia ſpectant, quæque extiterant, quæque futura erant: ut nullus dubitationi locus ſupereſſe videatur.

Neque verò felicior illa reſponſio eſt, cùm aiunt, decreti verba ad ſolam ſchiſmatis cauſam apertè referri: nec attendere volunt ad has voces: *In his quæ pertinent* AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS ET REFORMATIONEM *dictæ Eccleſiæ in capite & in membris.*

Hæc illa decreta ſunt Concilii Conſtantienſis, in ipſis Concilii Baſileenſis actis, ſummo omnium conſenſu repetita, cùm procul omni dubio univerſalis eſſet, eique Eugenius IV. adhæreret, nullo tum ſuborto ſchiſmate. Adeò Eccleſia ſemper intellexit, Conſtantienſe decretum; non ad ſolum ſchiſmatis tempus, aut ad ſolum Conſtantienſe Concilium, ſed ad fidei quoque, & reformationis univerſalis cauſas, & ad omnia quolibet tempore futura Concilia pertinere. Conc. Baſil. ſeſſ. ij. tom. xij. Conc. pag. 477.

Cæterùm diligens lector facilè animadverterit in duobus canonibus Conſ-

mari Rhemenſis & aliorum Gallorum eâ de re doctrina. Non omnino candidè actum eſt à Daguirreo, qui, poſtquam noſtros Doctores hujus infallibilitatis præcones dixerit, nil ex illorum ſcriptis retulerit, præter quædam verba neotericorum Ylamberti, Duvallii & aliorum, qui ultimo ſæculo Scholæ Pariſienſis priſcam & inſitam ſententiam labefactare conati ſunt.

Et id quoque eſt mirum, Daguirreum, eum ſcriptorem, qui dialecticæ calleret leges, tamen ſic fuiſſe argumentatum: Priſcæ Synodi ut plurimùm approbârunt ea decreta, quibus Pontifices, ſuâ ſolâ autoritate, damnârunt hæreſes: ergò Pontifices his Synodis infallibiles videbantur; nam conſequens ex antecedente non ſequebatur. Id unum ſequebatur ſæpè ſummos Pontifices rectè decreviſſe. Sed neque id animadvertit Daguirreus, ſacras Synodos, cùm tam diligenter in Pontificum decreta inquirunt, tum profectò apertiſſimè teſtari ſe credere falli eos poſſe.

Mirum denique acerrimi ingenii virum non ſenſiſſe, quàm vanæ eſſent notæ illæ, quibus Ultramontani diſtingui poſſe putant ea decreta quæ vocant *ex cathedrâ*, ab iis quæ non ſunt *ex cathedrâ*. Neque porrò decebat Daguirreum dicere, ea ſola decreta eſſe *ex cathedrâ*, quæ prodirent iis omnibus inſtructa formulis, quibus ſuas Conſtitutiones, paucis abhinc ſæculis, Pontifices veſtire conſueverunt. Hoc enim poſito, ſequeretur vetera illa Pontificum ad Epiſcopos & Eccleſias reſponſa non fuiſſe *ex cathedrâ* prolata; quo quid abſurdius? Multa me tacere jubet ipſius D. BOSSUET in Daguirreum prona voluntas & amicitia. Utinam Daguirreus hoc opus nunquam ſcripſiſſet! Cæterùm ille factus Cardinalis favit impenſiſſime iis Theologis, quos Gallicanæ doctrinæ noverat tenaciores. Itaque videtur ſuum illud opus aliquomodo retractâſſe. Quid de eo ſenſerit D. ARNAULD vid. epiſt. cccxlv.

(*b*) *certo quidem ſenſu;*] id eſt ut explicat Daguirreus, ſupremam eſſe Conciliorum poteſtatem in dubios Pontifices, quales tunc fuiſſe dicit tres eos qui de Papatu contendebant,

tantienſibus ex Seſſione V. relatis, primum, totidem verbis à ſanctâ Synodo ex Seſſione IV. fuiſſe repetitum. Quo factum eſt, ut plerique Scriptores, atque ipſa Synodus Baſileenſis, Seſſionis V. decreta ſola retulerit: quippe quæ & quartæ canonem complecteretur integrum, & alium inſuper majoris elucidationis gratiâ canonem adjunxerit.

Concil. Conſt. ſeſſ. v. ibid. pag. 26. In fine Seſſionis V. adſcriptum eſt: *Quibus articulis ſive conſtitutionibus lectis, dictum Concilium eos & eas uniformiter approbavit & concluſit.* Quo patet hæc non tantùm ſummâ autoritate, ſed etiam ſummâ conſenſione eſſe decreta.

CAPUT III.

Ordo diſputationis hujus: Cenſores noſtri tria objiciunt: primum quidem de textu; alterum de ſenſu ac mente; poſterùm de autoritate decretorum Conſtantienſium.

MULTUM laborandum fuit, iis qui decreta Conſtantienſia elevare & obſcurare conati ſunt. Itaque primò textum ipſum ſollicitant. Res quidem intentata hactenùs, canoneſque integros, uti eos retulimus, ex Romanâ editione deſcriptos, omnes admiſerant. Sed anno demùm 1683 quinquaginta ſcilicèt & ducentis annis, poſtquàm Conſtantienſes canones conditi ſunt: Emmanuel à Schelſtrate, ſacræ Theologiæ Doctor, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, repentè prodiit, qui cùm Conſtantienſis Concilii nova acta proferret, ſtatim in ipſo titulo, ejuſdem Concilii *primum decretum Seſſionis IV. à Baſileenſibus corruptum eſſe* teſtetur: ut uno ictu ſcilicèt Baſileenſem Synodum, & Conſtantienſem confodiat. (Tom. iv. Conc. gener. edit. Vatic. p. 138. 139. 140.)

2°. Aiunt Concilii mentem noſtros non eſſe aſſecutos: trahi quippe ad alias Synodos atque cauſas, quæ de Conſtantienſi propriè ac de ſchiſmatis cauſâ decreta ſint; & cùm ſanctæ Synodi verba proferuntur, reponunt notum illud: *Intelligentia dictorum ex cauſis aſſumenda dicendi: &, ſecundùm ſubjectam materiam intelligenda ſunt verba:* atque adeò Synodi ad tollendum ſchiſma inſtitutæ, ad ſolum ſchiſmatis tempus decreta referenda; non ad id trahenda tempus, quo indubitatus Pontifex in Petri cathedrâ ſedeat. Addunt ab ipſâ Synodo Conſtantienſi adversùs Wicleſum, ſupremam Papæ agnitam autoritatem: non ergò abſolutè, ſed tantùm ſchiſmatis cauſâ eam Concilio eſſe ſubjectam: quo referunt illam regulam: *Quòd ubi eſt apparens aliqua contradictio, ſingulis legibus adaptanda eſt facti ſpecies; diſtinguendi caſus, eaque capienda interpretatio, quæ tollat contradictionem.* Denique urgent illud: *Ex contextu facienda interpretatio, nec attendenda tantùm nudè Seſſionum IV. & V. verba, ſed & ſequentia, quæ Pontificis abſolutæ poteſtati faveant.* (Diſquiſ. art. v. n. 80. Doctr. Lovan. p. 67. & ſeq. — Diſquiſ. ibid. n. 87. — Ib. n. 81.)

3°. Autoritatem decretorum oppugnant; intellexerunt enim quàm difficile ſit ad unum ſchiſma revocare, quod univerſim à Synodo dictum eſſet. Quare eò maximè machinas omnes intendunt, ut tantæ Synodi autoritatem evertant.

Digitized by Google

Sic igitur illi Conſtantienſium canonum textum, ſenſum, autoritatem oppugnant. Nos verò noſtro more geſta referemus; quibus quidem geſtis, ipsâque celeberrimi ac maximi negotii ſerie, adverſariorum objecta ſuo quæque ordine collabantur.

CAPUT IV.

Novum EMMANUELIS SCHELSTRATI *de textûs falſatione commmentum.*

PRIMUM igitur perpendamus, novam, quam Schelſtratus de falſatione textûs Synodi Conſtantienſis componit hiſtoriam. Et ille quidem memorat Seſſionis IV. decretum, à nobis deſcriptum, Synodi Baſileenſis juſſu anno 1432 fuiſſe corruptum, additaque illa verba, quibus Papa Concilio ſubeſſe dicatur: *Non in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis*, ſed *in his quæ ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.* De his poſtremis verbis Schelſtratus litem movet. Cæterùm ea verba æquè cum reliquis, *ac reformationem generalem in capite & in membris*, cum fide & ſchiſmate, in Seſſionis V. decreto junctam recognoſcit; Seſſionemque V. nullius falſitatis accuſat: atque adeò ex Schelſtrato conſtat, Patres Baſileenſes eam falſationem aggreſſos, non ut Papam haberent, etiam in generali reformatione ſubditum: id enim in Seſſione V. contineri liquet, & ipſe confitetur; ſed ut bis haberent, quod ſemel profectò habuiſſe ſufficiat. Hic tanti facinoris fructus Baſileenſibus fuit.

Schelſt. Diſſ. Antuerp. cap. j. att. j. p. 36.

Ib. p. 38.

Quæ cùm ita ſint, nemo eſt, qui non in ipſo quæſtionis titulo Schelſtratum rideat, tot ac tantos viros gratuiti ſceleris accuſantem. Sed tamen videamus quemadmodum ſuam texuerit fabulam: ſimulque memorabimus & diſſertationem primam, quam ipſe *Antuerpienſem* vocat, & tractatum *de ſenſu & autoritate decretorum Conſtantienſis Concilii Seſſionis IV. & V.* quem adversùs Maimburgum (*c*) hujus diſſertationis tuendæ gratiâ, Romæ Typis ſacræ Congregationis, de propagandâ fide, ſecundo loco edidit.

Is igitur, variis Concilii Conſtantienſis editionibus memoratis, hæc ſubdit: *Ut autem manifeſtum fiat, ex quonam codice prædicta Conſtantienſis Synodi acta primùm edita ſint, & quænam illi fides adhiberi valeat, notandum eſt Concilium Baſileenſe, cùm jam videret autoritatem ſuam apud pleroſque vilipendi, cogitare cœpiſſe de publicandis actis Conſtantienſis Concilii; ideòque man-*

Ib. p. 36.

(*c*) *adverſùs Maimburgum.*] Hic quondam Jeſuita, ſacris ſuis concionibus clarus, multis libris hiſtoricis editis clarior, aliquandiu lectoribus plurimùm placuit. Nam quæ ſibi ex arte criticâ deerant, ea aliquomodo compenſabat gratis digreſſionibus, ſententiis elegantibus, & narrandi propriâ ſibi quâdam amœnitate. D. MAIMBOURG, qui omni quidem tempore pro Libertatibus Gallicanis ſtudiosè ſteterat, ſcripſit an. 1685. librum cui titulus eſt: *Traité hiſtorique ſur les prérogatives de l'Egliſe de Rome*, in quo libro, ſibi ipſi induſtriâ & judicii ratione ſuperior, pugnat pariter & contra Proteſtantes, qui omnia ſanctæ ſedis jura proſcindunt, & contra Ultramontanos, qui ea exaggerant, multaque comminiſcuntur. Decertat quoque adverſùs Schelſtratum, qui ut alibi diximus, ſcripſerat a Baſileenſibus adulterata fuiſſe acta Conſtantienſia. Vid. Dup. xvij. ſæc. & tract. D. MAIMBOURG.

*daſſe duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagrabienſi *, ut ex actis Conſtantienſis Synodi decreta extraherent.* Tot ac tanti futuri erant meditati ſceleris adminiſtri.

* Zagrabia eſt urbs Epiſcop. alias Regni Hungariæ in Sclavon â regione.

Ibid.

** Hagenoa urbs eſt in Alſatiâ ſita.

Quis non hîc ſtatim exclamaverit, contemnendam potiùs, quàm confutandam eſſe Schelſtrati fabulam? Sed tamen reliqua audiamus. Addit hoc opus totum ex actis Synodi Conſtantienſis extractum, anno 1432 fuiſſe abſolutum, pendenteque Bullâ plumbeâ bullatum; atque ex copiâ indè fideliter extractâ *Hagenovenſem* ** editionem, anno 1499. prodiiſſe; quam deindè ſecutæ ſint *Mediolanenſis* anni 1518. *Pariſienſis* Jacobi Merlini Doctoris Pariſienſis anni 1524. *Colonienſis* anni 1530.

* Virum doctiſſimū ex Franciſcanâ familiâ.

Has tres editiones Schelſtratus memorat, in excudendo Seſſionis IV. decreto ab aliis diſcrepare; ſed eâ unâ in re, quòd ab his abſit hæc vocula *ad fidem*: atque omninò primum omnium, qui *fidei* vocem decreto addiderit, fuiſſe Petrum Crabbium *, qui nullâ factâ correctionis mentione, nulloque codice citato, anno 1538. ſuam editionem adornârit, quam reliquæ deindè ſecutæ ſint. Hæc quidem Schelſtratus; quæ ad Baſileenſem Synodum ab eâque corruptam, ut is autor jactaverat, Concilii Conſtantienſis Seſſionem IV. nihil omninò pertinent.

Ib. p. 37. & in act. Schelſt. p. 5.

An ergò id agit, ut particulam, *ad fidem*, è Seſſione IV. Conſtantienſi eradamus, Petroque Crabbio eam inſerenti falſitatem imputemus? Ne id quidem; imò ipſe acta Conſtantienſia ea laudat pro antiquiſſimis atque authenticis, in quibus diſertè in Seſſione IV. Conſtantienſi expreſſa legatur particula, *ad fidem*, quæ Hagenovenſi editioni deeſt; teſtaturque inſuper *antiquiſſima manuſcripta Concilii Conſtantienſis*, quæ quidem ipſe viderit, *particulam illam*, AD FIDEM, *habere*. Ergò profectò hactenus, neque Baſileenſis Concilii, neque Petri Crabbii laborat fides; aliaſque editiones quæ ipſum anteceſſerint, mancas eſſe neceſſe eſt.

Ibid. in diſſert.

Ubi ergò tandem locus ille à Baſileenſibus *corruptus*? Nempè hic eſt: *Oſtendimus*, inquit, *ſuprà ex compilatione deputatorum Baſileenſis Concilii, editam fuiſſe Synodum Conſtantienſem in oppido Hagenow, in quâ editione decretum Seſſionis IV. habet adjuncta hac verba:* ET REFORMATIONEM GENERALEM ECCLESIÆ DEI IN CAPITE ET IN MEMBRIS: *Et hæc ſunt, quæ à decreto Seſſionis IV. abeſſe debuerunt.* Hic ergò eſt ille locus Baſileenſium autoritate *corruptus*.

Id verò, ut demonſtret, hæc affert. *Tres*, inquit, *codices manuſcripti continentes acta Conſtantienſis Concilii à Notariis ipſius conſcripta, ex quibus Baſileenſes decreta compilârunt, non habent illa verba in primo decreto Seſſionis IV.* ET AD REFORMATIONEM GENERALEM ECCLESIÆ DEI IN CAPITE ET IN MEMBRIS. Sic Baſileenſes accuſat, ut qui acta Conſtantienſia, etiam ſibi viſa, malâ fide deſcripſerint; nullâ probatione; neque enim ullum monumentum affert, quo tres illi codices Baſileenſibus viſi ac

Ibid. pag. 37. 38.

deſcripti doceantur. Addit Schelſtratus: ſex alios codices manuſcriptos antiquiſſimos, qui non habeant illa verba, *de reformatione*: undè concludit, *in Seſſione V. ſolummodò clauſulam illam* (de reformatione ſcilicèt) *adjungendam eſſe; ut*, inquit, *indubitatum ſit, prædicta verba*, (de reformatione) *à Baſileenſibus erroneo decreto Seſſionis IV. adjuncta, & à collectoribus Conciliorum, errore Baſileenſium deceptis, typis fuiſſe edita.*

Digitized by Google

Hæc eſt illa hiſtoria, quam Orbi Chriſtiano primùm à ſe proditam, Emmanuel Schelſtratus toties gloriatur. Hæc illa falſitas, quam Patres Baſileenſes in Seſſionis IV. Conſtantienſis decretum invexerint, ut etiam in Seſſione IV. legeretur, quod in V. legi nemo, ac ne ipſe quidem Schelſtratus negat.

CAPUT V.

SCHELSTRATI, *de falſatâ ſeſſione IV. Conſtantienſi, fabula confutatur: probitas Patrum Baſileenſium omnium ſcriptorum conſenſu aſſeritur:* B. LUDOVICI ALAMANDI, *ejus cœtus Principis, eximia ſanctitas.*

AC primùm quidem, nemo ſanus dixerit tantum cœtum in tantum facinus conſenſiſſe. Sit enim, quantùm Schelſtrato placuerit, Baſileenſis Synodus reprobata: tamen iis viris conſtabat, qui bonâ fide agerent, miroque reformandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio tenerentur. Præerat tanto conventui beatus Ludovicus Alamandus Cardinalis, Archiepiſcopus Arelatenſis, tantæ ſanctitatis, ut profectò tali viro, & quidem tantum facinus nullâ ſatisfactione purganti, falſitatem imputare, non modò ſummæ temeritatis, ſed etiam manifeſtæ impietatis eſſe conſtet.

Vid. Gall. purpur. in beat. Lud. Alam. an. 1426. pag. 474. vid. quoq. Æn. Sylv. de geſt. Baſil. & Diſſert. præv. n. xliv.

Aderant in eâdem Synodo Epiſcopi ac Doctores pietatis ac doctrinæ nomine commendati: neque Æneas Sylvius, Pius II. Pontifex factus, qui in geſtis Baſileenſibus præclara eorum facinora memoravit, eſt inficiatus unquam; &, in retractatione ſuâ, doctrinam quidem ejuravit, quam Baſileæ tenuiſſet, hiſtoriæ verò ſuæ non detraxit fidem: ut profectò tantos viros erràſſe bonâ fide, atque ulteriùs quàm oporteret, ſtudio reformationis abreptos ſuſpicari liceat; falſi inſimulare, impium abſurdumque ſit.

Æn. Sylv. ibid. paſſ. Ejuſd. Bull. retract. to. xiij. Conc. p. 1407.

Faciamus tamen eos vel facinoroſiſſimos fuiſſe. Quo tandem artificio latere ſe poſſe confiderent? Quid tanto numero tantum facinus conſciviſſent? At illi nihil occultè moliebantur, qui teſte Schelſtrato, decreta Conſtantienſia extrahenda mandâſſent duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagrabienſi, Joanni ſcilicèt illi Segovienſi, cujus pietatem ac doctrinam Æneas Sylvius tot laudibus cumulavit.

Schelſtr. Diſſert. Antuerp. pag. 36.

Æn. Sylv. loc. cit.

Prætereà ex præfatione Synodi Baſileenſis, editioni Hagenovenſi præfixa, conſtat: fuiſſe inter illos deputatos, Thomam Corcelleum, quem *inter ſacrarum literarum Doctores, doctrinâ mirabilem, & modeſtâ quâdam verecundiâ amabilem*, idem Æneas Sylvius commendavit: quos profectò tot ac tantos in ſcelus conſenſiſſe, neque ſibi mutuò erubuiſſe, ſeque & Synodum infamâſſe, ne inſenſiſſimos Baſileenſium hoſtes credituros putamus, ne ipſum quidem Schelſtratum, ſi reviveret, iteratò dicturum, ſi ſua dicta perpendere potiùs, quàm perfractè tueri vellet.

Sylv. ibid. vid. præf. edit. Hagē. an: 1500.

Quod enim tantum operæ pretium fuerit, ut illud facinus molirentur?

Schelſt. loc. jam cit.

Digitized by Google

Nempè ait Schelſtratus : ut labaſcentem Concilii Baſileenſis autoritatem, edito Concilio Conſtantienſi firmarent. At peſſumdarent potiùs tam apertâ falſitate, ſeque Orbi Chriſtiano irridendos propinarent, tantum ſcelus aggreſſi, ut Seſſione IV. corruptâ & adulteratâ, nihil tamen haberent, quod non totidem verbis in Seſſione V. integra & illibata haberetur. Quid, quòd, Schelſtrato teſte, Baſileenſes Patres, ne id quidem curabant, ut duarum Ibid. Seſſionum decreta iiſdem verbis ederentur, cùm idem Schelſtratus verba illa, *ad fidem*, quæ in Seſſione V. habentur, in extractis Baſileenſium deeſſe teſtetur.

Patet ergò optimâ fide egiſſe eos, quæque in manibus habebant Conſtantienſia decreta ad verbum exſcripſiſſe, neque quidquam fraudis molitos fuiſſe.

Neque verò ea falſitas, ac Baſileenſium ſcelus, Eugenium IV. aut Joannem à Turrecrematâ latuiſſet, qui tot inter invectivas, nihil unquam tale Baſileenſi Synodo exprobrârunt. Neque Pius II. rerum Baſileenſium teſtis oculatus ac ſcriptor egregius, tale quid aut in hiſtoriâ privatus, aut in retractatione Pontifex protulit : ut profectò temerè nimis Emmanuel Schelſtratus, pòſt duo ferè ſæcula cœperit ſollicitare Baſileenſium fidem, quam eodem ævo infenſiſſimi Cardinales atque Pontifices minimè accusârint.

Cur autem in eorum extractis, ſeu potiùs in extractorum quibuſdam exemplaribus, ac deindè in quibuſdam quoque libris editis deſit illud, *ad fidem*, quod, teſte Schelſtrato, in antiquis veriſque codicibus habeatur ? Quis non potiùs Librariorum aut Typographorum indiligentiæ, quàm Baſileenſium tot ac tantorum deputatorum errori, nedùm perfidiæ tribuat ? Quem Librariorum errorem, cùm in his verbis, *ad fidem*, ipſe Schelſtratus agnoverit, (*d*), mirum cur non intellexerit, in Conſtantienſibus illis, quos laudat manuſcriptis, circa reformationis mentionem eundem lapſum contingere potuiſſe.

Latet profectò neminem, perſæpè variare codices manuſcriptos, faciendum delectum, favendumque ei editioni quæ à doctioribus viris, atque ex melioris notæ codicibus recenſita, apud eruditos invaluerit; qualis illa eſt Petri Crabbii, religioſiſſimi ac diligentiſſimi viri, quam Roma ipſa probavit, editio.

Neque quemquam movere debet, in quibuſdam Conciliorum vetuſtio-

(*d*) *ipſe Schelſtratus agnoverit.*] Nulla poteſt excogitari ratio quæ Baſileenſes eò impulerit, ut deditâ operâ prætermitterent in Conſtantienſi decreto hæc verba, *ad fidem*; cùm illa prætermiſſio noceret potiùs quàm faveret Conciliorum autoritati. Rectè igitur accuſat D. Bossuet *Librariorum aut Typographorum indiligentiam*; quod quidem ipſi viſum eſt adeò certum & ab omni controverſiâ remotum, ut facilè crediderit fore ut ipſe Schelſtratus ſic ſentiret. At ille præjudicatarum ſuarum opinionum tenaciſſimus in ea prorumpit verba Diſſ. adverſ. Maimb. j. p. 21. *Quare ſine certa ſcientiâ accuſat tabellarium* (prætermiſiſſe verba ad Fidem :) *Cur ſine firmo fundamento Notarii Apoſtolici fidem non ſolùm in dubium revocat, ſed apertè ſugillat; eumque, qui pro veritate ex officio teſtimonium tulit, falſitatis arguit.* Qui ſi ſui compos eſſet, intelligeret amanuenſi, licet diligenti, verbulum in deſcribendo facilè excidere, nec non etiam codicem cum ſcripto conferenti, ubi præſertim ex omiſſo verbo ſententiæ nihil detrahitur. Itaque non propterea infidus Notarius Apoſtolicus, quòd levi errore Librarii prætermiſſo, teſtatus fuerit apographon authentico exemplari omnino ſimile eſſe. Quamquàm ſi neceſſe eſſet falſi aliquem arguere, argueretur veriſimilius Librarius aut Notarius Apoſtolicus; ſed nemo eſt accuſandus.

rum editionibus deſiderari quædam; cùm item in recentioris Synodi Tridentinæ quibuſdam editionibus, atque in eâ ipſâ quæ ſtante Concilio, facta eſt, conſtet abeſſe à decreto Seſſionis V. de peccato originali, exceptionem eam, quam beatæ Virginis Deiparæ gratiâ, à ſanctâ Synodo adhibitam fuiſſe, nemo ſanus diffitetur. Cæterùm multi ſunt Synodi Conſtantienſis in celeberrimis Bibliothecis, Regiâ, Colbertinâ, inclyti Victorini Cœnobii, & Regii Collegii Navarrici vetuſtiſſimi codices, quorum etiam quidam ab ipſâ urbe Conſtantiâ Concilii tempore tranſmiſſi, ex adſcriptis epiſtolis demonſtrantur, in quibus decretum Seſſionis IV. eodem tenore legitur, quo eſt in vulgatis; ut non immeritò Petrus Crabbius, vir diligentiſſimus ita ediderit, Romanaque editio eandem lectionem confirmaverit. Quâ quidem in editione Romanâ ipſa Præfatio teſtatur, Pontifici Romano *nihil fuiſſe antiquiùs, quàm ut poſt Divinarum Scripturarum editionem, Concilia univerſalia, quàm maximè fieri poſſet, emendata proferrentur.*

Concil. Trid. ſ. ſſ. v. can. v. tom. xiv. Conc. p. 755.

Vid. hanc præf. tom. j.

Neque omittendum eſt Odoricum Rainaldum, Baronii continuatorem in edendâ Concilii Conſtantienſis hiſtoriâ, antiquiſſimis & ampliſſimis, ut ſæpè teſtatur, codicibus uſum, ita retuliſſe Seſſionis IV. decretum, ut eſt in editione Romanâ poſitum. Atque decretum illud, idem Odoricus Rainaldus docet optimâ ratione, & in Seſſione IV. conditum, & in Seſſione V. *ad infringendas Joannis XXIII. improbas molitiones, inſtauratum* fuiſſe: ut profectò ſit certum Emmanuelem Schelſtratum inani operâ laboràſſe, qui in elevandâ decretorum Conſtantienſium autoritate, etiam Odoricum Rainaldum ſuperare voluiſſe videatur.

Odoric. Rain. tom. xvij. an. 1415. n. 7. & 14.

Quin ipſa Seſſio IV. ſi attentè conſideretur, vulgarem lectionem ſatis adſtruet; ſic enim ejus verba Schelſtratus ipſe refert: *Hæc ſancta Synodus pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fiendâ, ad laudem omnipotentis Dei, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, uberiùs ac liberiùs unionem ac reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diffinit, ſtatuit, decernit, & declarat ut ſequitur:* quibus verbis ſignificat hoc decretum, non modò ad reformationem maximè pertinere, verùm etiam ad eam collimare tanquam ad ſcopum. Quæ poſtquàm præfata eſt ſancta Synodus, ſui oblita videretur, ſi in ipſo decreto, reformationem in præfatione præmiſſam omitteret.

Act. Conſt. edit. Schelſ. p. 4.

At enim, ait Schelſtratus, *indè ſequeretur ab eodem decreto Seſſionis IV. abeſſe debere vocem* FIDEI, *utpote de quâ in præfatione allatâ nulla mentio eſt.* Undè etiam conſequatur, *decretum præfationi in omnibus correſpondere debere.* Vanum ſuffugium; nam ab ipſo initio, Synodus fidem deſignaverat hoc decreto Seſſionis III. *Ut non diſſolvatur* (Synodus) *uſque ad extirpationem ſchiſmatis & quouſque Eccleſia reformata ſit in fide & moribus & capite & membris.* Quod ſemel dictum & fundamenti loco poſitum hærebat animis; neque in Seſſione IV. poſt triduum habitâ iterari oportebat; cùm præſertim reformationis nomine intelligenda veniret *ipſa reformatio in fide & moribus* recentiſſimè in Seſſionis III. decreto memorata. At Seſſione IV. ſi de reformatione tanta præfati, de eâ in decreto penitùs conticeſcerent, nimis oſcitanter ipſum rerum caput prætermittere viderentur.

Schelſt. tractat. de ſenſ. &c. adverſ. Maim. Diſſ. j. cap. ij. p. 46.

Conc. Cõſt. ſeſſ. iij. p. 18.

Digitized by Google

Gonz. de infall. R. P. diſput. xiij. ſect. vj. §. 2. n. 9. p. 677.

Itaque Pater Gonzalez (*e*) laudatis licèt impenſiſſimè Schelſtrati probationibus, ultrò tamen confitetur autores ſolutionis illius, qui ad Papam dubium verba Seſſionis IV. Conſtantienſis adſtringunt, *non inſiſtere in Schelſtrati notitiis, ſed procedere ſupponendo decretum Seſſionis IV. conceptum fuiſſe* prout

(*e*) *Pater Gonzalez*] (Thyrſus de Santala) Doctor & Profeſſor in Univerſitate Salmanticenſi edidit an. 1684. jam tum Societatis Jeſu Præpoſitus generalis, inſignem tractatum, quo impugnat probabilitatis doctrinam. Statim in *introductione lectoris*, memorat ſe ferre ægerrimè *ſententiam benignam ſua Societati quaſi propriam imputari. Ideò, ut à Societate hanc invidiam amoliretur*, oſtendit, *Antonium de Cordubâ è D. Franciſci, & Sabaudinm è D. Auguſtini ſamiliis* hujus opinionis fuiſſe autores; contra verò *primos ejus impugnatores è Societate produſſe P. Ferdinandum Rebellum, Paulum Comitolum & Andream Blaucum.* Ipſe, *poſt exactam*, ut ait, *totius controverſiæ diſcuſſionem*, ſtatuit *non licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem tutam, relictâ probabiliore;* neque tamen *ullum è ſubditis ſuis ad ita docendum adſtringere interdit.* Vid. huj. tract. præf. & D. Dup. Bibl. xvij. ſæc. Extat ejuſdem P. Gonzalez aliud opus à D. Dupin prætermiſſum, quod Romæ excuſum eſt an. 1689. ſub hoc titulo: *De infallibilitate Rom. Pontif. in definiendis fidei & morum controverſiis &c.* In illo opere eò intendit imprimis Gonzalez ut ipſius D. Dupin confitetet librum *de antiquâ Eccleſia diſciplinâ*, & D. Maimbourg libros hiſtoricos. Hunc autem tractatum D. Dupin non viderat. Nam ſtatim atque excuſus eſt, cavit Alexander vij. ne ille divenderetur, ut teſtatum legimus in epiſtolâ à quopiam Romæ degenti 28. Decemb. 1694. miſſâ ad D. Le Tellier Archiepiſcopum Rhemenſem, quæ affixa ipſi libro P. Gonzalez, in Bibliothecâ ſanctæ Genovefæ aſſervatur, cujus hæc ſunt verba: *Je ſuis bien aiſe que le livre* de infallib. ſum. Pont. *vous ait été rendu. Il n'eſt pas à Rome & ailleurs* publici juris; *au contraire il y eſt extremement rare, & tous les exemplaires en ont été ſupprimés par ordre du S. Pere.... On dit pour raiſon, que ce livre ayant été imprimé par ordre du Pape Innocent xj.... & Alexandre vij. l'aiant ſait lire & examiner de nouveau, ne voulut pas qu'il parût, tant pour ne pas embrouiller les affaires, qui ne l'étoient deja que trop, que parce qu'il crut que l'ouvrage ne répondoit pas au deſſein, & il en fit ſupprimer les exemplaires.* Meritò Alexander vij. *publici juris* eſſe noluit hunc librum amplum ſanè, ſed, ſi pondus ſpectes argumentorum, leviſſimum. Exemplo ſit illud quod P. Gonzalez cenſet omnibus aſſultibus impervium: *De fide eſt non poſſe totam Eccleſiam errare in materiâ fidei:* hoc primum principium: secundum principium: *De fide eſt Chriſtum fundâſſe Eccleſiam, in quâ tribunal eſſet viſibile, quod ſupremam haberet poteſtatem ultimò determinandi controverſias circa fidem & religionem:* Dic Eccleſiæ; si autem Eccleſiam non audierit &c. Tertium principium: Ergò *ſupremum tribunal ad decidendas fidei & morum controverſias debet eſſe autoritatis infallibilis.* Quartum principium: Porrò *certum eſt Chriſtum non reliquiſſe hanc autoritatem infallibilem in cumulo ſeu collectione omnium Chriſtianorum, nec in cumulo ſeu collectione omnium Epiſcoporum;* undè conſequens eſt hanc eum *reliquiſſe in ſolo Papâ.* Utrum conſequens ex iis quæ ſuprà retulit verbis, *dic Eccleſiæ*, ſequatur, lectori dijudicandum damus. Et tamen hoc illud eſt argumentum quod ſæpiſſimè iterat & mille verſat modis Gonzalez in totâ primâ diſputatione, quæ paginas implet 128. in 4°. In ſecundâ diſputatione, Papæ infallibilitatem aſſertam eſſe contendit his Chriſti verbis: *Rogavi pro te* &c. *Tu es Petrus* &c. *Tibi dabo claves* &c. Vide paſſim in toto D. Bossuet tractatu hæc & ſimilia argumenta, quæ ex illis Scripturæ locis Ultramontani petunt, egregiè confutata. Eoſdem locos allegat Gonzalez quibus etiam probet *à Papâ in omnes Epiſcopos poteſtatem juriſdictionis & Ordinis derivare.* Sibi quidem objicit hæc Evangelii verba: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos;* &: *Quorum remiſeritis peccata &c.* quæ apertiſſimè indicant omnes Apoſtolos à Chriſto immediatè miſſos fuiſſe. At ſi credimus P. Gonzalez hæc verba nimis obſcura ſunt, illa verò perſpicua: *Paſce oves meas*, quibus *regimen Eccleſiaſticum monarchicum* uni Petro commiſſum oſtendatur; & præterea Suarez, Turrecremata, Valentia &c. affirmant ſolum Petrum à Chriſto immediate ordinatum, deinde ordinâſſe cæteros Apoſtolos. His & aliis æque futilibus lectores ſuos Gonzalez detinet à p. 129. ad p. 198. In tertiâ diſputatione eamdem Papæ infallibilitatem urget, adductis ſententiis Conciliorum generalium. Sic ſtatuit de Concilio Nicæno: *Eruditiſſimus noſter Franciſcus Turrianus.... teſtatur, in hoc Concilio declaratum eſſe Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium omnium Epiſcoporum.* Hoc Turriani teſtimonium inſtat illi eſt omnium & potentiſſimorum argumentorum. Cætera quæ adjungit, aut perperam allata, aut malè deducta ex apocriphis hiſtoriis, aut apertè falſa, hic referre

prout modò habetur in editionibus omnibus. Nempè adverſante publicorum omnium codicum turbâ, parùm fidere auſus Schelſtrati notitiis, *piæ*que, ut vocat, *ſententiæ.* Quâ voce Schelſtrato *pietatem* magis quàm veritatem certam aſſerere videatur.

Cæterùm ex antedictis ſat liquet à Schelſtrato aſſertum temerè, Seſſionem IV. à Baſileenſibus Patribus *corruptam:* cùm tamen, ſi id maximè probaviſſet, nihil adversùs noſtros concluderet, quibus in Seſſione V. ſatis amplum firmumque præſidium ſupereſſet.

CAPUT VI.

Seſſionis V. quâ potiſſimùm utimur, lectionem, neque in dubium revocari poſſe, neque unquàm in dubium revocatam.

SED quandoquidem contendit Schelſtratus in Seſſionis IV. verbis, nonnihil variâſſe codices ſive manuſcriptos ſive etiam excuſos; ne quis ſuſpicetur idem in Seſſione V. quâ potiſſimùm utimur, evenire potuiſſe; notatum hîc volumus, primùm ab omnibus, & ab ipſo Schelſtrato, ejus lectionem, ut certam agnoſci: tùm verò, adeò eſſe firmam, ut numquam in dubium revocari poſſit.

Et quidem ea Seſſio acta eſt die Sabbati 6. menſis Aprilis, anno 1415. ut ipſo initio Seſſionis inſcriptum eſt. At eodem anno 21. die menſis Julii, cùm Sigiſmundus Imperator, pacis Eccleſiaſticæ gratiâ, in Hiſpaniam profecturus eſſet, ac pro ejus itinere, ſacræ Synodi decreto, Miſſæ ac Litaniæ ſolennes haberentur, quibus omnes Prælati intereſſent; coram tanto cœtu Joannes de Gerſone, Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, & Caroli VI. Chriſtianiſſimi Regis Legatus, ſermonem habuit: quo quidem in ſermone, & Seſſionem V. memorat, & ejus decreta, quæ ſuprà retulimus, de verbo ad verbum refert, ne uno quidem apice immutato; ſubditque continuò: *Conſcribenda prorſus eſſe mihi videretur in eminentioribus locis, vel inſculpenda per omnes Eccleſias ſaluberrima hac determinatio, lex, vel regula, tanquam directio fundamentalis, & velut infallibilis, adversùs monſtruoſum horrendumque*

Concil. Conſt. ſeſſ. v. pag. 21. ſeſſ. xvij. p. 155.

Gerſ. ſerm. de viag. Reg. Rom. tom. ij. edit. D. Dup. p. 275.

ferre non eſt neceſſe, neque etiam dicere de reliquis diſputationibus uſque ad nonam, in quibus Papæ infallibilitatem tueri nititur *ex Synodis provincialibus, ex praxi Eccleſiæ,* quâ praxi, inquit, *ex Traditione Apoſtolicâ mos fuit referendi fidei quæſtiones* ad Papam; quia *in eis decidendis errare non poſſe* credebatur; denique *ex autoritate Pontificum, ex teſtimonio SS. Patrum & ex jure Pontificio, ſeu Pontificum decretis.* Diſp. ix. & x. multorum Scholaſticorum allegat teſtimonia, & eorum imprimis qui hanc ſuam opinionem de fide certam, contrariam certò hæreticam pronuntiant. Nam ut optimè annotavit D. BOSSUET, Ultramontani *ubique improperant hæreſim.* Neque prætermittendum eſt eumdem P. GONZALEZ tam falsò quam confidenter affirmare omnes Univerſitates, Pariſienſem quoque, ante Pontificatum Urbani vj. pro fixo ſtatuiſſe dogmate, Papam eſſe infallibilem. Quo loco illud iterabimus quod jam à nobis alibi obſervatum eſſe meminimus: nempe Ultramontanos eſſe alios aliorum ſervum pecus. Pauca reperies apud P. GONZALEZ, quæ non prius dicta fuerint à Daguirreo & aliis, præter magnificas illas laudes, quibus, non admodùm congruenter, omnibus ferè paginis, ſuam Societatem celebrat.

offendiculum, quod hactenus poſitum erat per multos de Eccleſia in itinere mandatorum, determinantes ex textibus gloſſæ, non ad regulam Evangelicam & æternam acceptis, Papam non eſſe ſubjectum generali Concilio, neque judicari poſſe per ipſum. En quæ quatuor menſibus poſt Seſſionem V. coram Patribus ſacroque Concilio dixerit Chriſtianiſſimi Regis Legatus: en, inquam, quid pro ſuggeſtu, nemine improbante, dixerit, prædicaverit de Seſſionis V. decretis, quibus Regnum Franciæ ejuſque Legatos interceſſiſſe Schelſtratus memorat; ut & hoc in anteceſſum de eâ interceſſione dicamus.

Schelſt. Diſſ. Antuerp. cap. j. art. 2. p. 42. 43. Diſſ. ij. adver. Maimb. c. ii. p. 91. & ſeq.

Gerſ. ſerm. in die S. Anton. loc. cit. p. 355.

Idem Joannes Gerſon coram ſanctâ Synodo ſermonem habuit anno Domini 1417. Dominicâ die 17. Januarii, quo in ſermone dixit: *Quamvis ultrà multiplicare ſermones quid opus eſt ſuper ea veritate, cujus deciſio clariſſima ſolidiſſimaque facta eſt per hoc ſacrum Concilium, cui non licet obviti, nec ipſam in argumenta deducere?* Ac paulò poſt refert decreta Seſſionis V. quemadmodùm vulgata ſunt; quæ nihil hîc referre totidem verbis attinet, cùm diligenter exſcribat duo Seſſionis V. decreta integra, iiſdemque verbis, quæ jam deſcripſimus, ne immutato quidem apice. At prætermitti non debent, quæ ſtatim ipſe ſubdit: *Huic veritati fundatæ ſuper petram ſacræ Scripturæ, quiſquis à propoſito detrahit, cadit in hæreſim jam damnatam, quam nullus unquam Theologus, maximè Pariſienſis, & ſanctus aſſeruit.* En qui decretis Conſtantienſibus Seſſionis V. interceſſiſſe memoratur.

Ibid.

Sic quippe cenſebant, ſic prædicabant; fidei veritatem fundatam ſuprà petram aſſiduè inculcabant; neque contrariæ ſententiæ notam hæreſis inurere verebantur, à nullo reprehenſi; imò à Patribus totoque Concilio in pretio habiti ſummiſque præpoſiti negotiis. Nimii, inquient, qui hæreſim improperant, quod nec nos nunc facimus. Hæc quidem ſuo loco propriâ quæſtione habitâ exponemus: nunc ſanè quid, Synodo audiente, Gerſon à nemine reprehenſus prædicaverit, audiſſe ſufficiat.

Inf. lib. vj. cap. xix.

Gerſ. loc. cit. p. 303.

Idem tractatu: *An liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare*, eadem decreta Seſſionis V. die 6. Aprilis anno 1415. habitæ, de verbo ad verbum exſcribit; eorum quoque ſummam Petrus Cardinalis Alliacenſis repræſentat tractatu, quem anno 1417. vigente Concilio, *de Eccleſiæ autoritate*, Conſtantiæ edidit.

Pet. Alliac. tractat. de Eccl. aut. part. iij. capitul. iv. in ap end. tô. ij. Ger ſ. p. 9, 6

Jam anno 1431. cùm Baſileenſis Synodus haberetur, Seſſione II.* Patres hoc rerum gerendarum fundamentum ponunt: *& ne de ejuſdem ſacræ Baſileenſis Synodi poteſtate à quoquam dubitetur, ipſa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Conſtantienſis in præſenti Seſſione, aliis ſuis decretis editis ſeu edendis inſerendas ordinat & decernit, quarum quidem declarationum, tenor primæ ſequitur, & eſt talis.* Subdunt poſteà Seſſionis V. Conſtantienſis decreta duo; quæ ſuprà deſcripſimus, ne immutatâ quidem virgulâ.

* actâ menſe Feb. 1432. Conc. Baſ. ſeſſ. ij. pag. 477.

Cùm poſteà Eugenius IV. pravo maloque conſilio, ut etiam eventus docuit, Synodum Baſileenſem diſſolvere niteretur, Julianus Cardinalis, ejus in eâdem Synodo Legatus, ad Pontificem hæc ſcripſit: *Aſſerunt etiam* (Patres Baſileenſes) *prædictam diſſolutionem fieri non potuiſſe, obſtante quidem decreto Conſtantienſis Concilii, quòd cuicumque Concilio generali legitimè congregato, in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & ad Eccleſiæ refor-*

Epiſt. ij. Cardin. Julian. vid. int. oper. Æn. Sylv.

mationem in capite & in membris, quemlibet cujuſcumque conditionis, etiam Papalis, teneri obedire decernit. En igitur integer decreti Conſtantienſis tenor, qualem nunc habemus, certi fundamenti loco conſtitutus.

Subortis deindè gravibus diſſidiis, innumerabiles loci ſunt in Baſileenſi Synodo, quibus decreta Conſtantienſia Seſſionis V. repetuntur, innovantur, ac de verbo ad verbum geſtis inſeruntur. Neque Eugenius IV. hæc decreta falsò relata querebatur: imò verò edidit in Florentinâ Synodo decretalem, *Moyſes*, quâ tres veritates Concilii Baſileenſis (*f*) damnat, eâ etiam causâ, *quòd Concilii Conſtantienſis ſenſui* contrariæ eſſent: adeò in confeſſo erat eos canones, vero tenore verborum à Baſileenſibus fuiſſe prolatos.

Conc. Baſ. ſeſſ. xvj. xviij. xxxiij. p. 539. 540. 618.

Conc. Florent. part. iij. Decr. *Moyſes* tom. xiij. Conc. p. 1186. vid. etiam pag. 1188. 1190.

Quo etiam tempore, coram eodem Pontifice, Joannes à Turrecrematâ cum Legatis Concilii Baſileenſis publicè diſputavit: canones Conſtantienſes paſſim citabantur ac referebantur eo tenore verborum, quem ſæpè diximus. Eos Turrecremata exponebat, elevabat, eludebat, ut poterat: genuinum legitimumque Conſtantienſis Concilii fuiſſe fetum ubique fatebatur.

Turrec. Reſp. ad Baſ. part. ij. n. 2. & 4. tom. xiij. Conc. pag. 1711. 1712.

Atqui certiſſimum eſt Eugenium IV. & Turrecrematam adfuiſſe Conſtantienſi Concilio, ipſumque Eugenium IV. jam fuiſſe Cardinalem, iiſque temporibus adfuiſſe, quibus Joannes Gerſon ea quæ memoravimus prædicavit. Jam commemorare nihil attinet quoties hujus ævi Scriptores, Thomas de Corcellis, Antonius de Roſellis, Dionyſius Carthuſianus aliique innumerabiles, hujus Seſſionis decreta exſcripſerint: ne quis fortè Schelſtratus hîc unquam aut falſitatem, aut variam lectionem ſuſpicari poſſit.

CAPUT VII.

Ad ſenſum Conſtantienſium canonum conſtituendum præmittitur brevis hiſtoria ſchiſmatis: ex ipſo ſchiſmate fidei periculum, Sedis Apoſtolicæ contemptus, morum corruptela, ac neceſſaria reformatio.

JAM Conſtantienſium decretorum textu conſtituto, certum ſenſum ac mentem exponimus. Verùm antè omnia brevis eſt præmittenda ſchiſmatis, & Conciliorum, Piſani ſcilicèt & Conſtantienſis, de ſchiſmate agentium, hiſtoria. Hinc enim cauſæ ſtatus conſtituendus, & Conſtantienſium decretorum exponenda ratio, quâ difficultates omnes facilè evaneſcant.

Notum omnibus poſt tranſlatam ad Gallias, ibique ſeptuaginta ferè annorum ſpatio collocatam ſedem Apoſtolicam, Gregorium XI. tandem Ro-

Vid. Rainald. tom. xvij. an. 1378. n. 1. & ſeq.

(*f*) *tres veritates Concilii Baſileenſis*] eæ ſunt: prima, *Veritas de poteſtate Concilii generalis... ſupra Papam.... eſt veritas fidei Catholicæ.* Secunda, *Quòd Papa Concilium generale.... ſine ejus conſenſu nullatenus autoritative poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholica.* Tertia, *Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus.* Vid. tom. xiij. Conc. decr. *Moyſes* p. 1188. 1189. & ſeſſ. xxxiij. Conc. Baſil. tom. xij. p. 619. & inf. lib. vj. cap. ix.

Digitized by Google

mam Avenione rediiſſe, ibi non ita multò poſt obiiſſe, anno ſcilicèt 1378. populum Romanum magnâ vi egiſſe cum Cardinalibus, quorum pars maxima Galli erant, ne fieret Pontifex, qui regrederetur ad Gallias; atque ideò non tantùm inſanis clamoribus, ſed etiam certæ necis intentato metu poſtulâſſe, ut civem Romanum in ſede Apoſtolicâ collocarent: quibus maximè permotos, ad id deveniſſe ut, extra Cardinalium Collegium, Bartholomæum Barenſem Archiepiſcopum, Urbanum VI. eligerent, non quidem Romanum, ſed tamen Italum; quem in Italiâ ipsâ patriæ charitas detineret. Atque is, delinitâ plebe, in Pontificiâ cathedrâ conſtitutus, & ab omnibus agnitus. Neque eò ſeciùs poſt aliquot menſes, Robertus Gebennenſis *, Clemens VII. dictus, Anagniæ (g) electus eſt, quòd plerique Cardinales Urbanum vi electum contenderent: ſe quidem metu adactos, ac, datâ copiâ, ſtatim ex urbe Româ tanquam ex cuſtodiâ effugiſſe. Urbanus Romæ, Clemens à Gallis agnitus, Avenione ſedit. Urbano Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Clementi Benedictus XIII. Hiſpanus ſuffectus eſt. Has inter turbas Chriſtiana Reſpublica inſando ſchiſmate, quadraginta ferè annorum ſpatio, laborabat. Quærebatur primùm, an is metus fuiſſet, qui graves & conſtantes viros meritò permoveret, atque electionem irritam faceret? Tum ſi electio per vim & ſeditionem extorta ab ipsâ origine nulla eſſet, an ſecutâ conſenſione, atque agnitione Urbani VI. rata haberetur? An verò omnia per ſe, etiam ipſa agnitio atque conſenſio, eodem ſcilicèt metu præſtita, irrita caderet? Et quidem ſatis conſtabât à Cardinalibus, quamquam non per omnia plebi furenti obſecutis; quippe cùm non Romanum, ſed Italum dumtaxat Pontificem providiſſent, tamen electionem ipſam, non uti ſacri canones poſtulabant, plenâ libertate fuiſſe celebratam; neque integrum fuiſſe eis ut, more Majorum, ex totâ Republicâ Chriſtianâ eligerent, qui toti præfuturus eſſet. Utcumque eſt, (neque enim juvat hîc tantam innovare litem) eſt certum, rem doctis etiam ſanctiſque viris adeò obſcuram eſſe viſam, ut Nationes, Regna, Principes, ſacrorum Antiſtites, illique etiam ipſi, qui vitæ ſanctitate atque miraculis celebres habebantur, in re hactenùs inauditâ, juris & facti ambiguitate, in diverſa ſtudia traherentur.

* Seu potius Genevenſis.

Sæpè interim de pace actum, ſed inani operâ; neque perſuaderi potuit utriuſque partis Cardinalibus, ne ſede vacante, novo Pontifice conſtituto, ſchiſma propagarent; neque ipſi contendentes, ut vocabant, hoc eſt, Angelus de Corario, Gregorius XII. ac Petrus de Lunâ, Benedictus XIII. qui ſe pro Pontificibus gererent, ſæpè licèt polliciti, adduci potuere, ut reipsâ loco cederent, ac pacem honori ſuo anteponerent: adeò imperii dulcedine capti, vanis pollicitationibus ac pactis, etiam ſacramento confirmatis, nihil aliud quàm ſuam conſcientiam, ac publicam fidem, totumque adeò Orbem Chriſtianum, ludere videbantur.

Sanè uterque profitebatur ſe à Pontificatu pacis Eccleſiaſticæ gratiâ diſceſſurum; ſed eâ conditione, ſi priùs æmulus loco cederet, paxque & unio,

(g) *Anagniæ*] Cardinales primùm ſeceſſerunt Anagniam, & inde Fundos urbem Regni Neapolitani in Provinciâ Terræ Laboris, 9. leucis diſtans ab urbe Anagniâ. Ibi Robertus electus eſt.

ut vocabant, ſtatim coalitura videretur. Sed cùm alter alterum expectaret, neuter inciperet, nihil interim fieret, reſque in infinitum extraheretur, totum id, quod inter ipſos, miſſitatis ultrò citròque Legatis, agebatur, fœdæ ludificationi, quàm ſeriæ tractationi ſimilius habebatur.

Haud me fugit Gregorium XII. virum bonum ac ſimplicem, meliore fide egiſſe viſum; Benedictum XIII. ſubdolum, pervicacem, atque obſtinatæ mentis, eò tantùm collimâſſe, ut in æmulum continuati ſchiſmatis invidiam derivaret. Sed nec ipſe Gregorius erat innocuus: quippe qui ad pacem & abdicationem per ſe ipſe pronus, tamen à dimittendâ potentiâ, nepotum quibus ingenti ſtudio addictus tenebatur, artibus ac ludificationibus vetaretur. Placet referre Leonardi Aretini Gregorianarum partium elegantiſſimi & candidiſſimi hiſtorici, de ipſo Gregorio verba memoranda. *Paulatim res labaſcere cœperunt, & cuncta in dies deteriora fieri; voluntas enim illa Pontificis recta, nequaquam ſatis habere firmitatis reperta eſt ad Pontificatum deponendum. Cujus rei culpam multi in propinquos ejus referebant. Ab his enim formidines inanes, & adumbrata pericula quotidiè fingi, ac inſtillari ejus auribus prædicabant.* Neque ab his abludit Theodorus à Niem, earumdem partium hiſtoricus; neque quidquam viſum eſt gravius, quàm cùm Gregorius, abjectis veteribus Cardinalibus, qui ſtuderent paci, eorum loco Cardinales fecit Antonium Corarium fratris filium, & Gabrielem Condolmerium ſororis filium, poſteà Eugenium IV. Ac multa eum cognatorum turba circumdabat, qui ad retinendum Pontificatum adigerent; nec imbecillem ſenem puduit abdicationem paciſci eâ lege, ut Faventinus * & Foro.Julienſis Principatus (*b*) nepotibus traderentur. Nihil ergò mirum, quòd tanta cohorta ſit Chriſtiani Orbis indignatio, adversùs ambos Pontifices, qui ſeptuagenariis majores, fluxi honoris cupiditate, Rempublicam Chriſtianam certam in perniciem agerent.

Leon Aret. de temp. ſui hiſt. p. 27.

Theod. à Niem. lib. iij. de Schiſ. cap. xv. xvj. xvij. xix. &c. Rain. tom. xvij. an. 1408. n. 8.

Rain. ib. an. 1407. n. 29. Theod. à Niem. loc. cit.

* Faventia urbecula diſtans 4. leucis à Foro-Julio in Romandiolâ provinciâ.

Et quidem ab aliquot ſæculis fœda erat Eccleſiæ facies, ſolutâ diſciplinâ & corruptis moribus; & ab ipsâ curiâ Romanâ prima totaque ferè mali labes, undè remedium expectari debuit: adeò omnia avaritia ac libido pervaſerat, ac plerique Pontifices vix aliquid priſci moris cogitabant, ſatis ſuperque ſe Pontifices arbitrati, ſi diſpenſationibus, reſervationibus, indictionibus, decimationibus, aliiſque mandatis extraordinariis, cuncta ad ſe traherent. Venalia omnia, totaque Eccleſia prædæ fuit. Hæc à ſancto quoque Bernardo ſedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimo memorata, nec referenda arbitrarer, niſi de reformationis ſummâ neceſſitate, vel maximè agendum incumberet. Et ſatis conſtabat poſt ſancti Bernardi tempora res in deteriùs quoque fluxiſſe. Verùm in tanto ſchiſmate magis magiſque omnia peſſum ire, in Italiâ Tyranni invaleſcere, ingruere undique bella, & quiſque tutandi ſui Pontificis ſpecie, hoſtes inſectari, vicinos diripere, omnia miſcere, *Simonia in domo Dei præſidere, eripi Eccleſiæ libertates.* Hæc Univerſitas Pariſienſis datâ ad Carolum VI. epiſtolâ querebatur.

Bernard. lib. de Conſ. ad Eug. paſſ.

Spicil. tom. vj. p. 96. 97.

Ad hæc, profligatâ diſciplinâ, hæreſes gliſcere, Wiclefi, Huſſi, aliorumque ſcelere concuti Eccleſia; periclitari fides; ſedes Apoſtolica, concilia-

(*b*) *Principatus.*] Addit Rainaldus illum quoque poſtulâſſe, ut nonnulla oppida Eccleſiæ Ravennatis ditionis, illis darentur.

trix unitatis, veluti ſchiſmatum altrix, contemptui haberi. Teſtantur enim Univerſitatis Pariſienſis ſanctiſſimæ & graviſſimæ literæ ad Clementem VII. Avenione ſedentem, *eò rem proceſſiſſe per ſchiſma, ut plures paſſim & publicè non vereantur dicere, nihil curandum ſintne duo, vel tres, aut decem, vel duodecim Papæ: imò & ſingulis Regnis præfici poſſe nullâ ſibi autoritate prælatos; quod in detrimentum ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, Eccleſiaſticæ politicæ, & religionis Catholicæ.*

Ib. p. 112.

Sic ex ſchiſmate tam diuturno, tam fœdo, addita audacia ſedis Apoſtolicæ contemptoribus; undè emerſit illa, in Synodo Conſtantienſi relata, Wiclefi propoſitio: *Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum.* Eò Apoſtolicæ ſedis totiuſque Eccleſiæ Catholicæ res per ſchiſma devenerant.

Concil. Conſt. ſeſſ. viij. prop. Wiclef. ix. p. 46.

Cæterùm apud pios bonoſque inconcuſſa manebat ſacratiſſimæ ſedis autoritas, Eccleſiæ Catholicæ petra, fidei magiſtra, mater unitatis, atque inter pravos mores & horrendi ſchiſmatis mala, ſubibat tot ſanctorum Pontificum recordatio. Et ſatis conſtabat ſuper omnes Eccleſias Romanam Eccleſiam, ut dignitate, ita diſciplinæ pietatiſque laude diutiſſimè præſtitiſſe, tum ejus autoritate vel maximè, quocumque tempore proſtratas hæreſes, fidem Catholicam, Chriſtianamque pacem ubique viguiſſe; quæ labentibus ſæculis mala eveniſſent, iis non infringi Chriſti promiſſa; tentari nos à Domino, an in his promiſſis firmâ fide maneremus, nec ſuæ Eccleſiæ defuturum. Ea ſpes animos ſuſtentabat: quoque vehementiùs concuſſa erat Apoſtolica ſedes, eò magis in eam piorum incenſa ſtudia. Sed labaſcebat infirmorum fides, atque omninò navicula, veluti dormiente Chriſto, mergi fluctibus videbatur.

CAPUT VIII.

Tria ſchiſmati quæſita remedia: Concilium Oecumenicum neceſſarium: Eccleſia Gallicana ab ODORICO RAINALDO, *Wicleſiſmi accuſata, propter ſubtractam ſimul obedientiam & Annatas.*

PRIMA Gallia tanto vulneri medicas adhibuit manus. Clerus Gallicanus Lutetiæ congregatus anno 1394. Simone Cramando (*i*) Patriarchâ Alexandrino titulari, Præſide electo. Quo duce hæc profeſſi Gallicani Antiſtites: *Tendimus ad redintegrationem & conſervationem ſtatûs & honoris ſummæ dignitatis Papatûs, & univerſalis Eccleſiæ, ſicut in noſtris conſecra-*

Spicil. tom. vj. p. 77. & tom. Conc. xj. p. 2515.

(*i*) *Simone Cramando.*] Is *decretorum Doctor famoſiſſimus, ſubtilis ingenio, clarusque eloquentiâ*, ut verbis utar Cleri Gallicani Cœtus an. 1394. Spicil. tom. vj. p. 73. fuit Referendarius, ſeu Magiſter precum & Cancellarius Ducis Bituricenſis, tum Epiſcopus Pictavienſis, demum Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus Rhemenſis, & ſub Joanne xxiij. Cardinalis. Ille Piſani Concilii, ad extinguendum ſchiſma coacti, pars fuerat maxima. Cramandum omnes teſtantur fuiſſe ſui ævi virum maximum, & eum cujus opera erat eximia, in gerendis & extricandis rebus arduis. Vid. Gall. Chriſt.

tionibus juramus. Hic finis omnium, ut Papalis, & univerſalis Eccleſiæ dignitas priſtino reponeretur loco. Simul Univerſitas Pariſienſis commoveri cœpit. Multi tractatus, multi cœtus habiti : compertum denique eſt tria ſanando ſchiſmati accommodata eſſe remedia. Primum, ut contendentes loco cederent. Secundum, quoniam, id ab invitis extorqueri non potuit, ut ſe ab eorum obedientiâ omnes ſubtraherent, ac neutrales eſſent. Tertium cùm periculoſi eſſet exempli, ut ſubjecti ab obedientiâ ſe ipſi ſubducerent, Concilii generalis autoritas quærebatur. In eam poſteà ſententiam ibat frequens conſeſſus Eccleſiæ Gallicanæ, eodem Cramando Præſide, anno 1406. Hinc tria illa remedia hoc ævo toties celebrata : ceſſio, obedientiæ ſubtractio ſeu neutralitas, Concilii generalis congregatio.

Huc autem accedebat illud, quod per ſeſe erat graviſſimum, quòd electi Pontifices ſæpiſſimè etiam inter ipſa electionis initia ad juramentum voluntariæ ceſſionis adacti cùm rem protelarent, nec bono Eccleſiæ conſulerent, perjurii quoque nomine omnibus exoſi, atque hoſtes Eccleſiæ magis quàm Pontifices; eâque cauſâ meritò deſerendi, imò per generale Concilium deponendi haberentur.

Hic Odoricus Rainaldus, Simonem Cramandum, alioſque Gallos, de Eccleſiâ optimè meritos arguit, ut qui odio Benedicti, hæc pernicioſiſſima dogmata invexerint : nempè, *neutri contendentium obſequendum eſſe, ſed provocandum eſſe ad generale Concilium; Concilium Romano Pontifici præferendum;* Rain. tom. xvij. an. *ſacerdotiorum conferendorum jus ad Epiſcopos, provocationes ad Archiepiſcopos* 1406. n. 18. *revocandas; leges canonicas ab iiſdem ſolvendas, neque extra Galliæ Regnum evagandum ut ſedes Apoſtolica conſulatur; Gallorum Regem de hæreſi & ſchiſmate poſſe cognoſcere; Gallos ſedi Apoſtolicæ conjungi poſſe, quamvis ſedenti in ſede Apoſtolicâ conjuncti non ſint, & negato Pontifici obſequio, non futuros Acephalos, cùm Chriſtus ſit caput Eccleſiæ; quâ in re Cramandum ad Wicleſiſmum deflexiſſe. Tum illud graviſſimum, atque ex Wicleſiſtarum ſubdolis conſiliis, edicto Regio, vetitas pendi annonas*, quas *annatas* vulgò dicimus. Quo fine deſinere ineptiſſimam accuſationem oportebat. Neque enim hìc diſſimulare poſſumus Eccleſiæ Gallicanæ injuriam, quæ ſub Cramandi nomine Wicleſiſmi accuſetur : tanquam Wicleſiſtæ fuerint & Acephali, qui utrique Pontifici fœdum ſchiſma alenti obedientiam denegarent; ut unus idemque indubitatus Pontifex, Concilii Œcumenici autoritate, proderetur. An verò putamus, vacante ſede Apoſtolicâ, diſſipari Eccleſiaſticam unitatem; aut unà cum Pontifice ſedem Apoſtolicam interire, cui quidem ſedi Chriſtiani omnes interim conjungantur; aut Eccleſiam eſſe tum corpus acephalum ac truncum, cùm interdùm vacatio in multorum annorum ſpatium extrahatur?

Cæterùm ſubtractâ ſemel obedientiâ, quid aliud fieret, quàm ut Epiſcopali regimine tantiſper componeretur Eccleſia, donec ſummus Pontifex crearetur? Neque verò quidquam eſt à Regibus poſtulatum, quàm ut ad abolendum ſchiſma, ipſâ hæreſi tetrius, præeuntibus Epiſcopis atque Theologis, ſuam operam, atque autoritatem interponerent; quod præſidium, ſi periclitanti Eccleſiæ denegarent, quis non videat, eos neceſſario officio deſuturos? Id. ib. an. 1408. n. 7. 8. & ſeq.

Quod autem Odoricus Rainaldus premit Benedictum, Gregorium excu-

ſat, ejuſque vituperat Cardinales, qui ab eo diſceſſerint, cùm in ejus fide perſiſtere, ac Benedicti aſſeclas ad eum deferendum urgere debuiſſent, fruſtra eſt. Nempè ſi hæc tum conſilia valuiſſent, dum contendentes alter alterum accuſarent, cæteri expectarent, & tanquam pacatiſſimis Eccleſiæ rebus omnia ordine conſueto gererent; Eccleſia immedicabili vulnere ſcinderetur, & adhuc infandum ſchiſma duraret. Quare hæ ludificationes ſemel incidendæ erant; meritòque Cardinales toti Orbi teſtabantur, eo loco eſſe Eccleſiam, ut omnia ruitura eſſent, niſi jam non in verbis ac pollicitationibus, ſed in ipſis rebus remedium quæreretur. Quî enim pertinebat inquirere diutiùs, penes quem ſchiſmatis culpa reſideret, aut cujus medici inſcitiâ, vel ſcelere, vulnerata ac lacera periclitaretur Eccleſia? Quin certum utroſque in culpâ eſſe, qui mercenarii, non veri Paſtores, ſemetipſos, non gregem paſcerent; ſatiſque ſe ſchiſmatis reos proderent, niſi ſeſe citiùs propter Eccleſiam conſervandam, vel in altum dejici paterentur. Ergò Cardinales ipſam, anteaquàm funditùs interiret, niſi Deus provideret, Eccleſiam ex utriuſque manibus confeſtim eriperent, & Concilio Œcumenico ſanandam conjungendamque traderent.

Ep. Card. ap. Rain. ib. n. 53. 54. 55. &c.

CAPUT IX.

Nullum remedium niſi in Conciliorum generalium ſuperiore poteſtate: an ea ſit agnita in causâ ſchiſmatis tantùm; an ideò collata ad ſchiſmatis cauſam, quod in aliis quoque cauſis prævalere ſoleret?

CONCILIORUM generalium jam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ ſumma autoritas habebatur; ac tum vel maximè è re Eccleſiæ erat, ut eam autoritatem omnes agnoſcerent. Quippe contendentes Pontificiam poteſtatem immodicè extollebant, & Gregorius quidem apertè dicebat: *Ego ſum Papa, ego ſum ſupra jus.* Cùmque Cardinales, ab eo dira omnia comminante, ad Concilium Œcumenicum appellarent, ſic ipſe reſpondit: *Hæc appellatio eſt contra ſacros canones: hæc appellatio non defendit, ſed gravat: hæc appellatio implicat ignorantiam, vel malitiam, vel falſitatem.*

Spicil. tom. vj. p. 290. Rain. tom. xvij. an. 1409. n. 55. Rain. ib. an. 1408. n. 2.

Benedictus autem eo ſuperbior, etiam datis Bullis, excommunicaverat qui à ſe, aut à ſucceſſoribus Romanis Pontificibus appellarent. Quin etiam Francorum Regem Carolum VI. à ſe diſcedentem admonet: *Nullo caſu à Romano Pontifice appellare licitum:* ſimul Regis ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit: adeò tumidos vel in adverſâ fortunâ gerebat ſpiritus.

Bull. Bened. Spic. loc. cit. pag. 180. 184. 189.

At quotquot erant ſchiſmatis inimici, præcipuè verò Univerſitas Pariſienſis, quam pacis autorem & ſanæ doctrinæ fontem univerſa tum ſuſpiciebat Eccleſia, hæc opponebat: *Papa matri ſuæ, hoc eſt ſanctæ Eccleſiæ, quam fidelium omnium matrem eſſe conſtat, ſi ipſe Catholicus eſt, materno jure ſubditur, ut & Chriſtus matri:* tum illud: *Cùm neuter nos audiat, nihil ſupereſt, niſi ut dicamus Eccleſiæ:* addebat *utrumque Pontificem apertè hæreticum,* quod

Ib. Spicil. p. 87.

quòd ſchiſma inveteratum ſit hæreſis : denique, *reformationem omninò neceſſariam ; cùm niſi Chriſtus provideat, in ruinam irreparabilem ventura ſint omnia* ; ac propter eà *Synodum univerſalem congregandam, cui autoritatem conſenſus omnium fidelium daret.* Quam ſententiam Benedicti Cardinales, datis ad eum literis *, confirmabant.

Neque Gregorii Cardinales minore ſtudio Concilii Œcumenici autoritatem prædicabant ; quippe qui & ad illud appellarent, & appellationi hæc interſererent : *A vobis, Pater ſancte, Vicario, ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos & ſæculum per ignem : item ad generale Concilium, à quo, & in quo ſolent geſta etiam ſummorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, & judicari : item ad Papam & Pontificem futurum, cujus eſt geſta inordinata ſui prædeceſſoris in melius reformare*, &c.

* Quibus eum ad Piſanū Concilium convocabant.

Ib. p. 202. Ap. Rain. an. 1408. n. 9.

Hinc patet quàm falſi ſint, qui tum primùm, occaſione ſchiſmatis, ortam putant de Conciliorum ſuperiore poteſtate ſententiam, quique memorant appellationes ad generale Concilium, rem novam, quam hujus ſchiſmatis neceſſitas expreſſerit. Neque cogitant à Bonifacio VIII. Regem & Regnum Galliæ cum univerſis Ordinibus appellâſſe ad futurum Concilium ; ſuoque loco referemus ejuſmodi appellationes, ſæculis anterioribus, à Catholiciſſimâ tum Eccleſiâ Anglicanâ celebratas. Sed ut hæc & alia vetuſtiora omittamus, in modò recenſitis actis vidimus, appellationem interpoſitam à Gregorio XII. ad generale Concilium, *ut à quo, & in quo ſolent geſta ſummorum Pontificum judicari.* Ergò Concilii ſuperiorem poteſtatem, ut rem ſolitam, non ut cauſâ ſchiſmatis recens excogitatam implorabant ; neque à Papâ, ut dubio, ſed generatim à Papâ recurri ad Concilium fatebantur ; duæque obedientiæ, hoc eſt tota Eccleſia Catholica, agnoſcebat hanc Concilii ſuperiorem poteſtatem, in quâ unâ fidelium conſcientia acquieſceret.

Inf. lib. x. cap. xxv.

Nam quod quidam commemorant, contendentium ceſſione ſeu abdicatione præſtantiſſimum atque tutiſſimum remedium contineri, ex parte quidem verum eſt ; ſed rem penitùs inſpicienti vanum. Quid enim reverâ tutius atque præſtantius in omni lite, quàm ut litigantes ultrò paciſcantur ? Sed cùm id impetrari à pertinacibus ſit difficillimum ; hinc fit ut neceſſaria ſit judiciaria autoritas, quæ cuncta conſtituat. Quare Concilium, quod litem diſceptaret, atque ambos contendentes in ordinem cogeret, omnes requirebant.

Huc accedit, quòd, ambobus etiam loco cedentibus, quæſtio ſupereſſet, ſpontene an coacti Paparum abdicârint. Neque enim perſuaderi poterat autoritate pollentibus ut cederent ; ac ſi id deſerti facerent, vis quædam illata videbatur, reſurgebantque vanæ ſpes tuendæ dignitatis, atque in priſtina mala relabebatur Eccleſia. Nullum ergò remedium, niſi in ſupremâ Concilii generalis autoritate atque judicio.

CAPUT X.

Concilium Piſanum ab utriuſque obedientiæ Cardinalibus convocatum, quo jure? Ejus Concilii acta.

CUM ergò omnes faterentur generalis Concilii opem eſſe Eccleſiæ neceſſariam, quæſtio ſupererat, quis illud Concilium convocaret. Nam & priſcis canonibus erat cautum, ne abſque Romano Pontifice Eccleſiæ convenirent; & id à contendentibus expectare, ut totam Eccleſiam in duas diſtractam obedientias convocarent, nihil aliud erat quàm operam ludere. Neque enim quiſque eorum Concilium ullum convocaturus erat, niſi à quo pro vero certoque Pontifice coleretur. Id etiam experimento claruit: ecce Vid. ap. Rain. an. 1408. n. 54. 56. epiſt. Card. enim Gregorius, Senas; Benedictus, Perpinianum petiit. Ibi diverſiſſimis mundi partibus conſtituti, ſuam quiſque Synodum, Gregorius, Auſtriam Aquileenſis Diœceſis, vix notum in Utini viciniâ oppidulum; Benedictus, Perpinianum Elnenſis (*k*), Diœceſis convocârunt. Quo fine? Nempè eo, ut, quemadmodùm erat prædictum à Cardinalibus, *unus ad Occidentem, alter ad Orientem, greſſibus directis, ad ſchiſma perpetuandum, & unionis ſpem penitùs evacuandam pergerent:* nihilque aliud afflictæ Eccleſiæ ſupereſſet, quàm Jerem. xij. 9. illud Propheticum, quod iidem Cardinales meritò inculcabant: *Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ; properate ad devorandum: ecce derelictus eſt grex.*

Cùm igitur eo loco res eſſent, ipſa neceſſitas extorquebat, ut quocumque modo Eccleſia conveniret: quæ ubi ſemel coacta & adunata eſſet, ejus autoritatem ſummam & indetrectabilem futuram, pacis ſtudioſi conſentiebant omnes. Quare Cardinales utriuſque partis, id ſibi uno ore decernunt licere, ut in tanto diſcrimine Concilium convocent. Et disertè Benedicti Spicil. loc. cit. Reſp. Amb. ſſ. Reg. Rom. Ruperti p. 270. XIII. Cardinales: *Ubi Concilium eſt convocandum, ſicut in caſu noſtro, &* PAPA UNICUS, (quantò magis dubius) *non vult, negligit, aut non poteſt, vel eſt furioſus; non dubium quin Cardinales poſſint; nec neceſſe eſt ut convocans habeat autoritatem ſuprà Concilium, cùm ab Archiepiſcopo convocante, ad Concilium appelletur.*

Id ipſum profeſſi Gregorii XII. Cardinales, & utrumque Collegium, à ſuis Pontificibus diſceſſione factâ Concilium generale Piſas convocant. Quâ Oſ. j. 11. verò autoritate in caſu tam extraordinario ſtaret illud Concilium, noſter Gerſ. prop. cor. Angl. conſ. iv. tô. ij. Dup. p. 128. Gerſon exponebat anno 1408. factâ propoſitione coram Anglicis ad Synodum Piſanam delegatis, in hæc verba Oſee: *Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum.* Docebat autem hæc conſideratione IV. *Congregatio filiorum Iſrael & Juda pariter ſumit ſuam efficaciam & virtutem à Divino ſemine, quod per Eccleſiaſticum corpus, tanquam ſanguis vivificus, diffuſum eſt, & radicaliter, ſeu inſeparabiliter inſertum.* Tum commemoratis permultis ſanè caſibus, quibus Eccleſia ſine Papâ congregari poſſit; *in talibus*, inquit, *caſibus, congregatio Eccleſiaſtica ſumit*

(*k*) *Elnenſis.*] Elna, ſeu potius Helena eſt oppidulum Galliæ Narbonenſis, cujus ſedes Epiſcopalis à Clemente viij. an. 1604. tranſlata eſt in vicinam urbem Perpinianum.

autoritatem , & virtutem ſe ipſum uniendi , ex Divino ſemine per univerſum corpus diffuſo ; quod eſt ipſa fides , ipſa charitas , ipſe utriuſque ductor Spiritus , ipſe Chriſtus , EX QUO TOTUM CORPUS COMPACTUM ET CONNEXUM PER OMNEM JUNCTURAM SUBMINISTRATIONIS...... AUGMENTUM FACIT. Plura in eam rem poſteà referemus ; nunc iſta ſufficiant ; cùm præſertim nemo dubitet jure ipſo naturali communitatem omnem , nativo licèt capite deſtitutam , quantò magis Chriſti Eccleſiam ab eo optimè conſtitutam , ſuæ unitati ac ſaluti ſummâ autoritate & efficaciâ providere poſſe.

Eph. ſ. iv. 16.

Hâc igitur autoritate fulti Cardinales utriuſque partis , Piſano Concilio, ipſi primi omnium numero XXIII. adſunt ; adcurrunt undique Principes Eccleſiarum , fidei periculo & tantâ neceſſitate permoti ; trecenti Epiſcopi cum totidem ferè Abbatibus, omnium penè religioſorum Ordinum Superiores & Generales , Legati Regum , Principum , Regnorum , Provinciarum , ex celeberrimis Capitulis & Academiis deputati , atque innumerabiles ſacræ Theologiæ & canonici Juris Doctores. Fit *Sancta & univerſalis Synodus univerſalem Eccleſiam repræſentans , Spiritûs ſancti gratiâ in Majori Eccleſiâ Piſanâ congregata.* En quâ autoritate freti ; nempè univerſalis Eccleſiæ , *quam repræſentarent* , ſanctique Spiritûs , cujus gratiâ coaleſcerent; quâ deindè autoritate citantur contendentes , & contumacia declaratur ; ac demùm Seſſione XV. uterque *de Papatu damnabiliter contendentes* , ſeu potiùs colludentes , *ut notorii ſchiſmatici & antiqui ſchiſmatis nutritores , notorii hæretici & à fide devii , notoriiſque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretiti , & univerſalem Eccleſiam notoriè ſcandalizantes ; atque adeò ipſo jure dejecti* , declarantur , deponuntur , ab Eccleſiâ præciduntur. Seſſione XVI. antequàm eligatur Pontifex , fit decretum Cardinalium ſacramento confirmatum , *de continuando Concilio , quoad rationabilis , debita , ac ſufficiens reformatio univerſalis Eccleſiæ , & ſtatus ejus tam in capite quàm in membris facta ſit , & quòd ſede vacante continuetur Concilium , & ad reformationem procedatur.* His pactis atque decretis anno 1409. Seſſione XVII. Petrus Philargus Cretenſis , ex Minorum Familiâ , vir ſanctus ac doctus , à Cardinalibus eligitur , & aſſumpto Alexandri V. nomine in Petri cathedrâ collocatur. Denique cùm multi Antiſtites ac Legati diſceſſiſſent , Seſſione XXI. ab Alexandro V. ſacro approbante Concilio , dimittuntur Patres , ac triennii tempus indicitur , quo elapſo tempore , continuetur Concilium. Atque hæc , quæſo , lectores diligenter advertant , nec ſchiſmatis tantùm , ſed etiam reformationis gratiâ , Piſanam Synodum *inſtitutam & continuatam eſſe* recordentur. Ne miremur Conſtantienſem Synodum , Piſanæ continuationem , de reformandi autoritate tanta dixiſſe : quæ tamen Schelſtratus non modò diſſimulaverit , verùm etiam , quoad potuit , everſa voluerit.

Vid. ſubſcript. tom. xj. Conc. p. 2213. & in Spicil.

Conc. Piſ. ſeſſ. xv. ib. p. 2201.

Ibid. & Spicil. tom. vj. p. 324.

Ibid. ſeſſ. xvj. pag. 2203. 2204.

CAPUT XI.

Confirmatur aſſertum illud: quòd proceſſus Eccleſiæ Catholicæ & Piſani Concilii, ſuperiore Conciliorum, etiam extra ſchiſma, in ſummis quibuſque negotiis, autoritate nitatur: quibus fundamentis Concilii Piſani decreta nitantur.

JAM ex actis facilè intelligitur, quo fundamento, & à contendentibus diſceſſum ſit, & illi loco dejecti, & novus Pontifex ſubſtitutus. Aiunt paſſim id duobus niti fundamentis: primum, quòd in ſchiſmate, hoc eſt ſub dubio Pontifice, Concilii autoritas procul dubio potior habeatur: tum etiam, quòd potior habeatur adversùs ſchiſmatis altorem obſtinatum, atque adeò ſuo modo hæreticum. Hæc quidem vera ſunt, ſed non his pertingimus ad radicem ipſam; vanaque hæc duo erant, niſi ab illo uno ac primo dogmate profluxiſſent: Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque Concilii generalis autoritatem, abſolutè atque etiam extra ſchiſma, in ſummis Eccleſiæ rebus prævalere.

Bellar. de Conc. aut. lib. ij. cap. xix. & alib. paſſ.

Nam de Papâ dubio, & ſchiſmatis caſu, ut indè ordiamur, falſum illud eſſe conſtat, imò periculoſiſſimum, quod à Bellarmino aliiſque paſſim pro certo axiomate aſſeritur: ***Papa dubius, Papa nullus.*** Quærimus enim axioma illud, quo canone ſit fixum, quo juris fonte manarit, quis denique ille ſit dubius Pontifex, qui jam Pontifex non ſit. An ille de quo reipsâ dubitetur? Ergò pſeudo-Papas omnes, Burdinum etiam, & alios toties anathemate percuſſos in Petri ſede reponamus. An fortè eos, de quibus ab electionis origine fuerit dubitatum? Abeant igitur laudatiſſimi Pontifices Innocentius II. Alexander III. alii ſancti verique Pontifices: redeant Anacleti, Victores, alii Antipapæ, aut cum veris Pontificibus æquo jure diſceptent (*l*). Atque hi quidem Antipapæ in factionem ſuam, Principes quoque & Imperatores, totaque adeò Regna pertraxerant; ut ſi partem Orbis etiam ingentem dubitâſſe ſufficiat, optimi quoque Pontifices inter dubios ac nullos habeantur. Periculoſiſſimi exempli eſt, ſi ſtatim factione ortâ, & Pſeudo-Epiſcopo per ambitionem conſtituto, verus Pontifex ſit dubius, atque adeò nullus. Ergò Bellarmini vaga nimis, & latiùs fuſa de dubio Pontifice ad certos limites coercenda ſententia eſt. Valeat nempè in eo caſu, in quem Bononienſis & Pariſienſis Academiæ, illa Gregorio, hæc Benedicto favens, conſenſerunt: *Ubi dubium de Papatu ſit inextricabile, propter dubium juris & facti*, eo caſu Papa dubius ſit profectò Papa nullus. Nihil enim prodeſt nullo certo documento deprehenſa, aut probata veritas. Sed enim nec ſic

Spicil. tom. vj. p. 221.

(*l*) *cum veris Pontificibus æquo jure diſceptent.*] Significat D. BOSSUET hanc eſſe Bellarmini ſententiam: coorto ſchiſmate, ſtatim Papam & Antipapam æquè fieri dubios Pontifices, quoad uſque Concilium diremerit controverſiam. Quæ ſententia adeò abſurda eſt, & vero Papæ, atque etiam Eccleſiæ paci incommoda, ut mirum ſit Magnum ſic ſenſiſſe Bellarminum.

erat expedita difficultas, aut ſublatæ ſchiſmatis cauſæ; remanebat enim quæſtio: eſſetne in ſuo caſu *inextricabile juris & facti dubium.* Nam uterque Pontifex, Benedictus æque ac Gregorius, pro certo & indubitato Pontifice ſe gerebant, & id certum eſſe Bullis promulgatis, Canonibus editis, Conciliis adhibitis, ſub anathematis pœnâ decernebant. Vel illud audiamus à Gregorio XII. in ſuâ Auſtrienſi Synodo pronuntiatum: *Chriſti nomine invocato, ſancta & univerſalis Synodus, univerſalem & Catholicam Eccleſiam repræſentans, ad quam cognitio & deciſio hujus cauſæ noſcitur pertinere.... pronuntiat, decernit, & declarat.... Urbanum Papam VI. Bonifacium Papam IX. Innocentium VII. fuiſſe indubitatos ac veros Pontifices.... & nunc Gregorium Papam fuiſſe verum, & indubitatum Papam.... ac damnatæ memoriæ Roberto Gebennenſi, Petro de Lunâ & Petro de Candiâ in titulo Papatûs nullum jus competiiſſe, ipſoſque fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos & pertinaces.... ipſumque ſanctiſſimum dominum noſtrum Gregorium Papam modernum, ad profeſſionem obedientiæ ſuæ per Orbem univerſum reſtituendum eſſe.* En quid decerneret illa ſub Gregorio ferè jam ab omnibus deſtituto, miſerabilis Synodus. Neque Benedictus inferiora cogitabat: quin uterque Pontifex ſe certum, notorium, & indubitatum Papam decernebat; æmulum verò ſuum notorium, & indubium ſchiſmaticum, nullâque vel probabili ratione nixum; adeòque dubium illud non eſſe inextricabile, ſi ad fontem veniretur. Nec utrique deerant ſui ſectatores, qui uſque adeò faverent ſuo Pontifici, ut nonniſi à contumacibus jus illius in dubium revocari poſſe crederent. Quare ex dubio, nullum ſatis firmum perpetuæ diſceſſioni, ſive, ut vocabant, obedientiæ ſubtractioni præſidium, aut turbatis conſcientiis plena tranquillitas, aut ſchiſmatis vulneri certum remedium. Neque quidquam aliud præſtò erat, quo omnis ſcrupulus tolleretur, niſi invictâ autoritate figeretur illud: Pontificem, etiam certum, in Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque Concilii generalis poteſtate eſſe, de quo Eccleſia decerneret id, quod rei Eccleſiaſticæ neceſſarium videretur.

Concil. Auſtr. tom. xj. p. 3005. 3006. male pro 2105. 2106.

Jam illud de Pontifice altore obſtinato ſchiſmatis, ac propterea ſuo quodam modo hæretico; haud minùs Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque Concilii autoritatem, Papâ quoque ipſo ſuperiorem requirebat. Sanè afferebatur ex corpore Juris canon ille: *Si Papa*, quo Papa diceretur à nemine judicandus, *niſi eſſet à fide devius.* Quo hæreſis caſu fatebantur omnes Papam etiam certum à Concilio judicandum. Sed conſtabat contendentes nullam hæreſim profeſſos eſſe, neque pro certo canone habebatur, id quod gloſſa dicebat: *Poſſe accuſari Papam, ſi notorium ſit crimen ejus, & ſcandalizatur Eccleſia, & ſit incorrigibilis; nam contumacia dicitur hæreſis.* Quare Pariſienſis & Bononienſis Academiæ, quibus poſteà Senenſis, totaque adeò acceſſit Eccleſia, id quidem, quoad poterant, ſtatuebant: *Quòd contendentes per ſchiſma inveteratum in hæreſim inciderint.*

Decr. Diſt. xl.

Gloſſ. in cap. Si Papa. ibid.

Sed quoniam ea res dubia haberetur, addebant: ſi id quoque eſſet dubium, an propter ſchiſma inveteratum in hæreſim inciderint, eoque nomine à Synodo deponi poſſint, id quoque ad Synodi cognitionem pertinere.

Verùm, hæc ſi ad vivum perſecare aggredimur, comperiemus eò ſtare: quòd quivis Pontifex, quovis jure nixus, pacem Eccleſiæ ac ſalutem gre-

gis honori ſuo anteponere, atque adeò certis caſibus abdicare teneatur; quæ obligatio poſſit ac debeat à Concilio Œcumenico declarari. Unde quocumque modo quæſtio tractaretur, eò redibant omnia, ut quivis Pontifex, & quovis jure præditus, Concilio Œcumenico certis in caſibus, uſque ad abdicandam poteſtatem parere debeat.

Sup. hoc lib. cap. viij. Et quidem ſatis conſtabat, uti prædiximus, Gregorium & Benedictum de abdicando ſæpè juráſſe. Unde Cardinales, ac florentiſſimæ Academiæ concludebant eos eſſe ſacrilegos, impios, *Eccleſiæ hoſtes, apertè ſchiſmaticos, ac ſchiſmatum autores & nutritores:* ac rursùs: Quòd *ſchiſma ſit mater errorum, cujus obſtinatione & vetuſtate deſcendatur in hæreſim, & fides lædatur Deo & Eccleſiæ debita, cujus proviſio ſpectet ad Concilium:* & quòd *ſchiſma inveteratum in hæreſim tranſeat:* ad hæc *Papam hæreticum & ſchiſmaticum ceſſaſſe eſſe Papam, & à ſchiſmaticorum atque hæreticorum incorrigibilium obedientiâ recedendum:* denique, *& in dubio, an hoc incrementum ſchiſmatis tranſeat in hæreſim, vel an tale ſit ex quo proviſio ſpectat ad Concilium, id quoque ad Concilium pertinere:* quæ omnia à Concilii ſummâ, in quemcunque Papam, quocunque jure præditum, poteſtate pendebant. (Spicil. tom. vj. p. 201. 211. 221.)

Huc accedit, quòd Chriſtus nullam ſpecialem in ſchiſmaticos aut hæreticos Pontifices, congregatis Epiſcopis, aut Synodo Œcumenicæ conceſſerit poteſtatem. Quare totum illud jus, quod omnes unanimi conſenſu, in ſchiſmatis atque hæreſis causâ, Concilio Œcumenico tribuebant, eo uno dogmate nitebatur; quòd Synodus Œcumenica totius Eccleſiæ, atque adeò ſancti Spiritûs complexa poteſtatem, univerſim, ubi de ſummâ re Eccleſiaſticâ agitur, ſummâ & indeclinabili autoritate decernat.

Sup. c. ix. Quo factum vidimus, ut uno eo axiomate utraque obedientia niteretur. Et Gregorii quidem Cardinales apertè provocabant ad Concilium generale, *ut à quo, & in quo ſoleant geſta etiam ſummorum Pontificum quæcunque pertractari, decerni, & judicari.* Benedicti verò aſſeclæ, atque in his, vel potiſſima Eccleſia Gallicana, Univerſitatis Pariſienſis dictum illud comprobabat: *Papam matri ſuæ, hoc eſt, ſanctæ Eccleſiæ materno jure eſſe ſubditum:* quæ vel nihil concludunt, vel ad omnem Pontificem, etiam extra ſchiſmatis caſum protenduntur. (Ap. Rain. an. 1408. n. 9.) (Spic. loc. cit. pag. 87.)

Sup. cap. viij. Et quidem ab Odorico Rainaldo Simonem Cramandum Patriarcham Alexandrinum, fuggillatum audivimus, quòd Eccleſiæ Gallicanæ ſacro Conventui præſidens, *Concilium prætulerit Romano Pontifici*; & Petrus Plaoul Pariſienſis Doctor idem aſſeruit, ſacro conſeſſu applaudente; tantumque abfuit, ut eos ad hanc tuendam ſententiam vehementiſſimè perorantes quiſquam incuſaverit, ut eorum maximè autoritate atque conſiliis, tota Gallicana Eccleſia adversùs ſchiſmaticos uteretur. Quin ipſe Petrus Plaoul ab Univerſitate ſtudii Pariſienſis ad Concilium Piſanum *Ambaxiator* miſſus, in ejuſdem Concilii ſeſſione publicâ eâ de re celebrem orationem habuit. Sic enim in geſtis ſacri Concilii legimus: *Seſſione XIII. die Mercurii*, 29. *Maii, quidam valentiſſimus Doctor, vocatus Magiſter Plaoul, aſcendit pulpitum, & propoſuit verbum Dei .... & deduxit pulchrè exaltando Eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſuprà Papam: quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum; quam ex parte formæ; quæ eſt Spi-* (Conc. Piſ. ſeſſ. xiij. p. 2124 2125. & Spicil. tom. vj. p. 320.)

Digitized by Google

ritus ſanctus ; quàm etiam ex parte cauſa efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus ; quàm etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſiâ triumphante. Atqui his quidem argumentis, hujus ævi more, complexus eſt omnia, quibus ſummos Theologos in eandem ſententiam adductos eſſe conſtat : ut certum omninò ſit, quæ in Concilio Conſtantienſi, de Conciliorum ſupremâ autoritate, explicatiùs dicta ſunt, ea in utrâque obedientiâ, hoc eſt, in Eccleſiâ Catholicâ, atque in Concilii Piſani dictis, atque geſtis præceſſiſſe.

CAPUT XII.

An ſine temeritate Concilii Piſani autoritas rejici poſſit.

AT Piſano Concilio Odoricus Rainaldus objicit : ſine Papâ ſecundùm canones, legitimum haberi non poſſe Concilium : peſſimorum ſcilicèt Medicorum more, qui, valetudine deſperatâ, ægrum interire malunt, quàm à conſuetis remediis, quamvis fruſtrà tentatis, ad extraordinaria, quàmlibet certa, confugiant. Nec deerant, Alexandri V. tempore, imbecilles animæ, quæ hâc ſuperſtitione tenerentur, quos Gerſon noſter ſermone coram Alexandro V. confutat & irridet his verbis : *Cujus eſt iſta tua ſubſtitutio, Pater Beatiſſime, niſi Chriſti ? Undè convocatio Concilii* (Piſani ſcilicèt) *tam mira ? Undè priùs diſcordantium inaudita conſenſio ? Undè tot Præſulum, & ſapientium concurſus tam celer ? Non causâ certè diſſenſionis, ſed pacis. Non vocavit Papa : fuit conventiculum. O ridenda ac irrationalis nimiùm ratio ! Neque verò quatuor illa Concilia, quæ in Actibus Apoſtolicis deſcribuntur, Petrus vocâſſe memoratur. Neque Synodus Nicæna juſſu Silveſtri, ſed Conſtantini conveniſſe legitur. Ad quintum Univerſale Concilium Patrum, contra Theodorum Neſtorii diſcipulum* (*m*) *nemine convocante* (*n*) *ſeſe Patres exhortati ſunt. Fuere ergò conventicula ? Cave dixeris. Coluntur ab Auguſtino* (Gregorium voluit dicere, ſive Librarii mendum eſt) *tanquam Evangelia. Quid ſi ſchiſma dubios reddit Chriſtianos, quem duorum pro Papâ colant ? Quid ſi, quod perrarum eſt, ſummus Pontifex labatur in hæreſim, ut legimus Liberium Arianæ pravitati ſubſcripſiſſe, Marcellinum Idolis ſacrificâſſe ? Quid ſi intolerandis oneribus Chriſtianitatem gravaret ? An adversùs tantos morbos nullam relinquis medelam ? Relinquo, inquis. Credo ſanè : nam imperfectam nimiùm*

(*m*) *Neſtorii diſcipulum.*] Hic ſuſpicor librarii, vel typographi erratum, qui aut oſcitantes prætermiſerint nonnulla verba, aut incurii unum pro altero poſuerint. Neque enim ignorabat Gerſon fuiſſe Theodorum Neſtorii *magiſtrum*, non *diſcipulum.* Sed Gerſonis opera, etiam editionis D. DUPIN, ſunt tot mendis typographicis deformata, ut eſſet neceſſe ea recudi diligentiùs.

(*n*) *Nemine convocante.*] Convocatam fuiſſe quintam Synodum à Juſtiniano Imperatore dicit Evagrius, & teſtatur quoque illa Juſtiniani epiſtola ad Epiſcopos tunc C. P. degentes, quæ lecta eſt in ipſo Concilio collat j. Vid. tom. v. Conc. p. 422. Hoc erratum fuiſſe Gerſonis vix credi poteſt. Profectò amanuenſis, cum in ſuo codice haberet *Cæſare convocante*, ſcripſerit incogitanter *nemine convocante.*

Eccleſiaſticam politiam adſtrueres ; nec à Deo, cujus perfecta ſunt opera, ſalubriter inſtitutam , ſi quis in eam morbus poſſet incurrere, contra quem nulla poſſet adhiberi medicina. Sed tamen nulla memoratis caſibus relinquitur , ſi non aliquando ſine Papæ vocatione , convenire poſſit Eccleſia.

Ne hîc mihi critici , faſtidioſum hominum genus, aliquos memoriæ aut hiſtoriæ lapſus , ſeu menda operarum , quæ in editione Gerſonis ſunt innumerabilia ; ſed ipſum argumentorum pondus attendant. Eorum vim invictam ſentient. Quare Alexandro V. Piſæ electo Pontifici, multò maxima pars Chriſtiani Orbis ſtatim adhæſit: Gallia, Anglia, Germania, Hungaria, Dalmatia, Croatia, Norvegia, Dania, Suecia, Polonia, Italia ferè tota, Roma quoque ipſa.

Bellar. de Conc. lib. j. cap. viij. Huc acceſſit poſteà tota poſteritas, teſte Bellarmino, & in ſede Petri poſt Alexandrum V. duos Alexandros ſexti & ſeptimi nomine venerati ſumus ; cùm Clemens VII. Leonis X. ſucceſſor, & Clemens VIII. eum Clementem ſpreverint, Robertum ſcilicèt Gebennenſem Cardinalem, qui Clementis VII. aſſumpto titulo, poſt Urbanum VI. Avenione ſedit.

Rain. an. 1409. n. 80. Neque valet Odorici Rainaldi reſponſio, in Romanorum Pontificum ſerie, numeratos falſos Stephanos falſoſque Joannes; undè veri Pontifices numerum ac titulum ſuum traxerint. Ita enim numeratos eſſe conſtat, obſcuris temporibus & ab Hiſtoricis, non ab ipſis Romanis Pontificibus, cùm per ea tempora, nondum in decretis ſuis addere ſolerent nomini ſuo, ipſam numeri notam. Nunc autem cùm Romani Pontifices ſic paſſim edicant in capite diplomatum, *Alexander Papa VI. Alexander Papa VII.* numeratum ab iis eſſe falſum, & à falſâ aut ſuſpectâ Synodo creatum Pontificem, recente adhuc facti memoriâ ac manifeſtis geſtis, abſonum, abſurdumque eſt.

Quare & illud certum, Alexandrum V. & Joannem XXIII. Pontificum hiſtoriis, vitis, catalogis, toto Orbe terrarum, atque etiam in Urbe editis, paſſim fuiſſe adſcriptos; totique Eccleſiæ Catholicæ probro maximo ſit, tanto Epiſcoporum aliorumque Orthodoxorum numero, tanto Univerſitatum, religioſorum Ordinum, Provinciarum, Regnorumque Catholicorum concurſu, celebratam fuiſſe falſam & canonibus repugnantem Synodum, quam etiam Alexander V. à Romanis totoque propemodùm Orbe jam agnitus, confirmârit. Extat enim illius Synodi confirmatio Bononiæ edita, aliquot poſt menſibus, quàm Piſana Synodus ſoluta eſt; ne id Patrum autoritati magis, quàm ipſi veritati tribuiſſe Pontifex videatur. Probat autem ejus geſta, ut quæ *Univerſalis Eccleſiæ autoritate & concordiâ facta ſint.* Neque ita multò poſt, idem Pontifex ſummâ cum pietate obiit; teſtatuſque eſt inter extrema ſuſpiria, ſe quidquid Piſis egiſſet, ſummo divinæ gloriæ amore feciſſe.

Tom. xj. Conc. pag. 2303.

Ibid. pag. 2311. Rain. an. 1410. n. 15. 17.

Huc accedit quòd ejus æmuli ac Piſani Concilii contemptores, Gregorius atque Benedictus, convocato licèt generali Concilio, vix paucos Epiſcopos congregare poſſent. Quin etiam Synodus Benedicti, Perpiniani habita, Piſanum Concilium venerata eſt, concluſumque in eâ eſt, ut Petrus vocatus Benedictus, iret vel mitteret Procuratores irrevocabiles Piſas, ubi aliud Concilium congregabatur pro unione Eccleſiæ, qui Procuratores, ejus nomine,

Tom. xj. Conc. pag. 2109. & ſeq. Rain. an. 1409. n. 84.

nominé, Papatui renuntiarent, Gregorio cedente, mortuo, vel ejecto. Id ex ſexdecim Deputatis, quindecim concluſerunt (o); atque ita ex duobus fruſtulis, quæ Piſano Concilio repugnabant, unum jam fruſtulum, à quo Benedictus colebatur, votis atque ſuſpiriis Piſanæ Synodo cohærebat, eique ſe ſuumque Pontificem ſubmittebat.

At in aliâ particulâ Gregorius, cùm paucas Italiæ urbes, eaſque ferè ignobiles, vix in obſequio retineret, fruſtrà convocabat totius Orbis Epiſcopos. Quâ de re ſic Rainaldus ſcribit: *Spreta ſunt ab Epiſcopis ejus imperia, cùm in magnam adduceretur invidiam Concilium ad ſchiſmatis propugnationem molitum; miſitque Nicolaum Epiſcopum Ferentinum, & Dominicum deſignatum Epiſcopum Melitenſem, Venetias; ut, objectâ anathematis pœnâ, illius Provinciæ Præſules ad Synodum cogerent. Sed Veneti, Alexandro, ex Doctorum ſententiâ, quamvis Gregorius Venetus eſſet, adhæſerant;* nec immeritò. Quis enim non ſperneret tam paucos Epiſcopos in tenui atque ignobili Auſtriæ Oppido Synodum Œcumenicam venditantes, aut ab eis univerſalem repræſentari crederet Eccleſiam? Tali tamen Concilio Eccleſiâque fretus Gregorius, ſe notorium & indubitatum Papam, Alexandrum V. quem tota ferè Eccleſia coleret, æquè ac Benedictum in altero mundi angulo præſidentem, notorium ſchiſmaticum declarabat; quem talia declarantem Odoricus Rainaldus pro vero Papâ haberi vult, in eoque fruſtulo totam Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem collocat. Quis hæc ludibria & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ dedecora ferat? Rain. ib. n. 82.

Illud paulò gravius, quòd aucto Pontificum numero, Piſani Patres non reſtinxiſſe ſchiſma, ſed auxiſſe videantur. Id quidem Odoricus Rainaldus, & alii paſſim objiciunt. Sed profectò immanem belluam ille interemit, qui percuſſo capite, & corpore obtrito, feminecem, atque ægra vix membra trahentem reliquit: quo factum eſt ut lethali vulnere ictam in Piſanâ Synodo, Conſtantienſis Synodus paulò poſt ſuperveniens conficeret.

Cæterùm quiſquis Conſtantienſis Synodi ſalutarem Eccleſiæ, ac ſchiſmati peſtiferam agnovit autoritatem, Piſanam quoque Synodum ſuſcipiat oportet, quæ Conſtantienſis continuatio eſt. Quid plura? cùm ipſos liceat adhibere teſtes qui Piſanæ Synodo adverſentur. Nempè Bellarminus qui dubiam, Rainaldus & alii qui nullam pronuntiant, in hoc axioma conſentiunt: Romanum Pontificem dubium, ſive in caſu ſchiſmatis, Concilio generali ſubeſſe. Omnes enim, excepto nullo, in eam ſententiam uno ore decurrunt, ut Pontificem ſaltem dubium Œcumenico Concilio ſubdant. Atqui Gregorius æquè ac Benedictus dubius erat Pontifex, à quo tanta pars Eccleſiæ, ſuique Cardinales diſcedebant. Ergò ille Concilio ſuberat, ab eoque depoſitus acquieſcere debuit, ac renitens pro ſchiſmatico habendus,

(o) *Id ex ſexdecim.... quindecim concluſerunt.*] Hæc ultima verba nullibi reperimus in tomis Conciliorum, neque in Hiſtoricis Surita, Theod. à Niem, Rainaldo &c. Surita rem ſic narrat: *Concilio interfuere Prælati... circiter cxx.... Cùm Patres Benedictus conſuluiſſet, quid è Republicà Chriſtianà eſſe cenſerent... ſummà diſſenſione... in contrarias partes Patrum opiniones... diſtrahuntur... ea opinionum diſcrepantia eò rem deduxit, ut Perpiniano penè omnes diſcederent, & xiix.* reliqui hoc omnes fecerunt, quod hîc a D. Bossuet refertur. Cæterùm Suritæ narratio argumentum D. Bossuet confirmat, nedum illud infirmet.

eorum quoque calculo qui cum Odorico Rainaldo ei favent : quod eſt argumentum ex confeſſo ab adverſariis planè peremptorium.

Antonin. ſumm. part. ij. tit. iij. de ſch ſm. §. 6. Objiciunt tamen S. Antoninum excuſantem eos qui poſt Piſanam Synodum atque Alexandrum V. Benedicto & Gregorio ſavebant : *Cùm dubium eſſet maximum* de illo maximè, utrùm Gregorius & Benedictus *Eccleſiam ſcandalizarent diſſimulando unionem ſe velle. Nam*, inquit, *de Gregorio apparuit contrarium, quia de facto renuntiavit.* De facto renuntiavit ſanè in Conſtantienſi Concilio, poſteaquàm quantùm potuit ludificatus Eccleſiam, deſertus ab omnibus, & ad angulum redactus Italiæ, rem in eo eſſe vidit, ut meritò anathemate feriretur, poſtquàm & ipſum & ſuos ſui puduit; malueruntque cum aliquâ laude cedere, quàm ignominioſè ejici, ut æmulo Benedicto contigit. Quòd ergò Gregorius ceſſit, ipſi Piſanæ Synodo imputandum eſt. Neque propterea penitùs inexcuſatos eſſe volumus qui bonâ ſpe ducti, ſive à Gregorio, ſive à Benedicto ſchiſma produci paterentur; quod unum Antoninus voluit. Cæterùm qui præfactè contendunt ceſſionem utriuſque Pontificis, aut ſaltem Gregorii expectandam fuiſſe, eos ego dixerim invidioſiſſimum ſchiſma propagatum voluiſſe, ſpreto remedio, quod ipſa neceſſitas extorqueret : ad hæc in eo labi, quòd imperfectam aſſerant à Chriſto conſtitutam Eccleſiam, quæ adversùs exitioſiſſimum vulnus nullo præſidio inſtructa eſſet. Tertiò, grave illud eſt non agnoſcere vim occultam Spiritûs ſancti, ad Synodum Piſanam, tot Regna, tot Eccleſias, tot Principes, tot Epiſcopos, tot Abbates, tot Ordinum capita, cum religioſis Cœtibus, tot inclytas Academias adducentis, ut facerent ſibi Caput unum. Denique jam diximus, dicemuſque ipſam Conſtantienſem Synodum eò eſſe fultam, quòd Piſanæ Synodi continuatio eſſet, quod eſt vel graviſſimum ejuſdem Piſanæ Synodi firmamentum; ut profectò nunc tam ſancta, tam probata Synodus, ſine gravi ſaltem temeritatis notâ abjici nequeat.

CAPUT XIII.

Ad Conſtantienſe Concilium devenitur : ejus cauſæ atque initia referuntur : rerum ſeries uſque ad ſeſſionem V. hinc confutati qui ad ſchiſmatis tempus decreta reſtringunt.

JAM ergò ad Conſtantienſem Synodum devenimus. Eam Joannes XXIII, Alexandro V. mortuo ſubſtitutus convocavit, ut Piſana Synodus continuaretur.

Bull. convoc. Conc. Conſt. ſeſſ. j. pag. 11. Cauſæ continuati Concilii in Bullâ convocationis expreſſæ : ut ſchiſma finiretur, ut hæreſes damnarentur, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatio fieret.

Schiſma quidem vivebat adhuc; ac ſi Pontificum atque obedientiarum numerum aſpiceres, non exciſum, ſed auctum eſſe videbatur; & falſorum Pontificum fautores, pauci licèt comparatione reliquorum, Hiſpani præfer-

Digitized by Google

tìm, quò iniquiùs, eò obſtinatiùs eos tuebantur; neque immeritò timebatur, commotis adhuc animis, ne ex ſcintillâ majus incendium reſurgeret. Jam Wiclefiana hæreſis totâ in Eccleſiâ graſſabatur, quodque malorum omnium caput erat, jacebat Eccleſiaſtica diſciplina; tantæque morum corruptelæ inerant, ut vel eâ causâ Synodus neceſſaria haberetur; cùm ex eâ radice & ſchiſmata & hæreſes prodiiſſe conſtaret.

His de cauſis Conſtantienſis Synodus eſt convocata, ac Joanne XXIII. Sigiſmundoque Imperatore præſentibus, inchoata. Primum omnium ſacra Synodus recipit Papæ ſponſionem, ſponte quidem oblatam, ſed poſteà juramento, Bullâque inſuper editâ, confirmatam: quòd *ceſſurus eſſet Papatu*, non tantùm ſi Petrus de Lunâ & Angelus de Corario cederent; verùm etiam, ſi id è re Eccleſiæ eſſe Synodo videretur: eo nempè fundamento, quòd verus quoque & certus Pontifex, quò magis, quò veriùs, quo denique certiùs pater paſtorque eſſet, eò magis honori ſuo Eccleſiæ pacem, & gregis ſalutem anteponere teneatur. Ibid. ſeſſ. ij. pag. 16. Vid. in append. tom. xj. Concil. p. 1438.

Hâc ſponſione factâ, Bullâque promulgatâ, Pontifex die 20. Martii, majore hebdomadâ imminente, clam auſugit Conſtantiâ, atque in vicinum oppidum Scaphuſenſe ſe contulit, ubi ſub tutelâ Friderici Ducis Auſtriæ morabatur. Multùm eâ fugâ commota eſt Synodus, nec deerant Papæ adulatores peſſimi, qui Synodum ſolvere molirentur; ſed habita eſt frequente conſeſſu, die 25. Seſſio III. poſt Papæ receſſum prima, in quâ decernitur, quòd *Conſtantiæ in Spiritu ſancto Synodus generalis, pro reformatione & unione Eccleſiæ in capite & in membris, fuit & eſt ritè & juſtè convocata, initiata, celebrata*; quòd per receſſum Papæ aut aliorum quorumcumque, hoc ſacrum Concilium non eſt diſſolutum: neque transferri debeat, niſi aſſenſu Concilii, aut omninò diſſolvi, *uſque ad extirpationem præſentis ſchiſmatis, & quouſque Eccleſia ſit reformata in fide & moribus, & capite & membris.* Ibid. ſeſſ. iij. pag. 17.

Quid ſit apud Synodum, & hujus ævi Scriptores, *in Eccleſiâ reformari fidem*, omnes facilè intelligunt. Non hoc eſt, reſtitui collapſam, cùm nunquam Eccleſiæ collabatur fides; ſed, eâ firmâ & integrâ, damnari hæreſes, hæreticos Eccleſiâ ejici, quò clariore luce fides eniteſcat. Cæterùm Eccleſiam *in fidei veritate ſemper immaculatam permanere, & de hæreſibus ſemper triumphare*, alibi dicet Synodus, Wicleſum condemnans: atque hoc obiter dictum oportuit; ne quis in ambiguâ reformatæ fidei voce falleretur. Ibid. ſeſſ. viij. p. 41.

Verùm id diligentiſſimè advertendum, tres Concilii cauſas ab ipſo Concilio ſtatim ac disertè expreſſas: fidem, ſchiſma, reformationem generalem in capite & in membris. His ut reliqua conſentanea eſſent, Seſſione IV, ubi ad ipſos Pontifices devenitur, ad eaſdem tres cauſas, debita ab ipſis obedientia refertur, nempè ut huic Synodo obedire debeant in his quæ ad fidem pertinent, quæque ad extirpationem hujus ſchiſmatis, quæque ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Ibid. ſeſſ. iv. pag. 20.

Dum hæc agerentur, & Seſſio IV. fieret, renuntiatum eſt ſacro Concilio, Papæ nomine, ipſum non aliâ causâ, quàm *propter ſanitatem corporis*, Conſtantiâ receſſiſſe, atque omninò *impleturum omnia quæ ſacra Synodo promiſiſſet*. Hæc in acta relata ſunt. Quin ipſe Pontifex, datâ ſchedulâ vid. in append. *cedulam* Joan. p. 1464.

Digitized by Google

propriâ manu, aliiſque multis teſtificationibus, idem confirmavit.

Sacra tamen Synodus intellexit ex ejus receſſu, quocumque colore quæſito tegeretur, nonnihil turbarum eventurum, multaque eum de diſturbandâ Synodo moliri; nec deeſſe adulatores, qui peſſima ſuaderent. Sex enim Cardinales palam pronuntiaverant, ejus abſentiâ jam ſolutum eſſe Concilium, ac Rainaldus memorat, pleroſque Cardinales alios poſt alium, ad Papam confugiſſe; edictumque Papæ valvis affixum repertum fuiſſe, quo Curia omneſque officiales, ut ad ipſum accurrerent, ſub excommunicationis ac privationis pœnâ citabantur: quæ omnia ad diſſolvendam Synodum pertinerent.

Rain. an. 1415. n. 6. & ſeq. ex Theod. a Niem.

Scribunt & alii, Patres Cardinalibus indignatos id etiam cogitâſſe, ut prohiberentur à Seſſionibus Concilii, ubi de Papâ ageretur, cui ſe turpes adulatores præſtitiſſent; Petrum de Alliaco Cardinalem, æquum omnibus, nec minùs Eccleſiæ Romanæ, quàm ipſius Concilii ſtudioſum, his obſtitiſſe, & Cardinalium defendiſſe dignitatem. Nec interim deerant, qui peſſimo adulandi ſtudio, Pontificiam poteſtatem immodicè efferrent. Quæ cùm ita ſe haberent, neceſſarium erat Patribus, ut Conciliarem autoritatem magis magiſque inculcarent. Quare Seſſione V. non modò Seſſionis IV. canonem iterârunt, ſed etiam hæc duo addiderunt: primum, ut explicatiùs diceretur, *cujuſcumque alterius Concilii generalis decretis Papam ſubjici*; alterum, *ut ſi contumaciter obedire contempſerit, debitè puniatur*; ne ſcilicèt, quod plerique jactabant, honeſtè potiùs quàm neceſſariò obſtringi obedientiæ videretur; tantâque Patrum conſenſione finita eſt Seſſio, ut actis hæc verba inſerantur: *Quibus conſtitutionibus lectis, Concilium eas uniformiter approbavit & concluſit.*

Pet. Alliac. de aut Eccl. in append. tom. ii. Ger. Leo. Art. de temp. ſui hist.

Concil. Conſt. ſeſſ. v. p. 26.

Hi ſunt illi duo canones relati ſuperiùs, de quorum ſenſu agitur. Sed ipſa, credo, rei ſeries perſuadet, non alium eſſe poſſe, præter eum quem tuemur: nempè ut in fidei, ſchiſmatis, reformationis caſu, non tantùm Conſtantienſi, ſed etiam cuicumque, quocumque tempore, & quâcumque causâ congregato Concilio generali, obedientiam, à Papâ etiam, præſtari oporteat.

CAPUT XIV.

Vana ſuffugia, ex ipſo Concilii ſcopo ac verbis confutantur.

Certe cùm Conſtantienſe Concilium in his ſeſſionibus, duplicis generis decreta protulerit, quarum alia propriè ad Concilium Conſtantienſe pertineant, alia ad omne Concilium protendantur, utriuſque generis decretis certam notam adhibuit. Et tertiæ quidem Seſſionis decreta qui legerit, ſtatim animadvertet ita decerni: *Quòd iſtud Concilium non debet diſſolvi: quòd ipſum Concilium non poteſt transferri: quòd qui intereſſe debent huic Concilio, non recedant*. Tunc Seſſionibus IV. & V. multa in eundem ſenſum de hoc Concilio propriè decernuntur: quam notam ſi haberent om-

Ibid. ſeſſ. iij. pag. 18.

nia Synodi decreta, libenter fateremur non poſſe protendi ad omne Concilium ea, quæ de iſto conſtituta fuerint. Nunc cùm Concilium in Seſſione V. disertè ſcripſerit, *& huic Concilio & cuicumque alteri Concilio generali*, etiam à Papâ deberi obedientiam; patet ſacram Synodum, quaſi deditâ operâ occurriſſe eorum effugiis, qui ad Concilia in ſchiſmate habita, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus, horum decretorum verba detorqueant.

Hoc certè ſuffugium poſt Baſileenſem contentionem, autore Turrecrematâ, primùm emerſit. Is enim, cùm autoritate decretorum Conſtantienſium vehementiſſimè premeretur, primus omnium contendit, *quidquid verba Concilii in ſono literæ prætendant*; tamen aliter quàm ſonant intelligenda eſſe; difficillimumque eſſe obſervare Conſtantienſe decretum de obedientiâ à Romano Pontifice debitâ, *niſi decretum illud, ad aliam trahatur intelligentiam, quàm verba in ſuperficie prætendant.* Itaque commentum illud excogitavit, decretum Conſtantienſe ad ſolam ſchiſmatis cauſam reſtringendum; ex quibus ſatis conſtat, virum acutiſſimum ſemel iterùmque ac tertiò verborum Concilii perſpicuitate ſummâ eò eſſe deductum, ut repugnante literâ, ad hunc ſenſum comminiſcendum cauſæ neceſſitate ſe fuiſſe abreptum ultrò fateretur.

Turrec. Reſp. ad Baſil. part. ij. n. 2. & 4. tom xiij. Conc. pag. 1711. 1712.

Quare qui eum ſecuti ſunt, nihil aliud quàm ludibria protulerunt. Et quidem commemoravimus, quàm aliena, non modò à ſenſu, verùm etiam à verbis horum decretorum dixerint, qui Conſtantienſe Concilium huic Concilio dumtaxat, non autem aliis, autoritatem eam tribuiſſe reſpondent; cùm Patres Conſtantienſes disertè ſcripſerint: *Papam hujus Concilii, & cujuſlibet alterius Concilii generalis præceptis teneri.*

Nec minùs abſurdè Diſquiſitionis autor pro confirmando Turrecrematæ ſuffugio hoc argumentum propoſuit: *Concilium iſtud* (Conſtantienſe ſcilicèt) *fuit continuatio Piſani Concilii ad civitatem Conſtantienſem tranſlati: ex actis: Piſanum verò pro ſublatione dicti ſchiſmatis congregatum fuerat: item ex actis:* ergò ad ſchiſmatis cauſam illa Pontificibus præſcripta obedientia revocatur. Quæ jactata ad ſpeciem, jam ex geſtorum ſerie evaneſcunt. Eſto enim, urgentiſſima cauſa Piſani Concilii fuerit, extirpandum ſchiſma; tamen ex actis docemur, acceſſiſſe aliam haud minùs neceſſariam, nempè *reformationem in capite & in membris:* tum continuatam in urbe Conſtantiâ Piſanam Synodum, tria ſuſcepiſſe; fidem exponendam, extirpandum ſchiſma, reformandam Eccleſiam in capite & in membris; atque in his tribus ab ipſo Pontifice, non tantùm huic, ſed *cuicumque Concilio generali*, præſtari obedientiam oportere. Ergò peſſimâ fide, decreta Concilii Seſſionum IV. & V. ejus geſtis, dictiſque apertè reclamantibus, ad ſolam ſchiſmatis cauſam reſtringuntur. Quo etiam factum eſt, ut qui his ſolutionibus uterentur, ſubeſſe tamen aliud facilè perſentiſcerent, ut de Turrecrematâ vidimus. P. verò Gonzalez, poſtquàm ad tempus ſchiſmatis dubiique Pontificis verba reſtrinxit, ſubdit tamen: *Forſan verò incautè in diffinitione ſuâ verba poſuerunt, quæ videntur amplius aliquid ſonare.* Quis verò non exiſtimet incautum potiùs fuiſſe Gonzalem, quàm tot ſapientiſſimos Patres ac Theologos ita incautè locutos, ut nec ipſi eorum verborum, quæ tam accuratè ſelegerint, ſenſum intelligerent?

Diſquiſ. n. 76. 77. p. 27.

Conc. Piſ. tom. xj. ſeſſ. xvj. pag. 2203. Conc. Conſt. ſeſſ. ij. iij. vid. ſup. cap. x.

Gonz. de infall. R. P. diſput. xiij. ſect. v. §. 10. n. 2. p. 671.

Digitized by Google

Bell. de Conc. aut. lib. ij. cap. xix.

Jam quod Bellarminus, quo uno vel maximè adverſariorum cauſa nititur, dixit, ex decreto Conſtantienſi, ſubjectum fuiſſe Conciliis Papam dubium, adeòque non jam Papam, manifeſtam abſurditatem præ ſe fert; nempè ut Concilium, cùm ſibi & cuicumque Concilio aſſerit collatam immediatè à Chriſto poteſtatem, etiam in Papam, tanto conatu nihil agat, quàm ut Conciliis eum qui non ſit Papa, ſubjiciat: quo nihil eſt abſurdius. Deindè obſervatum à nobis eſt, Papam dubium, qui jam pro Papâ non ſit, intelligendum eſſe, non in quocumque ſchiſmate; ſed in eo ſchiſmate, *ubi eſt inextricabile dubium juris & facti*, quale erat illud ſchiſma poſt Urbanum VI. Talis autem caſus eſt rariſſimus; quippè qui poſt Chriſtum natum, ſemel tantùm contigit. Hinc argumentum: Conſtantienſe Concilium nunquam adhibuit illas voces, quibus generaliores ac latiùs fuſæ nullæ eſſe poſſint, ad exprimendum eum caſum, quo nullus eſt rarior & infrequentior; atqui his vocibus, quas Conſtantienſis adhibuit Synodus: *quicumque: quâcumque dignitate: cuicumque Concilio*, nullæ generaliores reperiri poſſunt; ergò Conſtantienſe Concilium non eas adhibuit, ut ſe ad infrequentiſſimum, ac tot retrò ſæculis ſemel tantùm cognitum caſum adſtringeret; cùm præſertim ſacra Synodus alias futuras Synodos, non modò animo prævideret, ſed ipſa etiam decretura eſſet. Neque enim quiſquam ignorat canonem, *frequens*, Seſſionis XXXIX. quo de decennio in decennium habenda Concilia generalia decernuntur; atqui illa Concilia non omnia futura erant ſub dubio Pontifice: ergò Concilium Conſtantienſe non ea tantùm Concilia prævidebat, quæ ſub dubio Pontifice futura eſſent. Atqui Conciliis quibuſcumque futuris ſubjiciebat Papam; ergò etiam ſubjiciebat iis, quæ à Papâ indubitato haberentur.

Vid. ſup. cap. xj. & loc. Spicil. hic cit.

Concil. Conſt. ſeſſ. xxxix. pag. 238.

Sup. hoc lib. cap. ix. x. xj.

Præterea demonſtravimus totam Eccleſiam ſchiſma eliſuram, adeò abfuiſſe à reſtringendâ ad Papam dubium Concilii poteſtate, ut etiam intelligeret, ne in Papam quidem dubium valituram eam, niſi abſolutè valuiſſet; neque tolli potuiſſe dubium Papam, qui in ſuâ obedientiâ certus haberetur, niſi & illud conſtitiſſet, certum etiam Papam in Concilii generalis poteſtate eſſe. Hinc illa manârunt, cauſam ſchiſmatis ad Concilium generale devolutam, non quidem propter illum ſingularem caſum, ſed quòd ſingularis caſus non aliâ poteſtate diffiniendus eſſet, quàm eâ quâ cæteri caſus diffiniri ſolerent. Quæ ſi univerſa Eccleſia ante Piſanam Synodum, multò magis poſt eam, atque in Conſtantienſi Concilio, declaravit.

Tum illud conſtat, Conſtantienſem Synodum, non modò de extinguendo ſchiſmate, ſed etiam de exponendâ fide, ac reformandâ diſciplinâ fuiſſe ſollicitam. Id enim, & Eccleſiæ mala, & Bulla convocationis, & ipſa ſacræ Synodi jam indè ab initio profeſſio poſtulabant. Atqui expoſitio fidei ac reformatio diſciplinæ, non ad ſolum ſchiſmatis tempus, ſed ad omnia Eccleſiæ tempora protenditur. Ergò abſurdum eſt ad ſolum talis ſchiſmatis tempus reſtringere Concilii ſollicitudinem.

Poſteà, ſacra Synodus non niſi certo Papâ conſtituto reformationem aggreſſura erat. Ergò cùm docuit, in reformationis cauſâ Papam Concilio ſubeſſe oportere, non Papam dubium, ſed certum, & ab ipsâ Synodo conſtitutum cogitabat. Neque enim quis negaverit ſacram Synodum, cùm Seſ-

ſionum IV. & V. decreta conderet, quæ deindè actura erat animo providiſſe. Imò potiùs in ipſis initiis certa fundamenta ponebat, quibus cæteræ Synodi actiones, & ordinationes ſuo tempore ſtruerentur. Id autem volebat maximè, ut, Papâ conſtituto, reformatio fieret; utque eam nullus hominum, ac ne quidem ipſe Papa prohibere poſſet. Id ergò agebat, ut Papam etiam certum, atque ab ipsâ Synodo conſtitutum, Conciliaribus decretis obligaret.

Hìc verò omnem abſurditatem exſuperat illa reſponſio, quam autor doctrinæ Lovanienſium prodidit: nempè ut in Synodo Conſtantienſi reformatio nihil aliud ſonet, quàm ipſam extinctionem ſchiſmatis. Quo loco verba illa de reformatione faciendâ *in capite & in membris*, intelliguntur: *in capite*, ſeu *capitibus ſchiſmaticis*; quæ ſcilicèt capita ſchiſmatica à Synodo in ordinem cogerentur: quo nihil excogitari poſſit abſurdius; ſed tamen ad hæc abſurda rediguntur, qui perſpicuis Synodi verbis atque ſententiis commenta ſua affuunt. Doct. Lovan. p. 74.

Itaque poſtulamus ut ex ipſis conſuetis Synodi Conſtantienſis locutionibus, Synodum Conſtantienſem intelligant. Certè ſacra Synodus Seſſione XV. ſic decernit: *Ne quis ullo modo prohibeat ad ſedem Apoſtolicam, aut Romanam Curiam, hoc durante Concilio, vel ad ipſum, & quæcumque alia generalia venientes.* En Seſſione XV. eaſdem planè voces, quas in V. legimus. Dicant boni expoſitores prohibitionem eam XV. Seſſionis, non ad omnes Synodos, ſed ad eas quæ in ſchiſmate fiant pertinere. Item Seſſione XXVI. fit decretum cum hâc clauſulâ: *Salvis iis quæ in hoc præſenti, & in aliis quibuſcumque generalibus Conciliis fieri ſolerent:* quæ cùm ad omnes Synodos pertinere neceſſe ſit, Seſſionis V. verba, non minùs generalia, nec minùs patere conſtat. Denique in ipsâ Bullâ *inter cunctas*, ſacro approbante Concilio, hæc jubentur: nempè interrogari quemvis Wicleſiſmi ſuſpectum. *Utrùm credat quòd quodcumque Concilium generale & etiam Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentet.* En iterùm ac tertiò conſtantique tenore *quodcumque Concilium* unà cum Concilio Conſtantienſi omne Concilium comprehendit, quo nihil eſt clarius ad ipſius Conſtantienſis Concilii voces interpretandas, conſtituendamque ſententiam. Concil. Conſt. ſeſſ. xv. p. 147. Ibid. ſeſſ. xxvj. pag. 207. Bull. *Inter cunctas.* poſt ſeſſ. xlv. p. 268.

CAPUT XV.

Ex ſeſſione VIII. Concilii Conſtantienſis, ſeſſionis V. ſenſus aſſeritur.

ALIUD argumentum exſurgit ex Seſſione VIII. pro vero & nativo Conſtantienſium canonum ſenſu, quem tuemur. Eâ Seſſione referuntur ac damnantur Wiclefi propoſitiones XLV. Ex his Cajetanus ac Nicolaus Dubois quaſdam ſeligunt, quarum condemnatio nobis officiat: octavam: *Si Papa ſit preſcitus, vel malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam; niſi fortè à Cæſare:* propoſitionem XLI. hanc ſcilicèt: *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Cajet. de aut. Pap. & Conc. tract. j. & ij. part. poſt tom. iij. ſumm. S. Thom. edit. Lugd. junt. 1687. Diſq.

Digitized by Google

art.4. n. 61. & ſ.q. Doct. Lov. p. 68. & ſeq. vid. ſeſſ. viij. Conc. Cõſt. p. 46. 47. Vid. ſeſſ. xv. Concil. Conſt. pag. 130. Bull. *Inter cunctas.* loc. jam cit.

Ac ne quid omittamus, proferunt item Joannis Huſſi propoſitiones damnatas, ſeptimam : *Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.* Inculcant etiam illud, quod Martinus V. Bullâ, *inter cunctas :* quemlibet de hæreſi Wicleſi, aut Huſſi ſuſpectum, ſacro approbante Concilio, ſic interrogari jubet : *Utrùm credat quòd Beatus Petrus fuerit Vicarius Chriſti, habens poteſtatem ligandi & ſolvendi ſuper terram? Utrùm credat quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor Beati Petri, habens ſupremam autoritatem in Eccleſiâ Dei?* Ex his igitur tale conficiunt argumentum : Si Eccleſia Romana ſuprema eſt; ſi Papa habet ſupremam autoritatem in Eccleſiâ Dei; ergò Concilium generale non eſt ſuprà Papam, aut Eccleſiam Romanam; ergò Seſſionum IV. & V. decreta non de Papâ abſolutè, ſed de Papâ dubio, ac de ſchiſmatis tempore intelligenda ſunt.

Valeat planè illa conſecutio, niſi & à Synodo præviſa difficultas, & ab ipsâ quoque apertè ſoluta eſt. Sed quid Conſtantienſes Patres addiderint videamus; nempè poſt relatam Wicleſi propoſitionem illam : *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias,* ſtatim ſubjiciunt : *Error, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* En quàm diligenter Conſtantienſes Patres, & Martinus V. locuti ſunt : en ut *Eccleſias particulares*, non totam ipſam Eccleſiam Catholicam, uno ore aliquid decernentem, Pontifici ſubmiſerint. Indè nimirùm noſtri ſua illa ſumpſerunt, *dandam eſſe ſupremam & plenam Pontifici poteſtatem, ſed in comparatione ad fideles ſingulos, & ad particulares Eccleſias.* Ita Gerſon noſter in ipsâ Conſtantienſi Synodo prædicabat; ita in eodem Concilio totidem verbis docebat Gerſonis Magiſter Petrus de Alliaco Cardinalis, quo maximè autore Wicleſiana hæreſis damnata eſt. Hæc profitebantur qui in Synodo docebant, qui Synodum docentem audiebant, hæc ipſa Martinus V. ſua facit, cum decretali, *inter cunctas*, Concilii verba inſerit & ipsâ Synodo approbante confirmat.

Gerſ. ſerm. in feſt. S. Antõ. tom. ij. p. 355. Petr. Alliac. tractat. de Eccl. ib. in append.

Inſtat Cajetanus, nihil obeſſe ſibi hæc verba Concilii à Martino V. approbata : cùm iſtud *quòd Primatus Papæ ſit ſuper Eccleſias particulares, ſit ſermo affirmativus de Primatu ſuper particulares, & non negativus de Primatu ſuper univerſalem Eccleſiam.* Quod P. Thyrſus Gonzalez Cajetanum ſecutus ſic exponit, *ut vi illius cenſuræ à Martino V. approbatæ, ſolùm ſit de fide Romanum Pontificem habere Primatum ſuprà ſingulas Eccleſias, & vi illius non ſit de fide habere Primatum ſuprà Eccleſiam univerſalem ut congregatam in Concilio :* addit quòd *ibi ſic adſtruitur Primatus Romani Pontificis ſuper Eccleſias particulares, ut non negetur ſuper Eccleſiam univerſalem.* Hæc ille, hæc alii, non perpenſâ rerum ſerie res magnas vanis diſtinctiunculis conficere ſoliti, in hunc locum memorant.

Vid. Cajet. loc. jam cit.

Gonz. de infall. diſp. xiij. ſect. v. §. v. n. 2. p. 665.

Sed profectò nimis ſcholaſticâ ſubtilitate ludunt : quaſi verò deceret ſanctiſſimam Synodum, dùm deditâ operâ id agit, ut contra Wicleſum explicet quid ſit *de neceſſitate ſalutis*, in Eccleſiæ Romanæ Primatu profitendo, aliquid eorum omiſiſſe, quæ *de neceſſitate ſalutis* credere oporteat. Atqui ex conceſſo, nihil dicit de Primatu Romani Pontificis ſuper Eccleſiam, ut eſt univerſalis, & illud tantùm aſſerit, Primatum eum agnoſcendum ſu-

per

per particulares Eccleſias. Ergò hoc, non illud, de neceſſitate ſalutis credendum eſſe definit; ſtatque inconcuſſum, quod ſeſſionibus IV. & V. de Concilii ſummâ & abſolutâ, etiam in ipſum Papam poteſtate, decreverat. Huic doctrinæ congruit illa Martini V. interrogatio quam diximus; non enim quæri jubet: utrum credant quòd *Papa habeat ſupremam autoritatem ſuper Eccleſiam Dei;* ſed utrum habeat ſupremam *in Eccleſiâ Dei:* quod à nobis eſt alibi luculentè explicatum. Vid. in append. lib. j. cap. iij.

Jam verò ex his argumentum conficimus: quod eſt ita poſitum à Concilio Conſtantienſi, ut ex illo tota Papatûs ratio exponatur, erroreſque contra Papalem poteſtatem ſuborti condemnentur, id non ad tempus ſchiſmatis, aut ad Papam dubium, ſed ad ipſum Papatum, qualis eſt à Chriſto inſtitutus, & ad omne tempus pertinet: atqui id quod eſt ſeſſionibus IV. & V. de Papâ definitum, ita ſe habet, ut exinde tota Papatûs ratio exponatur, & Papatui oppoſiti errores condemnentur, ut patet ex prædictis: ergò quod eſt de Papâ in ſeſſionibus IV. & V. definitum, non ad Papam dubium, aut ad ſchiſmatis tempus; ſed ad omnia tempora, & ad ipſum Papatum, qualis eſt à Chriſto inſtitutus, pertinet; contra quod adverſarii interpretabantur (*p*).

CAPUT XVI.

Mens ſeſſionis V. ex capite Frequens, *& ex capite* Si vero, *ſeſſionis XXXIX. demonſtratur.*

Haud minùs valida argumenta deducuntur ex ſeſſionis XXXIX. multis capitibus, quæ ſigillatim penſitanda erunt.

Primum occurrit caput, *Frequens*, quo capite Synodus Pontificibus legem figit, eamque multiplicem. Primùm enim decernit ut ſummus Pontifex certis temporibus, & quocunque decennio Synodum generalem habeat: deinde ut in fine cujuſcunque Concilii futuro Concilio locum *aſſignare teneatur:* tùm, ne id faciat, niſi *conſentiente & approbante Concilio:* poſteà, ut *ad defectum Pontificis*, ab ipſo Concilio is locus aſſignetur, valeatque convocatio etiam ſine Pontifice facta à Concilio: poſtremò, ut Pontifex tempus Concilio præſtitum *abbreviare* quidem poſſit, non tamen prorogare. Sic præſcribit rem quandam, eamque maximam, quam quocunque decennio Romanus Pontifex facere *teneatur;* adeòque ligari putat decreto à ſe Concil. Conſt. ſeſſ. xxxix. pag. 238.

(*p*) *interpretabantur.*] Ut mens D. Bossuet, qui hìc preſsè argumentatur planiùs intelligatur, duo ſunt animadvertenda: primùm, Wicleſi propoſitionem ſanam eſſe, ſi eam ſic interpreteris ut ſignificet, Papæ ſupremam eſſe autoritatem *ſuper particulares Eccleſias*, non verò *ſuper univerſalem Eccleſiam:* alterum, hanc interpretationem & diſtinctionem adhibitam fuiſſe à ſacrâ Synodo, eò ut ipſa id tueretur quod pridem ſeſſione v. definiverat de potiori Concilii autoritate. Ergò Synodus non credidit ſupremam eſſe Papæ autoritatem *ſuper univerſalem Eccleſiam;* imò credidit talem autoritatem Papæ contingere non poſſe. Fruſtra igitur Gonzalez ſcholaſticâ ſubtilitate ludit, qui ea allegat Concilii verba, quibus ruat ſententia quam ipſe defendit.

facto Papæ conſcientiam. Ergò manifeſtè dat legem ſummis futuris Pontificibus: quibus? Dubiiſne, ac tempore ſchiſmatis tantùm? Abſurdum; cùm hæc certis determinatiſque temporibus, poſt quinquennium ſcilicet, exinde poſt ſeptennium, ac deinceps poſt quodcumque decennium exequenda, nullo reſpectu ſchiſmatis, *edicto perpetuo* ſanciantur. Quare decretum iſtud Martinus V. jam electus, jam agnitus, jam indubitatus Pontifex eſt ipſe executus. Nempe ſic decernit ſeſſione XLIV. *Cupientes ac volentes decreto hujus Concilii generalis ſatisfacere, inter alia diſponenti, quòd omninò generalia Concilia celebrentur in loco, quem ſummus Pontifex, per menſem ante finem hujus Concilii, conſentiente & approbante Concilio*, DEPUTARE ET DESIGNARE TENEATUR... *eodem conſentiente, & approbante Concilio, civitatem Papienſem tenore præſentium deputamus.* Ex eodem decreto, ſub eodem Martino V. Papienſe Concilium & inchoatum eſt, & Senas deinde tranſlatum, probante Concilio: ex eodem decreto, Baſileenſe Concilium ab eodem Martino V. indictum, & ab Eugenio IV. celebratum fuit. Quæ & alia deprompta ex capite, *Frequens*, Martinus V. & Eugenius IV. non eſſent executi, *ut huic decreto ſatisfacerent*, niſi intellexiſſent, non tantùm ad ſchiſmatis tempus, ſed ad omnia tempora; neque tantùm dubiis, ſed etiam indubitatis Pontificibus, legem præſtitutam.

Ibid. ſeſſ. xliv. p. 157.

Cur autem ſeſſione XXXIX. omnibus Pontificibus legem ponunt, & à futuris quibuſlibet Conciliis poni poſſe decernunt? Cur, quæſo, niſi quia ſeſſione V. *quemlibet, quâcumque dignitate, Papali etiam, cuilibet Concilio generali* ſubditum decreverant? Ergò omnibus Pontificibus, neque minùs certis, quàm dubiis, Conciliarem poteſtatem ipſa Synodus anteponit; ſeſſionis XXXIX. fundamento, jam inde ab initiis, ſeſſionis ſcilicet V. ſolidè providenterque jacto.

Neque objiciant caput, *Frequens*, de Conciliis quocunque decennio celebrandis, nullius jam eſſe roboris. Neque enim hîc quærimus, quo Eccleſiæ uſu atque conſenſu, hi, qui diſciplinam ſpectant, canones aboleri poſſint. Id certè quærimus: an Synodus Conſtantienſis ita ſe geſſerit, ut quæ exiſtimaret ſummos etiam Pontifices, in fidei, in ſchiſmatis, in reformationis causâ, Conciliis Œcumenicis eſſe inferiores. Certe caput, *Frequens*, ad reformationem pertinebat, cùm Patres intelligerent tantam eſſe, tamque inveteratam Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptelam; ut nonniſi per frequentia Concilia ſucceſſu temporis reformari poſſit.

Quo ex loco argumentum noſtrum ita poteſt confirmari: cùm Patres Conſtantienſes ſeſſione V. decernebant, *cuicunque Concilio generali à quocunque* parendum, hoc certè decreto intelligebant comprehendi ea Concilia, quæ ipſi vel maximè imperaturi eſſent; ideò enim uſi ſunt generalibus vocibus: *Huic & cuicumque alteri Concilio legitimè congregato:* atqui ea Concilia imperaturi erant, quæ etiam ſub certis indubitatiſque Pontificibus haberentur: Ergò ea quoque Concilia Papæ anteponebant.

Ib. p. 159. Huic argumento plurimum lucis accedit ex capite, *Si verò*, quod eſt poſitum in ſeſſione XXXIX. poſt caput *Frequens.* Eo capite Conſtantienſes decernunt de habendis Synodis, *ſi in futurum ſchiſma oriri contingeret.* Quo loco præſcribunt, quid ipſi contendentes, quid verò Concilium, quid de-

Digitized by Google

nique omnes præſtare debeant. Hinc exſurgit argumentum : cùm Conſtantienſes Patres decernere aggrediuntur, quid agendum in tempore ſchiſmatis, id non generalibus verbis, ſed expreſſo nominatim ſchiſmatis caſu, decernunt, ut legenti patuit : ergò certò conſtat ſingularem ſchiſmatis caſum ſingulari decreto conſideratum ac proviſum ; at quæ verbis generalibus, *de quocumque Concilio legitimè congregato*, ſeſſionibus IV. & V. antea dicta eſſent, ad omne Concilium, & ad omne tempus omninò pertinere.

CAPUT XVII.

Idem demonſtratur ex aliis capitibus ſeſſionis XXXIX. SCHELSTRATI *& aliorum ſuffugia præcluduntur.*

SEQUITUR in Seſſione XXXIX. caput : *Quanto Romanus Pontifex*, quo capite Synodus *ſtatuit & ordinat*, *quòd deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus, antequàm ſua electio publicetur, coram ſuis electoribus, publicè confeſſionem & profeſſionem faciat infrà ſcriptam.* Ergò manifeſtè omnibus futuris Pontificibus, etiam indubitatis, etiam in fidei profeſſione faciendâ, legem ponit.

Ib. p. 241.

Objicit Schelſtratus, id ne quidem in Synodo Conſtantienſi, præſentibus Patribus à Martino V. fuiſſe obſervatum. *Sed*, inquit, *is Pontifex, electione factâ, conſecratus fuit, ac poſteà fidei profeſſionem fecit.* Tantus ſcilicèt ſacri Concilii, facillimique decreti contemptus Martinum ceperat, qui aliis Synodi decretis tantâ diligentiâ ſatisfecit ! At à Schelſtrato quærimus, cur non ejus rei aliquod monumentum proferat ? An fortè in his reconditis geſtis, quæ toti Orbi hactenùs ignorata, à ſe primùm edita jactat, fidei profeſſionem in ipsâ conſecratione factam invenit ? Atqui nihil vetabat quin fieret, ſemel quidem privatim, coram electoribus ex Synodi decreto, atque iterùm publicè in ipsâ conſecratione, ſive poſt conſecrationem : ſed nempè placebat Schelſtrato oſtentare contemptam, etiam ſine causâ, tantam Synodum, tantoſque faſtus ad Pontificiam dignitatem pertinere putat.

Schelſt. Diſſ. Antuerp. cap. iij. p. 69.

In eâdem Seſſione XXXIX. duo extant canones (*q*), quibus canonibus in Epiſcopis transferendis, inque ſpoliis vacantium Eccleſiarum capiendis, aliiſque ejuſmodi rebus, quid Romano Pontifici faciendum, ſacroſancta Synodus *ſtatuit & ordinat.*

Concil. Conſt. loc. jam cit. p. 241. 242.

Occurrit Schelſtratus, & hæc quidem decreta eſſe confitetur quæ *etiam Pontifices indubitatos tangunt : ſed*, inquit, *nullam pœnam injungunt ; nullam mentionem coactionis faciunt ; prout tamen faciunt in decreto de ſchiſmatis tempore, ubi circa Pontifices tempore illo viventes, pœnas etiam privationis Papatûs conſtituunt.*

Schelſt. loc. cit. cap. ij. pag. 66.

(*q*) *In ſeſſione xxxix. duo extant canones,*] quorum primus ſtatuit, *Epiſcoporum tranſlationes abſque magnâ & rationabili causâ... de conſilio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorumdem... fieri non deb re.* Alter vetat, ne *decedentium Prælatorum ſpoliorum exactio, per Papam fieri ſeu attentari poſſit.* Quo canone Synodus occurrebat malo tunc frequentiſſimo, *quod Eccleſiis afferebat gravia detrimenta.*

Hæc quidem Schelſtratus objicit tanquam Concilia non niſi pœnâ adhibitâ, juriſdictionem exerceant, jaceantque canones innumerabiles in corpore juris, ſacriſque Conciliis editi, in quibus prohibitio, nullâ licèt anathematis aut pœnæ cujuſlibet & coactionis mentione, conſtat. At profectò ſæpè ſufficit ſimplici interdicto ligari conſcientiam; quod Synodus Conſtantienſis apertè ſibi tribuit in capite, *Frequens*, decernendo ſcilicèt, ut Papa antè finitum quodcumque Concilium, probante Concilio, futuri Concilii tempus deſignare teneatur; neque nulla pœna tamen eſt, ſi futurum Concilium deſignare Papa nolit, illud ab ipſo Concilio, etiam invito Papâ, ſtatim deſignari. Cæterùm quis ignorat, pœnas interdùm judicum prudentiæ reſervari, neque minùs obligare ea quæ conſcientiæ relinquantur; ut miremur à Schelſtrato, haud indocto viro, lectorem talibus deludi nugis?

CAPUT XVIII.

Idem demonſtratur ex ſeſſione XL. & octodecim tum propoſitis reformationis articulis.

ATQUE his quidem Seſſionis XXXIX. canonibus, Synodus Conſtantienſis reformationem aliquâ ex parte delibavit: cæterùm tantum opus ad vivum aggreſſura erat, poſtquàm unus Pontifex conſtitutus eſſet. Cùm ergò res eò deveniſſet, ut, abjectis aliis, unus ſummus Pontifex crearetur, tùm verò Seſſione XL. octodecim articuli reformationis diù examinati, *ac per Nationes in reformatorio* (r) *oblati*, proponuntur cum hoc decreto: quòd *futurus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus* (poſt octo ſcilicèt dies) *cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per Nationes, debeat reformare Eccleſiam in capite & in membris, & Curiam Romanam.... antequàm hoc Concilium diſſolvatur, ſuper articulis qui ſequuntur*, octodecim illis ſcilicèt ſæpè memorandis. Hinc autem multa argumenta conſurgunt.

Concil. Conſt. ſeſſ. xl. p. 243.

Primum, quod jam tetigimus: Reformatio in capite & in membris, quò Seſſionis V. decreta collimabant, exciſo penitùs ſchiſmate & electo Pontifice, præceſſura erat: ergò in eo decreto præſcripta obedientia *cuilibet, cujuſcumque ſtatûs vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat*, non ad ſchiſmatis tempus, ſed ad ipſum quoque, omnium conſenſu, conſtitutum Pontificem pertinebat.

(r) *per Nationes in Reformatorio.*] In eâ Synodo, ſingulæ ſeorſim Nationes de ſingulis rebus quæſtionem habebant, & decreta in ſeſſionibus tum legebantur, cùm ab omnibus Nationibus fuerant approbata. Hâc methodo quæſtiones eò diligentiùs examinabantur, quòd Nationes libentiùs inter ſeſe conſilia conferebant. Quapropter in ſeſſionibus publicis unanimes Epiſcopi decretis ſubſcribebant. Ea methodus obtinuit quoque in Concilio Baſileenſi. At in Tridentino, priſcus uſus invaluit numerandi ſuffragia Epiſcoporum. Hinc graves rixæ & interceſſiones. Nam Itali, utpotè numero plures, cæteros omnes facilè vincebant; & ſola Italorum interceſſio obſtitit, ne decerneretur Epiſcopos fuiſſe *inſtitutos de jure divino, & apud ſuas Eccleſias manere* juſſos. Vid. Palav. paſſ. & cæteros hujus Concilii Hiſtoricos. *Reformatorium* illud, de quo dicitur ſeſſione xl. Concilii Conſtantienſis, conſtabat ex deputatis Nationum, quibus ea cura mandabatur, ut quærerent & proponerent quæcumque ſibi reformatione indigere viderentur.

Digitized by Google

Atque ut pateat ſanctam Synodum in Seſſione V. nihil aliud animo deſignâſſe, quàm id quod poſteà executura erat, ſtet iſtud argumentum: in Seſſione XL. ſancta Synodus Pontifici ſtatim à ſe eligendo legem dixit: ut nempè, cum ipsâ Synodo, Eccleſiam & Curiam in capite & in membris, ſuper certis articulis à Synodo præſcriptis, reformaret: atqui Pontifex mox eligendus, futurus erat certus & indubitatus Pontifex: ergò ſancta Synodus certo etiam ac indubitato Pontifici legem dixit.

Quid quòd articuli omnes, vel ferè omnes, Eccleſiam Romanam ac ſedem Apoſtolicam ſpectabant. Id vel tituli docent: *De numero & qualitatè Cardinalium; de reſervationibus; de annatis; de gratiis expectativis; de confirmationibus electionum; de cauſis in Romanâ Curiâ tractandis; de appellationibus ad Romanam Curiam; de officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ; de diſpenſationibus, de proviſione Papæ & Cardinalium*, & ejuſmodi cæteris: quæ cùm abſurdum ſit ad ſchiſmatis tantùm tempora, & ad dubios tantùm Pontifices pertinere, omnia tempora, & indubitatum quoque Pontificem deſignabant. Ibid. pag. 243. 244.

Neque obeſt quòd de his parùm in Synodo actum, ſive curiales reformationem eluſerint, ſeu Patres, negotiorum mole obruti, ſecuturo Concilio multa reſervârint. Neque enim hìc inquirimus quid geſtum ſit, ſed in Seſſionibus IV. & V. quæ mens Synodi fuerit. Certè conſtat eam fuiſſe mentem, ut vel maximè reformatio fieret. Ergò etiam conſtat eam fuiſſe mentem, ut indubitatus, & ab ipsâ Synodo conſtitutus Papa, quàm maximè Synodo obediret. Nec eluſa reformatio probat Synodi autoritatem infirmam, ſed fortè hominum animos nimiùm fuiſſe perverſos.

Huic probationi magnum robur accedit ex articulo XIII. octodecim illorum, qui Seſſione XL. propoſiti ſunt: *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi*. Atque equidem miror, quoſdam Lovanienſes aliosque cenſores noſtros eo loco abuſos, ut Seſſionem V. everterent: quaſi ſancta Synodus Seſſione XL. omnibus jam obedientiis congregatis in integro reliquerit, an Papa in Concilii poteſtate eſſet. Neque adverterunt ea, quæ Seſſione V. generatim deſignata eſſent, *de Pontifice* ſcilicèt *debitè puniendo*, Seſſione XL. plenè atque integrè perficienda proponi, expoſitis ſpecialibus cauſis atque agendi modis; quæ adeò non pugnant cum iis, quæ Seſſione V. geſta erant, ut alterum alteri neceſſariò conjunctum colligatumque ſit. Porrò certiſſimum eſt Seſſionis XL. decretum ita eſſe conditum, ut poſt extinctum ſchiſma, & ſub indubitato Pontifice valeret. Ergò Seſſionis V. decreta, ex mente Concilii, etiam extincto ſchiſmate, & ſub indubitato Pontifice valitura erant. Ibid. Diſquiſ. p. 30. & 65. Doct. Lovan. pag. 70. 71.

CAPUT XIX.

Recapitulatio eorum quæ de mente Concilii dicta ſunt: ſolutio objectorum cap. III.

PROFECTÒ hæc Concilii mens, hic ſenſus: ac ſi, malis urgentibus ac prævalentibus, tanti Concilii, de reformatione ad unguem perficiendâ, vota fruſtrata ſunt; certa tamen fundamenta, quibus ea niteretur, poſuiſſe juvabat. Denique ſi quis diligenter antedicta perpenderit, quove ſtatu res Eccleſiæ eſſent, quidve illa optaret, quidve metueret, & quo indigeret, tot malis undecumque prementibus, & infando ſchiſmate ad cumulum ferè auctis, facilè intelliget, quàm ad ſananda Eccleſiæ vulnera pertineret, ne ad ſolum ſchiſmatis, aut dubii Pontificis tempus proviſa remedia, ipſaque adeò Concilii decreta traherentur. Et ipſum quoque ſchiſma aliud poſtulabat, cùm unicuique factioni addicti, ſuum Pontificem pro certo jactarent, ac Pontificii nominis autoritate mali abuterentur, boni etiam plerique turbarentur; atque inter ſchiſmatis mala, ac prodendæ Pontificiæ Majeſtatis metum fluctuarent. Quas inter anguſtias, tantaque præſentia & ingruentia mala, ſi Patres Conſtantienſes ſibi aſſeruiſſent ſupremam poteſtatem in dubios tantùm Pontifices, næ illi Eccleſiæ morbis inane remedium attuliſſent. Quare dubii Pontificis, nullâ vel tenui mentione factâ, altiore & communiore ratione ſubnixi decreverunt: *Quemcumque hominem, quâcumque dignitate, Papali etiam, cuicumque Concilio ſubjici oportere*; ut poſteà omnes Chriſtiani, quocumque tempore, & quocumque rerum ſtatu, ſive in ſchiſmate, ſive extra ſchiſma, ſeu dubium Pontificem, ſeu certum eſſe crederent, ſupremam Conciliorum agnoſcerent poteſtatem, in eâque acquieſcerent. Quod quidem ſancta Synodus eò luculentiùs & firmiùs declarare ac definire teneretur, quia pars malorum maxima indè provenerat, quòd multi non ſatis Synodo Piſanæ crediſſent. Jam verò his explicatis, nihil eſt facilius quàm adverſariorum omnia argumenta, atque axiomata in eorum caput retorquere.

Diſquiſ. n. 80. vid. ſup. cap. iij. Nempè his agebant regulis: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi.* Nos verò id fecimus, atque ex cauſis quibus collecta eſt Synodus; cùm illæ, non ad ſchiſmatis tantùm, aut ad dubii Pontificis tempus, ſed ad omnia Eccleſiæ tempora referantur, ejus quoque decreta ad omnia tempora, patere docuimus.
Ib. n. 81. *Ex contextu facienda eſt interpretatio.* Nos verò geſta omnia ab ipsâ origine repetita revolvimus, atque hinc doctrinam & Pariſienſium & Eccleſiæ Gallicanæ fixam invictamque eſſe monſtravimus.
Ib. n. 80. *Ubi eſt apparens aliqua contradictio, capienda interpretatio eſt, quæ tollat contradictionem.* Id verò meminerint; id enim ſemper agunt, ut Synodi inter ſe decreta committant, nec unum ex alio elucident, ſed evertant. Sic ea quæ in Wiclefum à Synodo Conſtantienſi intorta ſunt Seſſione VIII. ſic reformationem Seſſione XL. propoſitam in ipſis Synodi Seſſionibus IV. &

V. decreta convertunt. Nos ita conciliamus omnia, ut ſibi cohærere, & eodem ubique tenore proceſſiſſe conſtet. Jam cùm ex optimis regulis, quas ipſi adverſarii adducebant, ſacro-ſanctæ Synodi mentem in Seſſionum IV. & V. decretis liquidò expoſuerimus, haud minùs luculenter earum Seſſionum invictam autoritatem adſtruemus.

CAPUT XX.

Seſſionibus IV. & V. æquè ac reliquis Concilii Oecumenici autoritas conſtat: an valeat Bellarmini reſponſio, earum ſeſſionum decreta, à Florentinâ & Lateranenſi Synodis antiquata?

AC primùm autoritas Seſſionum IV. & V. haud alio fundamento nititur, quàm quo tota Synodus; ipſo nempè Concilii titulo: *Sancta Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans*, &c.

Hæc de ſe ſtatim Synodus, prorsùs Synodorum generalium more. Quærimus à noſtris cenſoribus, an hunc titulum Seſſionibus IV. & V. detractum velint? Si velint, non Catholica, ſed mendax eſt Synodus, pro univerſali ſeſe venditans: ſi nolint, aut, volentes licèt, ipſa ſanctæ Synodi reverentia cohibet, fateantur neceſſe eſt, Seſſiones IV. & V. eâ autoritate niti, quâ nulla major eſſe poſſit.

Ait quidem Bellarminus, *Conſtantienſe Concilium, quantùm ad primas Seſſiones, ubi definit Concilium eſſe ſuprà Papam, in Concilio Florentino, & Lateranenſi ultimo reprobatum.* Anne expreſſo nomine Concilii Conſtantienſis, ut ſanè oportebat? Sic enim & Ariminenſis, & Epheſina illa neſaria Synodus expreſsè abrogatæ & condemnatæ ſunt. An igitur Florentina, aut Lateranenſis illa ultima Synodus, Conſtantienſem Synodum notavit ullo modo? Nuſquam. Sed, aiunt, contraria decreta protulit. Ergò jam non Concilio abrogatur autoritas: ſed ipſa Concilia quæ verâ autoritate conſtent, peſſimo exemplo inter ſe committuntur. Nos autem Conciliorum Florentini atque Lateranenſis decreta Conſtantienſibus eſſe contraria negamus & pernegamus; falsòque & temerè aſſertum id eſſe, prolatis geſtis ſuo loco demonſtramus. Hîc interim id querimur, novo more, atque à Catholicis Theologis alieniſſimo, Concilia Œcumenica opponi Conciliis Œcumenicis in eâ re, quæ ad Eccleſiaſticum dogma pertinet, negamuſque unquam in Eccleſiâ factum, ut alicujus Concilii, quod ſe pro Œcumenico geſſerit, quale illud falſum Epheſinum fuit, in alio Concilio Œcumenico, doctrina damnetur, niſi priùs ipſa Synodus antiquetur, mendaci Œcumenicæ titulo inſignita. Jam ſi Concilia inter ſe non concilianda, ſed committenda eſſent; quis Florentinum aut etiam Lateranenſe ultimum Concilium, tam paucorum Epiſcoporum, ac, dum celebraretur, vix extra Urbem notum, Conſtantienſi anteponat, ubi teſte Bellarmino, *Patres ferè mille*; atque in his *Epiſcopi ampliùs trecenti* adfuerunt; tanta hominum co-

Bell. lib. de Conc. & Eccl. c. vij.

Ibid.

Vid. Cochlæ. lib. j. hiſt. Huſſ. & al. hiſt.

pia, ut eos Conſtantia urbs tanta non caperet, quemadmodùm hujus temporis teſtantur Hiſtorici; quos inter eminebant tot ac tanti Cardinales Romanæ ſedis atque potentiæ ſtudioſiſſimi. Quis, inquam, æquus Judex tam ſancto conventui, ubi exitiale ſchiſma extinctum, & res Eccleſiæ in pace ſunt compoſitæ, ex ipſo ſtatim titulo non afferat autoritatem?

At enim non omnes, ſed primæ tantùm Seſſiones abjiciuntur. Quaſi verò nihil ſit, ipſa tantæ Synodi fundamenta concutere, idque ex proprio ſenſu, nullâ Synodo, nullo autore Pontifice. Quid verò non liceat, ſi hæc licent? Verùm omittamus certa licèt præjudicia, atque adverſariorum objecta diluamus.

CAPUT XXI.

An Seſſionum IV. & V. dubia ſit autoritas, quod duæ obedientiæ defuerint? An JOANNIS XXIII. *obedientia tertia pars Eccleſiæ fuerit? An* JOANNES XXIII. *aut alii Seſſionibus IV. & V. contradixerint?* JOANNIS TURRECREMATÆ *&* JOANNIS GERSONIS *loci.*

Doct. Lov. p. 77. Bell. lib. ij. de Conc. cap. xix. Turrec. de Eccl. lib. ij. cap. xcix. vid. Diſſert. præv. num. xxxix. & xli.

AIUNT: Non erat tum generale Concilium, cùm tantùm adeſſet tertia pars Eccleſiæ. [*Quæ alibi fusè diximus ut oſtenderemus abſurdum eſſe Eccleſiæ tertiam partem tantùm dicere tot populos tantaque Regna, quæ Joanni XXIII. obediebant, hîc iterare non eſt neceſſe.*] Inter illa Regna erat Hungaricum, miſſo quoque Legato pro toto hoc Regno Lamberto de Grolia; quod ideò annotamus, ut intelligant cenſores noſtri, Majores quoque ſuos cum noſtris Majoribus, in unam ſententiam conveniſſe. Harum Nationum Regnorumque Antiſtites ac Legatos in eo catalogo legimus, quo deſcripta ſunt illorum nomina, qui fœdus Narbonenſe (*ſ*) cum Aragonenſibus pactum approbârunt.

Concil. Conſt. ſeſſ. xx. p. 190.

Ib. p. 183. & ſeq.

Ut ut ſit, inquiunt, duæ obedientiæ deerant. Certè; ſed omnes convocatæ, & quidem autoritate veri Pontificis, & ex decreto Piſani Concilii generalis. An verò propter Hiſpanos, & Scotos, aut etiam Apulos damnatis Pontificibus adhærentes, perditam Eccleſiam oportebat; nec licebat, tot tantiſque Eccleſiis vero Pontifici obedientibus, perſonam agere Eccleſiæ, reſque ejus componere, aut earum agendarum fundamenta collocare? Eſto, fuerint excuſabiles, aut tolerabiles, qui Gregorio Benedictoque adhærebant. An propterea reliquam Eccleſiam, ipsâ nixam veritate, autoritate ſpoliabant, ac prohibere poterant, quominùs veris certiſque decretis, ſaluti animarum, atque extinguendo ſchiſmati provideret?

(*ſ*) *fœdus Narbonenſe.*] Nempe Narbone tranſactum fuerat inter Sigiſmundum Imperatorem & Ferdinandum Aragonum Regem, ut Epiſcopi qui Ferdinando parebant, certis conditionibus ſuo Benedicto obedientiam denegarent & Synodo ſe jungerent. Vid. tenor. capit. concord. tom. xij. Conc. p. 178. & ſeq.

Sed

Digitized by Google

Sed addit Bellarminus: *Non aderat tùm certus Papa in Eccleſia; ſine quo dubia de fide definiri non poſſunt.* Certus, quem omnes omninò reipsâ agnoſcerent, fateor: certus, qui meritò pro certo haberetur, & quem multò maxima pars Eccleſiæ reipsâ pro certo haberet, cæteris tantæ multitudinis comparatione perpaucis; nec ipſe Bellarminus inficias eat. Bell. loc. jam cit.

Inſtat: *In Concilio nullus erat Papa: Joannes enim XXIII. qui Concilium inchoaverat, jam inde receſſerat, cùm IV. ſeſſio haberetur:* quaſi è Concilio turpiter aufugiſſe, hoc eſſet Synodo abrogare poteſtatem. Atqui ipſe Joannes poſtridiè quàm abiit, miſſis ad Imperatorem & ad Synodum Legatis, *datâque creditivâ literâ* teſtabatur, *ſe propter ſanitatem corporis ſeceſſiſſe.* Hanc turpi fugæ excuſationem obtendebat; cæterùm *omnia impleturum quæ Synodo promiſiſſet.* Ib & Doct. Lov. p. 77. ex Turrec. Concil. Conſt. ſeſſ. iv. p. 20. 21.

Bellarminum ſecutus autor Anonymus doctrinæ Lovanienſium hæc addit: *Nec deſunt qui aſſerant, quòd non omnes illius primæ congregationis, conſenſerint illi decreto ſeſſionum IV. & V.* nec ipſe Joannes XXIII. adhibuit *conſenſum, vel autoritatem ſuam: dicitur enim fuiſſe conqueſtus, poſt abſceſſum ſuum aliqua eſſe decreta erronea & falſa adversùs autoritatem Romani Pontificis.* Hæc ille ex Joanne Turrecrematâ retulit. Quo loco multùm utuntur, qui noſtra impugnant, ac præſertim ille, qui de Libertatibus Gallicanis ſcripſit autor Anonymus. Atque is quidem laudat Joannem à Turrecrematâ Cardinalem, ut *de rei veritate optimè inſtructum, ac geſtorum ex parte oculatum teſtem, ac pro ſuo merito fide dignum.* Id prætermiſit, ab eo Cardinale hæc fuiſſe ſcripta poſt Baſileenſe diſſidium: quo tempore Turrecremata Eugenianarum partium anteſignanus, cùm Conſtantienſis Concilii autoritate premeretur, nullum videbat effugium, niſi, quoad poterat, Conſtantienſium canonum & ſenſum obſcuraret, & autoritatem infringeret. Itaque cùm acta publica deeſſent, ipſos etiam rumores aucupatus, ea ſcripſit quæ Joannes XXIII. coram oratoribus Gallicanis iratus effudiſſe diceretur. Jam verò quis dicat admittenda quidem ea quæ ab uno viro, eoque addicto partibus memorantur, contemnenda verò quæ ſunt in actis publicis expreſsè notata? Nempe hæc conſenſum & autoritatem publicam manifeſtè exprimunt, non item quod incertâ tantùm quorumdam relatione nititur. Nec verò aliud innuit Turrecremata, dum nullo tantæ rei appellato teſte, ſolùm ait: *Dicitur enim fuiſſe conqueſtus poſt abſceſſum ſuum aliqua eſſe decreta erronea & falſa adversùs autoritatem Romani Pontificis.* Hæc Anonymus repetit. At virum gravem non decet his moveri, quæ dicantur, & in aëra jactentur, dum interim ex actis ipſis Synodi, duo hæc conſtant; nempè ſeſſioni IV. ducentos Patres adfuiſſe; & ſeſſioni V. adſcriptum, lectis articulis, *Concilium eos uniformiter approbâſſe, & concludiſſe.* De Joanne verò XXIII. quid dicam, quem ex actis conſtet, etiam poſt fugam Synodo adhæſiſſe, ac poſteà iteratis vicibus ultro confeſſum *quòd turpiter à Concilio receſſerat; quòd vellet ſtare definitioni Concilii; quòd Conſtantienſe Piſani continuativum errare non poſſet; quòd Synodi ſententiam, etiamſi in ſe latam, cum birreti depoſitione acciperet, confirmaret, approbaret quantùm in ſe eſſet?* Quæ ergò Synodus intelligeret, eo vel invito per ſeſe valitura, quis eo quoque aſſentiente, valere negaverit? Doct. Lovan. p. 69. 73. 77. ex Turrec. De libert. &c. lib. v. cap. xv. n. 2. Concil. Conſt. ſeſſ. xj. xij. pag. 87. 88. &c.

Digitized by Google

Neque verò noſtrâ intereſt, quid ipſe Joannes privatim aut clanculum demurmuraverit; ſed quid ad Synodum apertè profeſſus ſit. Neque ego diffiteor ei adſuiſſe, ut Principibus ſolent, adulatores peſſimos, cùm ab Aliacenſi Cardinale notatum videam quemdam, *qui inter fautores & adulatores ejus, velut anguis in herbâ latitaret, qui eum lacte erroris nutrientes, ad exterminium deduxerunt.*

Pet. All. de Eccl. aut. p. 111. cap. iij. jam ſæp. cit.

Neque etiam moror quid illi Pontificis inſuſurraverint auribus fœdi adulatores; ſed quid ipſa Synodus votis communibus, atque ſuffragiis definiverit; quod unum inquirimus. Autor Anonymus, aliique paſſim mirum in modum ſe efferunt his Joannis Gerſonis verbis: *Ante celebrationem ſacroſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi, ſic occupaverat mentes plurimorum literalium, magis quàm literatorum iſta Traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæreticâ pravitate ſuſpectus vel damnatus. Hujus rei ſignum accipe, quia poſt declarationem, & quod urgentius eſt, poſt determinationem, & practicationem ejuſdem ſanctæ Synodi* (t) *inveniantur qui talia paſſim aſſerere non paveant.*

De libert. &c. lib. v. cap. xv. n. 7. Gerſ. de poteſt. Eccl. conſ. xij.

Quæ cur viri graves tanti faciant, non equidem hactenus intelligere potui. Quid enim novi quòd, ante rem definitam, in diverſam ſententiam multi abierint? Aut quis neſciat poſt res etiam definitas, non defuiſſe Synodis, etiam optimè geſtis, obtrectatores ſuos? Sanè quod Gerſon memorat: *Qui Conſtantienſia dogmata tuerentur, ante ſacræ Synodi celebrationem de hæreticâ pravitate ſuſpectos vel notatos*, ad Benedicti XIII. cui Galli parebant, tempora peſſima referendum. Is enim ſuperbiſſimus atque ambitioſiſſimus, qui contra ſe hiſcere auderent ac Synodum implorarent, diris devovebat, quod jam ex actis conſtitit. Atque hunc peſſimum morem, & ab alto imbibitum adulationis virus Gerſon irridens, *Traditionem* vocabat, qualem certè in Judæis improbavit Chriſtus. Ipſe cum cæteris veram, & Apoſtolicam Traditionem tuebatur. Jam qui hæc objiciunt, viderint an litigia judiciis, ipſiſque judicibus, in Eccleſiæ Catholicæ cœtu ſedentibus, obtrectatores anteponendos putent.

Vid. ſup. hoc lib. cap. ix. & S. Anton. tom. iij. hiſt. lib. xxij. §. v. & ſeq. & Rain. an. 1409.

(t) *poſt determinationem . . . Synodi;*] illâ etiam ſtante, quidam hæc aſſerere non verebantur: *Nec ab eo* (Papâ) *appellari, neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo ſubſtrahi . . . eſt aliquatenus poſſibile: hic ſolus ſymbolum fidei condere, hic ſolus cauſas ejuſdem fidei . . . tractare poteſt: ſolus . . . regulas, leges & canones condit: alioquin quidquid per alios diffinitur, decernitur, conditur, ſtatuitur, irritum eſt & inane.* Vid. loc. in text. citat.

CAPUT XXII.

Quòd inter Catholicos certum ſit, Concilium Conſtantienſe jam inde ab initio, & ante adunatas obedientias fuiſſe Oecumenicum: Bulla Inter cunctas *à* MARTINO V. ſacro approbante Concilio, *edita Conſtantiæ.*

DENIQUE, ut uno verbo totum negotium tranſigamus, judicata res eſt; totaque illa de duabus obedientiis abſentibus, deque ſeſſionibus nullo Pontifice habitis, argumentatio ſponte jacet. Nemo enim negat decreta ſeſſionum VIII. XIII. XV. circa Wicleſum & Huſſum, & circa communionem ſub unâ ſpecie, & circa Joannis Parvi propoſitionem de cædendis tyrannis, aliaque de fide, plenâ Œcumenicæ Synodi autoritate eſſe facta. Atque illas ſeſſiones æquè ac quartam & quintam conſtat eſſe celebratas, antequam omnes obedientiæ conveniſſent. Ergò ante conjunctionem illam, Concilii generalis apud Conſtantienſes valebat autoritas; ac ſeſſionum IV. & V. decreta pari cum cæteris poteſtate omninò conſtant.

Reſpondent, quæ adversùs Wicleſum, & Huſſum decreta fuerant, à Martino V. fuiſſe approbata, decretali *Inter cunctas:* nihil autem præterea ab eo Pontifice confirmatum. Diſq. pag. 21.

Verùm enim verò attendere debuiſſent nihil hîc novi decreviſſe Martinum: ſed quæ à Concilio Œcumenico, de Wiclefi atque Huſſi erroribus recte jam & ordine geſta eſſent, Epiſcopis & Inquiſitoribus exequenda mandâſſe. Id ipſius diplomatis probat ſeries. Hæc deinde Martinus V. interrogata ſubdit, quibus tentari debeat is, cujus fides ſuſpecta ſit: *Utrum credat quòd quodcunque Concilium generale, & etiam Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentet? Item quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe Eccleſiam univerſalem repræſentans, approbavit & approbat in favorem fidei & ad ſalutem animarum; quòd hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum, & quod condemnavit & condemnat, eſſe fidei vel bonis moribus contrarium.* Bull. *Inter cunctas* pag. 268.

En quod ſancta Synodus approbavit & condemnavit circa Wiclefi, Huſſique propoſitiones ſeſſionibus VIII. & XV. nondùm licèt adunatis obedientiis; en quod approbandum & condemnandum Martinus præcisè proponit, ut jam approbatum & condemnatum à Concilio Œcumenico, quod Eccleſiam Catholicam repræſentaret. Pergit: *Utrum credat quòd dicta condemnationes * per ſacrum generale Concilium ritè & juſtè facta ſunt: ritè*, quoad ordinem; *juſtè*, quoad rem ipſam, quod iterum iterumque inculcat & urget; ut quod in Concilio generali decretum, & peractum erat, jam obſervandum omnibus credendumque relinquatur. Qui ergò Concilio Conſtantienſi ante adunatas obedientias Œcumenicam detrahit autoritatem, non modò toti Synodo, verùm etiam Martino V. & fidei Catholicæ contradicit.

Ibid.

* Nempe Wiclefi, Joãnis Huſſi & Hieronymi a Praga.

Concil. Conſt. ſeſſ. xv. p. 144.

Neque verò his nocet, quod Martinus V. ſeſſionum IV. & V. nullam fecerit mentionem; neque enim aut memorat prolatam de Joannis Parvi hæreſi ſententiam, quæ haud minùs habetur pro Œcumenici Concilii ſententiâ: neque aliud quidquam præter ea, quæ in Wiclefum Huſſumque geſta ſunt. Quin etiam vidimus Bullæ, *Inter cunctas*, inſertam à Martino V. cenſuram Concilii in Wicleſi propoſitionem XLI. quâ cenſurâ conſtet, *Eccleſiam Romanam ita ſupremam eſſe*, quatenùs eo nomine *univerſalis Eccleſia*, *aut Concilium generale* intelligitur: Papam verò ita ſupremum, quatenùs *Primatum habet ſuper alias Eccleſias particulares*. Hæc exſcribit Martinus V. hæc ad fidem Catholicam pertinere intelligit. Quæ nos ex ſeſſionibus IV. & V. manâſſe, cum iiſque apta & connexa eſſe, luce clarius demonſtravimus: quo liquet Martinum V. iis ſeſſionibus aſſenſiſſe, qui connexa & conſentanea probaverit.

Sup. cap. xv.

Neque mirum. Ipſe enim Martinus, unus fuit eorum Cardinalium, qui ſubſcripſit cum aliis ei declarationi, quâ Papam Œcumenicæ Synodo ſubeſſe teſtabantur. Is eo fundamento nixus, in Piſano Concilio & Conſtantienſi, nunquam ab aliorum Patrum ſententiâ diſcrepavit. Itaque cùm Bullâ *Inter cunctas*, primarum ſeſſionum decreta, tanquam Œcumenicæ Synodi acta veneratur, id tantùm Pontifex mandat exequendum, quod Prælatus & Cardinalis cum aliis jam fecerat & conſtituerat.

Vid. Rain. tom. xvij. an. 1408. n. 9. ſup. hoc lib. cap. ix. diſſ. præv. n. xl.

Pari ratione ſolvitur ea objectio, quòd abſente Papâ, Synodi Œcumenicæ autoritas conſtare nequeat: cùm iis ſeſſionibus, quas Martinus V. totâ Synodo approbante, pro Œcumenici Concilii veris ſeſſionibus agnoſcit, haud minùs quàm ſeſſionibus IV. & V. Romanum Pontificem defuiſſe conſtet.

Quamobrem ruit funditùs illa objectio, quæ ex diverſis obedientiis nondum adunatis petebatur. Nec ullum periculum noſtrorum Pariſienſium ſententiæ imminet ab aliis obedientiis, quæ primùm unanimi conſenſu Bullam *Inter cunctas* Martini V. approbârint, tum declarationi ipſius Concilii Conſtantienſis primis ſeſſionibus ſuperſtructæ, in idem ædificium, atque omninò in idem corpus coaluerint; totamque ſacræ Synodi doctrinam imbiberint, cujus quidem doctrinæ, ſi quam partem ſuſpectam habuiſſent, nonniſi eâ expreſsè reprobatâ Synodo adhæſiſſent.

CAPUT XXIII.

An novæ Concilii convocationes, Gregorii *&* Benedicti *obedientiis Conſtantiam advenientibus, pacis ſtudio factæ, antecedentium ſeſſionum autoritatem infringant? Ac primum de ſuſcepto* Gregorio, *ſeſſione XIV.*

Doctr. Lovan. p. 69. 70.

Neque illa obſtat ab autore Anonymo *Doctrinæ Lovanenſium* aliiſque jactata, adunatis demùm obedientiis, nova Concilii convocatio, quæque ad eam mentem facta ſunt. Hæc enim ſunt Synodi, non de ſuâ auto-

ritate dubitantis, ſed Apoſtolicâ charitate ſuſtentantis infirmos. Jam quidem fortiores animæ, amborum contendentium, tanquam ſua quærentium jugum excuſſerant, ac maximam Eccleſiæ partem ad pacem adduxerant; ſed tamen infirmi ſupererant, qui ad hæc fortia exſurgere, aut ex obortis dubiis, quæ ſaltem probabilia viderentur, extricare ſe non poterant. Quid igitur agendum? Multi ſuadebant bello adigendos ad obedientiam; atque ea erat, quam *viam belli* vocabant. At Petrus de Alliaco, & Academia Pariſienſis, & optimus quiſque, & ſacroſancta Synodus, cruenta remedia reſpuebat. An igitur in fœdo ſchiſmate relinquendi? Alia omnia poſtulabat fraterna, ac materna charitas, & Apoſtolicum illud: ut *firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtineient*. Hinc novæ illæ convocationes admiſſæ ſunt, illæſâ Synodi autoritate, cùm nihil profectò lædat, quæ omnia potiùs ſanat, charitas. Append. tom. xij. Conc. pag. 1443. Rom. xv. 1.

Quare Seſſione XIV. cùm accederet ad Synodum jam Conſtantiæ congregatum Gregorii XII. obedientia; nova quidem facta eſt, ipſius Gregorii nomine, per ejus Procuratores convocatio & confirmatio. Sed poſtquàm ea omnia facta ſunt, Synodus ſic pronuntiat: *Eam convocationem, auctorizationem, approbationem, & confirmationem à Gregorio nunc factas, quantùm ad ipſum ſpectare videtur, in omnibus & per omnia admitti: quia abundans ad certitudinem pro bono, cautela nemini nocet, ſed omnibus prodeſt.* Hæc docent Synodum per ſe ſtantem, convocatam tamen à Gregorio, non quidem abſolutè, ſed *quantùm ad ipſum ſpectare videbatur:* neque ex neceſſitate; ſed *ex abundanti*. Concil. Conſt. ſeſſ. xiv. p. 107.

Eâdem ratione ſacra Synodus Joannis XXIII. jam depoſiti conſenſionem, & *quantùm in ipſo eſſet*, ſententiæ Synodalis confirmationem admiſit. Quas res Joannes Gerſon præſens, earumque pars maxima *ad cautelam & humili quâdam condeſcenſione factas*, & ipſe credidit, & coram totâ Synodo Concione habitâ prædicavit. Neque convocatorium Gregorii decretum in Provincias pro more miſſum eſt; ſed tantùm in Synodo lectum, ut ea convocatio ad œconomiam quamdam atque indulgentiam, non ad ipſam rei, ut vocant, ſubſtantiam pertineat. Sic Synodus ſuæ conſcia majeſtatis, & conſtantiæ retinens, infirmis quoque ac dubiis animis conſulebat. Ibid. ſeſſ. xij. p. 96. Gerſ. ſerm. de viag. &c. direct. iv. tom. ij. p. 275.

Eodem pacis intuitu, in eâdem Seſſione admiſſum eſt Gregorii de Papatûs abdicatione mandatum, cum hâc profeſſione, quòd cùm hunc Papatûs titulum *clarum certumque* haberet, permiſſum etiam ei ſit, ut quibuſcumque verbis Papatum tueretur, quem reipsâ abdicaret.

Quamobrem in eodem diplomate Procuratoribus ſeu Legatis ſuis facultatem dabat, *vice ſuâ convocandi & autorizandi generale Concilium, remotâ tamen*, inquit, *omninò Baltazaris præſidentiâ & præſentiâ:* quæ quidem ſancta Synodus nullo ſuo detrimento concedebat; cùm Joannes jam depoſitus ſententiæ acquieviſſet, cautumque eſſet, ne aut ipſe, aut Gregorius, aut Benedictus eligi poſſent. Concil. Conſt. ſeſſ. xiv. p. 106.

CAPUT XXIV.

Exemplum ſingularis in ejuſdem ſchiſmatis caſu indulgentiæ & condeſcenſûs.

SCILICET ut tuta præſtarent omnia, omnes in unum titulos congerebant, ne ex levi quoque ſcrupulo, tanquam ex tenui ſcintillâ, tota exoſi ſchiſmatis flamma reſurgeret. Quod tunc uſque adeò hærebat animis, ut Martinus V. duodecimo Pontificatûs anno, cùm per tot annorum ſpatium, ac totâ jam Eccleſiâ egregius ac ſtabilitus Pontifex coleretur, fictitii Clementis ceſſionem, Petri Cardinalis Fuxenſis operâ impetratam, magni beneficii loco duceret.

Hæc advertat lector diligens. Petrus de Lunâ in Conſtantienſi Concilio à tribus jam obedientiis anathemate damnatus, deſertuſque à ſuis penè omnibus, & tamen in Papatu tuendo ad mortem uſque obſtinatiſſimus, neſcio quem Ægidium, Munionem, Canonicum Barcinonenſem, ſucceſſorem habuit. Is anno 1422. Petro mortuo, à tribus Cardinalium larvis electus, Clementis VIII. nomen accepit. Tota illi Eccleſia, erat Paniſcolenſis rupes, in Cataloniâ caſtellum exiguum, extremum Petri de Lunâ ſchiſmatiſque perfugium. Favebat occultè Rex Aragonum Alphonſus, Martino V. infenſus, tantoque Pontifici inane Pontificis ſpectrum opponebat; totâ Eccleſiâ partim irridente, partim etiam indignante. Et tamen, ut ea larva è medio tolleretur, pace jam cum Alphonſo Rege factâ, miſſi Regii Oratores; in his Alphonſus Borgia, poſteà Calixtus * Pontifex Maximus, qui falſum Clementem ad abdicationem inducerent. Miſſus Petrus Cardinalis Fuxenſis (u) vir per eam ætatem, & genere, & rerum geſtarum gloriâ clarus, qui reliquias ſchiſmatis extingueret; cujus acta ſic habent apud Odoricum Rainaldum, ad annum 1429. *Dominus Ægidius in Seſſione publicâ, indutus Papalibus inſigniis, in caſtro Paniſcolæ, primitùs & antè omnia pro ſerenitate conſcientiæ ſuæ & ſuorum ſequacium, ut dixit publicè & ſolenniter, omnes proceſſus, ſententias, fulminationes & cenſuras, depoſitiones, inhabilitationes, per ſuum prædeceſſorem Benedictum Papam XIII. in ſuâ obedientiâ nuncupatum, & ipſum in ſuo prætenſo Pontificatu, contra omnes & ſingulos ei non obedientes, ſpecialiter contra Odonem de Columnis, quem ſecundùm eorum opinionem reputabant Antipapam & ſchiſmaticum, & omnes ſibi adhærentes, factas, pronuntiatas, & fulminatas per ſuas literas & prætenſas Bullas plumbeas expreſsè revocavit, & omnes illos, qui præfato Domino Odoni adhæſerant, & ſpecialiter ipſum Odonem de Columnâ ad omnes dignitates & hono-*

* III.

Rain. tom. xviij. an. 1429. n. 2.

(u) *Petrus... Fuxenſis*] è Franciſcanorum familiâ, natus annos xxij. ad Cardinalatum evectus eſt à Benedicto xiij. qui Comites Fuxenſes ſibi adjungi cupiebat. Petrus Benedicti partes egregiè fovit, uſque ad Concilium Conſtantienſe. Bis venit in Aragoniam pacis causâ, ac demum ſchiſma prolatum ab Ægidio de Munione omninò extinxit. Erat tunc Arelatenſis Archiepiſcopus & Vice-Legatus Avenionenſis. Vid. Gall. Chriſt. & tom. xij. Conc. p. 406. & ſeq.

res, & ſpecialiter ad Papatum habilitavit, reſtituit, & redintegravit. Deindè idem Ægidius propoſuit ſolenniter coram omnibus, qualiter electus ab ibidem præſentibus ſuis fratribus, prætenſis Cardinalibus, Papatum recepit; non ad alios fines, quàm ad hoc principaliter, ut per ejus medium, Dei Eccleſiæ vera & indubitata unio ſequeretur: etiam à primis diebus ſuæ novæ aſſumptionis ad Apoſtolatum veraciter in animo diſpoſuit, pro tanto bono unionis Eccleſiæ Dei, ſpontè & liberaliter ſe velle renuntiare honori & officio Papali. Quod reverâ præſtitit, *confitens expreſsè viam renuntiationis hujuſmodi, eſſe viam planiorem, utiliorem, ſecuriorem, & breviorem ad conſequendam veram & indubitatam unionem Eccleſiæ Dei.*

Quin etiam umbraticus Pontifex Bullam plumbeam ſuper ceſſione ſuâ edidit, ſub hoc titulo: *Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei*, cujus hæc verba referre placet: *Hinc eſt quòd nos propenſiùs attendentes, quòd quantò validiora, certiora & firmiora ſunt in hujuſmodi Apoſtolatûs officio jura noſtra, tantò laudabiliùs ea ducimus pro pace, ac redintegratione religionis Chriſtianæ relinquere.* Quo fundamento poſito hæc ſubdit: *Omni juri Papatûs, oneri & honori, ejuſque titulo & poſſeſſioni, ... quam habemus..... non vi, dolo ſeu metu; .... ſed ſimpliciter, purè, liberè, & ſpontè, ac ex certâ ſcientiâ, & de plenitudine poteſtatis, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon præſentibus... Alphonſi Regis Aragonum.... Ambaſſiatoribus..... cedimus & renuntiamus..... Papalia deponentes inſignia, ad efficaciam veræ ac deſideratiſſimæ unionis Eccleſiæ ſanctæ Dei..... Datum Paniſcolæ Dertuſenſis Diœceſis 7. Kal. Auguſti, Pontificatûs noſtri anno quinto.* Prorsùs eo more rituque, atque etiam verborum majore magnificentiâ, quam Angelus de Corario, ſeu Gregorius XII. abdicaverat. Vid. tom. xij. Conc. pag. 407.

Neque eo contenti fuere; ſed poſt eam abdicationem falſi Clementis, ejus Cardinales, tanquam vacante ſede, ad novum Pontificem eligendum, locum Conclavis poſtulârunt, quo pro more concluſi, *nemine diſcrepante, per viam Spiritûs ſancti, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Odonem de Columnâ, in ſuâ obedientiâ nominatum Martinum V. quem ipſe Dominus Clemens..... ante ſuam ceſſionem, tollendo ſententias & proceſſus contra ipſum ratione ſchiſmatis latos, & factos, habilitârat, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, uſque ad ſummum Pontificium incluſivè, in Romanum Pontificem..... ac Beati Petri ſucceſſorem concorditer elegerunt.* Atque hujus electionis publicum inſtrumentum ab Alphonſi Regis Oratoribus Pontificio Legato ſtatim eſt traditum. Ib. p. 408.

Quid igitur? Niſi larva Pontificis Martinum V. *habilitaſſet* ad Pontificiam dignitatem, niſi loco ceſſiſſet: niſi umbratici Cardinales eundem Martinum elegiſſent, non ei tota ſua conſtabat autoritas, ac decreta Conſtantienſia fluctuabant? Abſit. Sed tamen hæc omnia facta ſunt, quòd Catholici ſpectarent, non ſolùm vera jura, titulorumque certam autoritatem, ſed etiam firmum & tutum conſenſionis effectum, ut infirmi nihil haberent quod jam mutire poſſent.

Quæ quidem cùm accepiſſet Martinus Pontifex, referente Rainaldo, *ingenti gaudio affectus eſt, datiſque literis, Legato Cardinali* plurimùm gra- Rain. an. 1429. n. 3.

Digitized by Google

tulatus ; Ægidium Munionem Baleari Epiſcopatu , Alphonſum verò Borgiam, quo ſuadente abdicaverat , Valentino Archiepiſcopatu donavit. Tantâ mercede eos honeſtavit , tantâque operâ, etiam profligato ſchiſmate , tamen ad muniendam pacem , inania etiam jura , inaneſque titulos conquirebant.

Vid. ſup. cap. præced. Non ergò mirum, ſi eodem adhuc vigente ſchiſmate , Conſtantienſes Patres Gregorio XII. tanta permiſerint ; cùm pariter declararent, *hanc convocationem, & autorizationem* Gregorii admittendam eſſe, *quantùm ad ipſum ſpectare videretur* : non quantùm ad Synodum , neque ex neceſſitate , ſed *ex abundanti* eſſe, ut & Gregorii ejuſque ſequacium ſcrupulis caveretur , & ſua interim ſacroſanctæ Synodo conſtaret autoritas.

CAPUT XXV.

De Seſſionibus XXII. XXVI. XXXV. quibus Aragonenſes, Navarrici & Caſtellani ſuſcepti ſunt.

EODEM animo actum cum Aragonenſibus , aliiſque Hiſpanis , qui rejecto Benedicto Sigiſmundi Imperatoris operâ , ex pacto Narbonenſi *(x)* Seſſione XXII. ac ſequentibus, Conſtantienſi ſe Synodo conjunxerunt : quæ compoſitio Narbonenſis, Conſtantiæ in Seſſione XX. lecta & approbata eſt ; ac poſteà , præſentibus Legatis Ferdinandi Regis Aragonum , Seſſio XXII. celebratur. Et ſtatim quidem decretum editur conſueto ritu : ſcilicèt , *ſacroſanctæ generalis Synodi (y) Conſtantienſis* nomine : mox uti fœdere Narbonenſi pactum erat , depoſito titulo , datæ ſunt ad eundem Regem Aragonum , nomine *Cardinalium , aliorumque Prælatorum, Conſtantiæ in Chriſti nomine congregatorum* , literæ , quibus eum ejuſque Prælatos Conſtantiam convocarent. Quo facto , Oratores Regis Aragonum , eos à quibus ipſi convocabantur, *Prælatos & cæteros Dominos* Conſtantiam convocabant : qui ſcilicèt jam præſentes aderant , totoque Orbe conſcio, plus annum integrum Conciliari poteſtate agebant , reſponſumque eſt ſtatim à Patribus Conſtantienſibus : *Nos dictam convocationem acceptamus.* Continuò, nec dimiſſis in Aragoniam aliaſve Provincias novæ convocationis literis, nedum expectato reſponſo , mutua facta conjunctio eſt ; ac ſancta Synodus multa decrevit , ſub titulo conſueto , *ſacroſanctæ generalis Synodi Conſtantienſis*

Vid. Conc. Conſt. ſeſſ. xx. p. 178. Ibid. ſeſſ. xxij. pag. 192. 193. Ib. p. 195. Ibid. Ib. p. 196.

(x) *ex pacto Narbonenſi.*] Sic in illo pacto ſtatuitur capit. j. *Quòd convocatio fiat per Prælatos ... in dicto Concilio Conſtantienſi exiſtentes , de Regibus & Principibus ... & Prælatis ... de obedientiâ D. Benedicti ... & vice versâ : quòd præfati domini Reges & Principes obedientiæ D. Benedicti facient literas convocatorias ad Prælatos ... de Concilio Conſtantienſi ... vel per ſuos Ambaſſiatores.* Vid. p. 178.

(y) *generalis Synodi.*] Vocabulum *generalis* abeſt ab eo decreto, ſaltem in excuſis codicibus ; neque tamen inde minus eſt firma D. BOSSUET argumentatio. Nam ſacra Synodus titulum *generalis* deponit quidem , *condeſcendentiæ* causâ , ut aiebant , illum ſtatim reſumptura. Præterea obſervandum eamdem Synodum ſeſſione xiv. Procuratoris Gregorii xij. admiſiſſe convocationem ad Concilium generale , aſſumpto conſueto ſuo titulo. Notanda verba exſcribam : *Sacro-ſancta generalis Synodus Conſtantienſis ... convocationem , autorizationem ..., nomine illius domini , qui in ſuâ obedientiâ dicitur Gregorius xij. nunc factas ... admittit.* Vid. p. 107.

tienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata : ut unâ in Seſſione , ſi ſpectes titulos, Synodus ter ſortem mutaverit. (z)

Ac ne Aragonenſes Antiſtites generali Synodo deeſſe putarentur, ibidem promulgatum eſt ſacri Concilii decretum : ut Regis Aragonum Oratores, non Provinciarum delegatione, ſed ipſius Synodi autoritate ſic agerent, atque in Synodo ſententiam ferrent , ac ſi omnes earum partium repræſentarent Eccleſias; quæ non ex Eccleſiaſticâ diſciplinâ , aut rei veritate, ſed οἰκονομικῶς, ac pacis gratiâ, ſummâque indulgentiâ & condeſcenſione facta eſſe , res ipſa clamat. Ibid.

Eodem ritu modoque Legati Navarræ Regis *, Seſſione XXVI. ac Joannis Regis Caſtellæ & Legionis , Seſſione XXXV. ſuſcepti, utrâque Seſſione nova ſit convocatio. Iterùm Synodus Œcumenicæ titulum deponit , ſtatimque reſumit ; atque interim interjectæ Seſſiones Œcumenicæ Synodi titulo celebrantur; quæ res omnibus Seſſionibus, jam indè ab initio univerſalis Synodi nomen dignitatemque aſſerit. Nam ad ipſam quidem, quæ ſe ab initio pro univerſali gereret, omnes accurrunt, ipſa immota ſtat : atque illa, ſuæ licèt conſcia dignitatis, id infirmis tribuit, ut venerandum nomen, terque quaterque deponere videatur; ſed ut majore ſemper conſenſione recipiat. An igitur toties, atque etiam in unâ, ut vidimus, XXII. Seſſione, Œcumenica eſſe & perſtat, & deſinit, & incipit? Neutiquam. Sed οἰκονομικῶς, pacis atque infirmorum gratiâ, & nomen deponit, & rem tuetur. Et quemadmodùm ſacra Synodus, licèt in gratiam Caſtellanorum ultimò adventantium, Seſſione XXXV. nomen Œcumenicæ tantiſper depoſuerit; tamen haud immeritò illud acceperat, & Seſſione XXVI. in quâ Navarrici, & XXII. in quâ Aragones acceſſere. Sic, tametſi eum titulum in Aragonenſium gratiam tantiſper dimiſerit, haud minore jure illum acceperat, & Seſſione XIV. accedente Gregorio, & ante eam Seſſionem, ab ipſo convocationis & celebrationis initio.

* Caroli. Ibid. ſeſſ. xxvj. & xxxv. pag. 207. & 224.

Vid. ſeſſ. xxij.

CAPUT XXVI.

Ex ipsâ rerum ſerie antedicta confirmantur.

QUIN ipſe rerum tenor eam œconomiam probat, quam aſſertum imus; Neque enim aut Gregorius, ejuſve, ſeu Benedicti aſſeclæ, cùm ad Synodum accederent, id ſibi vindicârunt, ut antè geſta velut ad incudem revocarent; aut ab iis poſtulatum, ut ea, tanquam eſſent infirma, vel dubia, approbarent, rataque habere vellent; ſed ea omnia, non aliter quàm ipsâ rerum ſerie & conſecutione firmantur. Id ipſa in Benedictum geſta manifeſtant. Certè enim poſt ſuſceptos Seſſione XXII. Aragonenſes, Seſſione

(z) *Synodus ter ſortem mutaverit.*] Nempe initio ſeſſionis p. 192. *ſacro-ſancta Synodus Conſtantienſis* appellatur: deinde p. 193. *literas* dat *convocatorias* ad Regem Aragonum ſub nomine *Cardinalium & Prælatorum in Conſtantiâ congregatorum :* denique p. 196. condit decreta, reſumpto ſuo titulo, *ſacro-ſancta generalis Synodus* &c.

XXIII. adverſùs Benedictum juridica *informatio* decernitur, idque ſub Œcumenicæ Synodi titulo, nihil expectatis Navarricis, prope diem, Seſſione ſcilicèt XXVI. adventuris: quibus advenientibus, novâ licèt convocatione factâ, ac depoſito tantiſper Synodi Œcumenicæ titulo, non tamen antè geſta iterantur; ſed tenore ſuo cauſa procedit. Itaque Seſſione XXIV. Benedicti *citatio* promulgatur: Seſſionibus XXIX. & XXXIII. declaratur contumacia: Seſſione XXX. ſubtracta Benedicto obedientia approbatur, aliaque multa fiunt maximi ad cauſam ponderis. Quæ omnia, Caſtellanis adventantibus, Seſſione XXXV. novâque Concilii convocatione promulgatâ, adeò non infirmantur, ut ſtatim Seſſione XXXVII. ultima & peremptoria adverſùs Benedictum ſententia pronuntietur: quæ tamen non valeret, niſi & informatio, & citatio, & contumaciæ declaratio anteà valuiſſent. Certum igitur eſt, novis illis Synodi convocationibus, pacis ſtudio ex indulgentiâ factis, nihil ipſius Synodi autoritatem infringi; idque agnitum ab iis etiam, qui eas fieri poſtulâſſent.

Quòd ſi reſpondetur, valuiſſe illa quidem, ſed tamen ex conſenſu tacito Navarricorum, aut etiam Caſtellanorum, qui ultimo loco advenerint; quamquam id abſurdum eſt, tamen ad rem noſtram ſufficit. Sic enim omninò conſtat quæcumque ab initio à Joannis XXIII. obedientiâ geſta, ea, advenientibus reliquis obedientiis, ipsâ conjunctione ac rerum proſecutione valuiſſe. Neque enim retractatum quidquam de rebus anteà, atque ab initio ipſo in Synodo geſtis; neque magis de ſeſſione VIII. actum eſt, ubi damnatus Wiclefus, ante ſuſceptum Gregorium, aut de ſeſſione XV. ubi damnatus Huſſus, proſcriptaque propoſitio Joannis Parvi de cæde tyrannorum ante Hiſpanos adunatos, quàm de IV. & V. ſeſſionibus, ubi Conciliorum ſupra Pontificem declarata eſt poteſtas. Nihil, inquam, de iis actum, nihil retractatum fuit; ſed ipsâ conjunctione membrorum Eccleſiæ, hæc atque illa decreta æquè firmata ſunt.

Neque objicias, ideò conſtitiſſe facta adverſùs Wiclefum Huſſumque decreta, quòd Bulla, *Inter cunctas*, quâ hæc decreta firmantur, omnibus obedientiis adunatis, Sacro approbante Concilio, ſit edita. Hoc enim ipſum eſt, quo vel maximè vicimus, cùm demonſtratum fuerit, Wiclefi & Huſſi
Vid. ſup. cap. xxij. propoſitiones ita referri in Bullâ, *Inter cunctas*, non ut quæ tunc à Synodo generali damnentur; ſed ut quæ jam anteà à Synodo generali, Conſtantienſi ſcilicet, quod univerſalem Eccleſiam repræſentaret, damnatæ atque proſcriptæ ſint: quod cùm approbârint Gregoriani, atque Hiſpani Præſules, nihil aliud egerunt, quàm ut ſeſſiones, ipſis quoque abſentibus, celebratas, ut veri Œcumenici Concilii ſeſſiones & acta approbarent.

Non ergò ab illis requirendum fuit, ut ſeſſionum IV. & V. decreta expreſsè approbarent, cùm præſertim ea eſſent, quibus univerſa Synodi acta, & ante adunatas, & poſt adunatas obedientias niterentur. Hoc fundamento nixi Hiſpani, cum reliquâ Synodo Benedictum ſuum deponebant; quem
Vid. Capitul. Narbon. cap. iij. ſeſſ. xx. p. 179. uſque adeò pro vero certoque habebant Pontifice, ut Synodo declararent, non poſſe ullum à ſe pro Pontifice agnoſci, niſi Benedicto mortuo, vel renuntiante, vel depoſito canonicè. Ergò eum à Synodo deponi, ejus ſententias, ejus anathemata ſolvi poſtulabant, atque ita ex decretis ſeſſionum

Digitized by Google

IV. & V. ipſum Pontificem, à ſe verum habitum, Synodo ſubmittebant. Ib. cap. iv. p. 180.

Neque alio ex fonte illa repetita toties de reformatione decreta manârunt. Neque enim eam in capite & membris fieri, una Joannis XXIII. obedientia; verùm id vehementiſſimè, & Gregoriani ſeſſione XIV. & Hiſpani Benedicti aſſeclæ ſeſſionibus XX. & XXII. poſtulabant. Denique quoties aliqua Eccleſiæ pars Conſtantienſi ſe Synodo adjungeret, toties inculcatum, ut in capite & membris fieret reformatio; idque Sacræ Synodi autoritate, quæ proinde Caput ſuum ſuâ poteſtate ſuiſque decretis comprehenſura eſſet.

Huc ſpectant ea decreta, quæ omnibus obedientiis adunatis, unanimi conſenſu ſunt promulgata. Unanimi conſenſu três obedientiæ unitæ protulerunt caput illud, *Frequens*, aliaque capita, ubi futuris quoque certis Pontificibus legem dictam demonſtravimus. Unanimi conſenſu, à Papâ eligendo, unà cum Concilio, reformationem etiam in capite faciendam decreverunt; neque antequàm fieret, Synodum diſolvendam. Unanimi conſenſu compegerunt octodecim illos reformationis articulos, quibus Curiam Romanam, uti prædiximus, coercitam volebant; quæ omnia demonſtravimus, non niſi ex iis decretis manare potuiſſe, quæ Concilio Pontificem ſubjicerent; nihil ut à tota Synodo magis ſtabilitum, inculcatumque fuerit; certumque omninò ſit, Patres Conſtantienſes, quotquot ſunt, qui diverſis temporibus ſacro ſe conventui adjunxerant, omnes in omnibus, ut communione, ita ſententiâ & doctrinâ conveniſſe. Seſſ. xxxix. p. 238. Ib. ſeſſ. xl. p. 243. Vid. ſup. cap. xvj. xvij. xviij.

Et certè ſi à Concilio Conſtantienſi, ſeſſionibus IV. & V. prolata doctrina, ferè hæretica eſt, ut Bellarminus; ſi Schiſmatica ſaltem, aut periculoſa, ut quidam alii haud minùs inconſideratè jactant, favebant hæreſi, favebant Schiſmati, quotquot ſupervenerunt, quotquot adhæſerunt, quotquot communicaverunt, longè magis, quotquot conſentanea decreverunt, ac tali fundamento nixi ſunt; atque omnes obedientiæ, totaque Eccleſia eâ communione & conſenſione commaculata, hanc labem eluere nullâ ratione queat. Martinus quoque V. ipſe Schiſmaticorum non modò communicator, ſed etiam approbator, Romanam eâ labe conſpurcavit Eccleſiam; quippe qui Schiſmaticos, & ſuum, Petrique, ſi cenſoribus noſtris creditur, Primatum evertentes, non modò conſortes habuerit, cùm eſſet Cardinalis, ſed etiam poſtea ad ipſam Petri Sedem capeſſendam autores ſecutus, eoſque jam Pontifex ſuâ charitate complexus, inſuper editâ Bullâ, *Inter cunctas*, tribus jam obedientiis adunatis, eorum cœtum tam perſpicuè ac toties, ab ipſis quoque initiis Concilii Œcumenici nomine celebrandum putavit. Bellar. de Conc. aut. lib. ij. cap. xvij.

CAPUT XXVII.

Antiquæ Eccleſiæ exemplis Concilii Conſtantienſis œconomia aſſeritur.

JAM ad eam, quam tuemur, Concilii Conſtantienſis œconomiam, atque indulgentiam aſſerendam, ex ipſâ antiquitate exempla prodeant. Primùm Epiſcopi Africani, ductore potiſſimùm Auguſtino, maximo illo poſt Apoſtolos charitatis & autoritatis Eccleſiaſticæ aſſertore. Hi ergò cum Dona-

Tom. ij. Conc. pag. 1352. geſt. 1æ. coll. Carth. vid. inter Aug. ep. cxxviij. tom. ij. p. 377. & ſeq.

tiſtis ſchiſmaticis toties victis, toties ab Eccleſiâ & Imperio condemnatis, quaſi æquo jure diſceptant; nec verentur de Catholicæ Eccleſiæ cauſâ, ſub Marcellino Comite iterum litigare, hâc quoque ultrò conditione oblatâ: *Veritate confiſi illo nos vinculo conditionis obſtringimus, ut ſi nobis ii cum quibus agimus demonſtrare potuerint ..... ſubitò Eccleſiam Chriſti, neſcio quorum, quos iſti accuſant, peccatorum periiſſe contagio, & in ſolâ remanſiſſe parte Donati: ſi hoc, ut dictum eſt, demonſtrare potuerint, nullos apud eos honores Epiſcopalis muneris requiremus, ſed eorum ſequemur pro ſolâ æternâ ſalute conſilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognitâ veritate debebimus.* An cunctabundi, an dubii, an Catholicæ Eccleſiæ ejuſque autoritatis incerti, qui eam tot tantiſque documentis non modò certam, ſed etiam perſpicuam demonſtra-

Ibid. tom. ij. Conc. in append. p. 1353. ap. Aug. p. 379.

bant? Abſit. Verùm id agunt, *ut, ſi fieri poteſt, corda hominum vel infirma, vel dura, pia charitas aut ſanet aut edomet.* Advertatur illud, *vel infirma, vel dura*; ut nec ipſa pertinacia duros animos ab Eccleſiæ indulgentiſſimâ charitate poſſet excludere. Pergunt: ſi victores ipſi fuerint, pervicerintque

Ibid. pag. 1352. & ap. Aug. p. 378.

adverſus Donatiſtas, Eccleſiam non periiſſe, *ſic ejus*, inquiunt, *teneant unitatem, ut non ſolùm viam ſalutis inveniant, ſed ne honorem Epiſcopatûs amittant.* Hinc illa conditio, ut in quâlibet civitate Catholicus ac Donatiſta Epiſcopus, utrique pari jure, ſervato Epiſcopatu, *viciſſim ſedeant eminentiùs*; aut ſi populi Chriſtiani Epiſcopalis dignitatis ſtudio hoc refugiant, *utrique*, inquiunt, *de medio ſecedamus*, (aa) *& Eccleſiis ..... in unitate pacificâ conſtitutis ..... ſinguli conſtituantur Epiſcopi.* Sic victi victoreſque æquè loco cedebant, potioremque volebant eſſe Donatiſtarum conditionem, à quibus victoribus nihil ſibi honoris reſervari poſtulabant. An obliti Eccleſiæ majeſtatem? Nullo modo; ſed charitate & humilitate victi, reducendis ſchiſmaticis, contra Eccleſiaſticam diſciplinam, talia indulgebant. *Quid enim*, in-

Ibid.

quiunt, *dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in humana membra deſcendit ...... & nos, ne ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus?* Cùm ergò

(aa) *utrique de medio ſecedamus.*] Rem narrat Auguſtinus his verbis: *In Concilio penè trecentorum Epiſcoporum ſic placuit omnibus ... Duo ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret: unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberiùs auſus eſt, alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſteaquàm illum ſenem liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit.* De geſt. cum Emer. n. 6. tom. ix. p. 629.

Digitized by Google

hanc œconomiam erga perditiſſimos ſchiſmaticos pacis ſtudium ſuaſerit, an vererentur Conſtantienſes Patres, de ſublimi veluti ſolio Œcumenici Concilii tantiſper videri deſcendere, & cum fratribus æquo jure diſceptare, ut eos ab ſchiſmate revocarent, in quo plerique non malo animo, ſed infirmæ conſcientiæ ſcrupulis permanere videbantur?

Quid Cyrillus Alexandrinus? Nonne ille conſcripſerat adversùs Neſtorianam perfidiam duodecim illos anathematiſmos maximè Theologicos, atque veridicos, à ſede Apoſtolicâ, atque Œcumenicâ Epheſinâ Synodo aliquatenùs comprobatos? Nonne illos Theodoretus, juſſu Joannis Antiocheni, & omnium Orientalis Diœceſeos Epiſcoporum, omni execratione proſecutus erat? Nonne Orientalis Synodus eoſdem anathematiſmos ut hæreticos proſcripſit, Cyrillum & Memnonem ſacræ Synodi duces Epiſcopatu dejecit, totam Œcumenicam Epheſinam Synodum anathemate condemnavit? Quid poſteà? Facta pax eſt: quaſi æquo utrinque jure, rebuſque integris, nullâ anathematiſmorum Beati Cyrilli, nullâ Orientalis ſchiſmaticæ Synodi, nullâ etiam, ut paria omnia eſſe viderentur, Synodi Epheſinæ Œcumenicæ mentione factâ; idque tantùm actum, ut iis omnibus prætermiſſis, vera fides, & Eccleſiarum facta adunatio firmaretur. An igitur aut Orientalis Synodus ſtetit, aut anathematiſmi pro hæreticis habiti, vel Synodi Epheſinæ Catholica definitio concuſſa eſt? Imò hâc indulgentiâ vel condeſcenſione firmata; retulitque id in illo diſſidio pars ſanior & potior, non ſolùm ut veritate, ſed etiam ut charitate vinceret.

Vid in act. ant. & poſt Syn. Eph. tom. iij. Cõc. anath. Cir.ll. pag. 408. ejuſd. ep. ad Joan. Antioch. *Lætentur cæli.* p. 1105. & int. op. Cirill. edit. Pat. anath. tom. v. part. ij. int. ep. p. 76. 104.

Neque illud omittendum, quod à Magno Gregorio Papâ per mirificam indulgentiam Reginæ Longobardorum Theodelindæ conceſſum eſt. Ea nempè cùm quintæ Synodi occaſione, ſe ab Eccleſiâ abrupiſſet, ita ei Gregorius ſatisfieri voluit, ut laudatis tantùm quatuor primis Synodis, quibus ſumma fidei continetur, quinta Synodus ac trium capitulorum damnatio, ut minùs neceſſaria, taceretur; neque propterea quintæ Synodi, à ſe toties comprobatæ, autoritatem infregit.

Greg. Mag. indict. xij. lib. iv. al. lib. iij. epiſt. ij. ad Conſt. ep. Mediol.

Quo ſanctorum Patrum ſpiritu acta ſacra Conſtantienſis Synodus, ſui tantiſper oblita, ſed recordata pacis, ſuam autoritatem & omittit & firmat; ſeque verè probat Œcumenicam Synodum in Spiritu ſancto legitimè congregatam, dùm ſpiritu charitatis animata nihil prætermittit, quo Hiſpanicos faſtus delinire, aut duritiem frangere, aut infirmas conſcientias tranquillare poſſit.

CAPUT XXVIII.

Objectio ex defectu confirmationis petita diſſolvitur.

At enim, inquiunt, utcumque in unam eandemque ſententiam omnes obedientiæ concurrerint, non tamen valent Synodi Œcumenicæ nomine, niſi ea quæ Martinus V. prolato decreto expreſsè approbavit, confirmavitque. At Seſſiones IV. & V. Martinus V. non expreſsè probavit

prolato decreto; neque enim in Bullâ, *Inter cunctas*, eas Seſſiones confirmavit, ſed tantùm quæ adversùs Wiclefum Huſſumque geſta eſſent; & in ultimâ Seſſione Concilii declaravit, non à ſe omnia comprobari, ſed tantùm ea, quæ in materiâ fidei *Conciliariter* geſta eſſent: quo nomine Seſſionum IV. & V. decreta comprehendi negant. Denique non edidit generalem confirmationem Synodi, tametſi id ipſa Synodus poſtulâſſet. Hæc Turrecremata; hæc Bellarminus; hæc omnes alii jactant, in eoque vim maximam cauſæ reponunt. Nos prolatis geſtis nullo negotio diſſolvimus.

Concil. Conſt. ſeſſ. xlv. p. 258.

Ac primùm teſtamur, nihil à nobis refugi confirmationis Apoſtolicæ nomen ac vim; neque exiſtimamus Romanos Pontifices, cùm Synodos Œcumenicas legitimè habitas confirmant, ſuperiorem in eas exercere poteſtatem. Neque enim Romani Pontifices, Conciliorum tantùm, ſed etiam anteceſſorum ſuorum paſſim decreta confirmant; neque tamen iis ſuperiores ſe præbent, atque ut à Pontificibus Concilia, ſic à Conciliis Pontificum decreta confirmari in actis Eccleſiaſticis ubique legeris. Nec immeritò: confirmare enim Eccleſiaſtico ſtylo, conſentire eſt, & conſentiendo firmare. Quippè Eccleſiaſtica geſta atque decreta, ipſa unitas firmat, rerumque confirmatio eſt, ipſa teſtificatio unitatis, quæ nos ſuo loco diligentiùs, ut par eſt, exequemur.

Inf. lib. viij. cap. ij. & ſeq.

Verùm ad teſtificationem unitatis atque conſenſionis, adeòque confirmationis, non profectò neceſſe eſt ut expreſſa diplomata de confirmando prodeant. Martinum V. vidimus, cùm Otho Cardinalis eſſet, omnium quæque Piſis, quæque Conſtantiæ geſta eſſent, jam indè ab initio fuiſſe participem; & Pontificem factum, nihil eorum, quæ in Synodo geſſerat, retractâſſe; imò totâ Synodo approbante, eaſdem Seſſiones Concilii Œcumenici nomine honeſtâſſe. Neque neceſſe erat, ut poſt ſemel aſſertam, primis quoque Seſſionibus, Synodi generalis autoritatem, Seſſionum IV. & V. decreta expreſsè approbaret. Satis approbabat, qui decernentibus præſens communicabat, eorumque conventum pro Œcumenico Concilio agnoſcebat. Satis approbabat, qui Joanni XXIII. ex his ſanè decretis, ritè depoſito, ſuffici ſe patiebatur. Satis approbabat, qui caput, *Frequens*, ex earum Seſſionum autoritate valiturum & exequendum putabat. Satis approbabat, qui in Bullâ, *Inter cunctas*, & exſcripſerat, & exequendas mandaverat adſcriptas à ſacrâ Synodo articulo XLI. Wiclefiano cenſuras, quæ ad Seſſionum IV. & V. decreta neceſſariò referrentur. Satis denique anteacta approbabat, qui eorum autoritate omnibus præerat. Quin ipſum intereſſe, ipſum communicare, probare eſt: & niſi antiquitatem omnem, totamque vim canonum penitùs ignoramus, Romani Pontificis, præſentis maximè, atque inſuper collaudantis ipſa communicatio, validiſſima autoritas atque approbatio eſt. Quare nec verum eſt, quod aſſerunt, poſt electum Martinum, ſacram Synodum ab eo petiiſſe confirmationem decretorum ſuorum, more conſueto. Hoc enim in geſtis nuſquam apparet, neque Seſſionum VIII. & XV. contra Wiclefum & Huſſum prolata decreta, peculiari Pontificis decretali eguiſſent, niſi decuiſſet, quæ adversùs Wiclefianos & Huſſitas canonicè conſtituta eſſent, ad ordinarios exequenda tranſmitti. Undè damnatio propoſitionis: *Quilibet Tyrannus*, de cædendis

Sup. paſſ. & in Diſſ. præv. n. xl.

Doct. Lovan. p. 70.

tyrannis, decretali inſerta non eſt, eò quòd non eodem ritu exequenda videretur; neque eò minùs valet.

Quod autem ipſe Martinus, Seſſione ultimâ, jamque dimiſſis Patribus, declaravit, *in materiis fidei* à ſe probari ea quæ *Conciliariter concluſa eſſent;* Seſſ. xlv. id neque petente Synodo, neque ad cujuſquam inſtantiam, ſed occaſione p. 258. Polonorum, obiter atque aliud agendo dictum, geſta ipſa teſtantur. Supplicabant Poloni quemdam librum (*bb*), ut ferebant, *ritè damnatum tanquam hæreticum, per deputatos fidei, ac etiam per omnes Nationes Concilii, ac per Collegium Cardinalium concluſum..... in Seſſione publicâ, per ſacrum Concilium damnari, ſeu publicè damnatum pronuntiari.* His Papa reſpondet, *quòd omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materiis fidei per præſens Concilium* CONCILIARITER, *tenere & inviolabiliter obſervare volebat.... ipſaque ſic* CONCILIARITER *facta approbat, & ratificat, & non aliter, & alio modo.* Quare confirmatio à nullo petita, neque quo loco res erant, neceſſaria videbatur; & cùm Martinus declaravit, *in materiis fidei* quid probaret, reſ- Vid. c. ſeq. pondebat profectò ad Polonorum propoſitum, qui, de fide quærentes, reſponſum de fide retulerunt. Cæterùm ſatis conſtat, non hinc tantùm petendam eſſe Synodi approbationem; alioquin cùm hîc Martinus ſignanter addiderit: *de materiis fidei id à ſe eſſe dictum*, reliqua improbata manerent, ſuaque Joanni XXIII. Gregorio XII. Benedicto XIII. conſtaret autoritas: quin ipſe Martinus ſuam electionem infirmaret; cùm profectò quæ circa illa geſta ſunt, *ad fidei materias* non pertinere conſtet. Stat ergò Concilii certa confirmatio, ipſâ executione, ipſâ conſenſione, imò ipſâ Papæ præſentiâ; valerentque ea quæcumque *Conciliariter* geſta eſſent, tametſi Poloni nihil rogâſſent, ac Martinus non eam vocem edidiſſet.

CAPUT XXIX.

An ſeſſionum IV. & V. decreta iis accenſeri debeant, quæ MARTINUS V. *ut* CONCILIARITER *facta, confirmavit.*

NE quis tamen ſcrupulus ſupereſſe poſſit, addimus decreta ea Seſſionum IV. & V. de quibus agimus, & ad fidem pertinere, & *Conciliariter* facta eſſe.

Ad fidem quidem pertinent, quæ pertinent ad interpretationem divini Juris, & ad traditam immediatè à Chriſto Petri ſucceſſoribus, atque Epiſ-

(*bb*) *quemdam librum*] Joannes FALKEMBERG Ordinis Prædicatorum, qui in Concilio Conſtancienſi Joannis Parvi partes vehementiſſimè defenderat, ſcripſit adversùs Jagelonem Poloniæ Regem, quem ideò malè oderat, quòd ille in Livoniam venerat cum exercitu. In eo autem libro vitam æternam pollicebatur omnibus Chriſtianis, qui armis Jagelonem & Polonos extinguerent. Ergò Poloniæ Regis Legati petebant hunc libellum jam *ritè damnatum per deputatos in causâ fidei, ac etiam per omnes Nationes Concilii... in ſeſſione publicâ per ſacrum Concilium damnari.* Quod quidem abnuit Pontifex, ſive ne diutiùs prorogaretur Concilium, ſive quia exiſtimabat, propoſitione Joannis Parvi damnatâ, damnatum quoque eſſe hunc libellum, ſive quâlibet aliâ de causâ. Cæterùm Martinus V. Falkemberg in cuſtodiâ detinuit, quoadusque Poloniæ Rex ab illo negotio tandem deſtitit. Vid. de eâ re inſignem D. ARNAULD tractatum adversùs Schelſtratum, cui titulus eſt: *Eclairciſſemens ſur les Conciles generaux.*

Digitized by Google

copis in Concilio generali ſedentibus poteſtatem; neque Bellarminus aut alii diffitentur. (*cc*)

Sup. cap. ij. Quòd autem *Conciliariter* facta ſint, conſtat, cùm in publicâ Seſſione; imò in duâbus publicis Seſſionibus, prolata ſint, ut vidimus.

Et quidem adverſarii vocem hanc, *Conciliariter*, planiſſimam ac ſimpliciſſimam, per vim manifeſtam ad vana & aliena detorquent: nec tamen in unum convenire potuerunt. Sic nempè Bellarminus ludit, *Conciliariter* factum dici quod more Conciliorum, maturâ deliberatione factum eſſet; quaſi Martinus V. Conſtantienſis Concilii primis ſeſſionibus, quarum ipſe pars fuerat, indiligentiam exprobrare vellet. Alii vanum commentum aſpernati, *Conciliariter* geſtum dicunt, adunatis obedientiis geſtum; neque aliud quidquam à Martino probatum. Quaſi verò in Wicleſum & Huſſum & in Joannem Parvum geſta reprobentur, quæ ante adunatas obedientias geſta ſint.

Bell. lib. ij. de Conc. aut. cap. xix.

Sed profectò nos ludunt: Martinus enim *Conciliariter* geſta memorabat; vulgari & populari ſenſu, quem Poloni & omnes intelligerent, & ipſa rerum oſtendit ſeries. Nempe ad Polonorum reſpondet propoſitum. Illi namque petebant, quem liberum *à fidei deputatis, ac per omnes Nationes, ac per Cardinales condemnatum dicerent, eum in ſeſſione publicâ per Sacrum Concilium condemnari, vel condemnatum pronuntiari*; tanquam confecta res, ſuâ tantùm quâdam, ut ita dicam, formulâ veſtienda remaneret. Quæ Martinus refutabat; à ſe pro *concluſis, decretis, determinatiſque* haberi dicens, quæ *Conciliariter*, & in ſeſſione publicâ decreta fuiſſent; non ea perindè, quæ per congregationes, ſeu per Nationes, atque deputatos, vel etiam per Cardinales fuiſſent examinata: hæc enim tractata tantùm, digeſta, expolita, & quodam modo præparata, non autem decreta, concluſa, determinataque fuiſſe, aut ſolenniter & *Conciliariter* judicata, & per ſe perſpicuum eſt & geſtis conſentaneum.

CAPUT XXX.

BELLARMINI *ſenſus exploditur: an ſeſſionum IV. & V. decreta ſine examine debito proceſſerint.*

NEC piget hìc viri doctiſſimi Cardinalis Bellarmini Patrum Conſtantienſium levitatem & inconſiderantiam incuſantis memorare verba, quæ ſic habent: *Martinus V. diſertè dixit ſe confirmare ea tantùm decreta de fide, quæ facta erant* CONCILIARITER, *id eſt more aliorum Conciliorum, re diligenter examinatâ; conſtat autem hoc decretum ſine ullo examine factum à Concilio Conſtantienſi.* Hæc Bellarminus, cui ſuo more accinunt alii, ex ſcriptis Bellarmini verbis, atque ſententiis, & addunt, *Patres Conſtantienſes non*

Bell. loc ſup. cit.

Doct. Lov. pag. 73. ex Mald.

(*cc*) *neque Bellarminus aut alii diffitentur.*] Diffitetur Schelſtratus. Vid. Diſſ. Antuerp. cap. iij. p. 71. & Diſſ. iij. adverſ. Maimb. cap. iij. p. 177. & ſeq. Verùm hunc, non tam diſſertatorem quam vitilitigatorem, a nobis hìc confutari non eſt neceſſe; cùm præſertim D. BOSSUET hanc ita quæſtionem tractet, ut nullis tenebris obſcurari poſſit.

non commiſiſſe rem illam priùs examinandam, ſicut commiſerunt alias materias & quæſtiones, circa doctrinam Wicleſi & Huſſi, priuſquam ad determinationes procederent. Atque hæc, ſi Deo placet, Concilii decreta, duabus continuis ſeſſionibus repetita, tam deſtinatò facta, tam fundamenti loco poſita, tantâque omnium conſenſione munita, & inculcata, rebus annumerant, quæ in Concilio *obiter pertractata fuerant.*

Tria reponimus: primum illud; poſt rem à Synodo, expreſſo canone ac peculiari decreto definitam, periculoſiſſimo exemplo revocari in dubium, an de eâ rectè & maturè ſit deliberatum; atque hinc aperiri viam ad omnes canones, decretales omnes, omnia Concilia ſubvertenda.

Alterum; quòd id iſtâ quæſtione Polonorum, nihil de examine agebatur; illi enim affirmabant omnia examina præceſſiſſe. At Martinus ideò tantùm approbationem negabat ſuam, quòd res *Conciliariter*, atque in publicâ ſeſſione concluſa non eſſet.

Tertium, idque vel maximum; cæteræ fidei quæſtiones, puta Wiclefi, & Huſſi, quæ à Concilio certis deputatis examinandæ ſunt commiſſæ, infinitæ erant. Occurrebant enim ſe horum hæreticorum variæ & perplexæ propoſitiones, & omnigenûm errorum monſtra. Neque tantùm Wiclefi libri, & doctrina exitiabilis; ſed etiam autoris damnanda erat memoria, exhumandi cineres, ſcrutandi ſectatores longè latèque diffuſi, & occulti ulceris perſecandi ſinus. Tum Huſſus ipſe præſens confutandus, convincendus, ejuſque diſcipulus Hieronymus Pragenſis: horum artificum comprimendi lubrici lapſus dolique retegendi. At in ſeſſionibus IV. & V. ſimplex juris quæſtio, ardua illa quidem; ſed quæ ubique terrarum, in Galliâ præſertim, ad vivum reſecta, & innumeris libris, decretis, literis, conventibus Theologorum, Canoniſtarum, Univerſitatum, Antiſtitum eliquata, elucidata, certique fundamenti loco poſita erat, anteaquàm Patres Conſtantiam convenirent. Neque verò opus erat poſt tot ac tantos, ante Piſanum, & in ipſo Piſano Concilio, tractatus habitos, novis diſputationibus tempus terere, cùm extrema omnia imminerent; ſed explorata, & jam in Piſanâ Synodo aperta remedia expedire oportebat. Nihil ergò leviter, nihil præcipitanter actum: tantùm opportuna, imò verò neceſſaria, rebus in ſummum diſcrimen adductis, adhibita celeritas.

Quin etiam Conſtantiæ Petrus de Alliaco Cardinalis, Epiſcopus Cameracenſis, ſancti Conventûs lumen, & in dogmatibus explicandis omnium facilè Princeps, in eo libro, quem vigente Concilio, *de autoritate Eccleſiæ* ſcripſit, memorat quæſtionem de ſtabiliendâ Concilii autoritate ſæpe tractatam, *ſpecialiter in hujus Concilii initio*; extantque eâ de re Joannis Gerſonis Sermones coram Synodo habiti, qui ſeſſionibus IV. & V. præluxerunt. Atque omninò iſta tractabant, ut in quibus non aliqua pars, ſed ipſa ſumma Concilii collocata eſſet. Neque neceſſe erat ad ea explicanda deputatos nominari, ad quæ per ſeſe Patres omnes à toto decennio, maximè verò in ipſâ Synodo, attenti arrectique eſſent; nihil ut unquam fuerit vel doctrinâ elimatius, vel autoritate firmius, quàm id quod hoc de negotio à ſacrâ Synodo conſtitutum fuit.

Pet. Alliac. de Eccleſ. Côc. & R. P. ant. P. œm. app. tom. ij. Gerſ. p. 926. & ſeq.

Gerſ. ſerm. tom. ij. pag. 201. & ſeq.

CAPUT XXXI.

An illa formula, Sacro approbante Concilio, *Papam Concilio ſuperiorem probet.*

Doct. Lovan. p. 71. Diſq. p. 30.

PERMULTI adverſariorum magnam in eo vim faciunt, quòd poſteaquàm electus eſt Martinus V. reformationis decreta ſub ejus nomine ſunt edita. Nec jam edictum, ut anteà, *ſacro-ſancta Synodus*; ſed, *Martinus, ſacro approbante Concilio.* Non ergò jam in Concilio, ſed in Pontifice *ſuprema poteſtas; neque Concilium cenſuit ſe eſſe ſupra Papam, extra caſum ſchiſmatis, quo plures ſe pro Pontifice gerunt: alias non erat ratio mutandi formam decretorum de reformatione.* Ex quo inferunt Papam unum eſſe qui ſtatuat; vim decernendi in eo eſſe totam; Patres Conſiliariorum, non Judicum loco eſſe.

At hæc omnia vana ſunt; primùm enim mutatæ formulæ ratio manifeſta eſt, quòd ab aliquot ſæculis, Papâ quidem præſente, Conciliaria decreta ſub ejus nomine pronuntiari ſolerent, *ſacro approbante Concilio*, *ſacri approbatione Concilii*, *ſacro approbante & conſentiente Concilio*: quæ nihil officere ſuæ autoritati Conſtantienſis Synodus intelligebat.

Sup. lib. iv. cap. viij. — Sanè oſtendimus, quantùm illa differrent, *ſacro præſente Concilio*, &, *ſacro approbante & conſentiente Concilio.* Quid autem ſit approbare, quantaque ſit in eo autoritas, ipſi Pontifices atteſtantur, cùm ipſâ *approbandi* voce confirmant decreta. (Seſſ. xlv. p. 258.) Vel ipſum Martinum V. audiamus, de Concilii Conſtantienſis decretis hæc edicentem: quòd *omnia Conciliariter facta approbat, & ratificat*; quæ profectò adverſarii ad veram autoritatem pertinere contendunt. (Vid. lib. viij.) Ita cùm dicitur; *Martinus, ſacro approbante Concilio*, Martini decreta verâ autoritate firmantur; ſeſeque mutuò firmant Pontifex autor, & Synodus approbans; quòd ex eâ conjunctione capitis, atque membrorum, ut ſæpe dicemus, illud invictum Eccleſiæ Catholicæ robur exſurgat.

Alliac. loc. jam cit. part. iij. cap. ij. pag. 952. — Fuit autem quæſitum in Conſtantienſi Synodo, ante Papæ electionem, eo electo, quâ formulâ uterentur; an illâ recentiore, quam diximus; an eâ, quæ in antiquis paſſim Conciliis viſitur: *Sancta Synodus &c.* Alliacenſis Cardinalis ſcripto etiam edito docuit, ſeque & Theologos ita exiſtimare, antiquiorem illam formulam: *Placuit ſacro Concilio; ſancta Synodus ſtatuit, convenientiorem eſſe, & Theologiæ magis conſonam*; quippe quæ magis congruat formæ illi Apoſtolicæ: (Act. xv. 28.) *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: cæterùm ſecundam formulam, *ſacro approbante Concilio*, *convenientem* quoque eſſe; cùm eâ ſufficienter exprimatur certiſſima ratio, quâ judicanti decernentique Pontifici, Patres conjudicent atque condecernant.

Atque ita intellexiſſe Conſtantienſes Patres geſta declarant. Sic enim in Seſſ. xliij. p. 253. 254. — XLIII. ſeſſione, Papâ jam electo ac præſidente, legimus: *Pro cujus ſeſſionis introductione, reverendiſſimus pater Dominus Guillermus Cardinalis* ....

Digitized by Google

nonnulla decreta ſive ſtatuta per Dominum noſtrum Papam, ac Synodum facta (*dd*) *publicè perlegit ſub his verbis*; ſubditque decreta multa in hanc formam edita: *Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ſacro approbante Concilio;* quo liquidò demonſtratur, decreta in eam formam edita, haud minùs communi Pontificis, atque Concilii autoritate eſſe facta.

Neque illa poſterioris ævi efficiebat formula, ut Patrum ſententiæ minùs requirerentur. Eadem enim Synodus Conſtantienſis, Joanne XXIII. præſidente, ſic incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, ſacro approbante Concilio, ſtatuit ſeſſionem tenendam die veneris 16. hujus menſis.* Hinc ordo agendorum, *ſacro approbante Concilio*, deſignatur, lectaque ſchedula cujus verbis ipſa Bulla convocationis deſcripta erat, aliiſque decretis nomine juſſuque Papæ editis. *D. Cardinalis Florentinus altâ & intelligibili voce interrogans, ſciſcitatus eſt, utrum omnia & ſingula in ſupradictâ ſchedulâ contenta, ipſi ſacræ Synodo placerent? Ad cujus interrogationem omnes & ſinguli Prælati ..... concorditer..... reſponderunt, Placet:* quâ reſponſione factum ratumque intelligitur Conciliare decretum. Ant. ſeſſ. j. p. 10. Seſſ. j. p. 13. 14. 15.

In ipſâ etiam Concilii Ferrarienſis, poſtea Florentini, inchoatione ſolenni, lectum Eugenii Papæ decretum; quo lecto, geſta ſic habent: *Surrexit quidam ex parte Italorum & interrogavit Cardinales, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos & Clericos omnes, dicens: recipitiſne hæc, quæ ſcripta & lecta ſunt hodie coram vobis? at illi reſponderunt: recipimus & approbamus. Tunc interrogaverunt & Græci ſuos Præſules, ſimiliter, & reliquos omnes iiſdem verbis; & illi reſponderunt: recipimus & approbamus, & ſcripta fuit approbatio utriuſque partis, & indictum Concilium & ſeſſionum celebratio in urbe Ferrariâ.* En quid ſit Concilii autoritate edita probatio; en ut Synodus non tantùm Pontificis decreto; ſed etiam ſanctæ Synodi approbatione formetur & conſtet; quæ ratio ad cætera quoque decernenda ſpectat. Decr. Pap. ant. ſeſſ. j. Conc. Ferr. tom. xiij. p. 22. 23.

Quantùm autem ea formla cum Epiſcoporum autoritate conſtet, ex Synodis etiam Provincialibus diſcere eſt. Nam ſæculis poſtremis, initio ducto, ni fallor, ab anno 1314. in Senonenſi Concilio, decreta Conciliaria perſæpè in eam formam eduntur: *Nos* (N) *Metropolitanus, ſacro approbante Concilio.* Ergone Coepiſcopi Metropolitano Conſiliarii tantùm, non Judices, & aſſeſſores aſſiſtunt, non decernunt, non ſtatuunt? Abſurdum & inauditum; ac profectò ſtare Patrum ſententiam, etiam Archiepiſcopo reclamante, nemo negat. Nihil ergò intereſt, Synodine, an Pontificis nomine, approbante Concilio, ſententia proferatur; cùm in utrâque formulâ, unâ cum Pontifice Patres quoque ſtatuant, decernant, judicent, ſtetque ſententia communibus ſuffragiis. Conc. Parif. tom. xj. p. 1602.

Vel particulares Synodos audiamus, quæ, præſente Romano Pontifice, antiquis temporibus Romæ ſunt habitæ. Ubique inveniemus Epiſcopos, Papâ quidem autore, ſed tamen cum ipſo judicare, ſtatuere, decernere, definire; idque in decretis, id in ſubſcriptionibus poſitum. Cujus rei exempla plura ſuo loco afferemus; cætera innumerabilia lectoris diligentiæ re- Inf. lib. viij.

(*dd*) *Statuta per Dominum Papam & Synodum facta*] fuiſſe legimus etiam ſeſſione xlij. quæ prima celebrata eſt Martino V. præſidente.

linquemus. Adeo Epiſcopi ubique ſunt judices etiam præſente, præſidente, præeunte Pontifice; ac ſi in particularibus quoque Synodis, quantò magis in generalibus, quibus ipſa Catholica omnium fidelium mater repræſentetur Eccleſia.

CAPUT XXXII.

Prædicta reſponſa de dubio Pontifice etſi valeant, non tamen adverſarios expeditos eſſe, ac Pariſienſium ex Conſtantienſi canone vigere ſententiam.

HÆc igitur quæ hactenus de Concilii Conſtantienſis intelligentiâ & autoritate diximus, vera & ſancta ſunt; nec niſi per manifeſta ludibria eludi potuiſſe claruit. Addamus tamen ad cumulum: quantumlibet ea quæ adverſarii congerunt valere fingantur, nec ſic expeditos eſſe à Conſtantienſium canonum autoritate ſummâ. Utcumque enim adversùs indubitatos Pontifices infirma habeatur Conciliorum generalium autoritas, certe valet (& hoc adhuc ſupereſt contra cavillationes omnes) autoritas ea, quâ dubios Pontifices coercere poſſit. Alioqui contendentium & in ſchiſmate obſtinato animo perſeverantium contumacia, malum eſſet inextricabile, ad quod propellendum Eccleſiæ imbecillæ nullum præſidium Chriſtus relinquere poterit; aut, quod eſt adſurdius, nec ipſe voluerit. Redit ergò quæſtio, quâ poteſtate inſtructa Synodus ſchiſmaticos Pontifices cogat in ordinem.

Certè Conſtantienſis Synodus, quam eâ poteſtate efficaciſſimè ſummoque Eccleſiæ bono uſam eſſe conſtat, id fundamenti loco ponit: *Poteſtatem habere ſe immediatè a Chriſto*; quippe quæ *in ejus Spiritu legitimè congregata univerſalem Eccleſiam repræſentet*; alioquin qui Concilio obtemperaſſent, non Deo, ſed hominibus paruiſſent.

Atqui hoc ſemel poſito, quod ſine præfractâ audaciâ negari non poteſt, cætera omnia convaleſcunt. Cùm enim nulla ſit à Chriſto propriè ad ſchiſma tollendum Eccleſiæ Catholicæ ac Synodo generali eam repræſentanti attributa poteſtas, non aliunde in ſchiſmate conſtare poterit, niſi ex eo quòd ſit tradita, ubi neceſſitas requiſierit, quod unum Pariſienſes noſtri poſtulant.

Hìc ergò adverſarii oppidò conturbantur. P. Thyrſus Gonzalez eò redactus eſt ut contra ducentos Patres in Conſtantienſi Concilio infandi ſchiſmatis extinctores, palam negare audeat Concilium generale *eam poteſtatem habere immediate a Chriſto*: nec aliam videt apertam ſibi januam, niſi id, quo ſolo ſchiſma extinctum ſit & extingui poſſit, illud Eccleſiæ detrahatur. Reverendiſſimi Patris verba penſanda ſunt: *Concilium non habet eam poteſtatem immediatè a Chriſto, in eo ſenſu, in quo Papa certus immediatè à Chriſto Juriſdictionem in totam Eccleſiam, & ſacerdos habet poteſtatem ad conſecrandum, & Epiſcopus ad confirmandum & ordinandum. Non eo*, inquit, *ſenſu habet*. Quò ergò habet ſenſu? Quo jure à

Gonzal. Diſp. xiij. ſect. vj § v. n. 2. p. 681.

Nihilne per ſe Chriſtus contulit Eccleſiæ laboranti, quo ſeſe reſtitueret in priſtinam valetudinem? Chriſto autore Sacerdotes conſecrant, Epiſcopi ordinant, Papa quæ vult pracipit; at verò, ſi in capite æque ac in corpore, fœdo ſciſſa ſchiſmate laboret Eccleſia, nihil habet quod, autore Chriſto, agat aut jubeat? Sic enim ſubjungit: *Non enim habet Concilium eam poteſtatem, niſi mediante Eccleſia.* Ibid. Hæreo equidem ad inſolitam & inauditam vocem. Quid enim eſt Concilium, niſi ipſa Eccleſia adunata, collecta, repræſentata, totâ autoritate pollens? Non ergò Concilium mediante Eccleſiâ viget, quod ipſa Eccleſia eſt; habetque illud per ſeſe, quod habet mediante Eccleſiâ, cujus autoritatem & jus repræſentat & continet. Reliqua audiamus: *Non enim habet Concilium eam poteſtatem niſi mediante Eccleſia, quæ in cap.* SI DUO, *Diſt.* xxxix. *tribuit Concilio congregato tempore ſchiſmatis poteſtatem ad deponendos Papas dubios, & certum eligendum; & in cap.* SI PAPA, *Diſt.* XL. *tribuit Concilio poteſtatem ad judicandum Papam, qui deprehendatur* A FIDE DEVIUS. Ibid.

Qui ſint tamen illi canones conſiderare oportet. Et caput quidem, *ſi duo*, Honorii Auguſti eſt decernentis, ſi duo electi ſint Romani Pontifices, ut neuter ordinetur; quod eſt univerſim & indiſtinctè falſum, nullamque omninò facit Synodi mentionem: canon verò, *ſi Papa*, Bonifacii eſt Moguntini Epiſcopi, nihil etiam de Synodo differentis. Utcumque eſt, niſi unus Imperator aut unus Epiſcopus, Eccleſiæ in ſchiſmate, aut per ſui capitis hæreſim laboranti ſubveniſſent, aut niſi Gratianus duodecimo demum ſæculo in ſuam compilationem juris hæc duo capita contuliſſet, manca eſſet Eccleſia; neque quidquam valeret adversùs Papam ſchiſmaticum aut hæreticum. Sic miſeram Eccleſiam à Chriſto ſapientiſſimo, optimo, omnipotentiſſimo, conſtitutam volunt.

Erubeſcunt ipſi ac tandem ſubdunt: *Vel habet eam poteſtatem jure naturali, modo ſtatim explicando.* Ibid. Modus autem ille ſequente paragrapho ex Doctore eximio, Suare (*ee*) ſcilicet, ſic proditur: *Solum ergò habet poteſtatem quæ ex jure divino naturali conſequitur in quolibet corpore myſtico, ut poſſit ſe gubernare & tueri per Principes particulares unitos in unum corpus, quando deeſt ſupremum caput.* Ib. §. vj. n. 1. pag. 683. Suar. lib. iv. de legib. c. vj. n. 4. Malunt ergò Deum omnibus Imperiis Rebuſque-publicis univerſali curâ, quàm Chriſtum Eccleſiæ, pro quâ ſudit ſanguinem, ſingulari conſilio providiſſe; meliuſque à Deo conſtituta ſunt humana imperia, quàm à Chriſto Eccleſia; quæ ut ſibi provideat ſeſeque tueatur à jure gentium aut naturæ magis, quàm ex ipſo Chriſtiano jure mutuetur. Hanc illi Eccleſiaſtici regiminis formam effingunt.

Quid quòd tam imbecillam faciunt Eccleſiam, ut ejus autoritate Concilium ſemel congregatum ad tollendum ſchiſma, fidei providere, aut leges neceſſarias condere nequeat, præter eam cauſam: *Quod ea ſolùm poſſit* Ib. §. v. n. 3. pag. 682. & §. vj. n. 1. p. 683.

(*ee*) *Doctore eximio Suare.*] Jeſuita GONZALEZ Jeſuitam Suarem *Doctorem eximium* ubique vocat; quod ideò notamus, ne, ſi qui futuri ſunt Patris GONZALEZ tractatûs lectores, illi incauti fallantur, & credant ab eo quemdam ex ſanctis Patribus, aut ſaltem D. Thomam teſtem appellari. Certè, inter Scholaſticos nomen habet Suarez non contemnendum; neque tamen is eſt, quidquid de illo ſentiat & prædicet GONZALEZ, qui ſanctis Patribus, aut etiam Angelico Doctori ſit unquam æquiparandus, & cujus ſententia viris Theologis rata eſſe debeat.

præcipere & ordinare quæ ad hunc finem (tollendi ſchiſmatis ſcilicet) *neceſſaria ſint.* Unde tale Concilium non habet autoritatem ad decidendas fidei controverſias, & ferendas leges perpetuas, quantumvis neceſſarias. Sic Concilio Conſtantienſi defuit autoritas ad condemnandum Wiclefum, Huſſum, alios perfidos; defuit autoritas ad condendas leges quæ futuris ſchiſmatibus providerent, quas tamen leges tulit, quas tamen fidei controverſias judicavit; atque ad hæc omnia tractanda, quæcumque urgeret dira neceſſitas, jam admotis ad incendium facibus, Papam aliquandò extiturum, nondum tamen exiſtentem expectare debuit.

Piget commemorare quæ jam confutata ſunt: nempè adversùs Wiclefum & Huſſum Conſtantienſis Concilii valere decreta, eò quòd Martinus V. ea repetierit Bullâ *Inter cunctas*; quâ tamen nondùm editâ Huſſus exarſus eſt *(ff)*, Wiclefus exhumari juſſus peſſimi hæretici anathemate per-

(ff) Huſſus exarſus eſt.] Obſervandum eſt diligenter Joannem Huſſum de ſacerdotali gradu dejectum & Hieronymum à Pragâ anathemate percuſſum Synodali ſententiâ, eos verò morte damnatos & exarſos fuiſſe, non Concilii, ſed laici judicis edicto. D. Maimbourg in ſuo libro, cui titulus eſt: *Hiſtoire du ſchiſme d'Occident*, adversùs Catholicos nonnullos probare aggreditur, Concilium omnia juſtè & temperanter feciſſe, tum cùm, nullâ habitâ ratione ſalvi-conductûs Sigiſmundi Imperatoris, Huſſum carceri tradidit. An benè hoc probaverit alii judicent. Utcumque eſt, non ſequitur id quod Proteſtantes volunt, Conſtantienſia de fide decreta infallibili Concilii Œcumenici autoritate non valere apud omnes oportere. Nam licèt Œcumenica Synodus de iis quæ facti ſunt poſſit malè ſtatuere & in aliis quoque cauſis à verâ rectâque judicandi & agendi normâ deflectere, illa nihilominus, ut cauſas fidei infallibiliter dirimat, Magiſtrum habet ac Ducem Spiritum ſanctum. Hoc Catholici omnes uno ore confitentur: hoc invictis argumentis Controverſiſtæ probant. Quapropter mirum videri debet P. Le Courayer, qui nunc quoque inter Catholicos vult annumerari, cùm in multis aliis, tum in eo maximè articulo Proteſtantium falſis opinionibus patrocinari. Sic enim ille tanquam de tripode pronuntiat: *Cela montre qu'un Concile (general) n'eſt pas toujours infaillible dans ce qu'il avance;* (agitur hoc in loco de rebus fidei a Synodo definitis) *ni irreprehenſible dans ce qu'il fait.* Hiſt. du Conc. de Trente tom. j. liv. iv. not. xxix. p. 679. De his ultimis verbis: *ni irreprehenſible dans ce qu'il fait*, nemo eſt qui P. Le Courayer litem moveat, cùm id in confeſſo ſit apud omnes. Sed falſum illud quod primo loco dixit: in controverſiis fidei non eſſe infallibile Synodi Œcumenicæ judicium; & præterea peſſimè argumentatur, qui poſtquam allegavit factum unum, illudque, ut nos credimus falſum, ut omnes fere exiſtimant, ſaltem dubium, ſtatim concluſionem infert de decretis fidei, de quibus in antecedentibus nihil propoſitum fuerat. Et quidem quamquam Synodus Huſſum carceri, imò ignibus ipſa tradidiſſet, perversè facta à Synodo damnarentur, ſalvis ejus de fide decretis, quæ ex infallibili Spiritûs ſancti autoritate promerentur. At inquit P. Le Courayer, Synodus decreto edito ſic de Huſſo ſtatuit: *Nec aliqua ſibi fides aut promiſſio de jure naturali divino & humano fuerit in præjudicium Catholicæ fidei obſervanda.* Nos reſpondemus 1°. illa verba ſi *in rigore*, ut aiunt, *Theologice* accipiantur, vera omnino eſſe. Nunquam enim licuit, nunquam licebit quidquam facere *in præjudicium Catholicæ fidei.* Hìc itaque duo veniunt examinanda: primum, utrum Sigiſmundus imprudenter, necne fidem ſuam *in præjudicium Catholicæ fidei* Huſſo obligarit; alterum, utrum Synodus hanc Sigiſmundi fidem liberare teneretur. Sed facti ſunt hæ quæſtiones, in quibus ultro fatemur falli potuiſſe Concilium Œcumenicum. 2°. Quamquam eſſet hoc decretum erroribus plenum, & à ſanctâ Synodo certiſſimè editum, cùm res fidei non tangat, illud malè nobis & extra quæſtionem objiceretur. Sed quandoquidem ex illius decreti verbis via ſternitur, quâ imperiti nonnulli pactam fidem ſanctamque promiſſionem erga hæreticos impunè violari poſſe exiſtiment, ne detrahatur de illâ probitatis famâ quam integram ſemper ſervavit Synodus Conſtantienſis, negamus tale decretum a Synodo fuiſſe conditum, quod nullibi extat, niſi in uno manuſcripto codice Bibliothecæ Viennenſis; quem codicem, nobis ſatis non cognitum, ſi non omninò vituperamus, certe magni facere non poſſumus. Nam præterquam quòd illud decretum non legitur in Concilii Conſtantienſis manuſcriptis codicibus, iiſque optimæ notæ, qui in Italiâ, Galliâ & alibi multi reperiuntur, non

Digitized by Google

cuſſi. Quæ omnia Martinus non tum cùm ea repeteret, ſed ab origine valuiſſe definit, ut Concilii legitimè in Spiritu ſancto congregati vera & firma decreta : quæ nunc, ſi Deo placet, per ſeſe invalida & contra canones attentata prætendunt : uſque adeò, his miſeris, poſtremiſque temporibus, tanti Concilii totiuſque adeo Eccleſiæ projecta eſt autoritas.

At enim, inquiunt, *tale Concilium* (causâ ſchiſmatis congregatum) *neque hanc jurisdictionem habet ab aliquo Jure divino poſitivo; quia neque ſcriptum eſt, neque Traditione conſtat : neque etiam habet a ſummo Pontifice, quia ſupponimus illum non eſſe, & qui præceſſerunt illam non reliquerunt : ſolum ergò habet poteſtatem, quæ ex Jure divino naturali conſequitur in quolibet corpore myſtico, ut poſſit ſe gubernare per Principes particulares unitos in unum corpus, quando deeſt ſupremum caput.* At illos Principes in Eccleſiæ corpore quis inſtituit ? Nonne is qui & caput ? Nonne ille Eccleſiam eo jure pollere voluit, ut *qui eam non audiret, omnibus Chriſtianis ſicut Ethnicus & Publicanus eſſet ?* Nonne idem confeſtim addidit : *Amen amen dico vobis, quæcumque ligaveritis ſuper terram, ligata erunt & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis?* En ergò Principes illos à Chriſto conſtitutos. Quid ergò ? Eâne conditione, ut nunquam ipſi colligere ſe poſſent, quæcumque urgeret neceſſitas ? Quò ergò pertinebat iſtud quod Chriſtus ſubdidit : *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum?* Quantò magis ubi non duo vel tres, ſed totus Principum Eccleſiæ cœtus; imò tota Eccleſia congregatur ? Aut non in Chriſti nomine colliguntur, qui ad tollendum ſchiſma conveniunt, aut non ſunt Eccleſia, niſi Papa adſit, qui ad Papam conſtituendum confluunt, aut ſi ſint Eccleſia, numquid non erunt Ethnicorum & Publicanorum loco, qui eorum decreta contempſerint ? Quid his clarius ? Verùm illi tacitè reſpondent : At nos ſi illa admittimus, admittere cogemur non tantùm ad tollendum ſchiſma, aut ad hæreticum Pontificem condemnandum, quorum hìc nulla mentio eſt; ſed ad quamcumque ſummam Eccleſiæ neceſſitatem. Proptereà ergò malunt in ſchiſmatis etiam aut hæreſeos teterrimo atque exitiabili morbo Eccleſiam à Chriſto deſtitutam; neque ullum auxilium habere ex Evangelio.

Ibid.

Matt. xviij. 17. 18.

Ibid. 20.

Eſto, inquient, verum ſit de hæretico ſchiſmaticoque Pontifice, qui nequidem eſt Pontifex. Quid tum; cùm non ſit Pontifex & jure omni exciderit ? Quâ de re ſæpè diximus, ſæpè monuimus, quanto Eccleſiæ periculo hæc aſſerantur. Nunc tamen valeant utcumque collibuerit. Sit tamen

extat quoque in eâ collectione decretorum Conſtantienſium, quam Patres Baſileenſes ex authenticis exemplaribus congeſſerunt; unde ſtatim ſuſpicari liceat, illud decretum in codice Viennenſi perperam intruſum fuiſſe à deſcriptore, vel decepto, vel forte etiam deceptore. Quis enim credat tale decretum, ſi a Patribus probatum fuiſſet, & more ſolenni in publicâ ſeſſione promulgatum, ab omnibus deſcriptoribus, etiam diligentioribus prætermitti potuiſſe ? Quantò æquiùs concludas deſcriptorem codicis Viennenſis temere edidiſſe ſub Concilii nomine illud decretum, quod ab aliquibus forte Conſtantiæ ſcriptum fuerat, non verò ab universâ ſanctâ Synodo confirmatum ? Neque juvat P. LE COURAYER quòd vir eruditiſſimus VONDER-HARD illud decretum non omiſerit, cùm ille diligenter collegerit omnia monumenta vera falſave, quæ ſub nomine Conſtantienſis Concilii circumferebantur. Doctorum eſt autem de iis monumentis ferre judicium; & ipſe VONDER-HARD ſuam aliquomodo de unoquoque explicat ſententiam, cùm annotat ex quo codice extractum fuerit.

aliquis oportet, qui excidiſſe declaret, qui loco moveat contumacem, qui Chriſtianis omnibus, quæ tali in diſcrimine agenda ſunt imperet. Quo jure? Quo Chriſti mandato? Quâ Evangelii lege? niſi eâ quam diximus, quæ ad omnem æquè valeat neceſſitatem, in quâ de ſalute periclitatur Eccleſia.

Jam ergò reſpondeant, non probatum illud, quod eſt veriſſimum, quod eſt Eccleſiæ maximè neceſſarium; aut ſi probatum illud & ipſi fateantur, quid in eo decreto probetur intelligant.

CAPUT XXXIII.

EMMANUELIS SCHELSTRATI *objecta, à codicibus manuſcriptis petita, ſolvuntur circa ſeſſionem IV.*

EMMANUEL Schelſtratus, cùm aliorum objecta repetit, tum eò ſe maximè effert, quòd nova acta prodiderit, quæ Orbis Catholicus ignoraret. Cæterùm undè ſint eruti plerique manuſcripti quos jactat, codices ubi delituerint, quas temporum notas præferant, quid ſint denique, an ſimplex geſtorum ſeries, an hiſtoriæ, quibus acta inſerantur; ac ſi hiſtoriæ, ut ea, quæ ipſe indè protulit, verba præ ſe ferunt, quo autore conſcriptæ ſint, notone an ignoto, horum nulla mentio; omnia prætermiſſa, quæ autoribus aut codicibus fidem vel afferant vel detrahant.

Et ille quidem integros codices edere debuiſſet, ut lector eruditus probare vera, convincere falſa, manca ſupplere, dubia elucidare poſſet. Tot profectò extant Conſtantienſis Synodi nota monumenta, tot de ejus rebus virorum graviſſimorum teſtimonia, ut niſi cum illis congruant, quæ Schelſtratus hactenùs ignota fuiſſe confitetur, falſa ea, & partium ſtudio conſcripta eſſe oporteat. Certè ex illis quoque fruſtulis, quæ ille, ut voluit, edidit, jam intelligimus acta ejus eſſe mendacia.

[Schelſt. Diſſ. Antuerp. art. iij. p. 57. & de ſenſ. & autor. &c. inter act. die 14. Jul. 1416. pag. 251.]

Primùm enim, quæ de falſatâ Concilii Conſtantienſis IV. Seſſione protulit, ea ex melioribus geſtis falſa eſſe conſtitit: quo uno Schelſtratianis codicibus omnis detracta eſt fides. Huc accedit illud, quod idem Schelſtratus narrat ex actis ſuis ineditis, quatuor videlicèt codicibus manuſcriptis die XIV. Jul. ann. 1416. *quando Aragonenſes* ad Concilium venere, Legatos Regis dixiſſe, *quòd quidem vellent ſe unire Concilio; non tamen reputare eſſe generale Concilium, neque agi de rebus Concilii generalis, donec venirent Legati Regis Caſtellæ.* Apertum mendacium; nam Aragonenſes quidem Legati 15. Octobris anni 1416. Seſſione XXII. Legati verò Regis Caſtellæ Seſſione demùm XXXV. 18. Junii anno 1417. Synodo ſe adjunxere. At in ipsâ Seſſione XXII. ſtatim atque Aragonenſes admiſſi ſunt, generalis Synodi Conſtantienſis nomine eduntur Synodica decreta, quæ vidimus; eâdemque formâ res maximæ geſtæ ſunt per alias tredecim Seſſiones: adeò falſa vel mutila acta Schelſtratus protulit.

[Sup. cap. xxvj. & ſeq. Act. Schel. p. 2. 3. Diſſ. Antuerp. c. j. art. ij. p. 42. 43.]

Jam circa Seſſionem IV. hæc refert, quæ ne ipſe quidem reor, rebus certè conſideratis, jam tueri vellet, ſi viveret. Nempè Cardinalibus, tres Nationes

Nationes, Germanicam, Gallicanam, Anglicanam vehementiſſimè repugnâſſe circa hanc quæſtionem : an Concilium Papâ eſſet ſuperius, etiam in reformationis negotio; ac Regis Franciæ Oratores Cardinalium parti acceſſiſſe, quod eſt falſiſſimum. Primùm enim, hujus rei nec in Schelſtratianis ulla eſt mentio : tum, ut omittamus Regiis Oratoribus nihil unquàm cum ipsâ Gallicanâ Natione fuiſſe diſſidii, certum id, Regios inter Oratores fuiſſe Gerſonem, eumque omnium cæterorum, ut pietate ac doctrinâ, ita autoritate facilè Principem. Extat ejus ſermo, quo jam indè ab initio, Regis nomine, Synodo propoſuerit, quæ agenda viderentur. Dubitâſſe verò Gerſonem, an Concilium Papæ in reformationis negotio, anteponi oporteret, ne ipſe quidem Schelſtratus dixerit. Quod ergò ille de Francicis Oratoribus jactat, apertum mendacium eſt. Vid. ſup. cap. xxx.

At enim, ex actis Schelſtratianis conſtat aliquam in quartâ quintâque Seſſione extitiſſe diſſenſionem. Eſto. Ergò de Papæ & Concilii ſuperiore poteſtate litigabant? Peſſima conſecutio; quandoquidem poſt turpiſſimam Joannis XXIII. fugam, alias fuiſſe multas diſſenſionis cauſas, ex ipſis etiam Schelſtrati actis liquet; quippè cùm Sigiſmundo bella in Joannem XXIII. ejuſque defenſorem Auſtriæ Ducem paranti, multi, atque imprimis Univerſitas Pariſienſis obſtiterit; neque minor concertatio, cùm Joannis adulatores, illo elapſo, contenderent differri oportere Concilium, alii Seſſionem ultrà protrahi nollent, neque fœdis ludificationibus in longum duci ſpem Eccleſiæ, ad extinguendum ſchiſma properantis. Utcumque eſt; Certè Regios Oratores, Gerſone Principe, de ſuperiore Conciliorum poteſtate dubitâſſe nemo ſanus dixerit, peſſimâque fide Schelſtratus non actis quæ jactat, ſed meris conjecturis, iiſque vaniſſimis, rem tantam affirmat. Act. Schel. 30. Mart. 1415. ibid. p. 225.

CAPUT XXXIV.

Quæ in SCHELSTRATI *Manuſcriptis ſeſſionem V. ſpectent.*

PIGET quidem luctari diutiùs cum ignotis, falſis, mutiliſque Schelſtrati codicibus; & tamen quæ de Seſſione V. retulerit, prætere non poſſum. Hæc nempè ſunt : quòd *Cardinales, & Oratores Regis Franciæ*, Seſſioni interfuerint, *præmiſsâ proteſtatione in Camerâ Paramentorum ſecretè factâ, quòd propter ſcandalum evitandum ad Seſſionem ibant, non animo conſentiendi his quæ audiverant in ipsâ ſtatui debere; maximè quòd Dominus noſter Papa, & alii in Concilio exiſtentes in plenâ ſecuritate fuerant, quorum plura ſtatuta non ſunt, ſed ad aliam Seſſionem reſervata.* Verba confuſa, nulliuſque boni ſensûs; quæ tamen ſatis oſtendant, quæcumque illa fuerit difficultas, eam pertinere ad ſecuritatem Concilii, non ad aliud quidquam. Utcumque eſt, neque enim Schelſtrato placuit hæc integra apparere, celebrata Seſſio eſt, factaque ſunt omnia, eodem Schelſtrato teſte, ut in vulgatis legimus. Ib. p. 251, 252.

At enim quaſdam geſtorum ſuorum voculas, à toto avulſas textu, aſ-

Ib. p. 225. pergit ad marginem (*gg*), quibus iterùm, ſi Deo placet, inducuntur Oratores Regis Francorum aſſiſtentes Cardinalibus, nec tantùm à reliquo Concilio, ſed etiam à Gallicanâ Natione diſſidentes. Iterùm illi Oratores atque adeò ipſe Gerſon eorum anteſignanus inducitur, contra eam doctrinam proteſtatus, cujus & in ipſâ Synodo, & extra Synodum acerrimus defenſor extiterit. Quæ abſurdiſſima, ſi in actis Schelſtratianis haberentur, meliùs vir optimus ineptos hiſtoricos, atque acta mendacia, contempta à Romanis Conciliorum editoribus, contempta à Rainaldo, in ſordibus Bibliothecarum jacere ſineret. Sed age, ſint vera, ſint authentica, ſint integra quæ
Schelſt.ib. Schelſtratus deſcripſerit, ſint recta quæ concluſerit: quid poſteà? Nempè acta Conſtantienſia autoritate carebunt? Quid ita? Quianc vociferati ſunt Patres? Quò ergò abibunt Chalcedone acta, tot inter clamores, quos ipſi Judices compeſcere vix poterant? An ergò Schelſtratus putat, in ſacris Conciliis, obſtinatione ſemper ac præcipitantiâ tumultuariiſque motibus, non ipſo fidei ardore, clamores editos? At enim diſſenſerunt multi Cardinales: quid tum? An, ut Chalcedonenſia aliaque vetera diſſidia omittamus; an, inquam, infirma erant tot Tridentina decreta, in quibus diſcrepantes Patrum ſententias Palavicinus refert? At enim multis repugnantibus Patres voluerunt in craſtinum haberi Seſſionem, ac præcipitanter actum. Imò diligenter, ut obviam iretur peſſimis adulatoribus diſſoluturis Synodum, omnemque pacis conficiendæ ſpem præciſuris. At enim *Cardinales faciebant difficultatem intereſſendi*. Quid ad nos? Cùm ex actis etiam Schelſtratianis pateat interfuiſſe omnes; nec, ſi abſuiſſent, Synodi decreta infringere potuiſſent. At, inquies, interfuerunt, *præmiſſâ in Camera Paramentorum*, ſibi adjunctis Regis Franciæ Oratoribus, *ſecretâ proteſtatione*. Tantùmne ergò licere putabimus & Cardinalibus & Regum Oratoribus, ut eorum proteſtatione, eâque ſecreta, Conciliorum univerſalium decreta, in publicâ Seſſione recitata, ſolvantur; ſitque ipſa Seſſio coram altaribus celebrata, Theatralis pompæ inſtar, dictaſque à Patribus, talique in loco promulgatas ſententias reſcindat illud, quod quidam occultè, *in Paramentorum Camerâ* ſuſurrârint? Non puduiſſe Theologum hæc Orbi Chriſtiano proferre ludibria, has Eccleſiæ dividendæ & Conciliarium decretorum ſolvendorum vias!

Quin etiam, ſi Schelſtrato credimus, tanta decreta concident, quòd ea
Ib. p. 231. ad marg. Cardinalis Florentinus, qui ut Diaconorum ultimus legere debuiſſet, quia non probabat, Poznanienſi electo legenda tradiderit. Tanquam idem electus non alia multa legerit; & decreta Concilii caſſa ſint, niſi ultimo quoque Cardinalium Diaconorum placeant!

Ibid. & in act. edit Antverp. p. 5. ad marg. Concil. Conſt. ſeſſ. v. act. Schel. pag. 233. Quid quòd Schelſtratus ex geſtis etiam ſuis id protulerit: *A Cardinale Florentino, cum aliquibus deputatis, aliqualiter diſputatum fuiſſe?* Profectò *aliqualiter*, non contumaciter, quâcumque de re diſputâſſe finxeris. Quin ipſum poſteà adfuiſſe Concilio ex actis tam editis, quàm Schelſtratianis æquè conſtat, additumque in geſtis: *Conſtitutiones lectas à Concilio uniformiter approbatas*

(*gg*) *aſpergit ad marginem.*] Nempe hoc ille cavet, ne in ipſo textu inſerantur ea verba, quæ a ſe lecta dicit in quibuſdam aliis manuſcriptis codicibus, de quibus evulgandis non admodum curabat.

Digitized by Google

& concluſas : ut profectò conſtet, quâcumque de re in principiis, Cardinalis Florentinus, aliique nonnulli, à reliquis diſſenſerint; in concluſione tamen omnes conſenſiſſe. Sed quandoquidem Schelſtratus Cardinalis Florentini autoritatem tanti facit, operæ pretium erit ejus doctrinam in memoriam revocare.

Vid. Diſſ. præv. num. xxiv.

CAPUT XXXV.

FRANCISCI ZABARELLÆ *Cardinalis Florentini doctrina de ſuperiori etiam in reformationis negotio Concilii poteſtate : Corollarium de diſſenſionibus Conſtantienſibus à* SCHELSTRATO *memoratis.*

CUM ſub Innocentio VII. & Benedicto XIII. de Papatu contendentibus, infando ſchiſmati remedia quærerentur, ac ſchiſmate flagraret Eccleſia; Franciſcus Zabarella, tum Juris Pontificii celeberrimus interpres *, ac poſteà Cardinalis Florentinus, tractatu de ſchiſmate edito, hæc docuit : *Si contendentes nolint congregare Concilium ; tamen quocumque modo, ſive per Collegium, ſive per Imperatorem convocandum. Quod ſi prohiberent, minimè parendum ; quia Papæ non eſt obediendum, quando ex hoc vehementer præſumitur ſtatum Eccleſiæ perturbari.* Subdit : *Papam non poſſe impedire, quæ ad perpetuam utilitatem inſtituta ſunt : radicem omnium malorum, quæ paſſa eſt Eccleſia, ſurrexiſſe ab omiſſione Conciliorum, neque aliud remedium ad inſtans ſchiſma tollendum, aut ad Eccleſiæ reformationem.*

* In Univerſitate Patavinenſi.

Zabarel. tractat. de ſchiſm. edit. Argent. p. 543. 544.

Ib. p. 548. 549.

Tum illud proponit objici poſſe, *Papam eſſe ſupra Concilium, & Concilia per Eccleſiam Romanam robur accipere.* Sed continuò reſpondet, *hîc non agi de Eccleſiâ Romanâ, ſed de Papâ ; & quod aliud Papa, aliud ſedes Apoſtolica, & ſedem errare non poſſe ; quod intelligendum videatur, accipiendo ſedem pro totâ Eccleſiâ, id eſt, congregatione fidelium ; hîc autem agi de fide, quæ periclitetur in hoc ſchiſmate.* Item : *Eccleſiam Romanam, ſeu ſedem Apoſtolicam vocari, non Papam ſolum, ſed Papam cum Cardinalibus, quos inter & Papam ſi fuerit diſcordia, ut nunc evenit, cùm Cardinales à contendentibus ſe ſubtraxerunt, congregandam totam Eccleſiam, id eſt, totam congregationem Catholicorum, & principales miniſtros fidei, ſcilicet Prælatos, qui totam congregationem repræſentent ; & agendum Apoſtolico more, atque ut in Actis ſcribitur, Concilium convocandum ; quo in Concilio, licèt Petrus fuerit Princeps, tamen plenitudinem poteſtatis non fuiſſe in eo ſolo, nec reſponſionem datam ſub perſonâ Petri, ſed congregationis : undè illud :* APOSTOLI ET SENIORES ; *& infrà :* VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS. Notandum eſt id quod hîc ſubjicit : *Hinc mos inter antiquos obtinuit, quòd omnia difficilia per Concilium terminabantur, & crebrò fiebant. Poſteà verò quidam ſummi Pontifices, qui magis admodùm terrenorum Principum, quàm Apoſtolorum Eccleſiam rexerunt, non curârunt facere Concilia, ex quâ omiſſione prodierunt multa mala. Et ex hoc apparet, quòd id quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem po-*

Ib. p. 556. 557.

Ib. p. 558. 559.

Act. xv. 23.

Ibid. 28.

teſtatis, debet intelligi non ſolus, ſed tanquam apud univerſitatem. Ita quòd ipſa poteſtas eſt in ipſâ univerſitate, tanquam in fundamento, & in Papâ, tanquam in principali miniſtro, per quem hac poteſtas explicatur. Ac poſteà: *Ex his infertur, quòd poteſtatis plenitudo eſt in Papâ, ita tamen quòd non erret, ſed cùm errat, habet qui eum corrigat, Concilium, apud quod, ut dixi, eſt poteſtatis plenitudo, tanquam in fundamento.* Quod ut probet, multa ex jure citat. *Quæ primùm*, inquit, *ſunt notanda, quia malè conſiderata ſunt per multos aſſentatores, qui voluerunt placere Pontificibus per multa retrò tempora, & uſque ad hodierna ſuaſerunt eis, quòd omnia poſſent, & ſic quòd quidquid liberet, etiam illicita, & ſic pluſquàm Deus. Ex hoc enim infiniti ſecuti ſunt errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum Eccleſiarum. Ita quòd inferiores Prælati ſunt pro nihilo, & niſi Deus ſuccurrat ſtatui Eccleſiæ univerſalis, Eccleſia periclitatur. Sed, Deo favente, ſperatur de reformatione, ſi, ut dicitur conſtitutum, congregabitur in Eccleſiâ Concilium, in quâ congregatione oportebit non ſolùm ſchiſmati præſenti, ſed etiam futuris conſulere, & ita determinare Papæ poteſtatem, ut non ſubvertantur inferiores poteſtates, & ut Papa deinceps poſſit non quod libet, ſed quod licebit.*

Zabar. p. 560.

Sic igitur, etiam in reformationis negotio, Papam non dubium, ſed certum & indubitatum à Concilio ligari poſſe putat, determinarique oportere, quæ ipſi inſit, ut miniſtro principali, plenitudinem poteſtatis, per eam poteſtatis plenitudinem, quæ eſt in Concilio; quod etiam firmat his verbis: *Univerſitas totius Eccleſiæ ſuperiorem non habet, niſi Deum, & Papam cùm adminiſtrat; & de hoc an benè vel malè, habet utique ipſa univerſitas decernere; neque unquam ita potuit transferre ipſam poteſtatem in Papam, ut deſineret eſſe penes ipſam; quia hoc eſſet contra jus Divinum & contra exempla Apoſtolorum.* Quo quid eſt clarius? Neque neceſſe eſt nos omnes hujus viri excutere rationes. Sufficiat demonſtrâſſe, quid ille ſenſerit, qui unus omnium maximè Concilii Conſtantienſis decretis pro Papâ obſtitiſſe fingitur.

Ib. p. 567.

Sanè, teſte Schelſtrato, in eam ſententiam conveniebant omnes, ut in Concilii Conſtantienſis etiam Seſſione IV. decretum conderetur, quo Papam definirent, non modò in ſchiſmatis negotio, ſed etiam in fidei causâ, quod eſt vel maximum, Concilio eſſe ſubjectum. Dicit enim tantùm de reformationis negotio diſceptâſſe Patres, & Papæ faviſſe Cardinalem Florentinum Sed hæc falſa eſſe conſtitit, poſteaquàm vidimus quid Doctor eximius ex Apoſtolicis Scripturis, quid ex jure Divino depromſerit, ut Papam Concilio ſubderet, etiam in reformationis, etiam in regiminis Eccleſiaſtici negotio.

Videtur ille quidem initio in gratiam Joannis XXIII. à quo Cardinalis factus erat, aliquid cogitâſſe, & ſubdubitâſſe tantiſper, non quidem, an Concilium in reformatione quoque Papam antecederet, ſed an ad reformationem, adhibitis pœnis, Papam poſſet cogere. Et id fuiſſe ſuſpicor, de quo Florentinus *aliqualiter* diſputârit. Sed poſtquàm à Patribus communi conſenſu in alia omnia itum eſt, nullam turbam movit poſteà, ac Joannem XXIII. cum reliquâ Synodo, non hæreſis, ſed depravatæ vitæ causâ depoſuit: Joannem, inquam, XXIII. in ſe beneficentiſſimum & ſui Cardinalatûs autorem, ac proindè tam ab ipſo Florenino habitum

Digitized by Google

pro certo Papâ, quàm ipſe Florentinus pro certo Cardinale ſe gereret.

Hinc ergò liquidò conſtat nimis oppidò inflatas exaggerataſque diſſenſiones illas, quas in Concilio Conſtantienſi viguiſſe Schelſtratus narrat. Quâ in re duplex ejus erratum eſt: alterum quod de ſummâ doctrinæ diſſenſiſſe Patres: alterum quod eæ diſſenſiones acres & immortales fuiſſe fingat.

Quòd ad caput primum, quis non crederet Cardinalem Florentinum de Concilii poteſtate à reliquis diſcrepâſſe? Atqui vidimus quàm perſpicuis verbis ſupremam & abſolutam poteſtatis plenitudinem etiam ſupra Papam in univerſitatem Eccleſiæ contulerit. Non ergò de ſummâ re, ſed de quibuſdam explicandi modis à reliquis Patribus diſſidebat. Sanè idem commemorat diſſenſiſſe quoſdam; ſed Joannis XXIII. aliorumque aſſentatores peſſimos: egregios verò Patres, quorum in Concilio valebat autoritas, mirum in modum conſenſiſſe.

Atque ut aliquæ diſſenſiones extiterint, eas tamen pacis amore facilè conſopitas & omnes hiſtoriæ & acta etiam Schelſtratiana demonſtrant. Quid enim eſt illud in illis actis: *Major pars Cardinalium faciebat difficultatem intereſſendi; omnes tamen, præter infirmos, poſteà venerunt ad ſeſſionem:* quid, inquam, eſt illud, niſi leviculus animorum motus pacis ſtudio ſtatim compoſitus? Quod, etiam ſi acta conticeſcerent, ipſe tamen rerum eventus oſtendit; cùm omnia in Concilio, nullo ſchiſmate, ſummâ cum animorum conſenſione peracta ſint, quintaque ſeſſio in Schelſtratianis etiam codicibus à vulgatis non differat, in quibus adſcriptum legitur in eâ latas conſtitutiones *ab omnibus uniformiter approbatas*: ut profectò exaſperare verbis diſſenſiones illas, pace Schelſtrati dixerim, exigui malevolique ſit animi, & ſacri Concilii totiuſque adeò Eccleſiæ laudi ac paci invidentis. Act. Schel. p. 231. ad marg.

Quin etiam ſi de actis tam confuſis ac mutilis datur conjiciendi locus, dicam equidem quod me moveat. Circa ſeſſionem V. geſta quippe Schelſtratiana ſic habent: *Die ſabbati 6. menſis Aprilis, cùm perprius inter Dominos Cardinales & Nationes altercatum fuiſſet ſuper emendatione capitulorum in præcedenti ſeſſione ſtatutorum, tandem ordinatum & concluſum eſt, quòd ſupra dicta capitula modo infra ſcripto corrigerentur:* quibus adjiciuntur de ſupremâ in quemlibet, etiam in Papam ipſum, quocumque in negotio fidei, reformationis, ſchiſmatis, Conciliorum poteſtate decreta ſeſſionis V. iiſdem profectò verbis quæ retulimus. Quæ ſi æquo judicio æſtimamus, ex Schelſtrati quoque actis conſtabit Concilii Patres, uti ab initio memoravimus, ſeſſioni quartæ addidiſſe quintam, ut quæcumque quartæ deeſſe viderentur circa Conciliarem poteſtatem ſupplerent, augerent, ac luculentiùs explicarent; adeòque abſuiſſe Patres ut de his diſſiderent, ut ea etiam majorem in modum, non ſolùm repetita roborataque, verùm etiam amplificata vellent. Hæc igitur ad acta Schelſtratiana, quæ ad IV. & V. ſeſſiones pertinent, dicenda habebamus. Pergamus porrò ad ſequentia, ſi quæ memoratu digna videbuntur. Ibid.

CAPUT XXXVI.

Alia* Schelstrati *ex manuſcriptis codicibus objecta ſolvuntur: an aliquid contra nos concludatur ex eo quòd reformatio ad id tempus dilata ſit, quo Papa electus eſſet.

Cum Patres Conſtantienſes jam in eo eſſent, ut Gregorio, Joanne, atque Benedicto, redactis in ordinem, Pontifex crearetur; tunc repentè ſubortam contentionem novam acta Schelſtratiana produnt; & Sigiſmumdum quidem cum Germanicâ Natione, cui ſe Anglica primùm adjunxerat, voluiſſe, ut reformatio fieret, antequam de Pontificis eligendi modo decerneretur quidquam; at Italis, Gallis, Hiſpanis placuiſſe antę omnia extinguendum ſchiſma, eligendumque Pontificem: denique à Germanis diſceſſiſſe Anglos, Germanos etiam cæteris aſſenſiſſe; communique conſenſu factum eſſe decretum, quod eſt in ſeſſione XL. ut futurus Pontifex de proximo aſſumendus, cum ſacro Concilio ejuſque deputatis reformationi provideret, antequam Concilium ſolveretur. Hæc ergò Schelſtratus narrat ex quatuor manuſcriptis codicibus, quibus geſta Conſtantienſis Concilii çontineri dicit: quæ geſta, ſi cauſæ ſuæ, quantùm ipſe jactat, favere intellexit, cur non ea prodidit? At ille hæc tantùm refert à reliquis avulſa; primum, inter ipſa diſſidia proteſtationem factam à Collegio Cardinalium & tribus Nationibus, Italicâ, Hiſpanicâ, Gallicanâ; tum ex iiſdem codicibus narrationem eorum ſubnectit, quæ in hujus controverſiæ compoſitione geſta ſunt: quâ quidem in re multa peccat; imprimis, quòd obſcuris occultiſque ac nullius roboris geſtis, ſeſſionum publicarum geſta ſubrui poſſe putat. Hæc namque proteſtatio, qualiſcumque eſt, non eſt inſerta Conciliaribus geſtis, quæ dimiſſa quaquaverſus per omnes Eccleſias, totique Orbi nota ſunt. Quin eadem proteſtatio nulli unquam præterquàm Schelſtrato viſa, nullâ canonicâ autoritate conſtat, ac deſignata potius quàm perfecta eſt, ſtatim diſſenſione compoſitâ. Neque pluris eſt illa narratio privati cujuſdam autoris, cui & Anonymo & ignoto, quanta fides adhiberi debeat, nequidem conjicere poſſumus. Denique tota illa qualiſcumque contentio, certè mox compoſita, nullum in actis Synodi, nullum in hiſtoriis, nullum in annalibus Eccleſiaſticis à Rainaldo continuatis locum habet. Hæc verò ſunt, quibus Emmanuel Schelſtratus, ſeſſionum IV. & V. autoritatem infringi à ſe poſſe putat.

Act. Schel. edit. Ant. p. 6. 13. 14. Diſſ. p. 60. & ſeq. vid. etiam paſſ. Diſſ. cont. Maimb. & act. & geſt. pag. 252. & ſeq.

Jam ſi vel maximè conſtet huic narrationi fides; quàm infirma, quàm nulla ſint ejus argumenta videamus.

Diſſ Ant. p. 60. 62. Diſſ. iij. cōt. Maimb. c. ij. p. 149. & ſeq. act. & geſt. p. 252. 253.

Primum argumentum Schelstrati. Italica, Hiſpanica, Gallicana Natio, imò tota Synodus ſeſſione XL. Papam priùs eligi volunt, quàm de reformatione tractetur: ergò confitentur decretum ſeſſionis V. quo Papa Concilio ſubeſſe dicitur, quoad reformationem attiner, non eſſe intelligendum *de Concilio ſeorſim ſumpto*; ſed *de Concilio, cui verus & indubitatus Pontifex adeſt, qui ſenſus nihil ad ſuperioritatem Concilii facit.*

Imò verò multùm, quod hunc indubitatum certumque Pontificem Synodo præſidentem, in Synodi poteſtate eſſe crederent, eique leges figerent, ut vidimus.

Sup. cap. xviij.

Dices: ergò ſaltem intelligebant, non poſſe à ſe quidquam in reformatione tentari, niſi electo Pontifice. Nullo modo: cùm enim de fide, ante electum Pontificem, tam multa decernerent, quidni & de reformatione? Tum etiam multa decreta eſſe oſtendimus, quæ ad reformationem maximè pertinerent, imprimis, caput *Frequens*, aliaque capita in ſeſſione XXXIX. adunatis omnibus obedientiis promulgata. Non ergò reformationem ideò differebant, quòd fieri non poſſe; ſed quòd non ita congruè fieri poſſe crederent, neque ſchiſma ulteriùs protrahi ſinerent.

Vid. ſeſſ. viij. xv. & xxxix. & ſup. c. xvj. xvij.

SECUNDA OBJECTIO SCHELSTRATI. Extat adversùs Germanicam Nationem, quæ reformationem ante Pontificis creationem urgeret, Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicanæ, & Cardinalium proteſtatio, in quâ eſt dictum peſſimam deformationem, cui primùm providendum ſit, eam eſſe, quod acephala ſit Eccleſia, acephalum Concilium: ergò ante electionem Papæ, Concilium erat acephalum & mancum: ergò ſeſſionum IV. & V. decreta, de corpore acephalo, mancoque orta ſunt.

Proteſt. in act. Schelſ. Ant. p. 10. Diſſ. cap. iij. p. 68. Diſſ. iij. cont. Maimb. c. ij. act. & geſt. pag. 261. & ſeq.

Reſpondemus: Concilium non erat acephalum & mancum, ante conſtitutum Papam, cùm damnaret Wiclefum, Huſſum, propoſitionem Joannis Parvi de cædendis tyrannis: non erat acephalum, cùm excommunicaret eos qui dicerent, communionem ſub utrâque ſpecie eſſe neceſſariam, aut eam deinceps populo miniſtrarent: non erat acephalum cùm ederet caput, *Frequens*, aliaque capita: denique non erat acephalum, cum tanta illa faceret, quæ conſtituendo capiti eſſent neceſſaria. Tùm verò fuiſſet acephalum & mancum, ſi quemadmodum Germani volebant, cùm ad eligendum Pontificem omnia comparata eſſent, rem in longum extraheret, foveretque ſchiſma, neque Eccleſiaſticæ unitatis opus propter quod maximè congregatum erat, perficiendum putaret.

Vid. ſeſſ. viij. xij. xv. xxxix.

TERTIA OBJECTIO. In eâdem proteſtatione legitur, *quòd Clerus & populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum nondum ſolidè & clarè huic ſacro Concilio adhæſerint: quòd quorumdam qui Concilio adhæſerunt, propter rumores diſcordiarum, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare; ſcriptumque & relatum à pluribus Magnatibus in Italiâ plurimùm dubitari, ne in urbe Romanâ aliquis pro ſummo Pontifice aſſumatur, cui forſan, præmiſſis attentis, tota Italia obediret.*

Act. edit. Ant. p. 7. 8. Diſſ. cap. ij. p. 60. Diſſ. iij. cont. Maimb. loc. cit. act. & geſt. p. 157.

Quid iſta ad propoſitum? Nempè quòd *rumores* de *impreſſionibus* ſerentur: quòd *vacillarent quidam*: quòd *Magnates* multi multa ſcriberent: quòd *dubitaretur*, ne Romæ Pontifex fieret: quòd illi *forſitan Italia obediret*: quòd nonnulla Regna non tàm ſolidè Concilio adhærerent, quàm futurum eſſet electo Pontifice, tantoque opere conſummato; ideo tantæ Synodi autoritas fluctuabit?

Quis autem non videat, in illâ proteſtatione, ſuſpicionum, ac timoris cauſas undique amplificatas inflataſque eſſe, ideò ut Germani à propoſito protrahendæ electionis promptiùs deſiſterent, & ad creandum Papam eſſent

promptiores? Quale enim illud eſt, dubitari, ne Romæ Pontifex fieret? A quo? Cùm omnes Cardinales omnium partium eſſent Conſtantiæ.

Act. edit. Ant. p. 13. Diſſ. cap. ii. pag. 63. 64. act. & geſt. p. 268. 269.

QUARTA OBJECTIO. Scriptum in narratione eſt, inter Nationes de pace tractatum; leguntur que hæc verba in codicibus manuſcriptis: *Natio Germaniæ petivit aſſecurationem & cautionem, per decretum irritans, quòd poſt Papæ electionem fieret reformatio ante coronationem Papæ & administrationem aliquam: poſteà fuerunt facta diverſa formæ decreti ad hoc: tandem fuit dictum, quòd Papa electus legari non poterat.* Certè, eo modo, quo Germani petebant; nempè ita ut à Papâ electo, *reformatio fieret, antè coronationem & adminiſtrationem aliquam*, quod erat revera abſurdiſſimum, ut Papa electus, tandiu ab officii adminiſtratione ſuſpenſus haberetur. Adeò Schelſtratus ne ſua quidem acta intellexit. Tum illud quàm abſurdum, quòd vir bonus credidit electum Papam legari non poſſe; hoc eſt, nullam electo imponi poſſe legem; tanquam ſi electo non poſſet, quod eligendo Pontifici potuiſſet imponi. At ſi id vel maximè dictum eſſet, electo Pontifici legem nec à Synodo Œcumenicâ figi poſſe; quæro à quo dictum? Ab ipſâ Synodo? Ne id quidem, o Schelſtrate, tua hæc geſta continent; patetque ex eo fruſtulo quod tu protuliſti, hæc in privatâ quâdam congregatione eſſe acta. Quin tu igitur explicato, à quo illud dictum ſit? Ab ignoto quopiam; atque uno hujus dicto, ſatis incerto, in congregatione privatâ, certa, cognita, omni robore firmata decreta tantæ Synodi collabaſcunt. Quantò meliùs has nugas Orbis Catholicus adhuc ignoret?

CAPUT XXXVII.

Alia objectio SCHELSTRATI *circa ſeſſionem XIV. Concilii Conſtantienſis.*

Act. edit. Ant. pag. 8. Diſſ. p. 53. act. & geſt. pag. 259.

ILLUD in ſpeciem probabilius, quod Emmanuel Schelſtratus de ſeſſionis XIV. decreto refert: poſt ſeſſionem nempè XXXVIII. vigente adhuc illo, de reformatione ante Papæ electionem faciendâ, diſſidio, Cardinales proteſtatos, quòd ſeſſionis XIV. decretum, *quia factum erat ſine præviâ Collegii deliberatione, haberent pro invalido & nullo:* cui Cardinalium proteſtationi, *Natio Hiſpanica adjunxerit; ſe illo decreto, licèt aliàs validum exiſteret, minimè teneri; quia ſeſſione XIV. nondum adfuerat Concilio.* Ergò Concilium ante adunatas obedientias non ſatis erat firmum.

Hæc Schelſtratus Orbi Catholico penſanda proponit. Nobis ante omnia perpendendum, quodnam illud eſſet ſeſſionis XIV. decretum; nempe id, ne, vacante ſede Romanâ, ad electionem futuri Pontificis procedatur ſine deliberatione & conſenſu Concilii. Hìc ego Schelſtratum ejuſque ſectatores, ſi qui ſunt, rogatos velim, an illud decretum XIV. ſeſſionis fuerit antiquatum, atque omninò an Papa fuerit electus ſine conſenſu Concilii? Nullo modo; imò *communi conſenſu Cardinalium, & Nationum*, ex decreto

Seſſ. xl. Concilii, electionis forma præſcripta eſt, adjunctique Cardinalibus, hâc vice, *ad eligendum Papam, ſex Prælati de qualibet Natione, quibus eadem Synodus*

Synodus autoritatem tribuit eligendi Romanum Pontificem. Hæc ſeſſione XL. decreta ſunt; quæ ad executionem XIV. ſeſſionis pertinent apertè. Quid ergò Cardinalium, aut etiam Hiſpanorum verba obſtant, cùm res ipſa valuerit?

Quid quòd Schelſtratus ſua acta ipſe corrumpit, falſoque aſſerit, Cardinales proteſtatos eſſe, *quòd decretum illud ſeſſionis XIV. haberent pro invalido?* Id enim nullo loco in eâ, quam Schelſtratus edidit, proteſtatione legitur. Neque uſquam dicunt, ſe ad electionem Papæ, ſine conſenſu Concilii proceſſuros, quod ſeſſione XIV. erat vetitum; ſed *rogant & exhortantur tantùm, quòd ad reformationem taliter procedatur: quòd prætextu illius, negotium electionis non impediatur aut diu differatur*, quod erat æquiſſimum, nec ſeſſionis XIV. decreto contrarium. Aliâ proteſtatione teſtantur, ſi Germani æqua poſtulata reſpuerent, dilatæ electionis incommoda in eos refundenda; quod longè abeſt ad eo, ut electionem ſine ſacræ Synodi conſenſu celebrarent.

Diſſ. Ant. cap. j. art. iij. p. 53.
Vid. diſſ. Antuerp. & Rom. loc. cit.
Proteſt. Card. act. & geſt. pag. 254.
Ibid. pag. 255. & in edit. Ant. p. 6. & ſeq.

Jam ut ad Hiſpanos veniamus: primùm quidem, tanta non eſt eorum proteſtatio, ut Conciliarem autoritatem infringat. Tum, ne id quidem dixerunt, ſe nullis teneri decretis ante adunationem factis: his enim verbis comprehenderent etiam fidei decreta contra Wicleſum aliosque edita, quod eſt falſiſſimum. Ac profectò disertè de ſeſſionis tantùm XIV. decretis: *His*, inquiunt, *nos Hiſpanica Natio, etiamſi aliàs valida exiſterent, non ligamur;* quæ profectò decreta ad Concilii œconomiam ac regimen pertinebant; neque proteſtationem ultra ipſa verba protendi fas eſt; ac ſi Hiſpani negent ſe ligari iis, quæ meri regiminis ac variabilis diſciplinæ eſſent, ideò aſpernantur ea, quæ ad dogma Eccleſiaſticum pertinerent; cùm immota ea, communiaque omnibus eſſe oporteat. Quare Hiſpani, cùm hæc dicunt, haud magis ſeſſiones IV. & V. quàm VIII. & XV. aliaſque cogitant, in quibus Eccleſiaſticum dogma firmatum eſt.

Edit. Ant. p. 8. Rom. p. 259.

Quòd autem Schelſtratus aſſerit, à reliquis Nationibus Hiſpanorum dicta laudari & approbari, quippè quæ *proteſtationi ſub ſuo nomine factæ inſeri permiſerint*, vanum eſt. Aliud enim eſt tolerare, aliud laudare, & approbare. Tolerârunt aliæ Nationes Hiſpanos à pacificâ Synodo abhorrentes, ac pertinaciſſimo & apertè ſchiſmatico Benedicto adhærentes; non profectò laudârunt. Atque ſicut cætera quæ Hiſpanorum gratiâ οἰκονομικῶς non laudando, & approbando, ſed tolerando, & indulgendo feciſſe probavimus, eâdem indulgentia talia proteſtantes tolerant, patiunturque Germanos hoc quoque metu deterreri ab incœpto protrahendæ electionis; ne in ipſo Concilio, inter Hiſpanos & reliquos novæ diſſidiorum cauſæ ſererentur. Neque tanti putant eſſe, negâſſe Hiſpanos Seſſionis XIV. decretis ſe *ligari*, dummodò Orbis reliquus, quod Hiſpani fatebantur, his ligari ſe intelligeret; denique proteſtatio non prohibuit quominùs Synodica definitio, etiam in eâ parte viguerit, Hiſpanis etiam aſſentientibus; cùm in Seſſione XL. communibus conſiliis, ex Seſſionis XIV. decreto, futuri Pontificis electionem ordinarent, nihilque omninò agit Schelſtratus, quàm ut ſuo more nugas venditet, & proteſtationes decretis ac rebus geſtis anteponat, quod eſt vaniſſimum.

Diſſ. Ant. cap. j. art. iij. pag. 53. Diſſ. ij. cont. Maimb. c. iij. p. 124. 125.

CAPUT XXXVIII.

Poſtrema objectio SCHELSTRATI, *de ſublato decimo-tertio reformationis articulo. Bulla Martini V. de non appellando ad Concilium, ſuum in locum remittitur.*

Seſſ. xl. p. 244. vid. Diſſ. Ant. cap. iij. p. 70. Diſſ. cõt. Maimb. i j. cap. iij. pag. 176.

Act. & geſt. Schelſ. ed. Rom. p. 273.

POSTREMO loco Schelſtratus objicit, decimum-tertium reformationis articulum: PROPTER QUÆ, ET QUOMODO PAPA POSSIT CORRIGI, ET DEPONI, *vel à Nationibus non fuiſſe propoſitum poſt electionem Pontificis, vel à Martino V. ut novum aliquid, & hucuſque inauditum fuiſſe rejectum.* Itane inauditum, quo omnes Scholæ Theologorum & Canoniſtarum à tot ſæculis perſtrepebant? Sed tamen attendamus quid ex ſuis manuſcriptis Schelſtratus proferat. Contendit quippè ad hunc decimum-tertium articulum, hoc adſcriptum eſſe: *Non videtur, nec viſum fuit in pluribus Nationibus circa hoc aliquid novum ſtatui, vel decerni:* quæ verba, ſi intelligimus, non ipſe Pontifex, hæc ut nova & inaudita, ſuâ autoritate rejecit; ſed *id pluribus Nationibus viſum fuit.* Quid autem viſum fuit? Hæc omitti penitùs? Minimè; ſed *circa hæc nihil novum ſtatui, vel decerni;* quippè cùm, rem diligenter quærenti, ſufficere intelligerent ea, quæ ſacra Synodus ex Seſſionibus IV. & V. in deponendo Joanne XXIII. ac Benedicto XIII. geſſerit: cùm Joannem depoſuerit pro certo Pontifice ab ipsâ Synodo habitum; Benedictum verò ad mentem Hiſpanorum, qui eum pro certo haberent, numquam eorum conſcientiam placaturi, niſi ex decreto Seſſionum IV. & V. Pontificem quemlibet, atque adeò certum, Concilii Œcumenici judicio ſubdidiſſent.

Inf. lib. x. cap. xxiij. & ſeq. vid. cap. xxvij.

Sanè diſſimulare nolumus aſſiduè inculcari à noſtris cenſoribus Bullam Martini V. de non appellando à Papâ ad Concilium, quam in ipsâ Synodo Conſtantienſi, ſi Deo placet, editam affirmare audent. Sed nos eam Bullam aliaſque in hunc ſenſum, ubi de his appellationibus agetur, commodiùs proferemus.

CAPUT XXXIX.

Confirmatio argumentorum pro autoritate Conſtantienſis Concilii: multa in eandem rem MARTINI V. & EUGENII IV. *acta uſque ad Baſileenſe Concilium.*

JAM ergò Deo dante expedita ſunt omnia, quæ adversùs ſacroſancti Concilii Conſtantienſis Seſſionumque IV. & V. autoritatem congeſſerunt, à Joanne Turrecrematâ uſque ad Emmanuelem Schelſtratum nova geſta promentem.

Summa dictorum eſt : Conſtantienſem Synodum quâcumque ratione egiſſe ut ſchiſma extingueretur, & ut fons ſchiſmatis corruptela morum per veram reformationem tolleretur. Animadvertit Synodus, & per eam ætatem cordatiſſimus quiſque, ad eas res valere hæc duo : conſenſionem primùm, ſi obtineri poſſet ; ſin minùs, Concilii autoritatem ſummam atque indeclinabilem. Quæ ſanè autoritas, niſi valeret in Papam etiam certum, nec valeret in dubium, qui à ſuis certus & indubius haberetur. Id etiam reformatio per eandem ætatem tam neceſſaria poſtulabat, ut à quovis, etiam à Papâ certo, ſummâ cum autoritate extorqueri poſſet. His igitur procurandis, ſacra Synodus jam indè ab initio firma fundamenta jecit, conſtitutâ Concilii adversùs quemcumque, etiam Papam contumacem, ſummâ & ineluctabili poteſtate.

Neque propterea omnia, pro poteſtate egit : autoritatem œconomia & indulgentia temperavit : quâcumque ratione conſenſionem omnium exquiſivit : id ſibi reſervavit, ut ſummam poteſtatem adversùs immedicabilem contumaciam exereret. Quæ quiſquis expenderit, uno filo & Synodi mentem aſſequetur, & omnia argumenta ſolvet, & ex mirâ rerum geſtorumque cohærentiâ Divinam providentiam, Chriſtique pro ſponsâ ſuâ Eccleſiâ curam collaudabit.

Jam ut noſtras probationes concludamus ; age verò ; omittamus Concilii Œcumenici autoritatem : fac ducentos Patres, omnes ferè Epiſcopos, aut Epiſcoporum Procuratores ex innumerabilibus Provinciis convocatos, in his viginti Cardinales magni nominis ; neque hos tantùm, ſed omnes ferè religioſos Ordines, ferè omnes Chriſtiani Orbis Univerſitates, ex Piſani anterioris Concilii autoritate, & autore Romano Pontifice, præſente Imperatore atque omnium penè Regum Legatis, de ſummis Eccleſiæ rebus conveniſſe, exceptis tantùm iis, qui ſchiſmaticis & damnatis Pontificibus adhærerent : omnes in eandem iviſſe ſententiam, quam edito decreto promulgârint ; atque illud decretum nullâ unquam Eccleſiæ cenſurâ notatum fuiſſe ; quis non revereatur? Fac totius Orbis Epiſcopos acceſſiſſe, atque omnes unâ pace conjunctos, unâ fide, unâ charitate, nedum ulla extiterit ſuſpectæ fidei ſignificatio ; quis damnare audeat, ac non ſuſcipere conſenſionem totius Orbis? Fac deindè ab eo cœtu, & ex eo cœtu electum Papam, qui, cum cæteris, hoc decretum Cardinalis condiderit, qui tanto loco poſitus nihil retractârit, Patreſque decreti autores complectatur ; quis non id decretum, cùm & omnibus notum ſit, & à nemine improbetur ; imò ab omnibus ſupponatur, ut rerum gerendarum optimum fundamentum, intactum ac tutum manere judicet? Recurrit enim illud : *Error cui non reſiſtitur approbatur.* Et in fidei quæſtionibus maximè tenet illa ſententia ; præſertim ubi publicè error ille eſſet editus ; ubi maximâ autoritate ; ubi Concilii quoque generalis & Spiritûs ſancti nomine, iis certè qui loqui debeant, Paſtoribus Eccleſiarum, Cardinalibus, Doctoribus, Papæ omnium capiti. Jam verò depromamus Concilii Œcumenici ſacroſanctum nomen & ſummi Pontificis ſediſque Apoſtolicæ comprobationem & confirmationem, tot tantiſque argumentis demonſtratam ; quis non indignetur, poſt trecentos ferè annos, illius decreti rejectam autoritatem?

Decr. diſt. lxxxiij. cap. *Error.*

Digitized by Google

Certè non deerant Martini etiam V. temporibus, qui Synodo Conſtantienſi, ut aliis Synodis contigerat, obtrectarent. Sed Martinus V. Apoſtolicâ eos autoritate compreſſit, *qui ſtultè vani capitis ludibria, totius Conſtantienſis Synodi Œcumenicæ Patrum ſapientiæ ac probitati anteferrent, acuerentque linguas contra hujuſmodi Synodi decreta.* Hîc rogo, quis Epiſcoporum, quis Pontificum Romanorum, quis Catholicorum unquam, ſine ullo diſcrimine Patrum Ariminenſium ſapientiam, probitatem, ac decreta laudârit, ac non priora proba à poſterioribus impiis & nullis ſecernenda putârit? Itaque Bellarminus, Binius, alii recentiores, ac privati Theologi, qui Concilii Conſtantienſis poſteriora dumtaxat acta probant, illud Concilium partim approbatum, partim improbatum in ipſo ſtatim titulo profitentur. At non ita ſummi Pontifices, non ita Martinus V. ſed Patres Conſtantienſes, eorumque decreta laudat, nullo Seſſionum temporumque diſcrimine, quippè qui omnia inter ſe apta connexaque eſſe intelligeret; neque ignoraret, priores, quibus interfuiſſet, æquè ac poſteriores, quibus electus eſſet, Œcumenici Concilii nomine honeſtatas, neque valere Concilii Œcumenici autoritate electionem ſuam, niſi quæ huic certam ac neceſſariam muniiſſent viam, pari autoritate conſtarent. Ac ne id ſemel feciſſe videatur, eodem anno 1422. decrevit, ut Joannes Comes Armeniaci determinationi ſacri Conſtantienſis generalis Concilii adhærere, illamque ut obedientiæ filius inſequi cogeretur.

Rain. an. 1422. n. 13.

Ibid.

At anno 1423. cùm adeſſet tempus habendi, ex Conſtantienſis decreti autoritate, Papienſis Concilii, ad Othonem Archiepiſcopum Trevirenſem hæc ſcripſit: *Si fortè civitas Papienſis, per ſacrum Conſtantienſe Concilium pro loco hujus futuri Concilii deputata, aliquo caſu, quod Deus avertat, impediretur, non propterea à tam ſacro opere deſiſteremus.* Simul Academia Pariſienſis, ſacerque in eâ Theologorum cœtus, miſſis Oratoribus, Martinum adhortatur, ut illud Concilium Ticini indictum celebraret. Hos ergò Conſtantienſis Synodi ſtudioſiſſimos, quibus maximè autoribus Seſſionum IV. & V. decreta prodierant, *de eximio in Romanam Eccleſiam ſtudio commendavit*; atque hæc reſcripſit: *Non eſt dubitandum, quin plurimùm ſaluti profutura ſit hæc ſacra Synodus, Deo autore, de proximo celebranda, per ſanctam ſuperiorem Conſtantienſem Synodum inſtituta, ad ordinandam reformationem ſtatûs Eccleſiaſtici.* Sic laudat abſolutè Conſtantienſem ſacram Synodum, nihil à prioribus poſteriora ſecernens: ſic probat reformationem in Conſtantienſi Synodo commendatam, quæ ſacræ Synodo nunquam plena viſa eſt, niſi in capite & in membris fieret.

Ibid. an. 1423. n. 1.

Ibid. n. 2.

Itaque Martinus, ut Conſtantienſi pareret Synodo, Ticinum Legatos miſit, qui ſuo nomine ſacro generali Concilio præſiderent. At, lue graſſante, non id ſibi tribuit, ut Concilium ſolvat, aut transferat: ſed ipſa Synodus, decreto edito, Papâ deindè approbante, *civitatem Papienſem mutat, & loco ipſius, civitatem Senarum pro continuatione ejuſdem ſacri Concilii eligit, atque deputat.* Quod hîc obiter notari velim, ad elucidandas controverſias Baſileæ poſteà ſuborturas.

Ibid. n. 3.

Vid. tom. xij Concil. p. 366.

Sanè diſſimulari non poteſt, quod ab omnibus ſcriptoribus eſt proditum, Curiales, ut reformationem, ita etiam Synodos, quibus autoribus

Digitized by Google

fieret, exoſas habuiſſe; atque ob id, apud pios, gravi famâ laborâſſe: quâ maculâ Martinus ipſe non nihil aſperſus ſit. Itaque ad Synodos non ſatis ſeriò congregatas cunctanter accedebant; Synoduſque Senenſis ſtatim atque inchoata eſt, ſeſe ipſa diſſolvit. Id tamen ex Conſtantienſi diſciplinâ, inſtitutoque geſſit, ut 19. Februarii 1424. decretum ederet in ſeſſione I. Baſileenſi recitatum: *Quo decreto, pro loco futuri Concilii juxta formam & tenorem decreti Conſtantienſis, civitas Baſileenſis*, unanimi Patrum ſententiâ, nominatur. Ib. p. 378. & 463. 464.

Sequitur eodem anno Martini V. Bulla, quæ diſſolutionem Senenſis Synodi ac deſignationem Baſileenſis civitatis, pro futuro Concilio, poſt ſeptennium celebrando, *juxta determinationem factа Conſtantienſis Synodi*, à Senenſibus Patribus, ſeu *majore eorum parte* factas, Apoſtolicâ autoritate confirmat. Nihil quidem promptius confirmabant, quàm quòd ſe Synodi facilè diſſolverent; ſed interim ipſi haud levi infamiâ, nimiis corruptelis Eccleſiæ Catholicæ diſciplina laborabant. Rain. an. 1424. n. 5.

Expleto ſeptennio, tempus aderat, quo Baſileæ ex decretis Conſtantienſibus & Senenſibus, Martino comprobante, generalis Synodus haberetur. Eam ergò Synodum ex capite, *Frequens*: Conſtantienſis Concilii, & ex Senenſis decreti autoritate, Pontifex convocavit; deſignatuſque eſt Julianus Cæſarinus Cardinalis, vir hujus ævi & pietate & doctrinâ maximus, qui ſacro Conventui præſideret. Bull. Mart. v. ad Card. Julian. inter act. Cõc. Baſil. ſeſſ. 1. tom. xj. p. 468.

His geſtis Martinus obiit, electuſque eſt Gabriel Condulmerius, jam ſupra nominatus, Gregorii XII. ſororis filius, atque Eugenii IV. aſſumpto nomine in Petri Cathedrâ collocatus.

Is ſtatim atque creatus eſt Pontifex, anno ſcilicet 1431. eundem Julianum ab anteceſſore Legatum deſignatum, ejuſque juſſu cum Bohemis agentem, ac magna tractantem, miſit ad Synodum. Pontificis mandata notanda ſunt: *Ut expedito negotio Bohemorum, cujus finis expectatur in brevi, tuos greſſus dirigas in Baſileenſem civitatem, & ibi... juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Conſtantienſi, optimè provideas.* Adeò ſancta & inconcuſſa Synodi Conſtantienſis habebatur autoritas, ex quâ tum omnia gererentur. Ep. Eug. iv. ad Card. Julian. ibid. pag. 470. vid. ap. Æn. Sylv. epiſt. Jul. ad Eug.

Hanc Julianus Bullam accepit, Baſileam venit, atque Eugenii IV. repetitis mandatis Synodum inchoavit die 19. Julii (*bb*) anno eodem 1431. Concilii Conſtantienſis Eugenii nomine autoritatem agnovit, decreta executus eſt. Sed nos res Baſileæ geſtas alio ex principio ordiemur. Hic quidem obſervabimus, Conſtantienſis Synodi intactam & florentem manere autoritatem; ut ejus profectò Synodi, quæ terrum ſchiſma extinxerit, Sedis

(*bb*) *Synodum inchoavit die 19. Julii.*] Ut veritas hiſtoriæ ſervetur, obſervandum eſt, poteſtatem a Papâ factam fuiſſe Cardinali Juliano in Bohemiâ variis negotiis diſtento, deligendi eos quos ipſe vellet, qui Concilio interim præſiderent, & eum elegiſſe *Joannem Polmar & Joannem de Raguſio, qui applicuerunt Baſilea 19. Julii*, & 23. ejuſdem menſis Concilium inchoârunt. Julianus autem non venit Baſileam ante menſem Octobris, & 14. Decembris primam ſeſſionem celebravit. Re non ſatis perpensâ, ſcripſit is qui D. FLEURY hiſtoriam Eccleſiaſticam ſupplevit, eos quos Julianus delegaverat menſe Maio Baſileam veniſſe. Vid. tom. xij. Conc. p. 459. 461.

Apoſtolicæ majeſtatem ſchiſmate deformatam in integrum reſtituerit, & contra hæreticos aſſeruerit, fœdas hæreſes profligârit, reformationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & neceſſariam declarârit, & ex parte delibârit, & ut poſteà fieret, niſi mens hominum læva obſtitiſſet, certa fundamenta jecerit. Quæ cùm ad aſſerendam Synodi Conſtantienſis autoritatem plenè ſufficiant, tamen rerum ſubſequentium ſeries, tot eam in rem acta, atque etiam ad ſeſſionum IV. & V. decreta firmanda congeret, ut ſi quis de Synodi Conſtantienſis autoritate dubitare poſſit, is profectò in meridianâ luce caligare ac cæcutire velle videatur.

Digitized by Google

DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER SEXTUS.

De Baſileenſi, aliiſque ſecutis Synodis ac geſtis, quibus Conſtantienſia decreta confirmentur.

CAPUT PRIMUM.

Duo diſſidia Baſileenſia diſtinguntur: res in primo diſſidio geſtæ.

NUNC Concilii Baſileenſis, & Eugenii IV. recenſenda geſta. Duo quidem diſſidia extitere inter Eugenium & Baſileenſe Concilium: primo in diſſidio vicit Synodus, tenuere Patres, ut autore Pontifice decreta ſua valerent: alterum immedicabile diſſidium fuit: Eugenius, fruſtrà renitente Synodo, in Cathedrâ Petri manſit. Hîc conſtituendum tantis in diſſidiis, tantoque animorum æſtu quid fixum inviolatumque ſteterit. Nos Conſtantienſia decreta & intacta & immota perſtitiſſe, imò expreſſiſſimè confirmata, eoque, quem dicimus, ſenſu intellecta fuiſſe, ex actis docebimus.

Digitized by Google

Conc. Baſ. ſeſſ. j. n. iij. iv. v. ix. x. xj. tom. xij. pag. 462. & ſeq.

Seſſione I. Baſileæ habitâ ſeptimâ die Decembris anni 1431. Juliano Præſide, lecta ſunt ea decreta, quibus Synodus iniretur, imprimis caput *Frequens* Concilii Conſtantienſis, Senenſis Concilii decretum de Baſileenſi Concilio celebrando, Martini approbatio de eodem habita, Synodi convocatio, ac deſignatio Juliani Cardinalis Præſidis, ad eundem Eugenii IV. eâdem de re datæ literæ. His lectis, à Synodo tot tantiſque firmata præſidiis, decretum eſt: ſacrum generale Concilium Baſileæ ſtabilitum, canonicè eſſe fundatum, quò Prælati omnes accedere tenerentur.

Ib. ſeſſ. ij. n. ij. p. 477.

Seſſione II. 15. Februarii anno 1432. decretum eſt: *Sacram Baſileenſem Synodum, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Conciliis generalibus decernentibus, & autoritate Apoſtolicâ interveniente, fuiſſe debitè, legitimèque ac ritè initiatam.* Conſtantienſis Concilii ſeſſionis V. decreta repetita ea, quæ à Clero Gallicano laudata, atque à nobis ſæpe relata ſunt; nempe quòd omnes, etiam ipſe Papa, Concilio ſubſit in cauſis fidei, ſchiſmatis, ac reformationis. Ea verò decreta geſtis inſeruntur; cùm nullum ſchiſma eſſet, cùm Pontifex indubius, miſſis legatis, Synodo præſideret: quo fixum, non ad ſchiſmatis, ſed ad omne tempus ea decreta pertinere, eoque ſenſu ab omnibus fuiſſe intellecta.

Pag. 480. vid. Bull. Eug. in app. Conc. Baſ. pag. 934. & ſeq.

Eodem anno 1432. 29. Aprilis, ſeſſione III. hæc legimus: perlatum ad ſacrum Concilium, Eugenium, *ex ſiniſtrâ informatione motum, diſſolutionem ipſius Concilii attentaſſe.* Nempe ab Eugenio edita erat Bulla, quâ Synodum prorogabat, Baſileenſem diſſolvebat, novam Synodum Bononiam, elapſo anno integro cum dimidio, atque iterum poſt decennium, *ex ordinatione Conſtantienſis Concilii*, Avenionem convocabat. Hæc autem decreta, non ſtatim perlata ſunt ad Synodum; & qui temporum notas Pontificiis Bullis & Conciliaribus decretis adhibitas inter ſe contulerit, ſtatim animadvertet, Baſileenſem Synodum vix inchoatam, jam ab Eugenio fuiſſe diremptam, & Juliani Cardinalis operâ factum, ut decreti promulgatio aliquantulum differretur.

Ibid.

Allatæ ſunt diſſolutionis cauſæ: *Clerus in Alemaniâ multipliciter difformatus*: quâ cauſâ Synodus acceleranda potius quam diſſolvenda erat: *Clericorum in ipſa urbe Baſileenſi trucidatio exemplo Bohemorum*: quod erat Baſileæ ignotum: *pericula ex bello inter Burgundum & Auſtriacum Ducem*, queis Patres minimè movebantur. Alia edit æquè vana, quorum Eugenium pudere videbatur; addebat enim poſtea cauſas occultas, ſuam valetudinem obtendebat; & qui non? Nempe volebat ipſe adeſſe Concilio Bononiæ celebrando: modò ſcilicet unius anni cum dimidio ſpatium lucraretur. Sic Eugenius Concilium cupiebat aperto ludibrio. Ita Patres, ita Legatus Julianus, ita Chriſtiani omnes, atque etiam, ut videbimus, ipſe Eugenius judicavit. Cæterùm è re noſtrâ eſt intelligere Eugenium IV. nihil omninò conqueſtum de Conſtantienſibus ſeſſionis V. decretis, Baſileæ ſeſſione II. repetitis; quippe cùm Conſtantienſia decreta ab omnibus inviolata ſanctaque haberentur.

Et hoc ad elucidationem rerum pertinet, hanc quoque diſſolvendæ Synodi cauſam fuiſſe allatam, quòd Græci Eccleſiæ Romanæ conjungendi, Bononienſi Synodo adfuturi eſſent; quaſi ſtatim Baſileæ non poſſet tot

exoptata

Digitized by Google

exoptata votis reformatio fieri ; ac tum, ſi res poſceret, nova Synodus convocari Bononiam. Sed Eugenio Græcis quoquo modo opus erat, ut conſiliis ſuis aliquem colorem obtenderet.

Grave viſum eſt Patribus reformationem eluſam toties, & in longum ire ſpem Orbis, Synodumque Baſileenſem duorum generalium Conciliorum, duorum Pontificum, ipſiuſque adeò Eugenii IV. autoritate, tantâ ſolennitate, tantâ Orbis Chriſtiani expectatione inchoatam, in ipſis initiis ab ipſo Eugenio repentè diſſolvi : obtendi bella, obtendi pericula, quæ Baſileæ agentibus imminerent : hyemem etiam, morbos, alia incommoda exaggerari Romæ, quæ ipſi Baſileæ nequidem cogitarent ; tum novarum Synodorum injici ſpem, cùm interim jam convocata, jam felicibus auſpiciis inchoata ſolveretur. Editum ergò à Synodo, ſeſſione III. caput, *conſiderans*, quo decernit: *Præfatam diſſolutionem contra decreta Conſtantienſis Concilii*, magno fidei periculo, magno populi Chriſtiani ſcandalo factam, *nullatenus fieri potuiſſe ; quinimò ipſa minimè obſiſtente ad perſecutionem eorum, quæ laudabiliter ſunt incœpta, eſſe cum Sancti Spiritûs gratiâ procedendum.* Ibid. pag. 480.

Illud diligenter annotandum, Baſileenſes Patres Concilii diſſolutionem irritam declarâſſe, Conſtantienſibus decretis, ſeſſionis V. nixos : iis enim niti ſe profitentur, eaque decreta iterum repetunt ſuoque decreto inſerunt ; quod quàm ad rem noſtram ſpectet, lector per ſeſe intelligit, & ſequentia demonſtrabunt.

Hoc decreto edito, de diſſolutione revocandâ, multa Pontificem, multa Cardinales monent ; ad inchoata porrò pergunt. Ib. p. 481.

Pridem omnes ſuſpicabantur Martinum V. & Eugenium IV. abhorrere à Conciliis celebrandis, ac reformationis opus cunctanter & diſſimulanter aggreſſos. Quare Patres ægrè ad Concilia veniebant, quæ Pontificibus inviſa, ac ſtatim re infectâ ſolvenda eſſe crederent. Et ipſe Eugenius Juliano Cardinali ſuccenſebat, quòd res Concilii citiùs optato proceſſiſſent. Cùm verò ſolvendi Concilii miſſa eſt facultas, Julianus pro eo ac debuit, ad Pontificem ſcripſit : *In Concilio Orbis Chriſtiani ſpem unicam eſſe repoſitam: fidei extrema imminere pericula, nec ſe facilè potuiſſe adduci, ut crederet, tantam rem à Pontifice diſſimulanter aut negligenter actam ; ſibi quidem decretum, non exercere diſſimulatoris officium, cùm de correctione Cleri, præſertim in Germaniâ, nulla ſpes ſupereſſet, futurum ut in nos irruant laici more Huſſiſtarum, hoc eſt, more ferarum, ac prægnantes hominum animos in immane aliquod facinus erupturos, atque inſtar ſacrificii putaturos, ſi ſpoliarent Clericos primævæ diſciplinæ ac pietatis oblitos, aut etiam trucidarent.* Jam enim Chriſtianum Orbem dira facta agebant, imò adverſus effrænas cupiditates Divina ultio ac virga vigilabat : poſtremo vitiorum tanta colluvies, & graſſantes Wiclefi, Huſſi, Bohemorum hæreſes, tetrum Reformatorem portendebant, ac parturiebant Lutherum. De Græcis liberè reſpondebat Julianus ; *abſurdum videri, ut propter incertam reductionem Græcorum, permitti debeat, quòd Germania nunc & ſemper labatur in hæreſim Bohemorum.* Denique omnia egit, quaſi jam inſtaret, & ob oculos verſaretur infanda & horrenda illa diſceſſio *, quam poſteà vidimus. Altera epiſtolâ urgebat vehementiùs ; Patribus videri diſſolutionem ab Eugenio factam nullam & irritam fuiſſe ; in Concilio enim

Vid. epiſt. Card. Jul. ad Eug. in côm. Sylv. p. 823. edit. Pinſſonii 1666.

Ibid.

* Reformatorum.

Ib. p. 836.

Conſtantienſi ſeſſione XXXIX. capite, *Frequens*, ſignanter cautum, ut tempus Synodi abbreviari à Pontifice, non autem prorogari poſſet, ac multò minus diſſolvi incœpta jam Synodus; tum illud definitum in ſeſſione V. *cuilibet Concilio generali, etiam a Papâ*, morem geri oportere: cujus Concilii, ſi decreta vana eſſent & fruſtratoria, tum Pontificum electiones, & cætera quoque Concilia, totumque Eccleſiæ ſtatum vacillare.

Hæc de Concilio Conſtantienſi dixit vir hujus ævi maximus longèque doctiſſimus atque ſanctiſſimus, & in Synodo Florentinâ, cauſæ Catholicæ adversùs Græcos præcipuum firmamentum. Rainaldus multas in hunc ferè ſenſum, maximi Cardinalis profert epiſtolas, quas omnes referre nihil attinet, cùm ſummam teneamus.

Rain. tom. xviij. an. 1431. 1432.

Cæterùm ipſe in Concilio perſtitit, neque, revocatus licèt, ab officio Præſidis deſtitit. Manſere in Concilio alii Cardinales: in his Dominicus Capranica (*a*) vir maximus, Martino V. primùm à ſecretis, rati omnes unâ cum cæteris Patribus, geſta ab Eugenio ad Synodum dirimendam, caſſa & irrita eſſe.

Seſſione IV. Synodus Cardinales vocat: definit *quòd in eventum vacationis ſedis Apoſtolicæ, hoc ſacro generali durante Concilio, electio Pontificis in loco Concilii, non alibi, celebretur; in contrarium attentata, quâvis autoritate, etiam Papali, nullius roboris ipſo jure eſſe decernit.* Id decretum pro rei gravitate ſeſſione VII. repetendum cenſuit.

Seſſ. iv. p. 487. vid. ſeſſ. iij. p. 481. Pag. 496.

Exindè contra Eugenium proceditur: ſeſſionibus VIII. & IX. accuſatur, citatur, ac demum ſeſſione XII. capite quod incipit, *Sancta Catholica, niſi intra ſexaginta dies*, Bullâ editâ, reſipiſcat, ab officio ſuſpenditur, ut ſubverſor Conſtantienſium decretorum ſeſſionis V. & capitis, *Frequens*; quæ decreta iterum atque iterum repetuntur, inculcantur, geſtis inſeruntur.

Pag. 497. & ſeq. 508. & ſeq.

Ex his intelligitur, quo maximè fundamento Patres Baſileenſes Eugeniana decreta ſolverent. Nempè quòd Eugenius caput *Frequens* contempſiſſet, quod quidem ad reformationem pertineret, imò verò quo tota, prout tunc res erant, reformatio nitebatur. Quo canone contempto, Eugenius ipſa ſeſſionis V. fundamenta quatiebat. Hæc igitur Synodus Baſileenſis egit. At adversùs decreta Baſileenſia edit Eugenius Bullam, *Inſcrutabilis*, & Bullam, *In arcano*: atque hâc ultimâ Bullâ expreſsè reprobat Baſileenſe decretum, *ſancta Catholica*, ſeſſionis XII. quo ipſe intra ſexaginta dies reſipiſcere jubebatur.

Vid. in ſeſſ. xvj. p. 529. & ſeq.

Interea ad Synodum Baſileenſem Sigiſmundus Imperator acceſſerat, is qui in Conſtantienſi quoque Concilio tanta geſſerat. Is ubi primùm intellexit Synodum ab Eugenio diſſolutam, nihil commotus iis, quæ ad ipſum Eugenius eâ de re ſcripſerat, palam Eugenio ſignificat: ſe nihil adversùs Bohemos armis profeciſſe; *nec jam*, inquit, *aliqua ſperantur remedia, quàm*

Rain. an. 1431. n. 26.

(*a*) *Dominicus Capranica*] à Martino v. factus Cardinalis, ſed à Cardinalibus è Conclavi excluſus, ideò quòd nondum acceperat *galerum Cardinalatus inſigne*, quandò Martinus mortuus eſt, demum ab Eugenio iv. repulſam paſſus, *tum ad Baſileenſe Concilium profectus eſt queſtum injurias*, & ab eo, ac deinde ab ipſo Eugenio, rebus compoſitis, pro Cardinale eſt habitus. Is erat vir tantus CAPRANICA, qui, niſi mortem obiiſſet, credebatur in Calixti iij. locum ſucceſſurus. Vid. Plat. in vit. Calixt. iij. & Pii ij.

Digitized by Google

hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, quod Deus omnipotens hoc tempore tribulationis ab alto conceſſit, & in quo omnis virtus contra hanc peſtem hereticam, omniſque ſalus & ſpes omnium conſiſtit. Itaque profitetur ſe hanc Synodum omni ope tuendam ſuſcepiſſe; in eamque Synodum ſeſſione IX. 22. Januarii anni 1433. magnâ, utpar erat, Patrum gratulatione, exceptus eſt. Neque alia ſentiebant alii Orthodoxi Principes, præſertim Francorum Rex, ſacroſanctæ Synodi defenſor eximius.

Seſſione XI. decernitur, ut *Baſileenſe Concilium per neminem, etiam ſi Papalis fuerit dignitatis, ſine conſenſu duarum partium Concilii, diſſolvi, aut de loco ad locum mutari poſſit.* Sic Concilium ſuam in Pontificem poteſtatem, non modo explicabat decretis, ſed etiam reipſa exercebat. Num. iv. p. 506.

Imperator ac Reges agebant cum Eugenio, ut diſſolutionem revocaret. Cùm ergò ſeſſione XIII. Papæ contumacia accuſata eſſet, inſtaretque terminus præfixus à Synodo, atque Imperator triginta dierum dilationem impetrâſſet, quibus elapſis contra Eugenium jure ageretur, niſi decretis Synodi ſatisfaceret; victus eſt Pontifex Synodi autoritate, Principum precibus, Eccleſiæ periculo; gravique ſui nominis infamiâ. Quare ex præſcriptâ per ipſam Synodum ſeſſione XIV. adhæſionis formulâ, ſeſſione XVI. Concilio ſe adjunxit. Pag. 515. & ſeq. Pag. 523. 528. & ſeq.

Quæ autem ſeſſione XIV. geſta ſint, cùm his maximè cauſa nitatur, diligentiùs conſiderare oportet.

Prorogatur Eugenio terminus, * eâ conditione, ut niſi ſatisfecerit, *pœnæ in decretis monitorii ac prorogationis contentæ, eo ipſo inflictæ ſint, & eſſe intelligantur.* Tum in ipſâ Synodo confecta Bulla, quam Eugenius ederet, & ad Synodum mitteret. Hujus initium: *Dudum ſacrum*: ſumma verò hæc eſt. * 90. dierum. Ib. p. 523.

Primùm: *Concilium à die inchoationis legitimè continuatum fuiſſe & eſſe.* Ib. p. 524.

2. Diſſolutionem ab Eugenio promulgatam, irritam & inanem.

3. Tres Bullas adverſus Concilium editas, nullas & irritas fuiſſe. Primam, *Inſcrutabilis*; ſecundam, *In arcano* ſupra memoratas. Tertiam, *Deus novit*.

4. Quæcumque à ſe contra Synodum ejuſque membra, atque etiam in Cardinales Synodo adhærentes edicta eſſent, æquè nulla.

5. An ejus legitima citatio & defenſio fuerit, ſtare ſe ipſius Synodi judicio.

Hæc ſi Eugenius faceret; tum, *ſi quid culpæ commiſſum eſt, attentando diſſolutionem, aut in confectione, & publicatione trium Bullarum, ſacrum Concilium penitùs abolet.* Quæ omnia ſuperioris adverſùs inferiorem eſſe, omnes intelligunt. Ib. p. 525.

Hæc tamen decreta ſeſſionis XIV. Baſileenſis expreſsè ab Eugenio approbata & confirmata eſſe, & apud omnes conſtat, & Rainaldus confitetur, & acta ipſa demonſtrant. Nempe ſeſſione XVI. allata Bulla Eugenii, *Dudum ſacrum*: in ea verba quæ Synodus præſcripſerat; quæ data 18. Kalend. Jan. 1433. Baſileæ, in ſeſſione XVI. legitur, publicatur, approbatur, geſtis inſeritur. Rain. loc. cit. n. 1. 4. 5. & ſeq. Vid. pag. 528. & ſeq.

Sic tanto molimine ab Eugenio tentata ac decreta Synodi diſſolutio, ab eodem Eugenio revocatur; declaraturque ſanctam Synodum non modò

Nnn ij

continuandam ; ſed ipſo reclamante licèt, vere ac legitimè continuatam fuiſſe : habitæque pro nullis tanto ſtrepitu editæ, Bulla, *Inſcrutabilis*, ac Bulla, *In arcano*; Bulla verò, *Deus novit*, tametſi ab Eugenio reſpuatur ut falſa, neque unquam à ſe edita, (*b*) ad cautelam tamen etiam ipſa revocatur.

Notatu digniſſima Eugenii verba, quibus eas Bullas revocat. Declarat Ib. p. 529. enim revocari à ſe eas, *ut*, inquit, *mentis noſtræ integritas ac devotio, quam ad univerſalem Eccleſiam, & ſacrum generale Concilium Baſileenſe gerimus, omnibus conſtet evidenter.* Sic Baſileenſe Concilium, in eoque repreſentatam univerſalem Eccleſiam, non tantùm honore, ſed etiam devotione proſequitur, ſibique anteponit : cujus quippe juſſu, ſua quoque decreta, totâ, quantâ erant autoritate, prolata, antiquat & revocat.

Vid. pag. 528. His lectis, Synodus hanc tulit ſententiam : *Sacra Synodus decernit, Eugenium per has literas ſatisfeciſſe plenariè monitioni, citationi, & requiſitioni ſacri Concilii, prout in decreto in XIV. ſeſſione promulgato, & in ſchedulâ in eodem decreto inſertâ continetur :* patetque omninò ex actis ſupremam Synodi Œcumenicæ autoritatem, etiam in ipſum Papam, eumque indubitatum, non modò à Synodo declaratam, ſed etiam à Synodo exercitam ; atque ab eodem Papâ fuiſſe agnitam, edito quoque, quo nihil ſolennius eſſe poſſit, diplomate, in Œcumenicâ Synodo promulgato, ac Patrum ſententiis roborato.

CAPUT II.

Ex antedictis Conſtantienſia dogmata confirmantur.

NUNC ex his quæ relata ſunt, pro decretis Conſtantienſibus argumenta ducimus invicti roboris.

PRIMUM, Eugenius noverat è ſeſſionibus II. III. XII. Baſileenſibus ante & poſt diſſolutionem, Conſtantienſia decreta ſeſſionis V. repetita & conſtabilita eſſe, ut quæ vera certaque Concilii Œcumenici ubique approbati decreta eſſent : atqui Concilio Baſileenſi ita prædicanti ac decernenti adhæret, & legitimè continuatum eſſe confirmat : ergò Conſtantienſia decreta valere intellexit, valere voluit, nedum ſuſpecta, aut infirma, aut revocanda putaret.

Quòd ſi cum Turrecrematâ negaveris nota Eugenio fuiſſe, quæ publica eſſent ac publicè promulgata ; ſic agimus : decreta Conſtantienſia ſeſſionis V. decretis Baſileenſibus adversùs Eugenium editis, ac decreto, *Sancta Catholica*, ſeſſionis XII. Baſileenſis inſerta erant ad verbum ; atqui

(*b*) *neque unquam à ſe edita.*] Quis verò hoc credat ; cùm ſtylus ipſaque verba ac ſententiæ, autorem hujus Bullæ prodant Turrecrematam ? Fortaſſè Pontifex hanc, nondum ſuis omnibus veſtitam formulis, in publicum miſerat, eò ut odoraretur vulgi opinionem ; Bullam ratam eſſe juſſurus, ſi placuiſſet, irritam & confictam dicturus, ſi diſplicuiſſet.

Digitized by Google

decreta illa Baſileenſia Eugenio nota erant. Certè enim noverat, quæ judicatorio edicto damnaverat: damnaverat autem, ut vidimus, Bullâ, *Inſcrutabilis*, & Bullâ, *In arcano*, quæcumque Baſileæ poſt diſſolutionem geſta eſſent; & quidem ſpeciatim ea, *quæ ſtatuta de ſe, & contra ſe eſſent*, atque expreſſiſſimè decretum Baſileenſe, *Sancta Catholica*, quo nullum erat ad inculcanda, repetenda, exequenda decreta Conſtantienſia validius. Igitur ea Baſileæ approbata eſſe noverat, eorumque approbationem ipſe ex certâ ſcientiâ approbabat.

Confirmatur: Bullâ *Inſcrutabilis*, decreta Baſileenſia ita damnaverat, ut *quæ non ad reformationem, ſed ad deformationem; non ad unitatem, ſed ad ſciſſuram Eccleſiæ; non ad hæreſes tollendas, ſed ad nutriendas ſpectare videantur:* ergò Eugenio benè nota decreta, quibus tam perſpicuas notas inureret; ac proindè ſunt ſancta, ac cenſuris libera, cùm inuſtas à ſe notas ipſe abſterſerit. Seſſ. xvj. p. 530.

Quòd ſi ea quoque, quæ ex Conſtantienſibus decretis contra ipſum geſta eſſent, ab omni ſchiſmatis & hæreſeos ſuſpicione liberavit, & valere judicavit; quantò magis decreta Conſtantienſia, quæ fundamenti loco ab ipſis Baſileenſibus poſita, & decretis inſerta eſſe vidimus?

Secundum Argumentum: quæcumque à ſe in ſolvendo Concilio contra ipſius decreta Concilii geſta eſſent, ea Eugenius non modò revocavit, verùm etiam nulla fuiſſe declaravit; & Concilii acta, ſe quoque contradicente geſta, valuiſſe ſanxit. Præterea quæſtionem hanc, an adversùs Pontificem ab ipsâ Synodo decreta citatio, & Pontificis defenſio legitima fuerit, judicio Synodi permittit, ejuſque decreto ſe ſtare declarat. Ergò iterum atque iterum Conſtantienſia decreta, & Conciliorum ſupremam poteſtatem, etiam in objurgando & citando, & ſub pœnis judicando ſummo Pontifice, non modò approbando, ſed etiam exequendo & obediendo firmat.

Tertium Argumentum: decreta Conſtantienſia uſque adeò ab omnibus firma habebantur, ut nec diſſidii tempore, aut ipſe Eugenius, aut ejus nomine quiſquam improbare ſit auſus.

Non ipſe, qui Bullâ, *Inſcrutabilis*, ea tantùm Baſileenſia irritâſſet, quæ *poſt diſſolutionem* facta eſſent: non ergò quæ ante diſſolutionem Seſſione II. ubi Conſtantienſia decreta repetita fuere: ergò, ipſo quoque annuente, valebant.

Non ejus fautores, vel obſequentiſſimi, in Bullâ, *Deus novit* *, ubi hæc verba legimus: *Si Papa, vel Legatus ejuſdem nollet diſponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papæ ſententia, vel ejus Legati perſonam ſummi Pontificis repræſentantis, non Concilii voluntas ſequenda foret, cùm ſuper omnia Concilia habet poteſtatem Papa; niſi fortè quæ ſtatuenda forent, Catholicam fidem reſpicerent, vel, ſi non fierent, ſtatum univerſalis Eccleſiæ principaliter perturbarent; quia tunc Concilii ſententia eſſet potiùs attendenda.* Igitur qui Pontifici impenſiſſimè favebant, in Eccleſiæ generalibus, ipſiuſque adeò fidei negotiis, Concilii poteſtatem præſtare fatebantur: ergò Conſtantienſia decreta, quæ id ſtatuerunt, probata omnibus, neque in maximis etiam controverſiis, controverſa unquam fuere.

* Quam Eugenius falsò ſub ſuo nomine editam fuiſſe dixit. Vid. ib. p. 537.

Quartum argumentum. Ex his quoque certum, Conſtantienſia

decreta, non ad ſchiſmatis, aut ad dubii Pontificis tempus, à quoquam relata, cùm ſub Eugenio IV. indubitato Pontifice valere & obſervanda eſſe Baſileenſes Patres, & Eugenius IV. voluerint & intellexerint.

QUINTUM ET ULTIMUM ARGUMENTUM. Cùm Eugenius IV. Bullis quoque editis, & ſolenniſſimo ritu, in Concilio ſcilicèt generali promulgatis, Baſileenſia inſertaque in eis, ac ſæpè innovata decreta Conſtantienſia firmaret, ac ſuprà ſe Concilii generalis poteſtatem extolleret, vel vera, vel falſa promebat. Si vera, ſtant planè Conſtantienſia decreta, atque iis certa fides: ſtant adversùs indubitatum Pontificem: ſtat ſuprema Baſileæ agnita & exercita in indubitatum Pontificem poteſtas. Sin falſa prompſit Eugenius, jam Pontifex non tantùm erraverit, verùm etiam errorem decreto firmaverit, eoque decreto, quo nullum ritu ſolenniori promulgari poſſit; quippè quod fuerit in Œcumenicâ Synodo promulgatum, ac ſententiâ Synodi roboratum. Sic, quidquid dixeris, Pariſienſium noſtrorum vicit ſententia, atque omninò res noſtræ utrinque in tuto ſunt.

CAPUT III.

Confirmantur argumenta capitis præcedentis: inſigne EUGENII IV. *ad univerſos fideles diploma refertur.*

ID ut pateat clariùs, placet conſiderare quid ipſe Eugenius, diſſolutione, ut quidem exiſtimabat, vigente, quid poſteà edixerit. Nempè diſſolutione nondùm revocatâ hæc edixit, & id quidem *univerſis Chriſti fidelibus*, ne Eugenii ut privati Doctoris ſcriptum eſſe reſpondeas. Nempè Eugenio objiciebatur à Baſileenſibus caput, *Frequens*, à Martino Papâ approbatum: id caput diſſolutioni obſtare contendebant. Negat Eugenius eo ſe teneri: *Neque enim Martinus*, inquit, *ſuis ſucceſſoribus potuit præjudicium generare, pari poſt ipſum, quinimò eadem poteſtate functuris; & infertur (prout eſt ſecundùm omnia jura) in hâc parte Concilium inferius ſummo Pontifice, Papamque ipſis priorem nequeunt ſolvere vel ligare. Sed nos, in his Concilio ſuperiores, ipſum poſſumus pro libitu regulare.*

Bull. *Deus novit*, in ſeſſ. xvj. p. 534. 535.

Pergit: *Nam hoc de jure notiſſimum eſt, quòd poſſumus quæcumque ſtatuta, decreta, declarata, ſivè ſancita per quoſcumque prædeceſſores noſtros, vel per quæcumque Concilia, dummodò in ipſis fidei fundamenta non exiſtant, ſive ex hoc univerſalis Eccleſiæ bonum principaliter non turbetur, ut Vicarius Chriſti, & irreprehenſibiliter pro noſtro amovere, & corripere libitu voluntatis, & contra ſentire non eſſet longævum ab hæreſi; velle ligare manus Vicarii* JESU-CHRISTI, *& in terris Dei Legati, ſive ipſius geſta judicare, vel improbare, quod ſacrilegii crimen habet.*

Illud interim obſervari velim quo loco Eugenius adversùs generales Synodos tam magnificè ſe effert, eodem confiteri non ea à ſe poſſe convelli, quæ ſoluta, non modò fidem, ſed etiam quæ univerſalis Eccleſiæ bonum principaliter perturbarent: quod cùm dictum eſſet in Bullâ, *Deus novit*,

Digitized by Google

quam Eugenius ut falſam abjecit, nunc præſtat in vero ſinceroque diplomate promulgari. Sed quæ in eo diplomate conſequantur videamus.

Infert deinde multa in *acephalam Synodum*; atque ita concludit : *Sacrilegum igitur à nobis poſtulant, & hæreticum, ut declarare velimus retroactis temporibus Baſileæ continuò fuiſſe Concilium, cùm poſt noſtram diſſolutionem ſine noſtris præſidentibus, regulare non facerent Concilium; quia eorum dicta, geſta, & facta omnia, contra Divina jura pariter & humana, perperàm ſunt confecta..... quæ adeò ſunt minùs benè compoſita, ut etiamſi ab habentibus poteſtatem promulgata fuiſſent, eſſent irritatione, annullatione & revocatione digniſſima.*

Ib. p. 536.

At hæc, Eugenio teſte, *annullatione & revocatione digniſſima*, firmavit Eugenius : hæc *ab hæreſi non longæva* Eugenius ſanxit : *hæc ſacrilega & hæretica*, nempè *retroactis temporibus Baſileæ fuiſſe Concilium*, Eugenius amplexus eſt, atque in Œcumenicâ Synodo, Bullâ editâ, declaravit. Sic ille nos adjuvat, providitque Deus, ut qui Pontificiam poteſtatem ſupra omnem modum extollere nitebatur, omnia ſibi in Concilia quoque licere definiens *pro ſuæ libitu voluntatis*, is omnium maximè Conciliari poteſtati ſe ſubderet, eamque dictis & factis ſuperiorem agnoſceret.

CAPUT IV.

TURRECREMATÆ & RAINALDI *aliorumque ſuffugia.*

ID argumentum, quanquam obvium, neque Bellarminus, neque Lupus, neque diſquiſitor *, neque autor doctrinæ Lovanienſium, neque ille, qui diligentiſſimus videri voluit, rerum quoque futilium inveſtigator & collector Anonymus, neque alii quique attigêre. Unus Turrecremata videre viſus eſt; ſed qui ejus dicta exſcribere ſolent, eos credo referre puduit quæ huic argumento ille reſponderit.

* Lovaniĕlis, nempe D. Dubois.

Vid. Turr. de Eccle'. lib. ij. cap. c.

Primùm ergò Bullas, quibus Eugenius diſſolutionem ſuam nullam eſſe judicavit, vi extortas fuiſſe Turrecremata ſignificat, idque à pluribus magnæ gravitatis viris dictum eſſe *in Curiâ*. Eſto : dictum ab aulicis, ſed nullis actis probatum, nullo ſcriptore proditum, & ab ipſo Eugenio negatum, ut mox videbimus : neque ei rationi Turrecremata inſiſtit, & nos contemnimus.

Sed enim Turrecremata Florentiæ hæc dicentem audivit ipſum Eugenium *in diſputatione publicâ : nos quidem benè progreſſum Concilii approbavimus volentes, non tamen approbamus ejus decreta.* Tune ergò ejuſmodi colloquiis dictiſque, quorum penes te fides, evertenda, aut etiam interpretanda putas, ea quæ Synodicè geſta, decreta, judicata, & approbata ſunt? Audi tamen Pontificem : *approbavimus volentes*; non ergò extortæ Bullæ; atque illi viri graves, qui id in Curiâ dicerent, nugabantur.

At enim, inquiunt, urgebat Synodus, urgebat Imperator Chriſtianique Reges, totâque Eccleſiâ connitente, Eugenius metu ſchiſmatis Synodum

Gonzal. Diſp. xiv. ſect. iij. n. 2. 8. pag. 695. 696. ex Spond. an. 1432. n. 2. 5. 1433. n. 27. 1438. n. 23.

fruſtrà diſſolutam fatebatur. Ita, inquit Pater Gonzalez, *ex Spondano* docente, Bullam revocatoriam ambiguis verbis eſſe conſcriptam. Sic Eccleſiæ, ſic Romano Pontifici conſultum volunt, qui ab eo fatentur ambiguis verbis ludificatam Eccleſiam: nec tamen verum eſt. Verba relegantur: clara ſunt: ſua omnia irritat: Conciliaria omnia valuiſſe declarat. Quidquid ergò Spondanus dixerit, actis Conciliaribus, non poſterioris ævi ſcriptis credimus. Quid autem? An metu ſchiſmatis facta ad violentiam refers? Addere debuiſſes per vim extorqueri quæ metu peccandi fiant. Cogebat Imperator, inquiunt: imò ſuadebat, urgebat, nihil tamen per vim. Quid ſi Synodo Regiam manum ſecundùm canones imploranti, ne ſchiſma fieret, ne hæreſes atque corruptelæ gliſcerent, auxilium præſtitiſſet; eane vis eſſet, non autem æqua, legitimaque actio Advocati ac protectoris Eccleſiæ?

Quid quòd Eugenius omnibus Bullis fatebatur non valere à Pontifice facta, quæ totam Eccleſiam perturbarent? Quid quod Duvallius, aliique confitentur Pontifici talia atteſtanti, vim inferri fas eſſe? Ergò qui vim comminiſcuntur, omnia Eccleſiæ jura, atque etiam Eugenii decreta convellunt.

Quòd autem Turrecremata Cardinalis addit à Pontifice non approbata *decreta* (*c*) *Baſileenſia, quæ nunquam vidiſſet, neque examinâſſet*, fallit aut fallitur. An ergò hæc decreta non ſatis divulgata erant? An Pontifex non viderat, neque examinaverat, quæ in ſe facta ipſe damnaverat? An verò valitura ea non intelligebat, poſt ſententiam ſuam ab ipſo revocatam? Denique an damnatis à ſe Baſileenſibus decretis, Conſtantienſia decreta inſerta non legerat? Vana hæc & ludicra à tractationibus Theologicis procul abſint.

Urget: ſed quod Eugenius decrevit Synodum Baſileenſem à ſe licèt diſſolutam, tamen ritè & ordine continuatam fuiſſe, id non eſt referendum ad defectum poteſtatis, quaſi Eugenius Synodum diſſolvere non potuerit; ſed quòd diſſolutio non veris rationibus niteretur. Contrà, aſſerit Synodus, nec potuiſſe diſſolvi, quòd eâ diſſolutione ſubverteretur Caput, *Frequens*, quo reformatio nitebatur. At Eugenius hæc decreta Synodica, à ſe licèt condemnata, valere voluit. Ergò & id probavit, Synodum à ſe nec diſſolvi potuiſſe. Sed eſto: ſint vera quæ tu dicis. Ergò, te fatente, falſum illud jactatum ab Eugenio, potuiſſe à ſe diſſolvi Synodum *pro ſua libitu voluntatis*,

(*c*) *à Pontifice non approbata decreta.*] Auguſtinus Piccolomini, dictus Patricius, Eugenianarum partium ſtrenuus defenſor, de eâ re, Turrecrematâ teſtem locupletiorem adducimus. Nam in ſcribendâ Concilii Baſileenſis hiſtoriâ optimis commentariis eſt uſus, & ipſis Concilii actis à Joanne de Segoviâ collectis. Vide hanc hiſtoriam apud Labbeum ad calcem tom. xiij. Conc. Porrò teſtatur Patricius, *quoad obſervantiam decretorum Concilii, Eugenium Pontificem reſpondere, ſe Concilii decreta ſemper ſuſcepiſſe & obſervaſſe.* cap. xlvj. p. 1533. Et quidem adeò perſuaſum erat Doctori BACHSNSTSIN Pontificem tum approbaſſe Concilii decreta, cùm, editâ Bullâ, Concilio ſe adhærere ſignificavit, ut ſic ipſum alloqueretur: *Sanctitas veſtra, in Bullà adhæſionis, pollicita eſt ea ſervare decreta* (Baſileenſia.) Coll. D. Bach. Cor. Sanct. in Flor. app. Conc. Baſ. cap. xl. tom. xij. p. 866. quæ eadem reperimus in ep. *Syn*, ib. cap. vij. p. 710. Quo loco obſervandum eſt, acta ea fuiſſe poſt ſeſſionem xx. cùm jam alterum diſſidium inter Papam & Concilium oriri cœpiſſet. Atqui etiam tum teſtabatur Eugenius ſe *velle* Concilii *decreta ſervare*, quod profectò non dixiſſet, niſi ejus decreta probaſſet. Hæc dicta ſint in Turrecrematæ vitilitigationes; neque nos ullo modo dubitamus, omnes, ſi hunc unum excipias, hujus ætatis homines id ſenſiſſe, ſcilicet decreta Concilii jam facta, fuiſſe à Papâ approbata, ſaltem eo tempore, quo ſe palam Concilio conjungebat,

voluntatis, nullis licèt veris cauſis. Denique vel ex te duo habemus: primum, diſſolvendi cauſas ad examen venire, atque illud examen pertinere ad Synodum; non ipſam à Pontifice diſſolutionem factam, ſtatim ex ſe ipſâ ſtare: alterum, utcumque ſit, vel renitente Pontifice certo, indubitato, nec hæretico, valere & ſtare ſemel inchoatam Synodum univerſalem.

At enim, inquit, aliud eſt progreſſum Concilii, aliud decreta probari. Sed qui decreta Synodi ſciat, nec improbet, & editâ Bullâ Synodo adhæreat, quid aliud quàm approbat, aut Eccleſiam ludit; quantò magis cùm ab ipſo expreſsè damnata decreta Synodica, ipſo quoque autore poſteà convaleſcunt; cùmque eas delet, quas impreſſerat notas ac cenſuras, uti jam diximus? Turrecr. loc. cit. vid. Gonzal. & alios paſſ.

Aſſerit Turrecremata à Concilio petitam aliam approbationem, nec impetratam. Gratis dicit, nullis actis probat, cauſæ ſuæ favet.

Denique hoc addit: *Non eſſet paſſura*, inquit, *ſedes Apoſtolica à Papâ confirmari talia decreta, quæ ab Evangelicâ veritate, & ſanctorum Patrum doctrinâ aliena videbantur.* Reſpondemus: Ergò ſedes Apoſtolica Pontifici obſtitiſſet: quantò magis Eccleſia Catholica adunata id facere potuit? Proſequitur: *Neque per illam revocationem voluit Dominus Eugenius ſe & ſua abnegare, quæ juxtà Scripturas & ſanctorum Patrum ſententias Apoſtolicæ ſedi divinitùs ſunt conceſſa, cùm hoc non poſſet facere; inter quæ eſt illud de dependentiâ Conciliorum à Papâ, non è converſo.* Quid audio? Papa non id facere potuit, & tamen factum eſt: & ipſe Pontifex judicio Synodi ſtare ſe declaravit, & id ex præſcripto Synodi egit, & quæ de Conciliorum poteſtate Conſtantiæ primùm, deindè Baſileæ toties definita erant, ſibi licèt nota, non modò immota reliquit, ſed etiam inuſtas à ſe revocavit notas. Non ergò Scripturis, non ſanctis Patribus, non ſanctæ ſedi divinitùs conceſſis privilegiis adverſari intellexit.

Poſtremò cogitent dictum illud Eugenii ſua decreta revocantis: *Ut noſtræ mentis integritas & devotio, quam ad univerſalem Eccleſiam & ſacrum generale Concilium Baſileenſe gerimus, omnibus conſtet evidenter, quidquid per nos, aut noſtro nomine contra hujus Concilii autoritatem factum, ſeu attentatum, & aſſertum eſt, caſſamus, irritamus.* Quid illa *devotio* erga Baſileenſe generale Concilium, niſi geſtorum in eo apertiſſima comprobatio eſt? Ergò comprobavit quæcumque Baſileæ pro ſupremâ Conciliorum in Papam poteſtate geſta, decreta, & ex Conſtantienſi Synodo repetita erant: niſi fortè ſchiſmatica improbata, atque exoſa, ipſe quoque honore, imò etiam *devotione* proſequitur. Vid. in ſeſſ. xvj. p. 529.

Rainaldus objicit Eugenium, cùm hæc faceret, pacis ſtudio, jure ſuo ceſſiſſe, idque ab ipſo ad Imperatorem eſſe perſcriptum. Illud perſcriptum quidem epiſtolâ privatâ; ſed hujuſmodi epiſtolis negamus jura contineri. Tu mihi id reſpice, quid Synodicè geſtum ſit Seſſione XIV. Concilii Baſileenſis. Non id à Pontifice poſtulatum, ut jure ſuo ſpontè decederet; ſed ut perperam incœpta juſſu Synodi omitteret, atque revocaret. Seſſione XVI. Eugenius à Synodo admiſſus eſt, ut qui Synodi *monitioni* ac *citationi* ſatiſfeciſſet, hoc eſt, procul dubio paruiſſet. Totam ipſe cauſam in Synodi poteſtate eſſe profeſſus eſt; ſed juſſus, ut vidimus; ſed præſcriptâ formulâ. Non ergò jure ſuo ſpontè deceſſit, qui ex lege in ipſum latâ egit. An. 1434. n. 3.

Sic quæſtio noſtra iterùm, nec tantùm Conſtantiæ, ſed etiam Baſileæ à Concilio Œcumenico, Papâ approbante, judicata eſt. Quippè de ſuperiori Papæ vel Concilii poteſtate agebatur: Synodum Œcumenicam ritè inchoatam Papa diſſolvit: decretum de diſſolvendo Concilio à Papâ editum Synodus antiquavit: quæſitum, cujus ſuperior ſit poteſtas; at, Eugenio quoque judice, ſuperior eſt Synodus, quæ ab Eugenio diſſoluta, Eugenio renitente fruſtrà, ac tandem obtemperante, ſtetit & valuit; quia ex diſſolutione fidei periculum, Eccleſiæ ſcandalum, reformationis neceſſariæ mora. Quantò ergò magis Synodus prævaleret, ſi, quod maximè quærimus, de fide, de ſchiſmate, aut de reformatione directè ageretur?

Notent nunc, damnent, improbent quæ tantis in diſſidiis ſedes Apoſtolica intacta eſſe voluit, imò apertiſſimè comprobavit: evertant quæ fundamenti loco magnâ conſenſione utrinque ſunt poſita; ſuo certè pondere firma erunt, ad quæ quiſquis impegerit, ſe potiùs, quam illa confringet.

CAPUT V.

De ſecundo Baſileenſi diſſidio: quid ab initio reconciliatæ gratiæ, uſque ad ſecundi diſſidii initium, à Synodo geſtum ſit per biennium.

JAM ex altero Baſileenſi diſſidio haud minùs valida argumenta promemus. Verùm, ut intelligantur, rerum ſumma, ab ipſo principio reconciliatæ cum Eugenio gratiæ, ex actis recenſenda eſt: quâ in re mihi certum de ipſo diſſidio non ferre ſententiam; quippè quod ad rem noſtram non pertinet. Neque par eſt hujus diſputationis, ſatis per ſe gravis, curſum, accerſitis difficultatibus, impedire. Id agam, ut reſeratis defenſionis cauſis, ipsâque quæſtione inter Eugenium & Patres ex geſtis conſtitutâ, canones Conſtantienſes, quos tuemur, pro certis & immotis ab utrâque parte habitos eſſe appareat; quod unum ad Gallicanam Declarationem pertinet.

Poſtquàm igitur Eugenius Seſſione XVI. Synodo ſatisfecit, ejus Legati, in his ille qui nunquam à Synodo aut officio Præſidis receſſerat, Julianus Cardinalis, admittuntur, & Synodo *incorporantur*, dato priùs ſacramento, *nominibus propriis*, de defendendis decretis Seſſionis V. Conſtantienſis Concilii ſæpè memoratis; atque ea decreta iterùm geſtis inſeruntur, die Sabbati 24. Aprilis 1434.

Seſſ. xvij. p. 539. 540.

Poſteà decernitur, ut Legati juriſdictione coactivâ careant, utque ea quæ à ſacrâ Synodo decreta fuerint, ipſi, aut, ipſis abſentibus vel recuſantibus, primus Prælatorum Synodi nomine concludat atque pronuntiet: quo ſublato, nulla Concilii libertas, imò nullum Concilium; ſed omnis ejus actio in Legatorum poteſtate eſſe videretur. Itaque hæc, præſente Imperatore, Legatis annuentibus, ſolenniſſimo ritu confecta ſunt, Seſſione XVII. Seſſione XVIII. Seſſionis V. Conſtantienſis decreta innovantur; atque in his omnibus, Auguſtinus Patricius hujus ævi autor diligens, Eugenianarum partium,

Pag. 540. 541 vid. Patric. hiſt. Baſ.&c.cap. xxxix.tom. xij. Conc. p. 1525.

nihil hîc turbæ refert, cùm accuratè ſoleat hujuſmodi memorare caſus.

Seſſione XIX. multa de Græcis, & cum Græcis aguntur, Legatique Græci Imperatoris audiuntur, ejuſque ac Patriarchæ leguntur ſcriptæ ad Synodum literæ; atque inita cum ipſis, de ſuſcipiendo itinere atque habendi Concilii modo, pacta firmantur; proponuntur à Græcis loca, quibus utriuſque Eccleſiæ conventus habeatur; Patres Legationem decernunt, quâ Græci inducantur, *ut in civitatem Baſileenſem velint aſſentire:* veriti ne, tranſlationis ſpecie, aliquid ab Eugenio novaretur. Hæc geſta 7. Septembris anno eodem 1434. *Pag. 541. Patric. loc. cit. cap. xl. & ſeq.*

Seſſione XX. de reformatione multa, eaque egregia decernuntur; continuatur reformatio. Seſſione XXI. de Divino officio multa præclarè; ſed quò Romana Curia maximè moveretur, vetitæ ſunt Annatæ (*d*) ſub pœnis *adverſus ſimoniacos inflictis*, cum hâc clauſulâ: *Et ſi, quod abſit, Romanus Pontifex, qui præ cæteris univerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur.* 9. Junii anno 1435. Quæ poſteà Eccleſiarum conſenſione mutata, hîc tamen neceſſariò memoramus ad geſtorum ſeriem, non ad contendendi libidinem. *Pag. 549. & ſeq. Pag. 552. 553.*

Memorat Auguſtinus Senenſis, Archiepiſcopum Tarentinum, & Epiſcopum Paduanum Legatos Apoſtolicos, Pontificis nomine proteſtatos; Patres in ſententiâ perſtitiſſe; decretum à Juliano Cardinale Præſide concluſum eſſe. *Patric. loc. cit. cap. xliv. pag. 1530. 1531.*

Anno 1436. 25. Martii, Seſſione XXIII. multa decernuntur, *de electione ac profeſſione ſummi Pontificis, de numero & electione Cardinalium, de ſacris electionibus celebrandis, de tollendis reſervationibus, de Clementinâ* (*e*) *literis*, quæ ſedem Apoſtolicam maximè concernebant. Hæc Auguſtinus Senenſis *in publicâ Seſſione, communi conſenſu, ritè decreta eſſe* confirmat. *Tom. xij. Conc. pag. 557. & ſeq. Patr. cap. lj. p. 1535. & ſeq.*

Sequente menſe Aprili, die 14. menſis, Seſſione XXIV. multa item de Græcis & cum Græcis acta. Legati Græci Imperatoris ac Patriarchæ, *totius Orientalis Eccleſiæ deſiderium exponentes*, ſacram Synodum excitant, *ad tam ſancti operis proſecutionem*; illud imprimis *firmiter conſtanterque aſſerentes, unionem ipſam, niſi in Synodo univerſali, in quâ tam Eccleſia Occidentalis, quàm Orientalis conveniat, fieri nullatenùs poſſe:* quo vel uno capite Con- *Tom. xij. pag. 567. & ſeq.*

(*d*) *vetita ſunt annatæ*,] quod Curiam Romanam non parum commovit. Ergò Eugenius cùm audivit concluſum eſſe decretum, pollicitus eſt ſe *de hâc materiâ, quæ diſcuſſione indigeret, per ſuos Legatos Concilio reſponſurum*, qui quidem Legati coram Synodo conqueſti ſunt his verbis: *Nemo ſatis admiratur, quod in re tam grandi, irrequiſitis & inſciis ſanctiſſimo Domino noſtro atque ſacro Collegio.... concluſum fuerit.... Unde ſedes Apoſtolica impenſas faciet, providendo neceſſitatibus & utilitati univerſæ Eccleſiæ?* Sive, ut habet Patricius: *Unde alentur Curiales?* Pergunt: *Jure igitur manutenenda erunt iſta, donec aliter fiat ſufficiens proviſio; de quâ proviſione ſufficienti faciendâ per hoc ſacrum Concilium, ſanctiſſimus Dominus noſter vult eſſe benè contentus.* Vid. in app. Conc. Baſ. cap. xlj. pag. 862. & ſeq. Patric. tom. xiij. cap. xlvj. p. 1534.

(*e*) *Clementina.*] In his literis, *narrabatur aliquem dignitati aut beneficio renuntiaſſe, aut privatum eſſe;* & ſtatim beneficium alteri dabatur. Cùm autem facile eſſet hujuſmodi literas impetrari à Curiâ Romanâ, hinc fiebat ut nonnunquam beneficii poſſeſſor, nihil minùs cogitans, de ſuo beneficio pelleretur. Jubet ergò Synodus ut *hujuſmodi literæ non præjudicent, niſi per teſtes aut alia legitima conſtiterit documenta*, poſſeſſorem ritè dejectum fuiſſe, *aut juri ſuo renuntiaſſe.* Nunc in deſuetudinem abierunt iſtæ literæ.

Digitized by Google

ciliaris autoritatis ſumma neceſſitas, communi Occidentis Orientiſque conſenſu ſtabilitur.

Ib. p. 568. & ſeq. 573. & ſeq. vid. Conc. Sen. ib. p. 368.

Hinc ſalvus-conductus Græcorum Imperatori ac Patriarchæ totius Orientalis Eccleſiæ Græciſque ſacri Concilii nomine eſt datus, conceſſaque à Synodo pleniſſima indulgentia, in favorem ſubſidii pro Græcis reducendis, eâ planè formâ, quâ ſimilis indulgentia in Senenſi Synodo, ſub Martino V. Legatis præſidentibus atque aſſentientibus, Martino nihil repugnante, data erat.

Ib. p. 578. & ſeq.

Eodem anno, Nonis Maii, Seſſione XXV. decernitur de loco, quo in Græcorum gratiam Synodus cogeretur, & deſignata eſt certis conditionibus Avenionenſis civitas. Hinc nova cum Eugenio jurgia, & Concilii Ferrariam tranſlatio ſequitur. Sic à Seſſione XVI. quâ Eugenius, primâ diſſolutione revocatâ, Synodo conjunctus eſt, continuatæ per biennium publicæ Seſſiones, tantiſque de rebus decreta ſunt edita. Nunc quid Eugenius egerit ex geſtis recenſendum.

CAPUT VI.

Quid per idem tempus ab EUGENIO IV. *ſit geſtum.*

Append. Conc. Baſ. cap. xlij. p. 865.

DUM hæc Baſileæ agebantur, miſit Eugenius ad Synodum peculiares Legatos, qui de aliquot decretis quererentur, imprimis de Annatis, quod graviſſimum videbatur; *peterentque a Synodo fieri proviſionem ſedi Apoſtolicæ*, hoc eſt, pecuniaria concedi ſubſidia. Cardinalis Julianus Apoſtolicæ ſedis Legatus & Concilii Præſes, Concilii nomine reſpondit: de Annatis, quòd à Synodo decretum fuerit, nihil in diminutionem ſedis Apoſtolicæ factum: providiſſe Synodum juxtà Apoſtoli ſententiam, ut *ab omni ſpecie mali* abſtinerent: *à Synodo faciendam proviſionem Apoſtolicæ ſedi competentem*, ſi Papa, qui omnium caput eſſet, ut ab ipſâ Synodo requiſitus erat, canonum atque inchoatæ reformationis rationem habuerit. Quòd autem petebatur ſuſpendi decretum (*f*), *nullâ ratione decere, ut tam ſalubre decretum, conformeque per omnia legi Evangelicæ & SS. Patrum inſtitutis, ſuſpendi aut irritari debeat.*

Vid. reſp. Jul. ib pag. 704. & ſeq. j. Theſſ. v. 22.

Reſp. Jul. ib. p. 709.

Hæc igitur Synodi nomine reſponſa docent, invitatum Eugenium, ut eos canones admitteret, non eo tamen animo, quòd Patres putârint Synodica decreta ab eo potuiſſe diſſolvi. Quare alio quoque Synodali reſponſo declarant, vehementer mirari ſe, quòd Pontifex manſuetiſſimè requiſitus ad duo tantùm capita reſponderit; nempè de electionibus atque Annatis. Ac de Annatis quidem, *decuiſſe magis ſuam Sanctitatem, decretum hoc liberè obſervare, ac ſervari facere, juxta ſanctorum Patrum inſtituta, ac decretum ſacri Concilii Conſtantienſis, diffiniens, omnem hominem, etiam Papalis dig-*

Vid. pag. 710. 711.

(*f*) *ſuſpendi decretum*] (de annatis) Adi, lector, hanc Juliani *reſponſionem Synodalem*, mirâ tinctam pietate, & graviſſimo judicio conſperſam.

Digitized by Google

nitatis, decretis & mandatis Conciliorum generalium parere debere in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis ac reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quibus declarabant ſibi quidem ineſſe ſummam poteſtatem; cæterùm id agere, ut Eugenius non coactus, ſed requiſitus ſpontè aſſentiretur.

Quare his atque aliis commotus Eugenius, Legatos miſit toto Orbe terrarum, ſuo ſacrique Collegii Cardinalium nomine, de Synodo conqueſturos, cum commonitorio, ſive ſecretis mandatis, quæ Rainaldus exſcripſit Rain. an. 1436. n. 2. & ſeq. ad annum 1436. Eugenii 6. Hæc occultè acta, quanquam procul abſint à decreti publici autoritate, eorum tamen ſumma capita decerpere eſt animus, quòd multùm juvent ad intelligendas veras hujus diſſidii cauſas.

Primùm ergò Eugenius queritur de Seſſione XVII. admiſſiſque Legatis, Ibid. n. 3. ſine juriſdictione coactivâ, atque eâ conditione, ut, iis recuſantibus, nomine Synodi, Prælati concluderent: quæ Eugenii querela eò pertinebat, ut tota Synodus ſub Legatorum poteſtate eſſet.

Hîc Eugenius refert, totam Synodum id auſam, *ut conſtitueret ſibi Præſidentem, & caput*, primæ nempè diſſolutionis tempore: *quod*, inquit, *non tam eſt erroneum, quàm periculoſum, & piarum aurium offenſivum, necnon ab omni obſervatione & doctrinâ ſanctorum Patrum alienum.*

Atqui illud, *erroneum atque à doctrinâ Patrum alienum*, ipſe Eugenius confirmavit, dum Synodum à ſe diſſolutam malè, benè continuatam eſſe, edito diplomate definivit.

Pergit, innovâſſe Patres *duo decreta Conſtantienſis Concilii ad alios caſus*, Ibid. *quàm fuerat conſtituentium intentio; per hoc denegantes Concilia generalia habere poteſtatem ac robur à Vicario Chriſti, & inferentes, quòd Romanus Pontifex obedire teneretur decretis Concilii: quod eſt poteſtatem Chriſti Vicarii tollere, & in manibus multitudinis ponere; quod eſt non tam erroneum, quàm etiam ab omni doctrinâ Patrum totaliter alienum.* Quo loco Concilii Conſtantienſis autoritatem toto Orbe conſtantem ſollicitare non auſus, ejus decreta perperàm à Baſileenſibus intellecta querebatur. Utcumque eſt, illud *erroneum, & à Patrum doctrinâ alienum*, Patres Baſileenſes pridem amplexi erant, ab ipſis nempè ſuæ congregationis initiis Seſſione II. ut vidimus. Id etiam ſæpè diſſolutionis tempore innovârant, inculcârant, ſciente Eugenio, qui hæc nedum reprehenderet, ipſam quoque Synodum ritè inchoatam, ritè continuatam eſſe definiret, edito diplomate: ut profectò pateat, quæſitas nunc ab illo clam eas conquerendi cauſas, quas ipſe anteà publicè, totâque ſedis Apoſtolicæ autoritate reſpuiſſet.

Addit, *feciſſe decretum de Annatis auferendis*, quæ Annatæ invaluerint, Ibid. n. 4. *à tanto tempore*, (g) *de cujus contrario non eſt memoria.* Id verò quale ſit,

(g) *à tanto tempore;*] hoc eſt à tempore Clementis v. qui decimo-quarto ſæculo ab Anglis, duobus vel tribus annis, ac poſt eum Bonifacii ix. qui ab omnibus Eccleſiis, etiam tribus annis *annatas* pendi juſſerunt. Exinde Pontifices illas tanquam perpetuo jure partas exegerunt. Hoc eſt *tempus*, quod Eugenius vocat *tantum*. Certè xl. anni à Bonifacio ix. nondum effluxerant. Vide librum Gallicum: *Traité des annates* editum an. 1718. & in tom. iii. part. j. collectaneorum quibus titulus eſt: *Memoires de literature & d'hiſtoire*, libellum D. Goujet S. Jacobi Hoſpitalarii Canonicum, cui titulum fecit: *Relation de l'aſſemblée de la nation Françoiſe à Conſtance &c.*

docti ſciunt, ac nos facilè omittimus; eamque rem, uti prædiximus, non contendendi ſtudio, ſed geſta recenſendi neceſſitate referimus.

Ibid. n. 6. & 12. Queritur Eugenius vehementiſſimè de conceſſis à Synodo indulgentiis; & Julianum Cardinalem Legatum, honorificè tamen appellatum, graviter vituperat, quòd eâ in materiâ concluſerit. Atqui jam diximus à Senenſi Synodo conceſſas indulgentias, nemine prohibente, nemine conquerente. Neque omittit Eugenius *Bullam plumbeam* à Synodo factam: quæ profectò indicant ab Eugenio querelarum cauſas undecumque conquiſitas, atque exaggeratas fuiſſe. Ibid. n. 8. vid. ſupr. cap. præc.

Ib. n. 12. Subdit Eugenius, Legatos Concilii Præſidentes adversùs Conciliaria decreta, *aliquando publicè, aliquando ad partem in Concilio, aliquando extra Concilium, in eorum domibus, coram honeſtis perſonis, prout meliùs & ſecuriùs potuerunt, ſæpiùs proteſtatos, ſingulariter in decreto de Annatis:* de quibus nihil comperio in geſtis aut in ullo publico monumento; imò decretum de Annatis, à Juliano Cardinale Præſide concluſum, ac vehementiſſimè nomine Synodi aſſertum eſſe conſtitit. Quòd autem ſignificare videtur Eugenius, Legatos à Synodo vim aliquam metuiſſe; nullis eſt geſtis, nullis hiſtoriis, nullo autore proditum; imò conſtat ex geſtis, Legatos honorificentiſſimè habitos. Vid. ſup. loc. cit.

Nec illud tacet Eugenius, *Concilium jam annis ſex durare ſine fructu:* (*b*) quòd ipſum Patres vehementiſſimè querebantur, ipſique Eugenio imputabant; qui Synodum ſine causâ jam indè ab initio diſſolverit; qui toto ferè triennio exagitaverit; qui nullam poſteà Curiæ reformationem pati poſſet.

Comm. Eug. apud Rainal. loc. cit. n. 15. Quantam autem reformationis curam gereret Eugenius, hæc commonitorii verba oſtendunt: *Utile præterea foret, ſi ii Nuntii Apoſtolici ſecum portarent ſub Bullâ* ALIQUAM CURIÆ REFORMATIONEM, *quam Regibus & Principibus præſentarent: hoc enim baculo adverſarii noſtri ſemper nos invadunt & percutiunt, quia dicunt, multa in Romanâ Curiâ fieri quæ egent magnâ reparatione, nec illa tamen corriguntur. Per hanc reformationem, etiamſi uſquequâque plena non foret, modò eſſet* ALIQUA, *eorum ora obſtruerentur, qui continuè lacerant & carpunt Romanæ Curiæ famam, nec haberent quid ultrà impingerent, redderenturque tunc Reges & Principes meliùs ædificati, & proni magis ad condeſcendendum petitionibus Domini noſtri Papæ, & ſacri Collegii, deterrerenturque qui autoritatem Apoſtolicæ ſedis ſuo hoc prætextu perſequuntur.* En quam reformationem vellent. Itaque Eugenius tranſlatâ Synodo Ferrariam, ac deindè Florentiam, ne unum quidem reformationis caput attigit, ut ſuo loco videbimus.

Hæc qui legent, ne adversùs ſacroſanctam poteſtatem trahant, neque hominum peccata ſedi imputent; ſed Divina judicia contremiſcant, totque reformationes impias, ſequente ſæculo ex inferis prodituras, neglectæ reformationis ultrices cogitent.

Neque prætermittendæ artes, quibus Sigiſmundum Imperatorem, Regem Francorum, alioſque Principes delinirent: multa ſpeciatim ad ſingulos Prin-

(*b*) *ſine fructu.*] In memoriam revocet lector Eugenium, primi diſſidii tempore, Juliano Cardinali ſuccenſuiſſe, quòd res Concilii citiùs optato proceſſiſſent. Vid. ſup. hoc lib. cap. j.

Digitized by Google

cipes, hæc generatim ad omnes: *Non eſſet etiam malum, quòd Nuntii, qui habebunt ire, habeant aliquas particularitates, etiam in foro conſcientiæ, ut poſſent gratificari Regibus & Principibus.* Ibid.

His artibus id impetrare nitebantur, ut Papa ſuprà omnia Concilia extolleretur, neque eorum ullis legibus teneretur; ſed leges omnes moderari, atque etiam tollere pro arbitrio poſſet. Verùm hæc omnia Orbem concitatura, cùm palam edicere Eugenius vereretur, occultis tractationibus promovebat. Nunc quid publicè ſanxerit exponendum, poſtquàm res in apertam erupit diſſenſionem.

CAPUT VII.

Diſſidii cauſa ex geſtis: quæſtio proponitur, an Conſtantienſia decreta revocata in publicum.

HACTENUS motus animorum varios; nunc ipſum controverſiæ caput exponimus. De Græcis reducendis pridem, & cum Eugenio, & cum Synodo agebatur. Et Eugenius quidem rem ſtrenuè promovebat: naves, pecuniam, omnia apparabat. Et quamquam ſubſidia hæc in Pontificis potiùs, quàm in Concilii manu erant; Græci tamen profitebantur, ad tantæ rei firmitudinem, Concilii autoritatem eſſe neceſſariam. Locus ergò idoneus quærebatur, quem in locum Græci commodè convenirent. Baſilea remotior, nec ſine tranſlatione Concilii res confici poſſe videbatur. Hinc motus. Nam & Patres Eugenium primâ jam diſſolutione ſuſpectum, novis experimentis permoti, reformationi obſtare arbitrabantur; verebanturque, ne tranſlationis ſpecie, iterùm Synodus ſolveretur, aut in eum deduceretur locum, quò minùs liberè reformatio proceſſura eſſet. Et aliundè Græcis Italia commodior erat, & Pontifex habendo conventui, cui ipſe quoque neceſſariò adfuturus eſſet, Ferrariam, ut ſibi Græciſque commodam deſtinabat. Patres in alia omnia ire; neque ſe Baſileâ commovere velle; ſed ſi Græci recuſarent, præter Baſileam, Avenionem quoque, aut aliquam in Sabaudiâ urbem habendæ Synodo deſignabant; ubi ex propinquo præſidium à Gallis, qui & Synodo faverent, & reformationem urgerent. Neque Græci primùm à Sabaudiâ abhorrebant; ſed interim per Eugenii Legatos de Italiâ viciniore pacti erant, reſque cum eorum Imperatore tranſacta. Cæterùm Legati Apoſtolici, Pontificis nomine, & Græcorum haberi rationem poſtulabant, & ſumptus tranſlationi neceſſarios offerebant. Quòd autem Patres obtendebant, Bohemos Baſileam vocatos, prope diem adfuturos, iidem Legati, ut Bohemorum negotium Baſileæ tractaretur, utque ibi reformatio, quoad Græci advenirent, ritè procederet, aſſentiebantur. Quæ cùm multis Patribus æqua viderentur, Seſſione XXV. in duas itum eſt ſententias. Patrum pars maxima locum habendæ Synodi Avenionem deſignabant: pauciores cum Legatis decretum edidere, Synodi nomine, de ipſâ Synodo Florentiam vel Utinam transferendâ, ſive in alium locum tutum, in ante- Vid. hoc decret. part. j. Concil. Flor. tom. xiij. p. 831. 832.

rioribus decretis comprehenſum, ſummo Pontifici, & Græcis commodum; dummodò in manu Concilii ponerentur. Hoc decretum incipit: *Hæc ſacroſancta Synodus*; ſtatimque ab Eugenio, ut rectè & ordine, à ſaniore Concilii parte editum, confirmatur, promulgatâ Bullâ, quæ incipit: *Salvatoris*, 29. Maii 1437.

Bull. Eug. ib. p. 835. & ſeq.

Exindè Eugenius tranſlatam Synodum intellexit: Patres obſtinatè niti, atque inficiari decretum, ut illegitimè, à paucioribus factum, atque in deſignandâ Avenione perſiſtere, Græcis fruſtrà clamantibus facinus indignum; cùm ipſe Imperator, ac totus Oriens patriam ultrò relinquerent, Baſileenſes iis excipiendis, ne in vicinam quidem Italiam movere ſe velle, Avenionem anteferre, procul à Græcis diſſitam, cujus nulla mentio in pactis facta eſſet. Hæc Græcorum Legati querebantur, ac palam Baſileæ ſolenni conteſtatione editâ declarârunt, non adventuros Græcos, eorumque Imperatorem atque Patriarcham, niſi poſtquàm in Italiam appuliſſent, & ad vicina loca habendæ Synodo deducerentur; totamque ſchiſmatis culpam in Latinos Latinamque Eccleſiam conferebant.

Ib. p. 838.

Ib. p. 837.

In hâc igitur rerum neceſſitudine Eugenius, de Concilio Ferrariam tranſlato decretum edidit, continuato tamen Baſileæ tantiſper Concilio *, ad peragendum Bohemorum negotium: cætera, quæ Baſileæ agerentur, irrita declaravit. Hæc continentur Bullâ, *Doctoris gentium*, 1. Octobris 1437. **, ac deindè Concilium ad diem octavam Januarii Ferrariam indicitur Bullâ, *Pridem ex juſtis*, 1. Januarii ejuſdem anni 1437. nam annorum initia pro more, à Dominicâ conceptione numerabant. ***

* Per dies triginta.

Bull. Eug. p. 858. & ſeq.

** Id eſt 1438.

*** Octavo Kalendas Aprilis, ſeu 25. Martii, Bull. *Pridem ex juſtis*. ib. p. 867. 868.

Intereà dum Baſileæ de loco Concilii certaretur, Græcus Imperator appulit Venetias. Hìc Julianus Cardinalis hactenùs Synodo addictiſſimus Baſileenſes hortari, ut Græcis toties vocatis irent obviam, Legatos mitterent, ac perducerent, ſanè Baſileam, ſi poſſent: ſin perſuadere non poſſent, de loco Concilii cum ipſis convenirent; pacem Eccleſiæ loco quocumque curarent. Nihil actum: Julianus abiit: Synodus ſine Legatis manſit: Ludovicus Alamandus Cardinalis, Arelatenſis Epiſcopus, Conventui præfuit.

Vid. Patr. cap. lxiv. tom. xiij. Conc. pag. 1549.

Secuta deindè illa omnibus nota, quæ nihil ad nos ſpectent: neque enim poſteriora illa Baſileenſia Clerus Gallicanus unquam tutanda ſuſcepit; ſed Conſtantienſia, Baſileenſibus prioribus geſtis, conſentiente Pontifice, toties repetita. Hæc immota ſtare, ex Ferrarienſi quoque & Florentino Conciliis, ex ipſius Eugenii & ſucceſſorum decretis, cùm maximè damnarent Baſileenſia poſteriora decreta, non conjecturis aut ratiocinatione dubiâ, ſed actis comprobamus.

CAPUT

CAPUT VIII.

Ex actis ab EUGENIO IV. *adverſùs Baſileenſes in Ferrarienſi quoque ſeu Florentino Concilio editis probatur priora Baſileenſia, quibus Conſtantienſia confirmantur, integrâ autoritate eſſe.*

NE quem lateat, quid ex actis monumentiſque ordine recenſendis probatum velimus, hæc ſumma eſt: poſtremâ Baſileenſi contentione quæſitum id tantùm: an Pontifex eâ autoritate fuiſſet, ut Synodum renitentem aliò transferre poſſet: cæterùm Conſtantienſia decreta Seſſionis V. atque his connexa priora Baſileenſia valuiſſe; neque quidquam ab Eugenio, (edicto ſanè publico) commotum in iis, quibus ſe Synodus, ex decretis Conſtantienſibus, in fidei, ſchiſmatis, reformationiſque negotio, Papæ anteponeret.

Primum ergò publicum monumentum illud ſit, Decretalis: *Salvatoris*, ſuprà memorata, quâ Eugenius IV. decretum, *hæc ſacroſancta Synodus*, Seſſionis Baſileenſis XXV. ut legitimi Concilii verum ac legitimum decretum firmat, ac Florentiam, vel Utinum, ex eodem decreto, futuræ Synodo habendæ deſignat. Ergò Baſileenſibus geſtis ad XXV. Seſſionem innititur, nedum ea edicto improbârit. Tom. xiij. Conc. pag. 838. vid. cap. præc.

Secundo loco prodeat illud ipſum Eugenii, de Concilio Baſileenſi Ferrariam transferendo, decretum, quod incipit, *Doctoris gentium*, anno 1437. quo quidem decreto commemorat decretum, *hæc ſacroſancta*, Seſſione XXV. editum, quo ipſa tranſlatio innitatur. Ad hæc de Baſileenſibus multa conqueſtus eſt, nihil verò de iis, quæ ad Conſtantienſia decreta ſpectarent. Non igitur ea ſollicitari voluit. Ib. p. 858.

Tertium ſit decretum Seſſionis I. habitæ Ferrariæ, anno 1438. ante adventum Græcorum, quo decreto ſtatuitur, Synodum Ferrarienſem Baſileenſis continuationem ac proſecutionem eſſe. Igitur adeò non improbat anteriora Baſileenſia decreta, ut iis innitatur, & ea continuet. Ib. p. 880. 883.

Denique in medium adducimus Eugenii præſentis in Synodo Ferrarienſi decretum, *ſacro approbante Concilio*, editum, quo ſignanter declarat, geſta Concilii, *à die tranſlationis*, nullius eſſe roboris. Ergò nec ipſe Pontifex anteriora geſta reſciſſa eſſe voluit. Bull. *Exposcit debitum.* ib. p. 896. & ſeq.

Cur autem Baſileenſia hæc poſteriora rejiceret, hanc cauſam affert: *Nos igitur attendentes exceſſus eorum adeò notorios, ut non poſſint aliquâ tergiverſatione celari, quòdque error, cui non reſiſtitur, approbari videtur, & latum pandit delinquentibus iter is qui eorum conatibus non reſiſtit*, &c. Atqui haud minùs notoria erant, quæ pro Conſtantienſibus decretis Baſileenſes geſſerant, ante diſſolutionem quidem Seſſione II. poſt inſtauratam verò Synodum Seſſionibus maximè XVI. & XVIII. Ergò ſi Eugenius improbanda ea eſſe cenſuiſſet, & tamen conticeſceret, veritatem prodidiſſet. Conticuit autem; non ergò improbanda cenſuit. Ex his omnibus liquet Baſileenſibus geſtis detractam autoritatem, eis quidem præciſè, quæ poſt tranſlationem facta ſint; Ib. p. 898.

anterioribus verò minimè ; atque ea non infracta, ſed Ferrariæ continuata eſſe. Quare anteriora Baſileenſia decreta, quibus Conſtantienſia confirmantur, repugnante nemine, imò totâ Eccleſiâ iis decretis nixâ, plenâ autoritate conſtant.

Quæres an igitur adhuc valeant Baſileenſia decreta Seſſionum XXI. & XXIII. quibus de Annatis, deque electionibus, atque aliis diſciplinam ſpectantibus, tot ac tanta ſtatuta ſunt.

Reſpondemus, quæ ad dogma Eccleſiaſticum pertinent, magno diſcrimine diſtinguenda ab iis, quæ ad diſciplinam. Hæc à Conciliis quoque Œcumenicis facta, variis de cauſis, conſentiente Eccleſiâ, mutari poſſunt : illa immota & perpetua eſſe conſtat. Cùm ergò decreta, quibus Baſileenſes Seſſionis V. acta Conſtantienſia repetunt & inculcant, ad dogma pertineant, neque ea unquam Eugenius edicto edito reprehenderit, imò ut Œcumenicæ veræ ac legitimæ Synodi decreta agnoverit, non eſt cur de eorum autoritate dubitemus.

Quid quòd in Synodo Florentinâ, autore Eugenio, Conſtantienſia decreta expreſsè approbata ſunt, flagrantibus diſſidiis? Id verò demonſtrabit ſequens monumentum.

CAPUT IX.

Decretalis, Moyſes, *in Synodo Florentinâ edita, priora Baſileenſia & Conſtantienſia decreta firmat.*

Conc. Florent. poſt coll. xiv. Bull. *Decret.* tom. xiij. pag. 1030. Bull. *Moyſes* part. iij. p. 1186.

POSTEAQUAM Ferrariæ cum Græcis aliquot ſunt habitæ Seſſiones, Eugenius Concilium, ipſo Concilio approbante, Florentiam tranſtulit. Ibi celeberrima Eugenii Decretalis, *Moyſes vir Dei, ſacro* (Florentino) *approbante Concilio*, edita eſt ; quâ quidem Decretali Eugenius iiſdem inſiſtens veſtigiis, Baſileenſia poſteriora convellit ; ea ſcilicèt, quæ poſt tranſlationem facta ſint, non autem antecedentia : tum etiam Baſileenſia illa poſteriora ſic improbat, ut firmet Conſtantienſia.

Conc. Baſ. tom. xij. p. 619.

Præmittendum verò eſt à Concilio Baſileenſi, Seſſione XXXIII. tria hæc eſſe decreta : Ut *veritas de poteſtate Concilii generalis ſupra Papam, declarata per Conſtantienſe & hoc Baſileenſe, generalia Concilia, ſit veritas fidei Catholicæ : ut veritas hæc, quòd Papa Concilium generale, ſine ejus conſenſu, nullatenùs autoritativè poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, ſit fidei Catholicæ : ut veritatibus his duabus pertinaciter repugnans, ſit cenſendus hæreticus.*

Hæ *tres veritates Concilii Baſileenſis* ferebantur : has verò fulciebant Conſtantienſibus decretis Seſſionis V. toties Baſileæ repetitis ; eaque decreta primâ illâ veritate apertiſſimis verbis iterùm repetita. Quòd verò Eugenius Pontifex has propoſitiones negaret, Seſſione XXXIV. hæreticus declaratus & loco motus eſt anno 1439.

Ib. p. 619. 620.

Adversùs decreta illa Baſileenſia Seſſionis XXXIII. Eugenius in Synodo

Digitized by Google

Florentinâ edidit Decretalem, *Moyſes:* ubi bis terque repetitur Synodum Baſileenſem condemnandam, ejuſque decreta eſſe irrita; ſed ea, quæ à die tranſlationis facta ſint. Ergò cætera Baſileæ, etiam poſt reconciliatam gratiam, per biennium acta, ut veræ, orthodoxæ, ac legitimè continuatæ Synodi acta habebantur. Atqui eo tempore Conſtantienſia decreta Seſſionis V. innovata. Ergò decretum de eâ innovatione factum, nullâ eſt autoritate reſciſſum, manetque integrum; ipſaque adeò Conſtantienſia decreta firma & inconcuſſa ſtant.

Id verò clariùs apparebit, ſi notas & qualificationes, quas vocant, tribus veritatibus Baſileenſibus adhibitas conſideremus. Igitur tres illæ quæ dicebantur Baſileenſes veritates ipſi decretali inſertæ, atque his verbis damnatæ ſunt: *Ipſas propoſitiones ſuperiùs deſcriptas, juxtà pravum ipſorum Baſileenſium intellectum, quem facta demonſtrant, velut ſacroſanctæ Scripturæ & ſanctorum Patrum, & ipſius Conſtantienſis Concilii ſenſui contrarium..... ſacro approbante Concilio* (Florentino ſcilicèt) *damnamus, reprobamus, damnatas & reprobatas nuntiamus. Datum Florentiæ in Seſſione publicâ Synodali ſolenniter celebratâ anno* 1439. *pridiè Nonas Septembris.* Vid. decr. *Moyſes* loc. cit. p. 1190.

Ubi ſunt, qui nobis Concilium Florentinum objiciunt? Audiant in Concilio Florentino propoſitiones Baſileenſium non abſolutè damnatas, ſed *ad pravum eorum intellectum.* Quem autem intellectum? Nempè eum, *quem facta demonſtrant;* id eſt quòd Synodum nullâ causâ etiam maximâ, & ad pacem Eccleſiæ maximè faciente, transferri poſſe, idque ad fidem Catholicam pertinere dicerent. Eo ergò tantùm reſpectu Baſileenſes propoſitiones damnat Eugenius. Quâ verò notâ afficit? Nempè damnat, ut quæ eſſent *contraria Scripturis, Patribus, & Concilii Conſtantienſis ſenſui.* En qualificatio, quâ ipſa vis decreti conſtet ex iis rebus repetita, quæ ipſæ in Eccleſiâ ſummæ ſunt autoritatis, Scripturâ, Patribus, Concilii Conſtantienſis dogmatibus. Qui enim Baſileenſia decreta Conſtantienſibus adverſa damnat, is profectò Conſtantienſium inveſtigandum ſenſum, autoritatem verò certam & indubitatam eſſe definit. Quid verò certius, quàm id cui adverſari certa damnatio eſt? Vel quid magis ad Concilii autoritatem facit, quàm ejus decreta Scripturis, & Patribus conjuncta proferri, ut certam fidei normam?

Et quidem Pontifex de Baſileenſibus Synodum poſt tranſlationem continuantibus, hæc præmiſerat: *In hoc pernicioſiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis fuco colorant, Conſtantienſe Concilium, in malum ac reprobum ſenſum, & à ſanâ doctrinâ penitùs alienum pertrahunt; cæterorum ſchiſmaticorum & hæreticorum falſam doctrinam ſequentes, qui confictos errores, & impia dogmata ex Divinis Scripturis, & ſanctis Patribus perversè intellectis, ſemper ſibi adſtruere moliuntur.* Sunt ergò decreta Conſtantienſia profectò ea, non de quibus Catholici dubitent, ſed quæ hæretici & ſchiſmatici pervertant, ut ſacram Scripturam, ut ſanctos Patres: ſummo ergò honori ac venerationi habenda. Quæ porrò decreta, niſi ea quibus Baſileenſes uſi erant, hoc eſt, Seſſionis V. decreta? Sunt ergò ea decreta certa & immota, de quorum autoritate, tot jam Pontificiis & Conciliaribus decretis apertè approbantibus, non niſi temerè, ne quid dicam gravius, dubitari poſſit. Ibid. pag. 1189.

Doctr. Lovan. p. 77. At enim objiciunt : *Hìc affirmat Eugenius decreta Conſtantienſia, vigente ſchiſmate, per unam ex tribus obedientiis, poſt receſſum Joannis XXIII. facta eſſe.* Verum ; & rem, ut geſta eſt, narrat Eugenius. An ergò propterea Conſtantienſibus decretis detrahit autoritatem, cùm Baſileenſes eorum decretorum autoritate damnet ? Eſto Conſtantienſia decreta Seſſionis V. Eugenius Pontifex obliquè, ſi ita placet, perſtricta voluerit ; næ tu iniquus ſis, qui quod narrando obliquè & obiter (*i*) dictum ſit, ipſi decreto anteponas. Neque verò dixeris, laudari Conſtantienſia decreta, non ut certæ autoritatis, ſed ut quæ à Baſileenſibus allegata ſint ; diſertè enim Pontifex pronuntiat ita perverſa fuiſſe à Baſileenſibus decreta Conſtantienſia,
ij. Pet. iij. 16. eâ audaciâ, eo ritu, quo ab hæreticis, & ſchiſmaticis, Scriptura quoque & Patres ſoleant : planè eo ſenſu, quo Petrus doceat Pauli epiſtolas, ut & cæteras Scripturas à pravis hominibus fuiſſe perverſas, hoc eſt, eo modo, quo corrumpi regula ſoleat : quo certè ad commendandam Conſtantienſium decretorum autoritatem nihil dici potuit firmius.

Jam quod ad eorum ſenſum attinet, haud minùs finita res eſt Eugenii IV. autoritate & judicio. Nempè adverſarii Conſtantienſium decretorum, ſenſum eum eſſe volunt, ut adversùs dubios tantùm Pontifices valeant. Atqui Eugenius, cùm & in primo & in ſecundo diſſidio decreta Conſtantienſia aſſiduè objectarentur & inculcarentur, nunquam id reſpondit : imò verò id reſponſum in primo diſſidio dictis factiſque confutavit, cùm Baſileenſes Conſtantienſium decretorum autoritate, adversùs ipſum quoque, indubitatum licèt Pontificem, uſos, edito diplomate, agnovit Orthodoxos ; iiſque inſuper ut ſuperioribus paruit. Quare nec in ſecundo diſſidio, rebus exaſperatis, ab illo fundamento receſſit ; ac Baſileenſes multa in ſe graviſſima ex decretis Conſtantienſibus molientes, definivit ille quidem ab eorum decretorum ſenſu deflectere ; non tamen ideò quòd ea decreta in Pontificem indubitatum verterent, ſed quòd aſſererent & ad fidem Catholicam pertinere dicerent ; nullam omninò eſſe cauſam, propter quam Synodus à Papâ transferri poſſit. Neque quidquam aliud in Baſileenſibus condemnavit, quàm quòd, tantâ licèt Græcorum reducendorum neceſſitate tranſlati, continuâſſent Synodum : neque ulla Synodica decreta irrita declaravit, niſi ea quæ poſt tranſlationem facta eſſent. Quare ille eſt ſenſus, quem Conſtantienſibus decretis malè affingi definivit. Manent cætera, Eugenio quoque judice, immota ; nempè ut Conſtantienſia decreta ſummâ

(*i*) *obliquè & obiter*] Attentè legenti hanc Bullam, certum erit Eugenio Conſtantienſium decretorum autoritate veluti obruto nihil ſuccurriſſe, quod Baſileenſibus reſponderet. Optaſſet quidem incertam apud omnes viſam fuiſſe hujus Synodi autoritatem ; ſed verebatur hoc apertè dicere, ne ipſe palam exploderetur. Hinc tot tenebris, hinc tot ementitis coloribus involuta Bulla ea eſt. Cauſæ non bonæ quicumque ſolent eſſe defenſores, in eas neceſſe eſt venire anguſtias. Poſtquàm enim bonâ fide agere deſtiterunt, oportet, cùm nihil æqui bonique ſuppetat ingenium, ad artes ſe convertant, queis incautos fallant. Interim, lector, illud obſerva : ex iis ipſis latebris quibus ſeſe occultat Eugenius, invictiſſimè probari, tunc temporis, ipſos Pontifices Conſtantienſem Synodum improbare veritos. Cur autem id verebantur, cùm ipſorum tanti intereſſet hujus Synodi irrita eſſe & nulla decreta ? Nimirum noverant non impunè à quoquam detrahi poſſe de talis Concilii autoritate, quod utique omnes Catholici Œcumenicum venerabantur.

& indeclinabili autoritate conſtent, utque extra ſchiſmatis tempus ſub indubitato quoque Pontifice, ſuo nativoque ſenſu valeant, in fidei, in ſchiſmatis, in generalis reformationis caſibus, quod unum Patres Gallicani, ſuâ Declaratione complexi, ab Eugenii quoque cenſuris ſe immunes præſtiterunt; neque enim tranſlationis à Baſileenſibus ſpretæ quæſtionem ullo modo attigerunt.

CAPUT X.

An decretum unionis Florentiæ editum, Conſtantienſia decreta antiquârit.

JAM perpendere nos oportet decretum unionis Florentiæ editum: illud ſcilicèt, quo Latini, Græcique conjuncti ſunt. Hoc enim decreto Conſtantienſes canones reprobatos Bellarminus aſſerit; cujus dicta alii paſſim exſcribunt. Decreti autem hæc verba ſunt: *Diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem in univerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro* JESU-CHRISTO *plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Ac paulò poſt: *Salvis privilegiis Patriarcharum, & juribus eorum. Datum Florentiæ* 1439. *pridiè Nonas*, hoc eſt 6. *Julii.* Hæc ſunt, quibus Conſtantienſia decreta abrogata eſſe volunt, quod eſt falſiſſimum.

Bell. de Conc. lib. j. c. vij. Doct. Lov. p 73. Diſq. init. Conc. Flor. tom. xiij. p. 510. & ſeq.

1°. enim ſi Conſtantienſia diſplicebant; ſi ea ut erronea, vel ſchiſmatica rejici oportebat, apertè agendum; recitanda decreta quæ abrogarentur; Seſſio V. Conſtantienſis expreſsè revocanda, ne ampliùs Œcumenici Concilii nomine falleremur. Quid enim verebantur? An Conſtantienſis Concilii pro Œcumenico habiti autoritatem? Hanc autem veramne an falſam judicabant: ſi veram; ergò indeclinabilem, neque ullo alio decreto labefactandam: ſi falſam; eò rejiciendam apertiùs, quò tanto nomine ſimplices animæ, imò verò docti quoque in errorem inducerentur.

2°. Si doctrinam Conſtantienſis Synodi damnatam voluiſſent, ſaltem iis verbis facerent, quæ plana & perſpicua eſſent; neque in ſenſum Conſtantienſi decreto congruum intelligi poſſent. Atqui decreti unionis verba in ſenſum Conſtantienſi decreto congruum intelligi poſſe, & ipſum Duvallium antiquæ licèt Sorbonæ adverſum, confitentem audivimus. Ergò Florentini Patres Conſtantienſem doctrinam nullatenùs à ſe damnatam voluêre. Vid. Diſſ. præv. n. xix.

3°. Verba decreti Florentini reverà nil habent Conſtantienſi decreto contrarium. Nempè hæc verba objiciunt: *Papæ in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino plenam poteſtatem fuiſſe traditam.* Atqui hæc non indicant, eam poteſtatem ita eſſe datam, ut adunatæ quoque Eccleſiæ conſenſum unus vinceret: quod Patres Conſtantienſes condemnabant. Ergò Florentini Patres Conſtantienſibus non repugnant.

4°. Sanè nemo negat Archiepiſcopo ſubjici totam Provinciam, ab eoque regi, ſano quidem ſenſu, & certis legibus : nulla enim Provinciæ pars, quæ non ipſi ſubſit. Quidni potiori jure ſummus Pontifex univerſam, quâcumque patet, gubernet Eccleſiam ; cùm nulla pars Eccleſiæ ſit, quæ non ei obediat ? Patet ergò verus decreti Florentini ſenſus Conſtantienſi congruus. Eâ quippè mente Florentiæ dictum à Papâ regi *univerſalem Eccleſiam*, quâ mente Conſtantiæ, Martino quoque Papâ approbante, dictum, Eccleſiam Romanam ita eſſe ſupremam, *quatenùs Primatum habet ſuper alias Eccleſias particulares ;* non certè ita ut earum conjunctam vim & conſenſionem vincat.

5°. Ipſa Florentina Synodus diſertis verbis Conſtantienſia decreta confirmavit, approbatâ ſcilicèt ritè & ſynodicè decretali, *Moyſes*. Ergò in decreto unionis eadem improbata noluit : neque quidquam eſt ineptius, quàm ut præcisè & ſpeciatim dicta, generatim dictis reſcindi poſſint.

6°. Quæro, an à Græcis quiſquam poſtulârit, ut omnibus Conciliis, in omnibus caſibus, Pontificem Romanum ſuperiorem eſſe neceſſariò crederent, eâque conditione tantùm Eccleſiæ Romanæ conjungerentur ? Malè profectò & iniquè cum ipſis comparatum eſſet, à quibus graviora & difficiliora de Primatu Pontificis, quàm à Latinis quoque peterentur. Erant in omnium manibus Alliacenſis, Gerſonis, Franciſci Zabarellæ Cardinalis atque Archiepiſcopi Florentini, ſui ævi Canoniſtarum facilè Principis, aliorumque libri, qui Romano Pontifici Synodum anteferrent. Nemo eos Orthodoxos pioſque eſſe negabat. Imò hanc ſententiam doctiſſimi quique, & omnes paſſim Academiæ propugnabant. Quid autem abſurdius aut iniquius quàm ut à Græcis interim Florentini Patres graviora poſtularent ? Quis verò putet, Græcos id fuiſſe laturos ?

7°. & ultimò, reverâ longè alia mens eorum fuit. Quo loco multi commemorant decreti unionis verba, quæ longè aliud præ ſe ferre videantur ; nempè ſic ſcriptum eſt : *Papa in Petro datam plenam poteſtatem regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam* : non ſanè ſimpliciter, ita ut Eccleſiam pro arbitrio regat ; ſed *quemadmodùm etiam in geſtis Œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur* ; ſive, ut ex Græco de verbo ad verbum verti poteſt, *ſecundùm eum modum, qui & in geſtis Œcumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur*, vel ſimpliciùs ac rotundiùs : *ſecundùm quod & in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Undè etiam addunt : *Salvis Patriarcharum privilegiis & juribus :* quæ omnia Patres apponi voluêre, ne Eccleſia voluntate magis, quàm canone regi videretur ; neve plenæ poteſtatis ſpecie jura omnia miſcerentur. Neque id lædebat Pontificiam poteſtatem, cùm ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio, ſacris canonibus obligari ſe, vel ipſa profeſſa ſit, quod ſuo loco aſſeremus.

Vid. paſſ. lib. xj.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De vero ſenſu eorum verborum decreti unionis : QUEMADMODUM ETIAM IN GESTIS ŒCUMENICORUM CONCILIORUM CONTINETUR.

NEQUE equidem ignoro magnas moveri lites de his interpretationibus : prima, quæ ſic vertit : *quemadmodùm etiam :* & altera, quæ ſic : *ſecundùm quod & in geſtis*, &c. Neque minorem eſſe de ipſo verborum ſenſu controverſiam, cùm illimitatæ poteſtatis defenſores aſſerant, poſtrema decreti Florentini verba proferri, non ad coërcendam juſtis legibus Pontificiam poteſtatem ; ſed tantùm ad demonſtrandum *paſcendi ac regendi poteſtatem plenam*, à Conciliis quoque generalibus, ſacriſque canonibus fuiſſe agnitam. Quem ſenſum firmari contendunt primâ verſione : *Quemadmodùm etiam :* hâc enim voce, *etiam* (k) hunc ſenſum maximè comprehendi. Nos verò hanc litem facilè componemus, ſi cum æquioribus diſceptatoribus agere liceat.

Vid. Pet. de Marc. de Concord. &c. lib. iij. cap. viij. §. v.

Primò enim certum illud, congruere Græco textui de verbo ad verbum poſtremam interpretationem : *ſecundùm quod*, vel, *ſecundùm eum modum κατ'ον τροπον qui & in geſtis Conciliorum Oecumenicorum, & in ſacris canonibus continetur.*

Secundò & illud certum, Græca æquè ac Latina, ſacro approbante Concilio, Eugenii nomine eſſe edita ; Latinaque ab Eugenio & Latinis ſubſcripta, hanc habere interpretationem : *Quemadmodùm etiam*, &c. Id verò ex authentico Concilii Florentini conſtat, quod tranſmiſſum olim ad Burgundiæ Ducem Philippum II. eum qui *Bonus* dicebatur, nunc in nobili Bibliothecâ Colbertinâ *, Eugenii ac Joannis ** Imperatoris ſignis munitum aſſervatur.

* Nunc eſt in Bibliothecâ Regiâ.
** Paleologi.

Tertiò, neque illud in dubium ab æquis judicibus revocari poteſt, quin decreto Florentino, quo Græci Eccleſiæ conjungendi erant, Græcis maximè conſulatur ; adeòque ſi interpretationes conciliari non poſſent, eam maximè probari oportere, quam Græca verba præferre videantur. Quid enim ? An Græcos dicemus fuiſſe deluſos ? An ſubdolâ interpretatione avocatos eos ab eo ſenſu, in quem Græca ipſa ferrent ? Abſit hoc ab Eccleſiæ Latinæ candore ac majeſtate. Quare in eam potiùs iremus ſententiam, quam Græca verba poſtularent.

Sed quoniam certum erit rectè conſiderantibus, & Græca & Latina in eandem facilè convenire ſententiam, certam inimus viam, quâ liquidò de-

(k) *hâc voce* ETIAM.] D. DE MARCA loco citato contendit verbulum ETIAM *incuriâ amanuenſium irrepſiſſe in his verbis :* QUEMADMODUM ET IN GESTIS CONCILIORUM, pro quibus illi ſcripſerint : *Quemadmodùm etiam in geſtis &c.* Sed vix poteſt credi hunc errorem optimos quoſque hujus Synodi codices invaſiſſe, & eum etiam authenticum, de quo D. BOSSUET mox eſt dicturus.

monſtremus, poſtrema decreti verba eò fuiſſe prolata, ut plena poteſtas, quam Florentini Patres Papæ aſſerebant, ſacrorum Conciliorum & canonum autoritate, non tantùm probaretur, ſed etiam antiquis ſuiſque coërceretur finibus. Id verò declaramus, non jam nudis verbis; ſed, quod Theologum maximè deceat, ipsâ verborum geſtorumque ſerie.

Primùm enim, Græci nunquam intellexerunt, Papæ ineſſe eam autoritatem, quæ nullis legibus teneretur. Ecce enim Beſſarion Metropolites Nicænus, unus Græcorum omnium Latinis æquiſſimus, conjunctionis mutuæ & ineundæ cupidiſſimus, & initæ retinentiſſimus, neque Romæ ſuſpectus, propter egregia merita remque in Florentinâ Synodo benè geſtam factus Cardinalis, ac ſede Petri dignus habitus; (*l*) cùm noſtri in additione vocis, *Filioque*, Eccleſiæ Romanæ autoritatem urgerent: *Scimus quidem*, inquit, *quæ ſunt jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ; nihilominùs ſcimus etiam prærogativæ ejus quos terminos habeant.* Hæc jam indè à Synodi initio Græci profitebantur ſeſſione IX. ipſe etiam Eugenius ſeſſione XXV. hæc ad Græcos loquebatur: *Conveniamus ſimul, fiatque Synodus: conficiat ſacrum Sacerdos: jusjurandum demus Latini, pariter & Græci: proferatur liberè veritas per ſacramentum; & quòd pluribus videbitur, hoc amplectamur, & nos & vos: jusjurandum enim apud Chriſtianos non fallitur.*

Tom. xiij. Conc. ſeſſ. ix. Concil. Flor. p. 151.

Ibid. ſeſſ. xxv. p. 387.

Non ergò ex ſuâ unius ſententiâ rem decîdi volebat, neque ita paſcebat & docebat univerſalem Eccleſiam, ut adunatæ conſenſum vinci à ſe putaret, qui fidem quoque ſuam Patrum conſenſione firmari intelligebat.

Jam eâdem de re, eâdem ſeſſione, quid Græci ſentirent Beſſarionem clarè exponentem audiamus. Habuit ille ad ſuos orationem dogmaticam, cujus hoc fundamentum: quoties neceſſitas ingruat, & hæreſis aliqua exorta ſit, *debere Eccleſiam Dei in unum congregatam, de rebus dubiis judicare, ac ſecundum præcepta Divinæ legis, & ſanctorum Patrum, communi omnium conſenſu ſententiam ferre.* Tum addit, *communiter hæc agi, & quæ communia ſunt, communi conſenſu terminari oportere:* ita enim egiſſe Synodos Œcumenicas, primam, ſecundam, tertiam, & alias omnes.

Beſſ. Orat. dog. cap. j. ib. p. 394.

Cùm verò inter ſe Græci deliberarent, Imperator ſic infit: *Ego præſentem hanc Synodum generalem nullâ ex parte inferiorem judico aliis omnibus antehac celebratis.* Ac poſteà: *Ego Imperator ſequi debeo ſententiam Synodi, majoriſque illius partis, nec non defendere quod fuit ſancitum à pluribus. Proptereà dico*, inquit, *me hujus ſacræ Synodi pluriumque ejus Patrum ſequi ſententiam .... tum quia ego cenſeo ſanctam Eccleſiam in ſacris dogmatibus nullo modo poſſe errare, communi ac Synodicâ conſideratione utentem: unus quippe, vel duo, vel tres, aut plures ex hominibus .... fieri poteſt ut errent; at univerſalem Dei Eccleſiam, de quâ Dominus dixit ad Petrum:* TU ES PETRUS ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTÆ INFERI

Conc. Flor. ſeſſ. xxv. p. 482. 483.

NON

(*l*) *Beſſarion .... ſede Petri dignus habitus.*] Hunc Cardinales poſt Nicolaum v. ac deinde poſt Pium ij. elegiſſent Pontificem, niſi Cardinalis Avenionenſis (Alanus DE COETIVI) dixiſſet, Eccleſiæ Latinæ id turpe fore, ſi ex Græciâ ſummum Pontificem ipſa adſciſceret. Hæc vana cauſa fuit eligendi Paulum ij. hominem glorioſum, faſtidioſum & doloſum. Beſſarion autem apud Romanos plurimi ſemper eſt habitus. Cùm enim eſſet plurimæ doctrinæ multique judicii, doctis omnibus favebat. Hic moriens amplam ſuam Bibliothecam Venetus legavit. Vid. Plat. Onuph. Rain. &c.

Digitized by Google

NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM; *eam, inquam, Eccleſiam communiter errare omninò eſt impoſſibile : alioquin & ſermo Salvatoris evanuit, & fides noſtra debili fundamento eſt nixa.* Hæc Græci audiunt, hæc probant. Non ergò ad Papam ſolum, ſed ad univerſam Eccleſiam provocabant, noſtriſque omninò conſentanea prædicabant.

Jam, ne quid ſuperſit dubii, operæ pretium erit diligenter excutere quæ dixerint, cùm de privilegiis Papæ ſpeciatim ageretur, ac poſtrema hæc, de quibus nunc agimus, decreti verba expenderentur.

Græci igitur ſic loquuntur : *Admiſimus privilegia Papæ, præterquàm duo :* Ib. p. 505.
ne convocet Synodum œcumenicam, ſine Imperatore & Patriarchis, ſi conveniant ; quòd ſi advocentur, nec veniant, ne impedimento ſint, quominùs Synodus fiat : alterum eſt, ut ſi quis putet ſe ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interpoſuit appellationem, ne Patriarchæ ipſi ſe ſiſtant judicandos ; ſed Papa mittat Inquiſitores ad Provincias κατὰ χώραν, & ibi in partibus τοπικῶς judicetur.

Hìc Papa reſpondit ſe velle *omnia Eccleſiæ ſua privilegia ; velleque ad ſe* Ibid.
fieri appellationes ; necnon regere & paſcere univerſam Eccleſiam, ut ovium paſtorem ; & celebrare Synodum Oecumenicam, cùm opus fuerit ; & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.

Hæc poſtulata Papæ, omnia ad abſoluta Imperia revocantis, Græci reſpuêre ; geſtaque Synodi ſic habent : *Imperator, his auditis, deſperavit ; nec* Ibid.
aliud reſpondit, niſi : curate de noſtrâ profectione. Adeò abhorrebant ab eo, ut Eccleſia non canone, ſed voluntate regeretur. Ergò conventum eſt, *ut* Ibid.
Papa regeret Dei Eccleſiam, ſalvis Patriarcharum Orientis privilegiis & juribus : quo fixum, valere canones, nec mero Imperio regi Eccleſiam, Eccleſiiſque ſua jura canonico ordine fundata conſtare.

Cùm in eo jam eſſent, ut conſcriberetur decretum unionis, de Papæ privilegiis ſic erat ſcriptum : ut Papa illa habeat *juxtà determinationem ſacræ* Ib. p. 506.
Scripturæ & dicta ſanctorum : obſtitit his verbis Imperator : *An ſi quis*, inquit, 507.
Sanctorum in epiſtolâ honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio ? Ac Papa ſignificavit, ut aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret ; cogebatque apponi : juxtà TENOREM CANONUM ; *& non* SECUNDUM DICTA SANCTORUM.

Jam nemo negaverit, quin tunc vel maximè quæreretur, non modò de conſtituendâ, ſed etiam de regendâ ſuiſque coërcendâ finibus Pontificiâ poteſtate ; cùm Græci vererentur, ne ambiguâ formulâ privilegia Papæ in immenſum tenderent.

Quare hìc omnis unionis ſpes rursùs penè concidit ; patetque omninò intellexiſſe Græcos, *regendam* quidem à Papâ *univerſam Eccleſiam*, ſed *juxtà canones ;* non mero imperio & abſolutâ voluntate.

Quæ cùm diù multumque agitata fuiſſent ; atque Eugenius quidem vocem illam, *ſecundùm dicta Sanctorum*, vehementer urgeret, Græci vocis am- Ib. p. 507.
biguitate deterriti haud minore vehementiâ repugnarent ; tandem conventum eſt, ut *Papa habeat ſua privilegia juxtà canones & dicta Sanctorum, ſacramque Scripturam, & acta Synodorum :* quæ collecta ſimul veram adminiſtrandæ Eccleſiæ formam exhibebant ; patebatque à Synodo Papalis po-

teſtatis, non ſolùm habendæ firmamentum, ſed etiam exercendæ regulam fuiſſe præſcriptam.

Hîc Eugenius, *dicta Sanctorum*, toties inculcata omiſit, ut quæ jam ipſi quoque ambigua viderentur; convenitque utraque Eccleſia in hanc formam, ut Papæ quidem ineſſet à Chriſto tradita regendæ ac paſcendæ Eccleſiæ poteſtas; ſed *ſecundùm eum modum, qui, & geſtis œcumenicorum Conciliorum, & ſacris canonibus continetur:* quæ quidem Gerſoni, Alliacenſi, noſtriſque concinunt, magnâ animorum conſenſione docentibus, *in Papâ agnoſcendam plenitudinem poteſtatis; ſed à Conciliis ſacriſque canonibus regulandam.* Hinc autem videre eſt, cur jam Eugenius hanc vocem, *dicta Sanctorum*, hîc omitti ipſe vellet; quippe cùm haud ſatis apta videretur regulandæ Pontificiæ poteſtati, quæ canonibus quidem & Conciliis Œcumenicis, non autem *dictis Sanctorum* generatim ſumptis, parere ſoleat.

Hæc igitur è Florentini Concilii geſtis expreſſa demonſtrant, quantùm ab eo abſuerint Græci ut agnoſcerent ſupremam illam infinitamque poteſtatem, quæ totam adunatam Eccleſiam ſupergrederetur: quantùm abfuerint Latini, ut eam à Græcis agnoſci poſtularent; atque omninò conſentire Florentina cum Conſtantienſibus, nedum ea abrogarent. Sic decet à Catholicis conciliari quidem, non inter ſe committi & collidi Concilia, ne, quæ in Eccleſiâ ſummâ eſt, nutet autoritas.

Ibid. decr. union. pag. 509.

Florentinum decretum ab Eugenio factum eſt, *ſacrâ approbante Synodo*; ſive, ut Græca habent, Συναινούντων ἐν τῇ συνόδῳ τῶν σεβασμιῶν ἀδελφῶν: *Conſentientibus in Synodo reverendiſſimis fratribus*, hoc eſt, ipsâ Synodo condecernente, ſententiam cum ipſo ferente, ac decretum ſuum ejus decreto addente. Neque aliter Græci intellexerunt, quàm, ut eos ſæpe profeſſos eſſe vidimus, decernendi vim ipsâ membrorum omnium conſenſione atque unitate conſtare; tuncque Eccleſiam errare non poſſe, *communi* ſcilicet *& Synodicâ conſideratione utentem*, ut ſupra profeſſos legimus.

CAPUT XII.

An Conſtantienſibus decretis, & Conciliari poteſtati noceat, quòd Eccleſiæ pars maxima, ac præſertim Galli, EUGENIO *Baſileæ damnato ac depoſito obedirent.*

HIC quæſtio exoritur, ſi Conciliis tanta ineſt autoritas, cur ergò Baſileenſia poſtrema irrita fuere, atque Eugenius IV. à Synodo depoſitus, pro vero Pontifice, etiam à Gallis eſt habitus? In promptu reſponſio eſt; facta referimus; ſolutio ex factis.

Baſileenſes Patres multis videbantur duro nimis & obſtinato animo neglexiſſe Græcorum ſalutem, & æquas conditiones reſpuiſſe. Ipſi etiam Græci Baſileæ magnis clamoribus querebantur de Synodo, quæ tantæ rei gratiâ commovere ſe nollet; in eaſque anguſtias Pontifex conjici videbatur, ut omitteret Eccleſiæ conjunctionem, tantum opus, idque magno & æterno

ſuo & Eccleſiæ Latinæ dedecore, niſi Synodum ipſe transferret: quod tamen ne ſolus contra Synodi autoritatem attentaret, memoratum illud de Florentiâ & Utino decretum Synodi prætendebat. His cauſa Pontificis nitebatur: neque ut anteà, vanæ ac fruſtratoriæ dirimendæ Synodi cauſæ ferebantur, ſed conjunctio prætendebatur Eccleſiarum, jam præſentibus Græcis, & Synodum cum ſucceſſore Petri celebrantibus. Cæterùm cùm eo loco res Eugenii eſſent, tamen tanta erat Synodi reverentia, ut Ferrariam pauci convenirent: non Patres, non Reges, non reliqui Principes Orthodoxi: unus Burgundiæ Dux ſeſſione demum XIII. anno ferè integro poſtquam Eugenius Ferrariæ cum Græcis agebat, miſſis Legatis Synodo ſe conjunxit. Et Epiſcopi ex Italiâ convenere ferè ad LX. Abbates ad XL. quos inter ex Galliâ Antiſtites quinque admodum, vel ſex, ex Provinciâ ferè, quæ nondum Gallicano Imperio parebat, & duo Hiſpani; ex Germaniâ, ex Angliâ totoque Septentrionali tractu nullus. Hæ gentes cum Galliâ & Hiſpaniâ, omiſſis Florentinis, ipſoque Eugenio, Baſileenſibus adhærebant. Interim paulatim Baſileâ dilabi Patres, poſtquàm reformationis ſtudium ac ſpes in jurgia abiiſſe viſa: cujus rei culpam multi in Patres, multi in Eugenium, in utroſque plurimi conferebant. Ergò pauci exercere Synodi autoritatem; iique plerumque non Epiſcopi, ſed Doctores Theologicarum ac Juris Facultatum, Preſbyteri tantùm, imò interdum vix Clerici. Jamque viris maximis, neque Eugenianæ, neque Baſileenſium partes planè probabantur: *Cardinalis ſancti Petri (m), viri ſancti & graviſſimi, ſententia placebat, qui neque hos, neque illos laudare ſolebat.* Hæc Æneas Sylvius.

Conc.Flor. ſeſſ. xiij. p. 207.

Æn. Sylv. epiſt. xxv. p. 518. edit. Baſ.

In hunc locum redacti Baſileenſes, tamen in Eugenium cum Græcis & Armenis præclarè agentem, atque Orientales Eccleſias à tot ſæculis ſciſſas ad ovile revocantem, miris anathematibus, Œcumenicæ Synodi titulo, detonabant. At cùm eum etiam depoſituri viderentur, ſapientiſſimus quiſque ab eâ ſententiâ abhorrere; Legati Regum palam intercedere, novi ſchiſmatis metu; multi à Synodo diſcedere: inter eos etiam, qui Baſileæ remanerent, graves diſſenſiones oriri. Prorsùs tanto nomini, neque Conciliorum gravitas, neque ipſa Cœtûs dignitas reſpondebat. Nihilo ſecius toties imminuta Synodus, neque ſibi ſatis conſentiens, Eugenium mirâ confidentiâ depoſuit; elegit Felicem olim Sabaudiæ Ducem, qui abdicato Imperio, quæſitoque ſeceſſu, quietam magis ac ſuavem, quàm ſolitariam vitam (n) agere videbatur.

Deponendi Eugenii cauſæ, trânſlata & contempta Synodus; negatæque eæ, quas Catholicas ferebant, Synodi veritates: *tum ſimoniacum, ac dilapidatorem bonorum Eccleſiæ* arguebant, jactatum potiùs in ſpeciem, quàm

Conc. Baſ. ſeſſ. xxxiv. pag. 620.

(m) *Cardinalis S. Petri.*] Ioannes Cervantes Hiſpanus Hiſpalenſis Archiepiſcopus, ubi vidit Papam & Synodum diſſidentes, in Hiſpaniam reverſus eſt. Vid. Ciacon.

(n) *ſuavem ... vitam* &c.] Amedeus viij. Sabaudiæ Dux, ideò pacificus & ſui ævi dictus Salomon, quòd, dum vicini Principes armis inter ſe decertabant, ipſe pacem cum omnibus coluerat, abdicato Ducatu commiſsâque hujus curâ filiis ſuis, ſeceſſit, unà cum ſex Magnatibus in locum *Ripalliæ*, ubi monaſterium extruxit, ſibique & ſodalibus palatium, cui nomen fecit, *Eremum.* His Eremitis molliter viventibus amplæ erant & opportunæ ædes, lautæ epulæ, multum otium. Vid. Spond. an. 1434. Sylv. comm. lib. vij.

probatum; imò nec quæſitum. Hîc iterùm in ſtudia ſcindi Chriſtiana Reſpublica; pars hunc, pars illum colere, pars neutrum; & expectare quid copioſior ac certior Synodus declararet. Hanc ſententiam Germani maximè ſequebantur, cùm Baſileenſem Galli Synodum colerent, Florentinam reſpuerent, Conſtantienſia omnia confirmarent; ſimul Pontificem Eugenium agnoſcebant, depoſitionem non admittebant, quòd malorum Eccleſiæ recordati, ſchiſma vererentur; neque multis ſatis idonea cauſa viſa eſſet, cur Eugenio tam pauci, iique inter ſe diviſi, poteſtatem abrogâſſent reclamantibus Legatis Principum: in cæteris Baſileenſia decreta, atque iis nixam Pragmaticam-Sanctionem ſtudioſiſſimè retinebant.

Vid. Conc. Bitur. pro Pr. gm. ib. p. 1430.

Id quidem Odoricus Rainaldus confitetur, ac probat ex Nicolao Clemangio (*o*) Theologo Pariſienſi, hujus ævi celeberrimo, geſta publica referente; ſed nos ipſa geſta, ipſamque Pragmaticam-Sanctionem legere ac referre præſtat.

Rain. an. 1440. n. 4.

Ea edita eſt, Rege præſente, & in congregatione Eccleſiæ Gallicanæ apud Bituriges, 7°. Julii, anno 1438. atque à magnificâ Synodi Baſileenſis commendatione ducit initium.

Tom. xij. Conc. pag. 1429. & ſeq. vid. Pragm. in edit. Pinſonii an. 1666.

Recipiuntur ergò ex eodem Baſileenſi Concilio, Concilii Conſtantienſis Conſtitutiones, imprimis caput, *Frequens;* tum ejuſdem Concilii Conſtantienſis Seſſionis V. Baſileæ toties repetita decreta, adſcribiturque ſic: *Acceptavit & acceptat, prout jacent, jam dictorum Prælatorum cæterorumque virorum Eccleſiaſticorum, ipſam Eccleſiam* (Gallicanam) *repræſentantium, congregatio ſæpè dicta.* Tum Baſileenſia decreta memorantur, & *acceptantur*, præſertim illud de ſacris electionibus. Adhibitæ quidem decretis Baſileenſibus aliquot *modificationes;* ſed quàm illud fieret, illæsâ Concilii autoritate, hæc verba demonſtrant: *Demùm concluſit prælibata Congregatio, ut decreta ipſa, de quibus viſum eſt, quòd debeant ſimpliciter acceptari, ex nunc ſimpliciter acceptentur & executionem ſortiantur, atque ex nunc effectui realiter mancipentur; & ſimiliter ea decreta circa quæ facta fuerunt prænotata modificationes, ex nunc cum ipſis modificationibus acceptentur, prout etiam acceptantur*, SUB SPE SCILICET QUOD IPSÆ MODIFICATIONES PER SACRUM CONCILIUM ADMITTENTUR: *pro quo Regii Oratores inſtabunt, vice Regiâ, Eccleſiæ Regni & Delphinatûs.*

Cùm hæc admitterent, tamen in agnoſcendo Felice, Baſileenſibus non conſentiebant, ſed Eugenio obſequebantur. Id cur facerent, docet illa reſponſio Caroli VII. deprompta ex vetuſtiſſimo Codice Victorino, quo hujus ævi acta referuntur: *Proteſtatur Rex, quòd more Prædeceſſorum ſuorum paratus eſt audire Eccleſiam ritè ac legitimè congregatam. Verùm quòd apud multos graves & probos non modica eſt dubitatio, an ſuſpenſio, privatio, & ſubſecuta electio facta Baſileæ ſit legitima, dubium etiam eſt, an illa congregatio* ILLIS DIEBUS, *quibus prædicta agitata & facta ſunt, ſufficienter repræ-*

Hiſt. Univerſit. an. 1439. tom. v. p. 447.

(*o*) *Clemangio.*] Is doctrinâ & elegantiâ pleriſque ſui ævi ſcriptoribus major, magnam ſibi famam comparavit, ſcriptis egregiis literis ad Regem Carolum vj. & ad Pontifices ac Cardinales utriuſque obedientiæ, de extinguendo ſchiſmate; quam famam ipſe poſtea violavit. Nam cùm eſſet Benedicto xiij. à ſecretis, creditus eſt auctor ejus Bullæ, quâ ille Pontifex Regem Galliæ anathemate innodabat.

ſentaret univerſalem Eccleſiam, ad tantos & tam arduos actus; Rex perſtat & manet in obedientiâ Domini Eugenii, in quâ nunc ſtat: ubi verò Rex plenè & ſufficienter de prædictis informatus fuerit, ſive per Oecumenicam, aut aliud generale Concilium, aut in congregatione Eccleſiæ ſuæ Gallicanæ extenſiùs congregandæ, ſeu in conventione Principum, Rex compertâ veritate ſtabit cum eâ, & ei adhærebit.

Ergò Rex Gallicanaque Eccleſia de poteſtate Concilii generalis, in deponendo Papâ, minimè; de hoc tantùm Concilio, neque in omnibus, ambigebant; quod licèt pro generali haberetur in aliis, quibus conſentiret Eccleſia; in deponendo Papâ, repugnantibus Regum Legatis, ac pleriſque per Orbem terrarum Eccleſiis, non ſatis repræſentare videretur eam, quæ maximâ ex parte hujuſmodi conſiliis repugnaret, Eccleſiam. Ea cauſa dubitandi fuit; quæ dubitatio Germanos adduxit, ut neutri faverent: noſtros, quod erat æquius, ut in poſſidentis obedientiâ perſiſterent, neque ex dubiâ condemnatione, certâ eum dejectione mulctarent.

CAPUT XIII.

Nobiliſſimas Univerſitates, propter Conſtantienſium canonum autoritatem, Baſileenſi Synodo adhæſiſſe.

INTERIM nobiliſſimæ Academiæ toto Orbe terrarum inclinabant in Synodum.

Anno 1438. cùm Bituricenſis Conventus haberetur, Univerſitas Pariſienſis Legatos miſit, qui Conciliorum generalium, ac præſertim Conſtantienſis ac Baſileenſis autoritatem tuerentur. Hiſt. Univerſ. loc. cit. pag. 444.

Anno 1439. jam depoſito Eugenio & electo Felice, in codice Victorino optimo, hæ Univerſitates memorantur, quæ Baſileenſibus adhæſerint: Pariſienſis, Viennenſis, Erfordienſis, Colonienſis, & Cracovienſis. Ib. p. 449.

Edita ergò eſt Doctoris Pariſienſis, pro Synodo Baſileenſi, contra ejus tranſlationem, ampla defenſio, quâ ſententiâ ſacræ Facultatis totiuſque Academiæ argumentis firmaretur. In hâc defenſione hæc legimus: *Nullus eſt alius inobliquabilis, niſi Eccleſia, aut Concilium generale, habens ſpecialem Chriſti aſſiſtentiam, ex promiſſione ejus; ergò nulli alii neceſſe eſt infallibiliter credere, niſi Eccleſiæ aut Concilio generali. Concilium generale eſt regula inobliquabilis, ratione aſſiſtentiæ Salvatoris, ſupremum tribunal in terris, ad quod in dubiis ſalutem humanam concernentibus, haberi debet recurſus: nec ad Chriſtum à generali Concilio legitimè congregato appellari poteſt, cùm Spiritus ſanctus eorum, quæ Conciliariter aguntur, principalis autor & definitor exiſtat.* Ib. p. 450.

Tum Univerſitas Colonienſis à Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo requiſita, edidit reſponſionem; illa verò reſponſio ab hâc propoſitione incipit: *Eccleſia Synodaliter congregata habet ſupremam Juriſdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiæ, cujuſcumque dignitatis fuerit, etiam Papalis,* Ib. p. 460.

obedire tenetur, quam nemo ſine ipſius Eccleſiæ Synodalis Conventu diſſolvere Ib. p. 462. *vel transferre poteſt.* Ex his cætera æſtimari poſſunt.

Univerſitas Erfordienſis, Theodorico Archiepiſcopo Moguntinenſi (*p*) ſimile reſponſum dedit, quo Baſileenſe Concilium aſſerit; *Neutralitatem* improbat; quòd Concilium ſit ſuprà Papam, ex Conſtantienſi decreto, &c.

Univerſitas Viennenſis Concilio Baſileenſi ac Felici favet, & neutralitatem impugnat : Ibid. pag. 473. 474. quòd *ſi duo, aut plures contenderint de Papatu, eſt juſtum & licitum, ſi de jure eorum dubitatur, eis uſque ad futurum Concilium obedientiam ſubtrahere.* At *in his, quæ fidei ſunt, aut quæ ſchiſmatis extirpationem, aut morum reformationem in capite & in membris Eccleſiæ reſpiciunt, nunquam licet Chriſtiano à ſacro Concilio legitimè congregato appellare.*

* IV. Ibid. pag. 480. & ſeq. Cracovienſis Univerſitas, editis literis ad Uladiſlaum * (*q*) Poloniæ & Hungariæ Regem, decreta Baſileenſia adversùs Eugenium, & pro Felice firmat his maximè concluſionibus : 1°. *Quòd unam Eccleſiam agnoſcere oporteat.* 2°. *Quòd ſicut unum eſt caput principale Chriſtus, ita unum eſt caput univerſale Papa.* 3°. *Quòd quodlibet Concilium generale in Spiritu ſancto legitimè congregatum repræſentat univerſalem Eccleſiam, & habet poteſtatem immediatè à Chriſto, idque Conſtantienſi Concilio fixum, ac probatione non egere.* 4°. *Poteſtas Eccleſiæ univerſalis, ac etiam cujuſlibet Concilii generalis legitimè congregati ipſam repræſentantis, ſuperior eſt poteſtate Papæ & quâlibet aliâ poteſtate in terris.* Reliquæ ex his facilè intelliguntur.

Ex his liquet, quòd etſi de aliquâ parte Baſileenſium geſtorum fuerit dubitatum, non proindè Concilii univerſalis, aut Conſtantienſium decretorum autoritatem in dubium fuiſſe revocatam; ſed certam & inconcuſſam ſuoque immotam pondere conſtitiſſe. Id etiam ſequentia geſta declarabunt.

(*p*) *Archiepiſcopo Moguntinenſi.*] Is Theodoricus Skhenck diſceſſit aliquâ ex parte ab Univerſitatis Erfordienſis ſententiâ, & cum cæteris Germaniæ Principibus, viam hanc eſt ſecutus, quam vocabant *neutralitatis*, Patricius in hiſtoriâ Baſileenſi cap. lxxxviij. & cxvij. pag. 1567. 1590. narrat, Moguntiam bis conveniſſe nonnullos Germaniæ Principes & Epiſcopos, ibique ſtatuiſſe à ſe approbanda eſſe decreta Baſileenſia, exceptis iis, quibus Eugenius exauctorabatur; & neutralitatem inter Eugenium & Felicem tenendam.

(*q*) *Uladiſlaum.*] Uladiſlas clade Varſenſi notiſſimus, cum Turcis fœdus Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum pepigerat. At illi qui tum erant non admodum datæ fidei tenaces Caſuiſtæ, ei perſuaſerunt non licuiſſe Chriſtiano Principi paciſci cum Infidelibus; ſimulque Pontifex eum *juriſjurandi Turcis præſtiti religione ..... liberavit.* Uladiſlas igitur iterum tentato bello, prælium commiſit, in quo victus eſt, & ipſe gladio cæſus. Turcæ, hac partâ victoriâ, id quod etiam tum ægrè tenebant Græci Imperatores facile invaſerunt. Vid. Bonf. Hiſt. Hung. & Spond. an. 1444.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Mors EUGENII IV. NICOLAUS V. *ſuccedit: pax compoſita, immotis decretis Conſtantienſibus: Concilii Baſileenſis anteſignani, abdicato tantùm* FELICE, *nullà doctrinæ retractatione, pro Orthodoxis habiti.*

DUM hæc agebantur, Græcis ad unitatem redactis, eruditis Armenis, Jacobitarum, atque Æthiopum acceptâ Legatione, Eugenius Florentiâ Romam Concilium, *ipſo Concilio approbante*, tranſtulit, ne deeſſet quod Baſileenſibus opponeret. Unâ vel alterâ Seſſione vix quidquàm; de reformatione certè nihil actum (*r*): interim Baſileenſes, extenuatis ac penè nullis viribus, cum Felice ſuo Lauſanam defluxere, vicinam civitatem: utrinque paucis cum Epiſcopis Synodus univerſalis agebatur, aut potiùs tanti nominis majeſtas ludibrio habebatur. Eugenius obiit, unione factâ, nobilis: utinam ſtabili, felix! Cæterùm id egiſſe quod in ipſo eſſet, maximæ laudi fuit. Optabant viri boni, ut pari ſtudio reformationi animum adjeciſſet. Aliis occupatus partem officii vel maximam prætermiſit. Succeſſit anno 1447. Nicolaus V. anteà Thomas *, ſanctæ Sabinæ Cardinalis, vir optimus atque doctiſſimus; quodque inter omnes conſtabat, pacis amantiſſimus. Itaque anno ſequente 1448. poſtquàm à tempore electi Felicis annos ferè novem inter Papam & Synodum, dubiæ Eccleſiæ fluctuabant, facta pax, Caroli VII. Francorum Regis præcipuâ operâ, his conditionibus, ut Felix Papatui renuntiaret, ut Concilium Baſileenſe ſive Lauſanenſe ordinaret, *maximè propter pacem Eccleſiæ, Nicolaum pro Pontifice habendum, ſtatuendo & ordinando quod faciat & adimpleat, quæ ſummus Pontifex facere tenetur, mandaretque omnibus eidem Nicolao obediendum eſſe*: ut Synodus deindè ſe ipſa diſſolveret: ut à Nicolao Synodus generalis, neque revocanda, neque prorogando, neque impedienda, in Galliâ ſtatim indiceretur; tanta apud omnes, etiam poſt Baſileenſe diſſidium, Conciliorum non modò neceſſitas, ſed etiam majeſtas & autoritas ferebatur: ut utrinque factæ gratiæ ratæ: utrinque irrogatæ pœnæ irritæ haberentur.

Tom. xiij. Conc. part. iij. Concil. Flor. pag. 1218. 1222. & ſeq. vid. ib. Patr. cap. cxxix. pag. 1599. 1600.

* Sarzanus.

Ibid. *Adviſam.* &c. p. 1329.

Ibid. vid. quoq. pag. 1327.

Hæc igitur inter Oratores Nicolai Papæ, & Caroli VII. Francorum Regis pacta atque conventa ſunt, obſecundantibus Angliæ & Siciliæ Regibus, ac Ludovico Delphino. Thomas Corcellæus, inſignis pietate ac doctrinâ Theologus, & Concilii Baſileenſis Lauſanenſiſque pars maxima, inter Oratores Caroli nominatur.

Ibid. pag. 1333.

Electores Principes Carolo ſe *conformant*, ſuaque *aviſamenta* proponunt, de irritandis utrinque pœnis. Hanc cauſam afferebant, *quòd Catholica univerſalis Eccleſia diffuſa per Orbem, & communitas fidelium, ut plurimùm hujuſ-*

Ibid. pag. 1330.

(*r*) *vix quidquam .... actum.*] Nihil omninò; niſi quòd duas Bullas approbavit, quibus Eugenius Eccleſiæ gratulabatur de quibuſdam Orientalibus Epiſcopis ſchiſmati ereptis.

modi proceſſus, ſententias, cenſuras, privationes & pœnas hinc indè emanatas non recepit. Hæc docent, quo loco decreta pœnalia non modò Baſileenſia, ſed etiam Eugeniana eſſe viderentur. Cavebant etiam ut Synodi Conſtan-
Ibid. pag. 1332. tienſis autoritas ſacro-ſancta haberetur. *Inſtabit Dominus Rex Francorum, quòd S. D. Nicolaus Papa V. Concilium Conſtantienſe, decretum*, FREQUENS, *& alia ejus decreta, ſicut cætera Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, honorem, & eminentiam, ſicut & cæteri anteceſſores ſui, ſuſcipiet, amplectetur & venerabitur.* Sic ſancta habebatur omnium Conſtantienſium decretorum autoritas: eorum verò maximè quæ ad eorum *eminentiam* pertinerent.

Rain. an. 1449. n. 3. 4. Ut hæc executioni darentur, primus Felix ex pacto edidit Bullam, quæ incipit, *Quas ob cauſas*, à Rainaldo relatam, cujus hæc eſt ſumma. 1°. Se ab univerſali Synodo Baſileenſi ad Apoſtolicum regimen evocatum obediiſſe, ut concuſſam tueretur generalium Conciliorum autoritatem, memorem videlicet *Conſtantienſis Concilii nullâ unquam oblivione delendæ definitionis; quòd videlicèt ſancta Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata*, &c. prout ex Conſtantienſis Concilii Seſſione V. ſæpè recitata ſunt: quam etiam veritatem Baſileenſis Synodus confirmâſſet, tota Catholica *ſuſcepiſſet, ac practicâſſet* Eccleſia. Exindè permotum gravi ſchiſmatis malo, *poſt acerrimos continuoſque labores, quos ſolius veritatis manifeſtandæ, autoritatiſque ſacrorum generalium Conciliorum conſervandæ gratiâ amplecti voluerit;* eò animum contuliſſe, ut pacem Eccleſiæ, quâcumque fieri poſſet ratione, procuraret: eâ causâ in ſanctâ Synodo Lauſanenſi univerſalem Eccleſiam repræſentante, ultrò ceſſiſſe Papatui; *ſperantes*, inquit, *quòd in futurum Reges & Principes, Prælati, & alii, autoritati ſacrorum Conciliorum aſſiſtent, eamque tuebuntur & defendent; quòdque univerſalis Eccleſia*, PRO CUJUS DIGNITATE, SUPEREMINENTIA, ET AUTORITATE *totis viribus pugnavimus, nos apud clementiam primi & æterni Paſtoris, noſtræ hujus pacificæ humilitatis contemplatu, ſuis devotis jugibuſque orationibus commendabit.* Lauſanæ 7. Apr. 1449.

His conditionibus Felix, hâc fide editâ, in Lauſanenſi Concilio Papatum depoſuit. Paucis poſt diebus, Synodus his conſentaneum decretum pro-
Ib. n. 5. tulit, ab eodem Rainaldo relatum, cujus initium: *Multis ab annis.* Sic autem definit: *Deſiderantes*, inquiunt, *de unico Paſtore uni ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ providere, compluribus ſuadentibus & urgentibus cauſis, præſertim dilectione dandæ unionis & pacis in perſonam dilectiſſimi filii Eccleſiæ Thomæ, in ſuâ obedientiâ Nicolai V. nominati, noſtra vota contulimus, ſperantes ipſum ea facturum, quæ ſummus Pontifex facere tenetur: fidâ quoque relatione intelligentes, eandem credere & tenere veritatem pro conſervandâ ſacrorum autoritate Conciliorum in ſacro-ſanctâ Synodo Conſtantienſi definitam & declaratam, ac in ſacro Baſileenſi Concilio renovatam, nec non à Prælatis, Regibus, & Principibus, Univerſitatibuſque Orbis ſuſceptam, prædicatam & dogmatizatam, videlicet quòd generalis Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata*, &c. prout in duobus Conſtantienſibus decretis ſeſſione V. habentur. His poſitis Nicolaum pro Pontifice habendum decernunt, ipſi-
* 16. April. que obediri mandant. 19. Apr. 1449. Anteceſſerant * decreta de irritatis pœnis, & confirmatis gratiis, prout pactum erat.

Denique

Denique eadem Synodus Lauſanenſis alia duo decreta ab eodem Rainaldo deſcripta edidit 25. Aprilis. Altero, Felicem creat ac nominat *Sabinenſem Epiſcopum, ac per varias amplaſque Provincias ſedis Apoſtolicæ Legatum, Vicariumque perpetuum; primumque poſt Romanum Pontificem locum* eidem attribuit, ſervatis aliquot Pontificiæ dignitatis inſignibus. Altero, poſt pacem conſtitutam, Synodus ſeipſa diſſolvit, ac diſſolutam eſſe decernit. Ib. n. 6.

Hæc agentes pro decretis Conſtantienſibus, hanc fidem profeſſos Nicolaus V. tribus datis diplomatis, quæ incipiunt: *Ut pacis:* & *Tantò nos:* & *A pacis autore:* non modò ut ab omni cenſurâ immunes, verùm etiam in ſuis ſuſcepit honoribus: Felicem verò, ſive Amedæum, eandem fidem toto terrarum Orbe teſtatum, pro Sabinenſi Epiſcopo ac primo Cardinali Legatoque perpetuo habet & agnoſcit, 21. Junii eodem anno 1449. Tom. xij. Conc. pag. 663. tom. xiij. pag. 1347. vid. Rain. an. 1449.

Viderat autem Nicolaus memorata Felicis & Synodi Lauſanenſis de ceſſione & pace diplomata, quorum reſpectu Bullam: *Ut pacis*, & Bullam: *Tantò nos*, à ſe editas eſſe teſtatur; nihil ut ſit clariùs, quàm Felicem & Lauſanenſes ſeſſionis V. Conſtantienſis decreta laudantes, ac ſupereminentem Concilii poteſtatem his aſſerentes, à Nicolao V. fuiſſe ſuſceptos.

Quid hìc mentis fuiſſe Nicolao putant? Nullamne, an ſuſpectam, imò Apoſtolicæ ſedi exoſam habuiſſe ſeſſionis V. Conſtantienſis autoritatem, qui Felicem ac Lauſanenſes eam ad cœlum uſque, poſtremis etiam decretis extollentes, amplexus ſit? An fortè exiſtimabat, ab iis Conſtantienſes canones ita laudari, ut, quod jam adverſarii volunt, ad ſolum ſchiſmatis tempus revocarent? Atqui Baſileenſes iis canonibus adversùs Eugenium indubitatum Pontificem uſos prædicabant. Quid ergò? Nicolaum indulgentiâ uſum adversùs eos, qui erroneam aut ſchiſmaticam doctrinam non modò profiterentur, ſed etiam univerſæ Eccleſiæ commendarent? Apage inſana prorsùs deliria. Nihil ergò ſupereſt, niſi ut eos pro Orthodoxis habuerit; idque tribus diplomatis uno die editis confirmarit.

Sic autem inter Papæ Regiſque Oratores pactum erat, ut hæc tria diplomata *de caſſatione proceſſuum, de confirmatione geſtorum, & de reſtitutione privatorum, ſecundùm minutas ab ipſis Oratoribus concordatas*, à Nicolao ederentur, & Felici traderentur; quæ Oratorum teſtificatione in Conciliorum voluminibus edita conſtant. Tom. xiij. Conc. pag. 1333.

Refert quidem Rainaldus ex Jannutio Manetto, * Amedæum *perfidiæ ſuæ errorem recognoviſſe*, quem *confitentem ac pœnitentem* Nicolaus ſpontè Cardinalem creaverit; at nos Hiſtoricis, partium ſtudio quæ libuere ſcribentibus, adversùs geſtorum fidem ac Nicolai diplomata, non credimus. Cæterùm in geſtis ac Bullis nihil retractationis aut pœnitentiæ reperimus; imò ultima Felicis geſta ac Synodi Lauſanenſis, omnia præclarè ab iis atque à Baſileenſibus geſta; nec niſi pacis ſtudio antiquanda confirmant. Utrinque ſolutæ pœnæ; utrinque confirmatæ gratiæ: de pœnis id notatu dignum, quæcumque à quocumque, etiam ab Eugenio in Felicem ac Baſileenſem ſive Lauſanenſem Synodum *emanaſſent*, eas à Nicolao nullas & irritas declaratas; *atque etiam de regiſtris Eugenii, Nicolaique ipſius & locis aliis abolitas atque deletas.* Rain. loc. cit. n. 6. * Florentino in vitâ Nicol. V. Bull. *Tanto nos.* tom. xiij. pag. 1349.

Omnes ergò utrinque pro Orthodoxis habiti, quique pro tranſlatione, quique adversùs tranſlationem egiſſent. Retractationes fingunt, quas nec ipſi probant, & acta reſpuunt. Joannes Segobienſis Hiſpanus, Thomas Corcellæus Gallus, alii innumerabiles, ſanctitate ac doctrinâ conſpicui, Baſileenſi Synodo ad finem uſque conjuncti, in pace Eccleſiæ obierunt; famâ integrâ ac virtutum omnium, imprimis verò modeſtiæ & contemptarum dignitatum (ſ) laude floruerunt. Ludovicus verò Alamandus Cardinalis, Arelatenſis Archiepiſcopus, quo duce ac Præſide depoſitus Eugenius, Felix electus, continuata Synodus & ad extremum uſque perducta eſt; ille, inquam, abdicato tantùm ſchiſmate, circa doctrinam verò retractatione nullâ, imò geſtis in Lauſanenſi ſeſſione ultimâ confirmatis, priſtinæ dignitati reſtitutus, in ſuâ Eccleſiâ vixit. Obiit clarus miraculis, pro beato colitur, Clemente VII. Pontifice, ut jam memoravimus, edicente. Nulli imputatus error, nulli ſchiſmaticus animus, omnes bono animo, bonâ fide adversùs tranſlationem egiſſe conſtabat, dum reformationi ſtudent, ejuſque promovendæ ſpem in Conciliorum invictâ ſtabilitate repoſitam putant.

Rain. loc. cit. n. 8.

Vid. Diſſ. præv. not. xliv. & lib. v. cap. v.

CAPUT XV.

Quæſtio de tranſlatione, qualis habita in Baſileenſi & ſecutis Synodis: de Conſtantienſibus decretis nullum ſupereſſe dubium: JOANNIS DE PARADISO *Carthuſiani locus de rebus Baſileenſibus.*

QUIN ipſa quæſtio quâ poteſtate Concilium transferatur, rectè conſideranti pendere adhuc & in medio relicta videbitur. Sanè tranſlatio Baſileenſis tria habebat inſignia propter quæ probaretur: primum, cauſa transferendi gravis ac neceſſaria propter Græcos: alterum, non modò Legatorum, verùm etiam Præſulum ingens diſceſſio: tertium denique, conſecutum ſchiſma, depoſito Eugenio atque electo Felice, præter optimorum virorum ſententiam. Hæc igitur particulares cauſæ tranſlationem & faciendam ſuadebant, & factam tuebantur. Et tamen à Felice, à Lauſanenſibus nihil, præter abdicatum ſchiſma; circa transferendi Concilii poteſtatem, nihil retractationis exigitur. Quin ipſe Eugenius tranſlationi decretum, ut vidimus, Baſileenſe prætendit: cæterùm Ferrarienſem Synodum, Florentiam; Florentinam, Lateranum; ſed ubique, Concilio approbante, tranſtulit.

Vid. ſup. hoc. lib. cap. xij.

De tranſlato Ferrariâ Florentiam Concilio memorabile illud, quod legimus in actis: eâ tranſlatione propoſitâ reſpondiſſe Græcos: *Nos vellemus Ferrariâ non excedere, quandoquidem in eâ ſtatutum eſt, non alibi Synodum celebrari:* dixiſſe Imperatorem Græcum: *Lex eſt apud Latinos, Synodum*

Bull. Eug. Decret. tom. xiij. Conc. pag. 1030. & hiſt. Patr. cap. cxxix. pag. 1599. Conc. Flor. ſeſſ. xv. p. 214. 218. 219.

(ſ) *contemptarum dignitatum &c.*] Corcellæus à Felice Cardinalis factus, hanc ultro dignitatem abdicavit.

Oecumenicam, non ita ſimpliciter ac fortuitò dimitti, infectâ re, ac ſine definitione Synodicâ, præterquam tribus hiſce de cauſis : ſi peſtis graſſetur, ſi fame laboretur, ſi fiat hoſtium incurſio. Quapropter nos etiam juſta de causâ Synodum transferemus. Eſt autem cauſa peſtis. Quo audito *omnes dixerunt : Juſtum eſt tranſlationem Synodi notam fieri. Placuit ergò convenire generalem Synodum; atque ita indicta eſt tranſlatio.* Decretum tranſlationis habetur in Conciliorum voluminibus, *ſacro approbante Concilio.* Quo quidem decreto duo aſſeruntur à Græcis : primum, nonniſi neceſſariis cauſis Concilium dimitti, antequàm definita ſint, propter quæ eſt congregatum : alterum, ne id quidem fieri, niſi aſſentientibus Patribus. Vid. ibid. p. 1030.

Neque aliter geſtum in Tridentinâ Synodo. Allatum Pauli III. decretum, de Concilio Bononiam transferendo, propter graſſantes morbos : Seſſione VIII. quæſitum à Patribus, num placeret eâ causâ *decernere ac declarare Concilium eſſe transferendum, & ex nunc transferri, donec ſanctiſſimo Domino noſtro, & ſacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc ſeu alium locum, ipſum Concilium reduci poſſit ac debeat : reſponderunt : Placet.* En ad tranſlationem cum Pontificiâ conjuncta ſacro-ſancti Concilii autoritas, neque aliter : atque ad ipſam Synodum Tridentinam, Deo ita providente, hæc ſententia tranſmittitur. Concil. Trid. ſeſſ. viij. tom. xiv. p. 785.

Huic tranſlationi, cùm Carolus V. Auguſtus, ejuſque Regnorum Epiſcopi intercederent, Galli quidem conſenſere; extatque mandatum Henrici II. ut ſuo & Eccleſiæ Gallicanæ nomine, tranſlatio approbetur; ſed cum eâ clauſulâ : *Quòd dictum Concilium, Patrum ibidem agentium conſenſu atque autoritate, Bononiam tranſlatum ſit.* Mem. pour le Conc. de Trente pag. 19.

Mortuo Paulo III. ex Julii III. ſucceſſoris Bullâ, Concilium Tridenti reſumptum, ita decernente atque aſſentiente Concilio, Seſſione XI. anno 1551. calendis Maii. Concil. Trid loc. cit. p. 799.

Suſpenſa Synodus per biennium Seſſione XVI. 28. Aprilis 1552. at ipsâ Synodo decernente. Reſumpta Synodus ſub Pio IV. Seſſione XVII. ſed iterùm, ipſius Synodi accedente decreto. Deniqùe diſſoluta eodem ordine Seſſione XXV. Quæſitum à Patribus : *Placeatne, ut huic ſacra Oecumenica Synodo finis imponatur? Reſponderunt : Placet.* Ib. p. 835. 836. Ib. p. 840. Ib. p. 919. 920.

Cæterùm hæc nihil ad nos, qui tantùm Conſtantienſia Seſſionis V. decreta tutanda ſuſcepimus. Ea verò & per ſe ſummâ autoritate conſtare; & à Martino V. iteratis vicibus approbata eſſe, & à Synodo Baſileenſi, dum legitimè canonicèque ageret, repetita; & ab Eugenio IV. ſæpiùs, etiam in Synodo Florentinâ comprobata; & à Nicolao V. pro ſanctis atque intemeratis habita fuiſſe demonſtravimus, dum Felicem ac Lauſanenſes ea decreta laudantes atque repetentes, & quidem quovis tempore, & adversùs quemvis Pontificem valitura, audiit, ſuſcepit, amplexus eſt, edito etiam diplomate.

Quin etiam idem Nicolaus Carolum VII. pace Eccleſiaſticâ confectâ nobilem, miris in cœlum laudibus efferebat; cùm Carolus interim, totaque Eccleſia Gallicana Pragmaticam-Sanctionem omni ope tuerentur; in quâ, ut vidimus, Baſileæ repetiti canones Conſtantienſes Seſſionum IV. & V. recipiebantur, laudabantur, & pro certo ac ſtabili rerum omnium fundamento conſtituebantur. Nicol. V. epiſt. v. ad Carol. vij. tom. xiij. Conc. pag. 1343. vid. ſup. cap. xij.

Digitized by Google

Calixti verò III. qui Nicolao proximus ſedit, tempore, Cardinalis Ave-
* Alanus de Coetivi. nionenſis * anno 1456. Legatus à latere, ad eundem Carolum & Gallias
Preuv. des Libert.tom. j.cap.xxiij. pag. 917. miſſus, id etiam ſcripto confirmavit, nihil ſe acturum, quod Pragmaticæ-Sanctioni adverſaretur; cujus autographum in regeſtis Regiis habetur: adeò Pragmatica in noſtrorum animis hærebat, necdum à Romanâ Curiâ vexabatur.

Ex his concludimus motam quidem de tranſlatione quæſtionem nondum univerſim deciſam videri; certè, quod hic agitur, Conſtantienſia Seſſionis V. toties repetita, toties approbata, certâ & indeclinabili autoritate conſtare.

Hic qui ſcire velit, hæ tranſlationes ac diſſolutiones Conciliorum, quo loco à viris bonis doctiſque haberentur; legat Jacobi de Paradiſo Carthuſiani, Doctoris Erfordienſis, *collectum de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ in Apocalypſi.* Ibi leget, quàm neceſſaria reformatio; quàm neglecta; quàm exoſa tunc temporis, præſertim Italis & Curiæ: tùm ſubdit mille artes, quibus
Gold. Monarch. tom. ij. p. 1567. 1570. Concilia diſſolvantur: *Quod*, inquit, *clarè probat tragadia noſtris temporibus in Baſileenſi Concilio practicata; & ex hoc ortum eſt vulnus, neſcio quando curabile contra autoritatem Conciliorum generalium, ut abſcedentibus Papâ, aut ſuis Præſidentibus à loco Concilii, vel differentiâ exortâ inter partes ejuſdem, cenſeatur Concilium diſſolutum, reſideatque in perſonâ Papæ de plenitudine poteſtatis autoritas diſſolvendi, aut transferendi Concilia generalia, prout Eugenius olim Papa anno 1437. feciſſe comprobatur. Hoc venenum per eum effuſum eſt in Eccleſiam, per adverſarios Conciliorum: ad quod refugium habebunt, ut ſubterfugere valeant correctionem & reformationem; ita ut etiam modernis temporibus frontosè dogmatizare audeant: in quolibet Papâ reſidere plenitudinem poteſtatis, non ſolùm ſuper quolibet membro ſingulari Eccleſiæ, ſed & ſuper totam Eccleſiam Conciliariter congregatam, ad libitum ipſius diſponendi, decretandi, diſſolvendi, transferendi, corrigendi, autorizandi; ut nullus ei audeat dicere, cur ita facis? Et ſic totaliter nituntur ſuffocare autoritatem Conciliorum, contra decretationem* AB OMNIBUS ACCEPTAM *in Conſtantienſi & Baſileenſi generalibus Conciliis publicè promulgatam, & contra Pragmaticam-Sanctionem ſuper hoc editam, atque factam.* Decreta memorat in Seſſione V. Conſtantienſi edita, ac Baſileæ repetita, & ab omnibus accepta. Hæc igitur ad ava-
Ibid. pag. 1573. ritiam ac peſſimam adulationem refert, concluditque ita: *Quòd Eccleſiâ univerſali Conciliariter congregatâ Papam inferiorem eſſe non dubitemus; & quòd autoritas Eccleſiæ integre ſervanda eſt ſuper omnem, quâcumque prafulgeat dignitate, etiam Papali, in his qua ad fidem, & ad ſchiſmatis extirpationem, & ad generalem Eccleſiæ reformationem in capite & in membris. Secundò: Concilium punire poteſt & debet quemlibet, etiam Papam, qui contumaciter ſtatutis ejus obedire contempſerit. Ex præmiſſis infertur. Si univerſalis Eccleſia, tam in capite, quàm in membris debet reformari, oportet hoc fieri per totam Eccleſiam Conciliariter congregatam, à capite incipiendo; neque enim ſpiritus mendax fuiſſe credendus eſt in ore omnium illorum virorum celeberrimorum in Conſtantienſi Synodo congregatorum, qui hoc ſanxerunt per decretum,* FREQUENS, *licèt quidam ex Italicâ Natione, de Collateralibus Papæ, moleſtè illud tulerunt; poſteà tamen omnes conſenſerunt de ſuperioritate Concilii generalis ſuper Papam, licèt inimicus homo iterùm ſuperſeminavit zizania.*

Hæc viri boni ac fortes, adhuc ſubjectam oculis memorabant, de Conciliari autoritate in Conſtantienſi Concilio conſenſionem omnium; affirmabant ſuperſeminata paulò poſt zizania, atque iis reformationem impeditam deplorabant; ad eam incipiendam atque promovendam, ad Conſtantienſia decreta, tanquam ad arcem, confugiebant. Hæc nos cum iis dolentes ingemiſcenteſque referimus; Deumque precamur, ne fœdos iterùm atque Eccleſiam vaſtaturos Reformatores immittat, & Eccleſiæ vulnera ab alto reſpiciat.

CAPUT XVI.

PETRI *Meldenſis Epiſcopi ad* EUGENIUM IV. CAROLI VII. *nomine, geſta Legatio: an* ODORICO RAINALDO *eam objicienti proſit?*

DUM in rerum Baſileenſium ſeriem ac ſummam intendimus, tantiſper diſtulimus eam, quam Odoricus Rainaldus refert, Petri * Meldenſis Epiſcopi anno 1441. geſtam, ad Eugenium IV. cùm Florentiæ ageret, Caroli VII. nomine Legationem.

* De Vercellis, Dinienſis, poſteà.

Hujus Legationis cauſa erat, ut Eugenius, Synodo Baſileenſi condemnatâ, Florentinâ verò abſque ullâ Eccleſiæ reformatione factâ; novam Synodum generalem, idque in Galliis indiceret, haud ita facilè diſſolvendam; atque hactenùs factum pii omnes ingemiſcebant. Quòd ergò vir prudentiſſimus verba ſua ſenſuſque ad deliniendum Eugenii animum accommodat, ut eum omni arte perpellat ad Synodum, totum id Odoricus Rainaldus eò refert, ut Baſileenſes Regi horrori fuiſſe, Pontificia verò Monarchia ſuper omnem Conciliorum autoritatem provecta, & exaltata fuiſſe videatur.

Rain. an. 1441. n. 8. 9. & ſeq.

At ille ſua dicta ſic temperat, ut cum cæteris Theologis Gallicanis, Conciliariſque poteſtatis defenſoribus, ſummâ ipsâ conveniant. Monarchiam commendat Eccleſiaſticam, pacis unitatiſque conciliatricem. Nihil mirum: quippè quam Catholici omnes, præſertim Pariſienſes, laudent. Baſileenſes ſuggillat, *qui eam nunc abolere & ſupprimere contendunt*. At illud verbulum, *nunc*, à prudentiſſimo Oratore interjectum, ad poſteriora Baſileenſia adjicit animos: priora, quæ Conciliarem poteſtatem recto ordine aſſerebant, ſana eſſe ſignificat. Quare oratione totâ quidquid improbat in Baſileenſibus geſtis, ad Eugenii depoſiti, (1) ac Felicis ſubſtituti tempora manifeſtè refert, quæ Gallia non probabat; multique viri præſtantes, Conciliaris etiam poteſtatis rectæ & ordinatæ ſtrenui defenſores, omnia Baſileæ tùm, ab inconditâ multitudine, per ſeditionem ac tumultum fieri querebantur. Hæc ergò *nunc* geſta, quæ pacem unitatemque convellant, Orator memorat, interim, cùm ſupremam in Romano Pontifice poteſtatem agnoſcat, uti om-

Ibid. n. 9.

(1) *Eugenii depoſiti.*] Qui Meldenſis Epiſcopus eas primas ſeſſiones improbaſſet, quarum ipſe pars fuerat, utpotè in Concilio Baſileenſi Hieroſolymitani Regis Orator. Vid. Gall. Chriſt. in Epiſc. Dinenſ. & Meld.

nes Catholicos, ac præſertim Pariſienſes facere vidimus, hoc addit : *Patres* Ibid. *conſtituiſſe decreta & regulas pro ipſius uſu gubernando & regulando; quicumque*, inquit, *præter has regulas hac poteſtate utitur, ſuperbit, & poteſtatem exercet, ſicut Principes gentium, quod prohibuit Chriſtus.*

Quo loco ſubdit *duas extremitates* jam in Eccleſiâ eſſe : alteram quidem *exacutam in Concilio olim Baſileenſi*, quâ voce, *olim*, iterùm oſtendit, & viguiſſe olim Concilium illud, & nunc Concilii loco non eſſe : alteram in Florentino : atque in Concilio quidem Baſileenſi unam extremitatem nimis exacui extinctâ poteſtate : alteram à Florentino Concilio nimis exacui viſam, poteſtate quidem agnitâ, ſed nullâ re factâ, *pro regulando uſu hujus poteſtatis*; quod quid eſt aliud, quàm Theologorum Pariſienſium more, ſupremam ac plenam in ſummo Pontifice revereri poteſtatem; ſed eam per canones & Concilia regulandam, ut etiam in Gallicanâ Declaratione eſt poſitum, agnoſcere.

Ib. n. 10. 11. Addit noſter Orator : *Quòd ad has extremitates evellendas non ſufficit autoritas Papæ, ſine generali Concilio; etſi*, inquit, *Eugeni, in favoribus Principum confidas abſque generali Concilio, procul dubio arundineum baculum tenes* : quibus aliiſque patet, in eâ Legatione, rejectis ſine contumeliâ Baſileenſibus, ſed tantùm poſterioribus geſtis, pro verâ Conciliorum autoritate, ſummâ quidem modeſtiâ, ne Eugenium exaſperaret; ſed tamen ſtrenuè eſſe certatum. Quàm autem Rex Chriſtianiſſimus Baſileenſium Patrum ad finem uſque honori conſuluerit, acta eo autore, ſub Nicolao V. jam relata teſtantur. Quare hîc finem eâ de Legatione dicendi facimus. Sup. hoc lib. cap. xiv.

CAPUT XVII.

Bulla retractationis PII II. *ad Colonienſem Academiam Conſtantienſia decreta confirmat, Baſileenſia tantùm poſteriora damnat.*

ÆNEAM Sylvium, ex gente inclytâ Picolomineâ, Poëtam eximium (*u*), poſteà Pium II. Pontificem maximum, Concilio Baſileenſi, etiam poſt tranſlationem adhæſiſſe, eique *ſcripto, factoque* faviſſe, pauci ſunt qui neſciant; & ipſe profitetur. Jam retractationem ejus producemus, ut omnes intelligant, in ipſâ retractatione, quæ ille revocârit, quæ intacta reliquerit, quæ ultrò firmaverit.

Bull. retract. Pii ij. tom. xiij. Conc. pag. 1407. & ſeq. Anno igitur 1463. ad Univerſitatem Colonienſem Bullam edidit : *In minoribus*, ex quâ perſpicuum eſt, Baſileenſium geſta ab ipſo improbari (*x*);

(*u*) *Poetam eximium.*] Ipſe Sylvius in fronte ſuarum epiſtolarum hunc titulum ſibi vindicat. Et quidem ſtylus & verba illius Bullæ retractationis, de quâ mox D. Bossuet eſt dicturus, redolent Poetam haud parum delirantem. Ad fabulas paſſim alludit & ad exempla profanæ hiſtoriæ.

(*x*) *Baſileenſium geſta ab ipſo improbari.*] Iterum atque iterum legenti mihi hanc Bullam perſuaderi non potuit, ea tantummodò ex geſtis Baſileenſibus à Pio ij. *improbari, quæ contigerunt, poſtquam Eugenius Concilium tranſtulit.* 1°. enim Pius res primi diſſidii eo modo narrat, ut ſignificet geſtas eas ab Eugenii iv. hoſtibus, qui *catervatim in horas accedebant*,

ſed quæ ? Ea ſcilicèt quæ poſt tranſlationem conſecuta eſſent : poſteàquàm ſcilicèt *Eugenius Concilium in Italiam tranſtulit, & cum Græcis Ferrariæ convenit, & Legati Concilii ad Eugenium defecere.* Hæc ille ſemper inculcat ; hæc, non alia retractat ac revocat.

Sed fortè anterioribus geſtis non interfuerat, nec neceſſe habuit ea quoque reprobare. Atqui primo Concilii anno, Chriſti 1431. ad Concilium veniſſe ſe narrat. Quid autem ageretur, referentem audiamus : *Aderant Legati Pariſienſis Scholæ, cujus eſt fama percelebris ; adfuerunt aliquando veſtri & aliorum ſtudiorum Germanicæ Nationis Oratores ; & uno ore Concilii generalis autoritatem ad cœlum efferebant.* An ergò ea tùm improbata dicit ? Imò, *acceſſit*, inquit, *& ipſius Eugenii conſenſus, cùm diſſolutionem Concilii à ſe factam revocavit, & progreſſum ejus approbavit :* quorum alterum ad anteriorum approbationem, alterum ad ſequentium curſum pertineret. Quis autem ille ſit Eugenii conſenſus, à Pio II. memoratus, ipſa verba demonſtrant ; nempè conſenſus cum iis, qui *uno ore Concilii autoritatem ad cœlum efferrent.* Cum his Eugenius, Pio teſte conſenſit, Concilii Baſileenſis diſſolutione revocatâ, progreſſu approbato, ut verba teſtantur. Audis ab Eugenio approbata priora geſta Baſileenſia, quæ nunc approbata & confirmata nolunt, ſimulque approbata & firmata Conſtantienſia decreta, quæ tùm Baſileæ toties repetita & inculcata ſunt. Cæterùm approbato progreſſu, rem ipſam quæ fieret improbatam mera ludificatio eſt, ut vidimus, nec ad iſtas diſtinctiunculas Pii animus deflectebat. Ibid. pag. 1410.

Quin ipſe apertiſſimis verbis hæc Conſtantienſia decreta confirmat : poſteàquàm enim ſummis laudibus ſupremam Apoſtolicæ Cathedræ poteſtatem commendavit, hæc addit : *Cum his, & generalis Concilii autoritatem, & poteſtatem complectimur, quemadmodùm & ævo noſtro, Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus univerſalis, declaratum definitumque eſt ; veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta quæ præceſſerunt à Romanis Pontificibus noſtris Prædeceſſoribus approbata.* Ergò Conſtantienſe inter approbata numerandum ; neque audiendi illi *, qui *partim approbatum, partim improbatum* memorant, cùm Pius ſimpliciter approbatum pronuntiaverit, & reliquis ſimpliciter ex æquo approbatis accenſitum velit. Neque verò quidquam eſt in Conſtantienſi Concilio, quod non Pius approbet. *Concilii enim*, inquit, *autoritatem & poteſtatem complectimur, quemadmodùm & ævo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus univerſalis, declaratum definitumque eſt.* En univerſim dictum, *dum ibi fuit Synodus univerſalis.* At ibi fuiſſe univerſalem Synodum jam indè ab initio, & in iis etiam Seſſionibus, quæ adunatas obe- Ibid. pag. 1415.

* Quales ſunt Binius, Bellarminus & quidam alii.

rò ut eminentiam primæ ſedis ſupprimerent. 2°. Pius eos priores Baſileenſes ſic deſcribit : *Eugenii nomen modis omnibus lacerabant, & de poteſtate Romani Pontificis pauci erant qui loqui præſumerent ;* erat enim *multitudo maledica & inimica Principi.* 3°. Idem dicit in privatis colloquiis cum Cardinale Juliano, qui jam pridem ejuraverat errores eos quos Baſileæ defenderat, ſe didiciſſe *ſalvari non poſſe qui Romanæ Eccleſiæ non tenet unitatem ;* id eſt, ut ipſe explicat, *qui ſummo Pontifici obedire recuſat.* Atqui, utcumque eſt de privatis iis cum Juliano colloquiis, Julianus, qui abfuit ab ultimis ſeſſionibus Concilii Baſileenſis, ſi quid ejuravit, certè ea decreta ejuravit quæ, ipſo Præſide, in primis ſeſſionibus ſtatuta fuerant : ergò Pius hìc vult innuere totam à ſe reprobari Synodum, licet proſcindat atrociùs ultimas ſeſſiones.

dientias præceſſerunt, Martinus utique V. toto approbante Concilio definit. His ergò verbis Pius uſus eſt, ne fraude agere, aut aliquam Concilii Conſtantienſis partem ſuſpectam habuiſſe videretur. Quid quòd his Pii verbis Seſſionum IV. & V. Conſtantienſis decreta diſertè probata ſunt. Repetamus enim Pontificis verba: *Concilii autoritatem & poteſtatem complectimur, quemadmodùm ævo noſtro Conſtantiæ declaratum definitumque eſt.* Quo verò loco *declaratum definitumque eſt*, niſi Seſſionibus IV. & V. aut ſi non iſta ſunt quæ Pius amplectitur; ediſſere quo alio loco aliquid de Concilii generalis autoritate Conſtantienſis Synodus *definitum* à ſe *declaratumque* voluerit? Nihil invenies; atque adeò quæ tu loca improbata putas, ea ſanè ſunt, quæ hìc expreſſiſſimè & ſignificantiſſimè approbentur.

At inquies, licèt approbaverit, ſaltem non eo modo intellexit, quem nos ſecuti ſumus; cùm tantam Papæ ineſſe voluerit in Synodos etiam generales autoritatem, *ut eas & congregare & diſſolvere datum ſit.* Eſto: ergò eò, te fatente, jam deducta res eſt, ut Pontifex Concilium congregare & diſſolvere, non ſanè eò uſque, ut etiam congregati nec diſſoluti Concilii juſſa in fide, in ſchiſmate, in reformatione detrectare poſſit; quod unum ex Conſtantienſi Concilio, eique conjunctâ Declaratione Gallicanâ tuendum ſuſcepimus: cætera aliis tractanda relinquimus.

Interim quærimus, an etiam Pius putaverit à Papâ diſſolvi poſſe Concilia, nullâ idoneâ causâ, nullâ neceſſitate, atque, ut Eugenius ejuſque adulatores ferebant, *pro ſuæ libitu voluntatis?* Abſurdum; cùm ipſe Eugenius nimia illa rejecerit. Ac ſi quæcumque diſſolutio, quo jure, quâ injuriâ, à Pontifice facta, Pio valere videretur; quò pertinebat ille ab eodem memoratus Eugenii conſenſus, cum iis, qui Synodum, ab ipſo licèt diſſolutam, ſtare ac valere ſentiebant.

Ibid. At enim poſt illam Concilii Conſtantienſis tam apertam approbationem; hæc Pius ſubjecit: *Inter* (Concilia) *nullum invenimus unquam fuiſſe ratum, quòd ſtante Romano indubitato Præſule, abſque ipſius autoritate convenerit; quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas:* ſanè, ut congregentur, quod verborum tenor indicat; non autem uſque adeò *omnis*, ut Patres ſemel congregati nullam à Chriſto habeant poteſtatem. Si enim nullam habent niſi à Papâ poteſtatem, undè illud Conſtantienſe Pio quoque probatum, quòd Synodus generalis *immediatam à Chriſto poteſtatem* habeat? Undè illud ab eodem Pio memoratum, quòd Baſileenſis Synodus in ipſis initiis diſſoluta ab Eugenio, tamen valuerit, ipsâ diſſolutione revocatâ? Concilianda certè Pii dicta, non collidenda ſunt. Habeant ergò Epiſcopi eam à Pontifice, capite poſt Chriſtum ſecundo, poteſtatem, ut congregentur, congregatique maneant, ordinariè certè (neque enim vel ipſe Pius aliud poſtulaverit) ut autem congregati doceant, decernant, ſtatuant, judicent, à Chriſto immediatè habent.

Næ illi falſi ſunt, rerumque Eccleſiaſticarum imperitiſſimi, qui quòd Concilium, ordinariè quidem, nonniſi convocante Romano Pontifice, verè & legitimè congregatum habeatur, ideò ad Pontificis nutum pendere omnia jactant: quaſi nulla ſit Synodi ad Pontificem accedentis autoritas. Satis enim apparuit, atque ex ſequentibus clariùs eluceſcet, ita eſſe Eccleſiam

conſtitutam;

conſtitutam, ut poſtquàm congregata eſt, ex Patrum ſententiâ omnia decernantur, utque tali cœtui in fidei rebus, aliiſque à Synodo Conſtantienſi memoratis, ipſe etiam Papa obedire debeat. Atque ut is maximè diſſolvere poſſit Synodum, non tamen pro libito, non indictâ causâ, non levi quâcumque objectâ difficultate; ſed magnâ gravique, quâ tota Eccleſia meritò commoveri poſſit; cùm ipſe pudor prohibeat undique concurrentes Fratres re infectâ dimittere, aut Eccleſiæ Catholicæ in Spiritu ſancto legitimè congregatæ Majeſtatem aſpernari: quod dum Eugenius in Baſileenſibus initiis fecit, læſo Concilio juſſus ſatisfecit; firmavitque ſemel initum Concilium, diſſolvente etiam indubitato Pontifice, ſtare potuiſſe.

CAPUT XVIII.

An Lateranenſi Synodo, ſub Leone X. *Conſtantienſia decreta abrogentur? quantis autoritatibus hæc firma ſint: cur Patres Gallicani priora Baſileenſia geſta in Declaratione ſuâ exprimenda non putaverint.*

Lateranensem Synodum ſub Leone X. in eâque editam Conſtitutionem, *Paſtor æternus*, de Pragmaticâ-Sanctione abolendâ, Bellarminus & alii paſſim objiciunt, quâ Conſtantienſia toties approbata decreta reſciſſa ſint. Hîc ergò, ut ſuprà de Florentino, ita nunc de Lateranenſi Concilio quærimus: an Conſtantienſia decreta reſciſſa ſint, ut olim Ariminenſia? Ne id quidem dixerint, cùm Leo X. Conſtantienſem Synodum nullo decreto violârit. Cur ergò reticuit Synodi Conſtantienſis nomen? An reverentiâ Synodi Œcumenicæ? Ergò pro Œcumenicâ habebat, cujus proindè decreta, quæ ad doctrinam ſpectant, ſi labefactaret, ſemetipſum potiùs, quàm Conſtantienſem Synodum ipſe convelleret. Itaque hoc illud eſt quod ſæpè querimur: collidi & committi inter ſe veluti diſſidentes præliantesque Synodos, tanquam in Conciliorum doctrinâ eſſet illud, quod Apoſtolus vetat, *eſt & non*; quo non modò Conſtantienſis, ſed etiam Conciliorum omnium nutet autoritas.

Conc. Lateran. an. 1516. ſeſſ. xj. tom. xiv. p. 309. & ſeq.

ij. Cor. j. 18.

Jam ſi autoritas autoritati comparetur, vix quiſquam negaverit Lateranenſi Synodo Conſtantienſem, ut rerum geſtarum gloriâ atque Epiſcoporum magnorumque virorum numero & claritudine, ſic etiam autoritate eſſe potiorem: primum hoc. Alterum ſubjungimus: Lateranenſibus decretis firmari potiùs Conſtantienſia, quàm reſcindi.

Ac de Lateranenſis quidem Synodi autoritate omnibus notum, quàm pauci Epiſcopi; quàm ex paucis Provinciis convenerint; quàm ex juſtis de cauſis Galli ſe excusârint; quàm difficilis tùm ad Urbem eſſet aditus, flagrante Italiâ atrocibus bellis. Itaque Gallicanæ Eccleſiæ tùm Lateranenſis Concilii autoritas planè nulla, &, ut Bellarmino etiam ipſi viſa eſt, non admodùm ſtabilis; quippè qui in aſſerendis Pontificiis geſtis confidentiſſimus,

Sup. lib. v. cap. xx.

Bell. lib. j. de Concil. aut. c. xvij. vid. cap. xiij.

de Lateranenſi Synodo hæc trepidè ſcripſerit : *Concilium Lateranenſe non fuiſſe generale vix dici poteſt* : & alibi : *De Concilio Lateranenſi nonnulli dubitant, an fuerit verè generale ; ideo uſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos.* Hâc igitur Synodo ſi præſtare contendimus numeroſiſſimam ac patentem omnibus Conſtantienſem Synodum, tantâ rerum geſtarum gloriâ nobilem, ac denique à tot Synodis, totque Pontificibus approbatam ; id jure noſtro agere videbimur.

Bull. *Paſtor ætern.* in Conc. Later. p. 311.

Jam quod in Lateranenſi Synodo dicitur : *Romanum Pontificem ſupra omnia Concilia poteſtatem habere*, primum quidem vidimus non definiendo, ſed narrando eſſe poſitum : quòd Conſtantienſibus deditâ operâ factis definitionibus prævalere non poſſit : tum ex tenore verborum eò referendum eſſe, ut Pontifex *Concilia indicere, transferre ac diſſolvere valeat* : quod nec univerſim & ſine cauſâ valere, nec ad quæſtionem noſtram, aut ad ea quæ tuemur decreta Conſtantienſia pertinere ſæpè oſtendimus.

Ibid.

Huc accedit, quòd Leo Eugenii, Pii, aliorumque anteceſſorum inſiſtens veſtigiis, Baſileenſia damnet; ſed ea quæ *poſt tranſlationem* geſta ſunt ; quò etiam refertur illud, quod de ſuperiori Papæ poteſtate dicit,

Quòd autem Pragmatica antiquata ſit, nihil ad quæſtionem noſtram. Etenim Conſtantienſia, iiſque conjuncta Baſileenſia anteriora, de Conciliorum autoritate decreta, etſi inſerta Pragmaticæ, non tamen ex Pragmaticâ vim obtinebant ſuam, ut, proſtratâ Pragmaticâ, jacere neceſſe ſit. Denique Pragmatica abolita quidem eſt, non tamen ut hæreticum quid, aut erroneum, aut ſuſpectum in fide ſonans ; ſed ut *corruptela*, noxia diſciplinæ. Abierint ergò quæ ad diſciplinam ſpectant, quandoquidem Romana Curia ea ferre non poterat ; nos ea non tuemur : ſtent verò immota, quæ ante Pragmaticam extiterunt ſacrorum Conciliorum dogmata, quæ neque à Leone X. aut Lateranenſi Concilio tacta ſunt, neque tangi ſine graviſſimo fidei periculo potuere.

(Ibid. in margin beside "matica abolita quidem eſt")

Vid. Diſſ. præv. num. xiv. & in append. lib. j. cap. j & ſeq.

Quare Eccleſia Gallicana in Tridentinâ Synodo antiquam de Conciliorum poteſtate profeſſa eſt ſententiam, conſtititque omninò, neque Gallos à Conſtantienſis Concilii decretis tuendis deſtitiſſe, neque Pontificem aut Synodum ut ab eis deſiſterent poſtulâſſe.

Sup. hoc lib. cap. xv.

Diximus etiam quo loco relicta ſit controverſia de Conciliis transferendis ac diſſolvendis, cùm Tridento Bononiam indicta tranſlatio, ac poſteà Concilii ſuſpenſio, iterataque celebratio, ac tandem diſſolutio, non niſi Synodo approbante & condecernente facta ſit.

Palav. hiſt. Conc. Trid. lib. xv. cap. xvj. & ſeq. Conc. Trid. tom. xiv. pag. 840. Mem. pour le Conc. de Trent. pag. 209. 513. 515. Conc. Trid. p. 894.

Neque prætermittendum id quod Palavicinus refert; Hiſpanos ſæpè multùmque queſtos, quòd Seſſione XVII. decreto de celebrando Concilio inſertum illud eſſet : *Tractanda ea quæ proponentibus Legatis ac Præſidentibus apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur.* Nempè verebantur ne Conciliaris autoritas ac libertas eâ clauſulâ violaretur, totaque Synodus in Legatorum poſita poteſtate eſſet. Noſtros ad Hiſpanorum ſententiam acceſſiſſe acta teſtantur. Tandem ipſa Synodus Seſſione XXIV. *Explicando declarat mentis ſuæ non fuiſſe, ut ex prædictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ullâ ex parte immutaretur, neque novi quidquam, præter id quod à ſacris canonibus vel generalium Synodorum formâ hactenùs*

Digitized by Google

ſtatutum eſt, cuiquam adderetur vel detraheretur : ne ſcilicèt aut Patrum imminuta majeſtas, aut Legatis addita autoritas putaretur. Sic ſapientiſſima Synodus omnia inter Catholicos controverſa integra eſſe voluit, nedum Conſtantienſia ſemper immota ſubrueret.

Omninò ergò conſtat valere Conſtantienſia Seſſionum IV. & V. decreta : primùm ex ſeſe, ſuâque & Spiritûs ſancti autoritate nixa : tum conſequentibus in ipsâ Synodo geſtis : valere poſteà Martino V. toties approbante, toties exequente : tum convocatione Conciliorum trium generalium, Papienſis, Senenſis, ac Baſileenſis, ex Conſtantienſibus decretis inſtituta : ad hæc decretis Synodi Baſileenſis adhuc Eugenio adhærentis : nec minùs ex Eugenii diplomatis in utroque diſſidio editis : quin etiam Ferrarienſis ac Florentinæ Synodi expreſsâ autoritate : Nicolai etiam V. decretis, atque ipsâ Pii II. retractatione : denique Leonis X. & ſub ipſo habitæ Synodi Lateranenſis Conſtituto, atque ipsâ Synodi Tridentinæ ſententiâ ; ut tantam nubem teſtium, tantam autoritatem, tamque firma munimenta, nemo ſine graviſſimo ſuo ac rei Eccleſiaſticæ detrimento labefactare poſſit.

Ex his igitur patet, quàm verè ſanctèque Præſules Gallicani, in eâ, quam tuemur Declaratione affirmârint, Seſſionum IV. & V. Conſtantienſium decreta, *à ſede Apoſtolicâ approbata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata eſſe.* Quo loco, cur Baſileenſia priora exprimenda non putârint, nemo jam non videt, id cauſæ fuiſſe ; quod nihil aliud quàm Conſtantienſium firmamenta eſſent ; atque id notari velim propter autorem Anonymum, cui ad Baſileenſis Synodi autoritatem, valere Gallicanorum Præſulum *ſilentium, ſufficientiſſima reſponſio eſt.* Ingenioſiſſimum ſuffugium, quo nempe declinet tot ac tanta argumenta, quæ ex Baſileenſibus prioribus geſtis, Eugenianiſque conſentientibus decretis, tanquam ex invictiſſimis munitiſſimiſque caſtris prodeunt. Anon. de lib. rr. &c. lib. v. cap. xvj. n. 11. 12.

CAPUT XIX.

An Conſtantienſibus decretis nixa ſententia ad fidem Catholicam pertineat ?

QUÆRES, cùm ea doctrina, quam tuemur, à Conſtantienſi Concilio definita ſit ; illudque decretum à ſede Apoſtolicâ, totâque Eccleſiâ comprobatum ; an igitur ad fidem Catholicam pertineat : contraria verò ſententia an hæretica judicari debeat ?

Noſtri, atque imprimis pius ille doctuſque Gerſon apertè pronuntiavit hæreticam eſſe, quæ Synodi Conſtantienſis Œcumenicæ definitioni adverſetur. Sic enim incipit decretum ſeſſionis V. de quâ agimus : *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, in Spiritu ſancto legitimè congregata ordinat, definit, decernit, & declarat ut ſequitur.* Sup. lib. v. cap. vj. vid. Diſſ. præv. n. xlv.

Porrò dubitari nequit quin res, de quâ agitur, pertineat ad interpretationem divini juris. Quæritur enim quam poteſtatem Petro ac ſucceſſori-

Digitized by Google

bus; quam Eccleſiæ atque Conciliis Chriſtus dederit? Definit Synodus, eam Conciliis poteſtatem à Chriſto immediatè datam, cui etiam Petri ſucceſſorem ſubeſſe oporteat. Ergò clarè agitur de interpretatione divini juris, adeòque de fide, de doctrinâ Catholicâ à Deo revelatâ; neque Bellarminus aut ejus aſſeclæ diffitentur.

Certè quod hæc verba, *quicumque, cujuſcumque dignitatis, etiam Papalis, hujus, & cujuſcumque Concilii generalis legitimè congregati ſtatutis obedire contempſerit*, illi interpretantur, non de *quocumque*, ſed de dubio tantùm Papâ; neque de *quocumque* Concilio generali, ſed de Concilio *in ſchiſmate* habito: tanquam aut certus Papa, non ſit maximè Papa; aut Concilium in pace habitum, non ſit vel maximè *legitimè congregatum*: id oſtendimus eſſe meram puramque tergiverſationem & cavillationem verbis Concilii apertiſſimè repugnantem; quod autem de Concilii Conſtantienſis fluxâ autoritate dicunt, non minùs clarè oſtendimus, id nonniſi conculcatâ Conciliorum generalium, Romanorumque Pontificum autoritate dici poſſe: ut nihil obſtare videatur, quominùs ea ſententia hæretica ſit, quæ Concilii Œcumenici definitioni tam perſpicuè adverſetur.

Doct. Lov. p. 74. &c. Unum illud obeſt, quod eſt ab adverſariis non indiligenter notatum: his decretis pro more Synodorum de fide agentium, atque hujus quoque Synodi, Wiclefum, Huſſum ac Joannem Parvum damnantis, non fuiſſe adhibitam anathematis pœnam; ac nequidem dictum, ita ſecundùm fidem Catholicam eſſe tenendum.

Conc. Baſ. ſeſſ. ij. & ſeq. tom. xij. p. 477. & ſeq. vid. ſeſſ. xxxij. pag. 618. Addimus Synodum Baſileenſem in anterioribus probatiſſimis geſtis, Conſtantienſia decreta repetentem, iiſdem duntaxat verbis uſum eſſe. Quod autem tres ſuas veritates ex Conſtantienſi Synodo repetitas *ad veritatem fidei Catholicæ* ita pertinere ſancit, ut qui his *pertinaciter repugnet, ſit cenſendus hæreticus*, factum id poſt tranſlatum Ferrariam Concilium: quæ poſteriora geſta anterioribus æquiparari non poſſe antedicta demonſtrant.

Reſponderi poteſt, non propterea videri adverſarios omnis condemnationis immunes. Neque enim Apoſtolos Hieroſolymitani Concilii decreto adhi-
Act. xv. 27. 29. buiſſe anathematis pœnam, ſed ita concluſiſſe: *A quibus cuſtodientes vos bene agetis:* cæterùm poſtquam edixerant: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis;* ſatis ſignificatum, non ſine pœnâ gravi futuros eſſe eos, qui ſancti Spiritûs judicium contempſiſſent: ita exiſtimandum de Conſtantienſi Synodo, poſtquàm edixit: *Hæc ſancta Synodus, generale Concilium faciens, in Spiritu ſancto legitimè congregata ordinat, decernit, definit, & declarat ut ſequitur:* pœnam enim, etiam minimè declaratam, ex decreti ac ſancti Spiritûs autoritate ſtatim in contumaces ſequi.

Huc etiam referri poteſt Clementis V. in Concilio generali Viennenſi
Clem. lib. j. tit. j. cap. unico. definitio, quæ incipit, *fidei Catholicæ:* ad hoc, Clementina unica, *de ſummâ Trinitate.* Hîc duæ Theologorum *opiniones* referuntur, quorum quidam dicerent, *per virtutem Baptiſmi parvulis culpam remitti, ſed gratiam non conferri:* alii autem aſſererent, *quod & culpa remittitur, & virtutes, & informans gratia infunduntur, quoad habitum; etſi non illo tempore, quoad uſum.* Has inter opiniones Synodus ſic decernit: *Nos opinionem ſecundam, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ*

Digitized by Google

magis conſonam & conformem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam

Huic ergò decreto nullâ licet adhibitâ aut hæreſeos notâ, aut anathematis pœnâ, Catholici omnes ex autoritate Concilii paruere. Quantò ergò magis parere debuerunt Conſtantienſi Concilio, non tantùm declaranti, *probabiliorem opinionem*; ſed abſolutè edicenti: *Hæc ſancta generalis Synodus in Spiritu ſancto congregata ordinat, definit, decernit & declarat ut ſequitur.*

Atque illud quidem Conſtantienſe decretum eſt ejuſmodi, ut ab eo cætera tanti Concilii acta pendeant. Hinc Wiclefi de Primatu Romanæ Eccleſiæ error condemnatus: hinc deſtituti Pontifices, etiam is qui à Synodo totoque ferè Chriſtiano Orbe colebatur: hinc alter ſubſtitutus, eique creando forma præſcripta: hinc de Conciliis generalibus convocandis canon conditus, ordinata reformationis ſtructura, ac fundata ſpes Orbis; ut cum eo decreto tota Conſtantienſis Synodus proſternatur.

An ergò ſatis conſtet ex omiſſo anathemate Conſtantienſe decretum non pertinere ad fidem Catholicam, id noſtris cenſoribus coram Deo arbitro dijudicandum relinquimus. A gravi certè notâ immunes eſſe non poſſent, niſi bonâ fide agentes, non ſatis attentâ re, excuſari viderentur.

Ac ſi illi, qui electam à Viennenſi Concilio probabiliorem, ſeu probatiorem ſententiam contempſerunt, à Tridentinâ Synodo tandem anathemate damnati ſunt; videant contemptores decreti Conſtantienſis, quanta illis immineant, qui plenam & abſolutam tanti Concilii definitionem abjecerint.

Concil. Trid. ſeſſ. vj. cap. vij. p. 759. & Can. xj. p. 765.

Cæterùm id cogitent, à Synodo Conſtantienſi nec prætermiſſam pœnam. Ecce enim apertiſſimè decernit, *ut ipſe etiam Papa, ſi obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, ac debitè puniatur; etiam ad alia juris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo.* Qualia verò ſint juris remedia, quàm fortia, quàm gravia, nemo neſcit. Quæ remedia ſi expedit Synodus in Papam quoque obedire recuſantem, quantò magis in eos, qui tali inobedientiæ, contempto Synodi decreto, faveant ac ſerviant. At Clerus Gallicanus huic ſententiæ adverſantes, neque perduelles, neque contumaces reputat; priſcamque ſententiam retinere & declarare contentus, ab omni non modò anathemate, verùm etiam cenſurâ temperavit, tantamque rem Eccleſiæ Catholicæ judicio reſervat.

Quin etiam nec ſollicitè quærendum ducimus erroneane an etiam hæretica ſit ea ſententia, quam adverſarii bonâ fide tenere videantur. Non enim plerique perſpiciunt ſatis, doctrina Concilii Conſtantienſis quàm ſit in certis caſibus Eccleſiæ neceſſaria: qui caſus cùm infrequentes ſint, non omnes facilè eorum cavendorum neceſſitatem advertunt. Nos autem ſat ſcimus, ſi quidem eveniant, totam facilè, ac Romanam omnium matrem præ cæteris evigilaturam Eccleſiam; rerumque humanarum conſcii, ſummæ utilitatis eſſe ducimus, ut futuris periculis, utcumque, Deo ſinente, eventura ſint, proviſa à Patribus, Spiritu ſancto autore, remedia, ſuâ autoritate ac veritate conſtent.

CAPUT XX.

An ea, quam vocant Pariſienſium ſententiam, occaſione ſchiſmatis exorta ſit: acta in Joannem de Monteſono *anno* 1387.

PETRI Alliacenſis Joanniſque Gerſonis atque aliorum Pariſienſium de potiore Conciliorum poteſtate ſententiam, quam poſteà Synodus Conſtantienſis amplexa ſit, multi eo nomine ſuſpectam habent, quòd eam non ſpontè ac veritate duce exortam, ſed vi quâdam extortam putant; nempè occaſione ſchiſmatis, ſeu litigationis ejus, quæ inter Gregorium XII. ac Benedictum XIII. extitit. His reſpondemus primùm quidem remedia, quibus laboranti Eccleſiæ providetur, ex ipſâ Traditione, atque ex ipſâ veritate eſſe deprompta: neque unquam Eccleſiæ opus eſt, ut novam doctrinam excogitet; maliſque occurrentibus id effici poteſt, non ut novitates pariat, ſed ut antiqua dogmata diligentiùs proponat atque explicet; quod non infirmandæ, ſed potiùs aſſerendæ confirmandæque doctrinæ ſit. Quare ex actis patuit eos, qui, occaſione litigationis hujus, Conciliarem poteſtatem extollendam putârunt, illud remedium non propoſuiſſe ut novum, ſed ut conſuetum, & in illâ neceſſitate diligentiùs adhibendum. Multa quoque ſuo loco ſuppetent, quibus conſtet, eam ſententiam, quam tota tunc Eccleſia, & Synodus Conſtantienſis amplexa eſt, ex antiquâ & certâ Traditione manâſſe. Nunc ea commemoramus, quæ anno 1383. Facultas noſtra geſſit atque decrevit, ſchiſmatis quidem tempore; ſed antequàm illa de utroque Pontifice in ordinem cogendo diſſidia orirentur.

Vid. ſup. lib. v. & inf. lib. xj. & coroll.

Facultas ergò Theologica Pariſienſis Joannis de Monteſono, Ordinis Prædicatorum, aſſertiones * condemnavit. De immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione imprimis agebatur. Cenſurâ Facultatis Epiſcopali judicio confirmatâ, Joannes de Monteſono ad Clementem VII. Avenione agentem, quem Gallia venerabatur, appellavit: delecti qui cauſam Facultatis coram Clemente agerent: Petrus de Alliaco, tum Regii & celeberrimi Collegii Navarrici Magiſter, Legatorum Princeps, in Conſiſtorio coram Pontifice, omnium nomine peroravit; atque imprimis: *Proteſtamur*, inquit, *quòd noſtro proprio aut perſonali nomine nihil omninò in hujus cauſæ proſecutione dicemus; ſed ſolùm ex parte, & illorum nomine, qui nos mittunt.* In uno ergò Alliacenſi Facultatem univerſam audiemus.

* XIV. Vid. Du Boul. Hiſt. Univ. tom. iv. p. 620. & ſeq.

Petr. All. prop. corã Clem. vij. in app. tom. ij. Gerſ. p. 701.

Sic autem cauſam ipſam aggreditur: *Joannes*, inquit, *de Monteſono id ad ſuæ appellationis fundamentum principaliter aſſumit, quòd ſolius ſedis Apoſtolicæ eſt, circa fidem declarare, damnare & reprobare; & iterùm, quòd eorum, quæ tangunt fidem, ad ſolum ſummum Pontificem pertinet examinatio & deciſio.*

Coll. jud. &c. D'Argentré tom. j. part. ij. pag. 84.

Ad illud fundamentum Joannis de Monteſono, Petrus de Alliaco duo reſpondebat; primum: *Hoc dictum continet manifeſtam hæreſim;* ſecundùm: *& eſt dictum ſibi repugnans & contrarium.* Hoc poſtremum ſic probat, *ſup-*

Digitized by Google

ponendo quid ſit ſedes Apoſtolica; nam ipſa, vel eſt univerſalis Eccleſia, vel aliquod generale Concilium, univerſalem Eccleſiam repræſentans, vel particularis Eccleſia Romana, in quâ ſcilicèt Eccleſiâ ſedet, id eſt, cui præſidet ſummus Pontifex; & ideò ipſe & ſedes Apoſtolica non ſunt idem, ſicut non ſunt idem, ſedes & ſedens. Ex quibus clarè patet, ſi ad ſolam ſedem Apoſtolicam pertinet circa fidem declarare & reprobare, quòd ad ſolum ſummum Pontificem hoc non pertinet; & èconträ, ſi ad ſolum ſummum Pontificem pertinet eorum quæ ſunt fidei examinatio & deciſio, hoc ad ſolam ſedem Apoſtolicam non pertinet; & ſic apparet, quomodo in illo dicto manifeſta eſt repugnantia.

Jam quæ ſit illa hæreſis, quæ in Joannis de Monteſono dictis continetur, ſic exponit: *Quòd ad ſolum ſummum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & deciſio, continet manifeſtam hæreſim, imò multas hæreſes.* Tres autem commemorat: primam: *Quia per illam excluſionem excluditur univerſalis Eccleſia & generale Concilium eam repræſentans, quod eſt hæreticum; quia in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellari poteſt ad Concilium, ſicut patet 19. diſt. cap. Anaſtaſius; & manifeſtum eſt, quòd ad ipſum pertinet Concilium de cauſis fidei definire, ſicut patet ex autoritate Gregorii XIII. diſt. XV. cap. ſicut.* Ib. col 2.

Secunda hæreſis: *eò quòd per illud excluditur ſedes Apoſtolica, ut dictum eſt* (nempè quatenùs ſedenti opponitur, & manere cenſetur, obeunte Pontifice,) *& eſt manifeſtè hæreticum.*

Tertia hæreſis: *eò quòd excluduntur Epiſcopi Catholici ab omnimodâ cognitione, examinatione & deciſione eorum quæ ſunt fidei, quod eſt contra jus Divinum & humanum.* (y)

Undè concludit condemnandum Joannem de Monteſono, *& propter prava aſſerta, & propter frivolas appellationes; quia alioquin veriſimiliter formidandum erit, quod deinceps apud Judices ordinarios nemo compellatur erroneas ſuas aſſertiones revocare. Dubitabunt enim per varias appellationes, per proceſſus longos, per graves impenſas vexari, vel per falſas accuſationes in famâ, aut alias lædi: quod quam magnum & apertum eſſet in fide ac moribus periculum, ſatis notum eſt.* Ib. p. 88.

Hæc nos ex regeſtis vetuſtiſſimis deſcripſimus; hæc in bibliothecis habentur, noſtriſque omnibus nota & confeſſa ſunt. Sic ſacra Facultas ſedis Apoſtolicæ & Epiſcoporum jura defendit; &, quod in rem noſtram conducit maximè, *in cauſis fidei à Papâ ad Concilium appellari* poſſe docet: tum Concilii eſſe officium de cauſis fidei *definire*, eâ definitione ſcilicet, à quâ appellare non liceat.

Hæc uno ore docebant Theologi Pariſienſes; hæc docentes Clemens VII. ſuſcepit; cenſuram Facultatis confirmavit: atque hinc Joannis de Monteſono in Clementem odia, ac ſcripta permulta pro Pontificibus qui Urbano VI. ſucceſſiſſent: quæ ſcripta Odoricus Rainaldus ſæpè laudat; quo fonte profecta ſint tacet. Rain. an. 1389. n. 15. & ſeq. an. 1391. n. 24. & ſeq.

Neque objicias nullam eſſe autoritatem Clementis, utpote Antipapæ: pro vero enim Papâ in Galliâ ac mediâ Eccleſiæ parte colebatur, adeò

(y) *humanum.*] Quartam hæreſim Allienſis memorat his verbis: *Quia per illud excluduntur Doctores Theologi à generali examinatione & deciſione veritatum fidei.*

probabili ratione, ut multi ſanctitate ac miraculis clari ei adhærerent. Itaque ab eo ejuſque ſucceſſore Benedicto, cum æmulis æquo jure certatum fuiſſe vidimus; tum ejus ſententia plenam executionem habuit, probante Galliâ, ac nemine per totam Eccleſiam reclamante, ne Urbano quidem VI. quique ipſi adhærerent.

Et illi quidem, quo erant in Clementem Clementinoſque odio, exprobrâſſent violatam ſedis Apoſtolicæ dignitatem; victuſque Monteſonus Urbanum VI. ac Bonifacium IX. quos omni ope tuebatur, acribus ſtimulis in adverſarios inſtigâſſet.

His ergò perſpicuè refelluntur ii, qui Pariſienſium de potiore Concilii poteſtate ſententiam Conſtantiæ demum emerſiſſe memorant; aut ad extremum Piſis inter ea certamina, quibus de æmulis Pontificibus tollendis litigabant. Ecce enim triginta annis ante Conſtantienſe Concilium, cùm necdum quidquam moveretur ad ambos contendentes in ordinem Conciliari autoritate cogendos, noſtri in cauſis fidei à Papâ appellari poſſe ad Concilium, coram eo quem colebant Papâ, ejuſque Conſiſtorio, nemine reclamante, aſſerebant.

Quod autem in cauſis fidei Synodus anteponenda crederetur, hinc ſequi putabant abſolutam Concilii ſupra Papam autoritatem; quia *indeviabile*, nempe Concilium, *deviabili*, nempe Papæ, anteponi neceſſe ſit.

Vid. in app. lib. j. cap. vj. Quo argumento uſos in ipſo Conſtantienſi Concilio Petrum de Alliaco, ejuſque diſcipulum Joannem Gerſonem, noſtrorum anteſignanos ac ſacræ Synodi duces alibi demonſtravimus; ut profectò conſtet, ad ſchiſma extinguendum, nihil novi à noſtris; ſed quæ priùs animo hæſerant, adverſùs Eccleſiaſticæ pacis ac reformationis hoſtes fuiſſe deprompta.

CAPUT XXI.

Facultatis articuli adverſùs JOANNEM SARRAZINUM *Prædicatorem, paulò poſt Conſtantienſe Concilium, ac* MARTINO V. *ſedente.*

Sup. lib. v. cap. vij. viij. & ſeq. JAM poſtquàm de ambobus contendentibus in ordinem cogendis finita lis eſt; quid noſtra Univerſitas cum aliis Univerſitatibus, imò cum totâ Eccleſiâ pro Conciliorum poteſtate egerit, decreverit, ſcripſerit; ut quæ Piſanæ & Conſtantienſi Synodis præluxerit, ſupra expoſuimus. Sed quandoquidem ea ad ſchiſmatis tempus, non autem ad omnia Eccleſiæ tempora pertinere fingunt; operæ pretium erit ſacræ Facultatis audire ſententiam, Conſtantienſi jam tranſacto Concilio, compoſitis rebus, ac Martino V. ſedente.

Anno igitur Chriſti 1429. Martini undecimo, Facultas, priſcis nixa dogmatibus, articulos refellebat, quibus Joannes Sarrazinus, ex Prædicatorum Ordine Licentiatus, evertebat Conſtantiæ ſtabilitam de Conciliorum autoritate doctrinam.

Hi

Digitized by Google

Hi articuli ſæpè vulgati jam in omnium ſunt manibus. Ex his aliquot ſeligemus. Vid. D'Argentré collect. &c.

Primus Joannis Sarrazini articulus: *Omnes poteſtates Juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ a Papali poteſtate, ſunt a Papa ipſo, quantùm ad inſtitutionem & collationem.* Sic Turrecremata poſteà; ſic deinde Cajetanus; ſic moderni Lovanienſes aliique cenſores noſtri Conciliorum poteſtatem in ipſo fonte labefactant; dum omnem poteſtatem ac juriſdictionem Eccleſiaſticam à Papâ eſſe contendunt. At ſacra Facultas hæc reprobans jubebat à Sarrazino hunc pronuntiari articulum: *Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali, ſunt ab ipſo Chriſto, quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam; à Papâ autem & ab Eccleſiâ, quantùm ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.*

Exquiſitiſſimis verbis inſtitutionem & collationem primam Chriſto attribuebat, à quo nempe conſtabat Apoſtolatum, verbi causâ, & eſſe inſtitutum & certis hominibus collatum; at limitationem ad certa quædam loca, certamque Diœceſim, quam à Chriſto immediatè non eſſe conſtabat, non Papæ quidem ſoli, ſed *Papæ & Eccleſiæ* tribuebat.

Joannis Sarrazini ſecundus articulus: *Hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediatè inſtituta a Chriſto.*

Ejuſdem tertius articulus: *Non invenitur Chriſtum tales poteſtates, ſcilicèt alias à Papali, expreſſè ordinâſſe, ſed tantùm ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.* At ſacra Facultas contrarios articulos à Sarrazino defendi jubet.

Ex his tribus articulis Sarrazinus inferebat quartum; nempè: quod *tota autoritas, dans vigorem ſtatutis* (Conciliaribus) *in ſolo ſummo Pontifice reſideret.* At Facultas jubebat ab eo ſic pronuntiari: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota autoritas dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto & Eccleſiâ Catholicâ.* Rectè: neque enim Petrus ait: *Viſum eſt Spiritui ſancto* & mihi; ſed Eccleſia collecta & Paſtores adunati: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Act. xv. 28.

Ludit ſuo more Anonymus Gallicanarum libertatum hoſtis*, dum hæc ita torquet: *Poteſt Eccleſia ſumi repræſentativè; hoc eſt pro fidelium omnium Paſtoribus; atque in iſto ſenſu, verum eſt Eccleſiam dare vigorem ſtatutis; nec enim nihil faciunt reliqui Epiſcopi ad robur decretorum Synodalium; ſed ſummus Pontifex, ut caput illius myſtici corporis, plus cæteris confert.* Quæ nihil proſsùs ad rem. Neque enim quærebatur utrum Epiſcopi ad robur decretorum facerent *nonnihil*, ut frigidè ac miſerè dicit Anonymus; neque an ſummus Pontifex plus conferret cæteris, utique ſingillatim ſumptis; ſed in quo ſupponenda foret vis principalis conjuncta Spiritui ſancto: decernebatque Facultas vim illam principalem, non in uno Pontifice, ſed in ipsâ Eccleſiæ collectione ac repræſentatione eſſe poſitam, quod negabat Sarrazinus.

* D. Charlas. Tract. de Libert. &c. lib. ix. cap. vij. n. 8.

Jam articulo VII. ex peſſimis *dogmatibus*, idem Sarrazinus peſſimum corollarium iſtud inferebat: *Sicut nullus flos & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes poſſunt aliquid in arborem; quia hæc ſunt propter arborem inſtituta & ab arbore derivata; ſic omnes aliæ poteſtates nihil de jure poſſunt contra ſummum Sacerdotium:* quæ ſacra Facultas revocari jubebat his

verbis: *Aliqua poteſtas, ſcilicèt poteſtas Eccleſiæ, de jure poteſt aliquid, & in certis caſibus, contra ſummum Pontificem.* Sic profectò docebat, ſummo Pontifice præſtare Eccleſiam *ipsâ poteſtate*; neque in uno ſchiſmatis caſu, cùm nihil de ſchiſmate ageretur, nec Facultas diceret prævalere Concilii autoritatem in uno ſchiſmatis caſu; ſed *certis in caſibus*, iis ſcilicèt, qui Conſtantiæ expoſiti erant, in fide, in ſchiſmate, in reformatione; hoc eſt, in conſtituendâ generali diſciplinâ. Quare vanus eſt Anonymus, dum Facultatis propoſitionem de poteſtate Concilii in Papam, ad ſchiſmatis reſtrin-
Ib. n. 9. git caſum: *Quando erat*, inquit, *incertum apud pleroſque quis eſſet legitimus Pontifex*; quod effugium ipſa Facultas prævidiſſe & in anteceſſum præcluſiſſe videtur.

CAPUT XXII.

Pergit Facultas Pariſienſis cohibere Mendicantes poſt Baſileenſe diſſidium ac pacem: Facultas in priſcâ ſententiâ: decreta, vigente Pragmaticâ-ſanctione.

UT erant Mendicantes in Pontificiæ poteſtatis adulationem proni, Nicolaus Quadrigarii, ex Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini, Joan-
Vid Dup. xv. ſæc. p. 497. 498. nem Sarrazinum Prædicatorem imitatus, hæc aſſerebat: *Quòd ſola Papæ poteſtas in totâ Eccleſiâ eſt immediatè à Chriſto.* Vigilantiſſima Facultas ſua decreta repetebat; quæque articulo primo Sarrazini oppoſuerat, ut ſupra memorantur, iterari totidem verbis jubebat anno 1432.

Quid per ea tempora, ac vigente Concilio Baſileenſi ſacra Facultas Pa-
Bull. retr. Pii ij. vid. ſup. c. xvij. riſienſis, eique conjunctæ Colonienſis, aliæque Germanicæ Nationis Academiæ crederent, teſtatum voluit Pius II. cujus hæc ad Colonienſem Academiam verba protulimus: *Aderant Legati Pariſienſis ſcholæ, cujus eſt fama percelebris; adfuerunt aliquando & veſtri, & aliorum ſtudiorum Germanicæ Nationis Oratores; & uno ore cuncti Concilii generalis autoritatem ad cœlum efferebant*; eam ſcilicèt, quâ Eugenius ſua de diſſolvendo Baſileenſi Concilio diplomata, reſcindere jubebatur.

Sup. hoc lib. c. xiij. Retulimus etiam quid poſt tranſlationem Concilii Baſileenſis, Pariſienſis Facultas, eique conjunctæ Colonienſis, Erfordienſis, & Cracovienſis egerint: nempe id aſſiduè repetebant, *indeviabile* Concilium, *deviabili* Pontifici anteponi oportere.

Ib. c. xiv. Neque verò, rebus ſub Nicolao V. pacatis, ſacra Facultas, atque Eccleſia Gallicana ab inſtituto deflexerunt; cùm relatis hujus fœderis actis demonſtraverimus, Conſtantienſem de Conciliorum poteſtate ſententiam his eſſe firmatam.

Preuv. des Libert. &c. part. ij. p. 40. & ſeq. Quare anno Domini 1460. cùm Pius II. in Conventu Mantuano (z)

(z) *Pius ij. in Conventu Mantuano*] diris devovebat Pragmaticam-ſanctionem, cujus *prætextu*, inquiebat, *ſumma ſedis Apoſtolicæ autoritas læditur.* Addebat quoſcumque Reges Papæ ſubditos eſſe oportere; & non modò non licere, ſed *ridiculum eſſe ad Concilium provocare*, &c. Vid. Conventum Mantuanum tom. xiij. Conc. p. 1748. & ſeq.

Digitized by Google

Regi Regnoque gravia interminatus eſſet, Joannes Dauvet Procurator generalis ab iis appellavit ad futurum generale Concilium, fultus decretis ſeſſionis V. *magni Concilii Conſtantienſis*, eamque ſecutæ Baſileenſis Synodi, quæ eadem decreta Conſtantienſia innovârit, præſidente Legato ſedis Apoſtolicæ. Hæc igitur decreta à Romanis Pontificibus comprobata, in Eccleſiâ Gallicanâ vel maximè vigere teſtatur Regis atque omnium Ordinum nomine, inficiante nemine, nemine conquerente; neque quiſquam in Galliâ aliud cogitabat.

Soli Mendicantes Pontificiam poteſtatem ſolam immediatè à Chriſto, aliorum omnium poteſtatem à Petro eſſe dicebant: hi Pontificem ſupra (Dup. xv. ſæc. p. 501.) omnia Concilia extollebant. At ſacra Facultas Joannem Munerii, Theologiæ ex Prædicatorum Ordine Profeſſorem, hæc docentem compeſcebat; atque ex priſcis decretis ad palinodiam adigebat anno 1470.

Ne Prædicatoribus, ac ſancti Auguſtini Eremitis Minores deeſſent, Joannes Angeli hujus Ordinis, Papam ſupra canones evehebat his verbis: *Quòd* (Vid. ap. D'Argentré coll. &c.) *Papa (aa) poſſet totum jus Canonicum deſtruere & novum conſtruere.* At ſacra Facultas à venerabili Capitulo Tornacenſi conſulta reſpondebat: *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica & erronea.*

Idem Joannes Angeli aſſerebat hæc*: *Quicumque contradicit voluntati* (* Propoſit. xij.) *Papæ, paganizat & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto; & in nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materiâ hæreſis.* Reſpondit ſacra Facultas: *Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam*, anno 1482.

Anno 1497. ** Januarii 2. ſub Alexandro VI. Facultas à Carolo VIII. (** Id eſt 1498.) Rege de habendo Concilio generali conſulta, (bb) reſpondit: *Quòd ſummus Pontifex, & Pater ſanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare* (Vid. ap. D'Arg. loc. cit.) *generale Concilium, univerſalem Eccleſiam repræſentans; & maximè nunc, cùm tanta ſit deordinatio in Eccleſiâ, tam in capite quàm in membris, quæ cunctis notoria eſt.* Sic Papam ad Concilii Conſtantienſis canones adigebant, iiſque teneri eum affirmabant.

Anno 1501. cùm idem Alexander VI. certam pecuniarum collectam imperâſſet; Decanus & Capitulum venerabile Pariſienſis Eccleſiæ hoc ſuæ appellationis, ac juſtæ defenſionis fundamentum ponunt: *Quòd ſit omnibus* (Preuv. des Libert. &c. loc. cit. cap. xiij. n. 10. pag. 40.) *notiſſimum per plura ſacro-ſancta generalia Concilia, præcipuè* PER SALUBERRIMUM ET IRREFRAGABILE CONCILIUM CONSTANTIENSE, *eidem immediatè ſubſequens* BASILEENSE ORACULUM *decretum declaratumque fuiſſe, ad dubia piarum mentium extirpanda, noxiaſque in contrarium, & adulantes ſummo Pontifici falſitates abolendas; omnes cujuſcumque ſint ſtatûs, dignitatis, & po-*

(aa) *Quòd Papa*, &c.] Hæc propoſitio octava eſt ex quatuordecim à ſacrâ Facultate cenſurâ confixis, quas F. Angeli Tornaci ſacris ſuis concionibus immiſcuerat. Vid. relat. D. Du Plessis-Pralin ad Cœtum Cleri Gallicani an. 1682. quam relationem nos ad frontem Gallicæ hujus tractatûs tranſlationis edi curavimus.

(bb) *Facultas à Carolo viij.... conſulta*] fuerat his verbis: *A ſçavoir mon, ſi le Pape eſt tenu de dix en dix ans aſſembler le S. Concile repreſentant l'Egliſe univerſelle, & mémement de preſent, conſideré le deſordre qui eſt tout notoire,* TAM IN CAPITE QUAM IN MEMBRIS, reſpondit: *Quod ſummus Pontifex & Pater ſanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare generale Concilium.* Vid. hoc decretum Facult. poſt libell. Richer. de Eccl. poteſt.

Digitized by Google

teſtatis, etiamſi prima ſit & Papalis, ſtatutis & ordinationibus dictorum ſacrorum Conciliorum teneri, ligari, & adſtringi; ita ut, ſi in contrarium quiſque facere audeat & attentet, etiamſi Romanus ſit Pontifex, nullum ſit & inefficax quod agit..... præter id quod etiam de perperam attentato, præſertim, ſi Eccleſiam turbet aut ſcandalizet & emendationi, & correctioni univerſalis Eccleſiæ, cùm primum haberi ſacrum Concilium poterit, deferri ac ſubjici poteſt. His ſe fundamentis Gallicana libertas tuebatur; & canones Conſtantienſes adversùs certum quoque & indubitatum Pontificem ex paternâ Traditione & Scholæ Pariſienſis placitis exerebat.

Anno 1512. ſub Julio II. Cajetanus librum edidit, *de comparatione Papæ & Concilii*: quem librum Ludovicus XII. ad Facultatem miſit, ut eum examinaret, ac falſa refelleret, datis literis 19. Februarii anno 1512. Sacra ergò Facultas, qui librum confutarent, Jacobum Almainum ac Joannem Majorem elegit, quos teſtantes legimus: *Quòd iſta ſit concluſio, quam tenent omnes Doctores Pariſienſes, & Galli; quod poteſtas Papæ ſubjecta eſt poteſtati Concilii; quòd iſta ſit reſolutio Scholæ Pariſienſis & Eccleſiæ Gallicanæ; quòd in Univerſitate Pariſienſi contraria ſententia non probabilis habeatur, & qui tenuerit, in campo revocare cogatur.* Quæ cùm ſub oculis Facultatis, imò ejus mandato ſcripſerint, Facultatem eorum ore loquentem audimus.

Vid. Diſſ. præv. num. xiij. Almai. de poteſtat. &c. in app. tõ. ij. Gerſ. pag. 1070. Maj. de aut. &c. ib. pag. 1144.

Hos libros Julius II. nullâ cenſurâ notavit, cùm infenſiſſimus Pontifex in Gallos totius Orbis arma concitaret; ſed antiquam probatamque doctrinam cenſuris proſcribere nemo cogitabat.

CAPUT XXIII.

Poſt abolitam Pragmaticam-ſanctionem, eadem doctrina apud noſtros.

PRAGMATICA-SANCTIONE, ſub Leone X. Regis conſenſu antiquatâ, hujus Sanctionis ſublatam diſciplinam, in doctrinâ nihil eſſe immutatum vidimus.

Anno 1524. 30. Novemb. Frater Ludovicus Combont, præſentatus Fratrum Prædicatorum, hæc aſſerebat in actu, qui Aulica dicitur: *Licèt Epiſcopus, qualis inter Apoſtolos ſolus Petrus à Chriſto immediatè fuit conſecratus, Curatus verò Jure poſitivo inſtitutus, quoniam nec Epiſcopus quiſpiam, Petro dempto, immediatè eſt à Chriſto inſtitutus*, &c. Adſcriptum in regeſtis Facultatis: *Quæ aſſertio Magiſtris noſtris præſentibus diſplicuit, quia falſa*: juſſumque à ſacrâ Facultate eſt, *ut Ludovicus Combont in Sorbonicâ oppoſitam concluſionem teneret, hoc adjecto, quòd oppoſitum non eſt probabile.*

Vid. D'Argentrétom. ij. pag. 5.

Quo ſenſu Facultas, ut Epiſcopos, ita etiam Curatos, à Chriſto eſſe velit, alibi exponemus: hìc quidem, quæ ſunt hujus loci, exequimur.

Infr. lib. viij. c. xiv.

Per ea tempora jam Lutherus exſurrexerat in ſedem Apoſtolicam, cujus cohibendus furor, ſacerque ille Primatus à Chriſto inſtitutus aſſerendus fuit. Id ſacra Facultas ex priſcâ doctrinâ & Conſtantienſibus placitis egregiè præſ-

titit. Itaque cùm à Franciſco I. Philippus Melanchton, atque alii Germanici Theologi acciti eſſent (*cc*), qui de rebus Theologicis cum noſtris Theologis tractarent; ſacra Facultas hæc Regem commonuit: *Interrogandos eſſe eos primùm, an confiteri velint, Eccleſiam militantem Divino jure fundatam, indeviabilem eſſe in fide ac bonis moribus; cujus Eccleſiæ, ſub Chriſto Petrus Caput eſſet ejuſque ſucceſſores: item: an velint eidem Eccleſiæ parere, ejuſque doctrinæ & determinationi aſſentiri, ut veri Eccleſiæ filii, eique ſubditi: item: utrùm admittant determinationes & decreta Conciliorum generalium Eccleſiæ: item: an fidem adhibeant canonibus ac decretis Romanorum Pontificum ab Eccleſiâ receptis & approbatis.* Hîc Anonymus aliique reſpondent attributam ſanè Eccleſiæ & Conciliis illam *indeviabilem* poteſtatem; non autem Papæ negatam. Quâ cavillatione nihil eſt vanius. Quid enim erat niſi negare, eam non attribuere, cùm id ageretur ut Papæ quæ ſua ſunt aſſignarent? Neque enim immemores hujus privilegii hoc faciunt; quippè cùm illud ipſum Eccleſiæ Concilioque tribuant; ſed planè memores Eccleſiæ tantùm eamque repræſentanti Concilio eſſe tribuendum, Eccleſiæ Conciliiſque abſolutam obedientiam decernebant: Papæ ita tantùm, ſi ejus decreta ab Eccleſiâ recepta & approbata eſſent, & ubique obtinerent; quo ſanè ſupremam Eccleſiaſticæ poteſtatis arcem in ipsâ Eccleſiâ Catholicâ ejuſque generalibus Conciliis collocabant, anno 1535. Septembris 15.

D'Argent. tom. j. pag. 384 & ſeq.

His conſentanea Facultas protulit, cùm eodem anno conſcripſit illos adversùs Lutherum articulos, quos alibi retulimus. His Eccleſiæ & Conciliorum generalium poteſtatem præ Pontificiâ apertè commendabant: in horum decreta & fidem nihil errati irrepere poſſe fatebantur: ad ea referebant determinationem eam, quâ nulla certior eſſe poſſet: Pontifici tantùm obedientiam deberi docebant; non tamen ut ei, qui errare non poſſet; ex quo conſequitur illa erga omnem legitimam poteſtatem ſolennis exceptio, quam vidimus; ut ei pareatur, ſi nihil Divino juri adverſum imperet.

Vid. in app. lib. j. cap. j.

Hi articuli anno 1535. à Facultate conſcripti, atque anno deinde 1543. toto Regno vulgati ac recepti, quid omnis Gallicana teneret Eccleſia ſatis docent; neque deſunt per idem tempus egregia teſtimonia, quibus mentem ſuam antiquæ doctrinæ hærentem comprobavit.

Nempè habita eſt Lutetiæ anno 1528. ab Antonio Cardinale Pratenſi, Archiepiſcopo Senonenſi, celeberrima ac ſanctiſſima Synodus Provinciæ Senonenſis, quibus & Lutheri errores damnarentur, & ſancta Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatio fieret.

Conc. Senon. tom. xiv. p. 432. & ſeq.

Annotata ſunt Lutheri dogmata; in his illud: *Primatus ſummi Pontificis non eſt à Chriſto.* Hæc ergò Synodus ad ea confutanda tribus nititur: *Quòd Eccleſia univerſalis errare non poſſit, utpotè quæ regatur Spiritu veritatis ſe-*

Ib. p. 460. Vid. Decr. gener. pag. 441.

(*cc*) *acciti eſſent.*] Rex illo colloquio delinire cupiebat eos, quorum tunc operâ plurimùm indigebat Germaniæ Principes Proteſtantes, qui querebantur, in Galliâ ultimo ſupplicio affectos fuiſſe nonnullos, quibus hoc unum crimen objiceretur, quòd eſſent ſuæ religionis. Rex reſpondit, quoſdam quidem Lutheranos edicto Curiæ exultos fuiſſe, ſeditionis causâ, non religionis; ac poſtulavit ut ad colloquium veniret imprimis Melancton, quem noverat ut doctiſſimum, ſic moderatiſſimum. Sed cùm Melancton non veniſſet, Regi perſuaſit Cardinalis Le Tournon hujuſcemodi colloquia cum hæreticis haberi non oportere; neque colloquium illud habitum eſt. Vid. Dup. Bibl. xvj. ſæc. tom. j. p. 600. 601

cum manente in æternum, & cum quâ Chriſtus maneat uſque ad conſummationem ſæculi. Hoc primum omnium ac validiſſimum fundamentum, quod lu-
Ib. p. 445. culentiùs exponitur decreto primo de fide, his verbis: *Una igitur ſancta & infallibilis Eccleſia, quæ nec à charitate decidere poteſt, nec ab Orthodoxâ fide deviare, cujus autoritatem qui in fide & moribus ſecutus non fuerit,*
Eph.iij.21. *quaſi Deum abnegaverit,* CUI GLORIA IN ECCLESIA ET CHRISTO JESU IN OMNES GENERATIONES, *infideli deterior habeatur.*

Conc.Sen. loc. cit. Alterum ſecundo decreto explicatur; *quòd Eccleſia non ſit inviſibilis: Quiſquis igitur*, inquit, *tergiverſandi ſtudio inviſibilem & incertis ſedibus errantem dixerit Eccleſiam, non hæreſim tantùm dixiſſe, ſed omnium hæreſum puteum fodiſſe judicetur.*

Ib. p. 446. Tertium, decreto tertio *de autoritate ſacrorum Conciliorum* conſtituunt his verbis: *Proindè, cùm certa ſit & infallibilis Eccleſiæ regula, nec aliquandò inviſibilitatis prætextu tandem eludi queat; ea profectò ſacris generalibus Conciliis autoritas derogari non poteſt, quæ proximè univerſalem repræſentant Eccleſiam.*

Ib. & pag. 447. His igitur tribus fundamentis ponunt hæc conſentanea, ut librorum canonicorum autoritas, veraque interpretatio ab Eccleſiâ repetatur, valeantque Traditiones etiam non ſcriptæ, quæ à primis Eccleſiarum principiis ad nos propagatæ fuerint; ex quibus deindè peculiaria Lutheri dogmata condemnentur.

Sic ergò noſtri, cùm Eccleſiæ autoritatem exponerent, de Pontificiâ infallibilitate aut ſuperioritate nequidem cogitabant; de quâ conticeſcere in eo exponendæ Eccleſiaſticæ autoritatis articulo, nihil eſt aliud, quàm eam à certis probatiſque arcere dogmatibus.

Itaque anno 1562. & 1563. ex eâ doctrinâ in Concilio Tridentino ambiguam formulam reſpuebant; Conſtantienſia, iiſque conjuncta Baſileenſia decreta laudabant; ex eorum autoritate Conciliarem poteſtatem unanimi conſenſu potiorem profitebantur; id toto Orbe teſtatum ad ſummum Pon-
Vid. Diſſ. præv. n. XIV. tificem perferendum curabant, ſeque ei approbabant: quæ omnia alibi relata, hìc memorata tantùm & deſignata volumus.

CAPUT XXIV.

Acta Pariſiis apud Prædicatores, EDMUNDO RICHERIO *Syndico, anno* 1611.

QUIBUS curæ erat occultis machinationibus abſolutam poteſtatem tueri, ac Pontificiam autoritatem omnibus Conciliis totique adeò Eccleſiæ anteferre, Galliam obſtare ſuis conſiliis ſentiebant; idque aulicis artibus agebant, ut apud nos quoque adulatoriæ ſententiæ irreperent. Cæſo igitur per infandum parricidium Henrico Magno, pupillo ſub Principe Reginâ matre ac tutrice Italâ atque Italis ſeptâ, opportunum tempus mutationibus nacti, ſpargere libellos curiali doctrinâ pleniſſimos, Doctoribus ad-

blandiri, ſacram Facultatem quâcumque arte poterant in partes trahere, ſi poſſent; ſin minùs graves ciere motus, & inteſtinis agitare diſſidiis.

Erat tunc Syndicus ſacræ Facultatis Edmundus Richerius, acer homo, & priſcorum Academiæ Pariſienſis decretorum tenax. Is igitur Ultramontanis conatibus vehementiſſimè repugnabat.

Anno 1611. Capitulum generale Prædicatorii Ordinis Lutetiæ Pariſiorum habebatur; quibus in Conventibus ſolent Theſes proponere ſolenniſſimo more. His inſeruerunt: *Romanum Pontificem in fide & moribus errare non poſſe: in nullo caſu Concilium eſſe ſupra Papam: ad Papam pertinere dubia decidenda in Concilio proponere, deciſa confirmare vel infirmare, partibus ſilentium perpetuum imponere.* Multæ turbæ. Grave videbatur hæc publicè in Galliâ agitari; ac Richerius Syndicus virum clariſſimum Nicolaum Coeffeteau, Doctorem Pariſienſem & Prædicatorum Priorem in ipſis pergulis, quo loco in publicis diſputationibus conſidere Doctores ſolent, coram Doctoribus compellabat: *Rem indigniſſimam ac minimè ferendam: tentari patientiam Gallorum: ſi prædicti articuli intacti maneant, ſtatim Gallos, atque exteros ſibi perſuaſuros, Sorbonam iſto ſilentio à Majorum ſuorum placitis deſciſcere: publicum errorem publicâ ſatisfactione eluendum.* Hæc graviſſimè queſtus, jamque interceſſurus, hoc reſponſum à Priore tulit: *Se quidem inſcio hac facta: injunctum ſibi à Regiis cognitoribus, caveret diligenter, ne quis in eos articulos diſputaret: Patrem generalem Præſidi ac reſpondenti ſtrictiſſimè præcepiſſe, ne de illis partibus reſponderent: has ſi quis attingeret, palam declararent ſibi minimè eſſe licitum de illis agere.* Gratum Richerio id publicè edi: ita enim conſtiturum, non probari, ut hæc in Galliâ liberè propugnentur. Itaque ejus juſſu quidam Baccalaureus * argumentari cœpit; quòd in Theſi legeretur: *In nullo caſu Concilium eſſe ſupra Papam*, Concilio Œcumenico Conſtantienſi & legitimo Theſim eſſe contrariam, adeòque hæreticam. Quo argumento facto Præſes ſemel & iterùm pronuntiavit: *ſe has concluſiones non poſuiſſe animo offendendæ Academiæ, aut Facultatis Pariſienſis, quam velut Academiarum omnium matrem agnoſceret; ſed tantùm veritatis diſquirendæ gratiâ: neque hanc partem velut de fide, ſed velut problematicam poſuiſſe; ſiquidem conſtaret, multas Univerſitates hanc concluſionem tueri contra ſententiam Academiæ Pariſienſis.*

Vid. ap. Rich. ante libell. de Eccleſ. poteſt.

* Claudius Bertin.

Aderant frequentiſſimo cœtu viri omnium Ordinum illuſtriſſimi; eminebant Cardinalis Perronius ac ſedis Apoſtolicæ Nuncius: aderat etiam Academiæ Rector. Nuncius Apoſtolicus jubebat diſputationem procedere: Baccalaureus iterum atque iterum hæreſim eſſe inculcabat: vocatus à Perronio Richerius, Synodi Conſtantienſis autoritatem aſſerebat; theſim publicè propoſitam publicè confutari oportere. Tandem Perronius ſæpè profeſſus quæſtionem problematicam eſſe, diſputationi finem impoſuit, alia tractari juſſit; conſtititque omninò coram tanto cœtu ac Nuncio Apoſtolico, etiam profeſſione Præſidis theſes proponentis, quænam ſententia Facultatis eſſet, quàmque hæc innoxiè tueretur. Rei geſtæ ſeriem actu authentico Richerius edidit, quæ narratio publici juris facta in omnium eſt manibus. Subſcripſère Rector Academiæ, ipſe Richerius Syndicus, vocatique ab ipſo teſtes ac Bidellus ſeu Notarius ſacræ Facultatis.

CAPUT XXV.

EDMUNDI RICHERII *liber* de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate: *aulicæ artes: acta Facultatis: Epiſcopales cenſuræ: quo fundamento nixæ: de priſcâ ſententiâ nihil motum.*

PER eam occaſionem, non ita multò poſt, eodem ſcilicèt anno 1611. defenſurus Richerius antiquam Scholæ Pariſienſis de Conciliorum potiore poteſtate ſententiam, tacito nomine libellum edidit, *de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate*, cui conjunctæ prodierunt ſacræ Facultatis pleræque cenſuræ, quas memoravimus.

Richerius undique magnis hoſtibus premebatur; magnæ illi, Facultatis ac totius Academiæ nomine, cum Jeſuitis ſimultates; magno hominum concurſu ac ſtudio lites agitabantur; perviceratque Richerius, ut Jeſuitæ Senatûs-conſulto hæc profiteri juberentur: *Se amplecti Scholæ Sorbonicæ doctrinam, maximè in iis, quæ ad ſalutem autoritatemque Regum, atque ab antiquo ſemper cuſtoditas & obſervatas Eccleſiæ Gallicanæ libertates tuendas pertinerent*; quarum libertatum validiſſimum firmamentum Majores noſtri in Conciliorum priori ac ſuperiori poteſtate reponebant. Hæc 22 Decembris anno 1611. ab ampliſſimo Ordine juſſa, 22. Februarii à Jeſuitis ſubſcripta in Curiæ autoritatibus continentur. Superſcripſère inter alios viri ornatiſſimi atque omni laude cumulati, Fronto-Ducæus & Jacobus Sirmundus, quos honoris causâ appellatos volo.

Extr. des Regiſt. du Parlem. 22. Fevr. 1612. vid. pieces conc. l'hiſt. de Louis xiij. tom. iv. p. 21. — Ib. p. 20.

Concitabatur interim adversùs Richerium Romana Curia, Aulà Regia, ipſa Facultas, ipſe Clerus. Cardinalis Perronius, Archiepiſcopus Senonenſis, vocatique comprovinciales Epiſcopi ita decreverunt: *Libellum de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate cenſurâ & damnatione dignum judicavimus & declaravimus, & reipſa notamus & damnamus ob multas, quas continet propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, & ut ſonant, hæreticas, juribus tamen tam Regis quàm Eccleſiæ Gallicanæ, ejuſque immunitatibus & libertatibus per nos non tactis. Pariſiis in Congregatione Provinciali anno 1612. Martii 9.*

Conc. noviſſ. Gall. Odeſp. pag. 623. vid. Ambaſſ. de Du Perr. lib. iij. pag. 693.

Similem cenſuram ediderunt Paulus Huraldus Archiepiſcopus Aquenſis, & comprovinciales; niſi quòd de Regis juribus & Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus tacuerunt, eodem anno Maii 24.

Odeſp. p. 624.

Nullæ notatæ ſunt propoſitiones; quod cenſuræ genus anceps, multi querebantur ſacræ doctrinæ nihil afferre lucis, fraudibus locum dare. Cæterùm nemo dixerit, antiquam de Concilii potiore autoritate ſententiam à Perronio damnatam; quam, aliaſque ei conjunctas *problematicas* eſſe toties in egregiis ſcriptis, ac nuperrimè apud Prædicatores in ampliſſimo cœtu vivâ voce pronuntiaverat.

Vid. Diſſ. præv. num. lxxxix.

Propoſitiones in Richerii libello improbatas has ad Caſaubonum ſcripſit: *Quòd Preſbyteri cum Epiſcopis Ariſtocratici regiminis more in partem Eccleſiaſticæ*

Vid. Ambaſſ. &c. p. 695.

ſiaſticæ adminiſtrationis vocentur: quòd electiones jure divino nitantur, ex quo conſequatur à Regibus, qui Antiſtites deſignent, contra jus divinum peccari: quod regimen ariſtocraticum omnium ſit optimum, & naturæ convenientiſſimum; quo directè ſtatus monarchicus oppugnetur: quòd omnis Principatus à ſubjecti populi conſenſu pendeat: quòd Deus influat in ſuppoſita analoga, hoc eſt, in civitates ac regna, ipſamque communitatem priùs & propiùs ac principaliùs, quàm in partes, quæ non aliter agant, quàm ut inſtrumenta eorum ſuppoſitorum & communitatum; quo fiat, ut Principes ac Reges non ipſi regerent, ſed communitas per ipſos tanquam adminiſtros. His addebat Perronius habere ſe præ manibus ipſam Richerii theſim anno 1591. in Sorbonâ propugnatam: *Quòd Ordines regni Regibus poteſtate antecellant: quòd Henricus III. juſtè cæſus ſit ut tyrannus, eique ſimiles armis & inſidiis inſectandos: Jacobum Clementem ad eum cædendum diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio & amore legum ac patriæ libertatis incenſum:* hæc igitur quæ nunc libello edito Richerius docuiſſet, ex horrendis illis, & penitùs imbibitis erroribus prodiiſſe. *(dd)*

Ex his ſanè patet ſatis multa memorata, quæ Aulam, quæ Clerum, quæ omnes Ordines in Richerium commoverent. Certè nemo dixit fuiſſe damnatum, quòd antiquam Facultatis ſententiam tueretur; quique eâ causâ maximè inſectabantur eum, alia omnia obtendebant.

Imò recordemur Duvallium, cùm adversùs Richerium infenſiſſimo animo ſcriberet, hæc diligentiſſimè docuiſſe: juxta ſententiam Academiæ Pariſienſis, Concilii poteſtatem Papali anteferri: infallibilitatem ad Concilium generale ſolùm referri: utramque ſententiam ab omni cenſuræ notâ eſſe liberam: quæ ſupra deſcripta, nunc tantùm à nobis commemorari oportet.

Diſſ. præv. num. xvij. & ſeq.

His igitur liquet, ſacram Facultatem nihil antiquæ doctrinæ derogâſſe, cùm 1. Septembris anno 1612. editâ concluſione, Richerium Regio juſſu ſyndicatu expulit; cùm ei *gratias agendas cenſuit, ob res præclarè in ſyndicatu geſtas, libro excepto de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate:* quâ exceptione nec librum cenſurâ notavit, quem nec examinaverat; & cætera, ac præſertim ea, quæ apud Dominicanos recentiſſimâ memoriâ geſſerat, approbavit.

Vid. poſt Rich. Defenſ. libell. de Eccleſ. poteſt.

Cæterùm ex regeſtis Parlamenti conſtat, Nuncii Apoſtolici Auditorem, clam conventis Doctoribus id egiſſe omni ope, ut liber cenſurâ notaretur, improbareturque antiquorum Facultatis editio decretorum, tanquam Richerius, his editis, arcana Facultatis ejus injuſſu, præter fas, evulgaverit, aut ſacra Facultas clam habere vellet, quæ à 200. annis palam decreta & geſta in acta retulerit.

Quid poſteà egerit Richerius; quid paſſus ſit Cardinalis Richelii tempore; quid retractaverit; quid defenderit; quomodo retractationem ex-

(dd) imbibitis erroribus prodiiſſe.] Richerius in ſuâ defenſione lib. j. cap. ij. p. 37. multùm queritur ſe a Perronio malignè & calumnioſè impetitum apud Reginam, Magnates & Epiſcopos. E. G. dixerat Perronius Cancellario, *Richerium tantumdem de ſtatu matrimonii Reginæ ejuſque liberorum, quantùm de Pontificis autoritate, qui primum Regis matrimonium diremerit licitum, dubitare.... Quâ ex calumniâ deliberatum eſt de Richerio compingendo in Baſilicam Pariſienſem.* Vid. reliq. in ipsâ Richer. def.

plicaverit; quid denique ſcripſerit; quid teſtamento facto Orbi Chriſtiano teſtatum voluerit; qualia ſint ejus ſcripta poſt mortem publicata, noſtrâ parvi refert, qui ſacræ Facultatis atque Eccleſiæ Gallicanæ, non unius privati hominis, cauſam agimus.

Hoc certè non diffitemur, cùm plerique Richerium peſſimè haberent, quòd antiqua decreta coleret; multos eo exemplo fuiſſe deterritos, ne ea apertè tuerentur. Sed nos aulicis artibus geſta nihil moramur; ſacræ Facultatis geſta referimus.

CAPUT XXVI.

Acta Facultatis adversùs MARCUM ANTONIUM DE DOMINIS *&* THEOPHILUM MILLETERIUM: *item de* LUDOVICO CELLOTIO *ac* FRANCISCO GUILLOVIO.

Vid. cenſ. Facult. poſt Def. Rich. prop. xxij. ap. De Dom. tom. j. lib. ij. cap. viij. n. 13. pag. 182.

ANNO 1617. Facultas cenſurâ notavit quatuor priores libros de Republicâ Chriſtianâ Marci Antonii de Dominis. *(ee)* Atque ille quidem de Eccleſiâ Romanâ ſic docebat: *Erat ergò, & eſt Eccleſia præcipua nobilitate, exiſtimatione, nomine & dignitatis autoritate; non regiminis & juriſdictionis principatu:* quâ de re Facultas ſic cenſuit: *Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quatenùs apertè inſinuat Romanam Eccleſiam jure divino autoritatem in alias Eccleſias non habere.* Vigilantiſſimè omninò *in alias Eccleſias*, non in ipſam adunatam atque collectam univerſalem Eccleſiam. Provida ac docta Facultas adversùs novos hæreticos, Romanum Principatum ſic aſſerit, ut antiquæ doctrinæ, & decretorum Conſtantienſium ubique recordetur.

Prop. xlvij. ap. De Dom. lib. iv. cap. xj. n. 13. p. 484.

Quod autem ille autor diceret, *à Pariſienſibus unum ſupponi Papam univerſalem, qui toti præſit Eccleſiæ univerſali, tanquam Epiſcopus univerſalis*, eadem Facultas *ſuppoſitionem, quam Pariſienſibus tribuit, falſam* judicavit, *cujus falſitas in hæc verba,* TANQUAM EPISCOPUS UNIVERSALIS, *cadit; quaſi alii Epiſcopi ſint tantùm Papæ vicarii.* Sic fœdam & adulatoriam ac poſtremis temporibus ortam ſententiam, ex cujus decretis Papam Conciliis anteponunt, priſcæ Traditionis memor à ſe amolitur. Hujus verò cenſuræ Duvallium ejuſque aſſeclas, autores extitiſſe conſtat; neque effecerunt, ut ſacra Facultas à priſcorum decretorum autoritate ac ſententiâ recederet.

(ee) *De Dominis*] (Marcus Antonius) primùm Jeſuita non parùm doctus, &, ut ipſe profitetur, *Romanæ ſedis placitis addictiſſimus*, deinde Archiepiſcopus Spalatenſis, ſcripſit *de Republicâ Eccleſiaſticâ libros &c.* ut variâ eruditione plenos, ſic argumentis ſubtilioribus oblitos. Ille in Angliam profugus hos edidit libros, a quibus legendis multùm deterreri debent tirones Theologi, ne eruditionis ſpecie plus æquo permoti, captioſa probabilitate fallantur. Cæterùm ex his libris nonnulla excerpi poſſunt utilia.

Anno 1641. Ludovicum Cellotium * (*ff*) Conciliorum autoritati detrahere viſum, eoque nomine cenſurâ notatum, ſacra Facultas ſuſcepit affirmantem & profitentem illud: nempe, *Conciliorum generalium convocationem quandoque neceſſariam.*

* Jeſuitam.

Vid. ap. Dargent.

Cùm Milleterius de uſu pœnitentiæ quæſtione motâ librum edidiſſet ſub hoc titulo: *Le Pacifique véritable*; quo libro aſſereret, *ſedis Apoſtolicæ decreta de fide, eo ſolùm ſtatu eſſe infallibilia, ſi in Conciliis Oecumenicis fierent, atque in ſolis Conciliis Oecumenicis conſenſum unanimem Eccleſiæ declarari*, Facultas ſic cenſuit: *Hæ propoſitiones in quantùm infallibilitatem Eccleſiæ univerſalis, in nullo alio ſtatu quàm in ſolo Concilio Oecumenico congregatæ tribuunt, & ipſam aliquo tempore legitimi uſus pœnitentiæ cognitione caruiſſe ſupponunt, temerariæ ſunt, ipſi Eccleſiæ injurioſæ & hæreticæ.* Sic cùm de Conciliis generalibus ac ſede Apoſtolicâ ageretur, ſacra Facultas antiquis decretis hærens, infallibilitatem non ſedi Apoſtolicæ ſoli, ſed Eccleſiæ univerſali tribuit, eamque conſtare docuit, non tantùm in Conciliis generalibus, ſed etiam in Eccleſiâ toto Orbe diffuſâ; prorsùs ex eâ fide, quam profeſſa erat adversùs Sarrazinum: *Quod in Conciliis tota autoritas, dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto & Eccleſiâ Catholicâ:* ut Spiritus ſanctus toti Catholicæ unitati primitùs adhæreat, eaque ſit radix, unde certitudo & infallibilitas in Concilium quoque Œcumenicum, hoc eſt, in ipſam Chriſtiani nominis repræſentationem influat: quæ mirum in modum cum Gallicanæ Declarationis articulo IV. congruunt.

Vid. ap. Dargent.

Franciſcus Guillovius Baccalaureus, pro Minore ordinariâ reſponſurus, multa in theſi proponebat, quibus autoritati Epiſcoporum à Chriſto inſtitutæ, eorumque in Conciliis aſſidentium judiciariæ poteſtati derogaret, anno 1656. Facultas actum diſtulit, atque eodem anno 15. Januarii ſuſcepit Baccalaureum hæc ſcripto profeſſum: *Agnoſco & fateor Epiſcoporum juriſdictionem eſſe juris Divini, & eſſe immediatè à Chriſto, eoſque in Conciliis generalibus verè eſſe Judices, atque in iis ex eorum judiciis ſummum Pontificem pronuntiare.*

Dargent. tom. iij. p. 70.

Hæc ſi intelligimus, confectam eſſe conſtabit quæſtionem noſtram. Profectò enim ſi quis eſt ex proviſione Chriſti infallibilis, is non ex aliorum, ſed ex ſuo judicio pronuntiat: alioqui ſui dubius, neque ſatis conſcius aſſiſtentis Spiritûs, aliis ſe permittit. Ac ſi media, ut vocant, humana requirere neceſſe ſit; conſilia ſanè, non judicia, conſiliarioſque qui doceant ac ſuadeant, non judices qui ſecum aſſideant ac decernant, exquirere oporteat.

Ex his dogmatibus juſſu Facultatis emendata Theſis atque in meliorem formam reducta eſt; quæ res in actis Facultatis ſic perſcripta eſt: *Ex ultimâ appendice, in quâ plus ineràt involutæ difficultatis circa Apoſtolatum ipſum, & annexa Apoſtolatui gratiarum dona & poteſtates; necnon jura Epiſ-*

Ib. p. 69.

(*ff*) *Ludovicum Cellotium.*] Ille adversùs Petrum Aurelium ſcripſerat librum, cui titulus eſt: *de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ*, in quem ad ſe delatum ſacra Facultas delectos Doctores juſſerat inquirere. Cenſura jam parabatur, & multæ propoſitiones notabantur, ut *novæ, falſæ, periculoſæ, temerariæ, ridiculæ*, quandò Cardinalis De Richelieu cenſûram edi vetuit, pollicitus Jeſuitam omnia ſua explanaturum & emendaturum.

coporum in convocandis Synodis particularibus, & in ſanciendis cum ſummo Pontifice Conciliorum generalium definitionibus; quidquid detorqueri poterat contra veritatem, totum illud eraſum fuit.

Ergò diligens lector ſequentes conſideret propoſitiones, quas Facultatis acta commemorant in Theſi eraſas eſſe, intelligatque, quænam illa ſint, *quæ detorqueri poſſent contra veritatem.* Prima propoſitio eraſa: *Petrus in Primatu Chriſti conſors & ſocius participatione factus eſt:* quæ profectò ſi ſtarent, haud magis Pontifici, quàm Chriſto ſacra Concilia anteferri poſſent.

Eraſum quoque illud, quod à ſancto Leone depromptum videretur; ſed procul ab ejus mente deflexum: *Si quid Chriſtus cum Petro cæteris voluit commune eſſe Apoſtolis, nunquam niſi per Petrum dedit, quidquid illis non negavit:* ne, quod eſt abſurdiſſimum, Apoſtoli proximè à Petro, non autem à Chriſto ad Apoſtolatum ordinati videantur. Neque illud Facultas in Theſi reliquit: *Solus Petrus ſucceſſores habet Apoſtolos;* quo Guillovius Epiſcopos ab Apoſtolorum ſucceſſione ac jure, contra omnem antiquitatis fidem penitùs amovebat.

Leo Mag. ſerm. iij. in anniv. aſſump. ejuſd.

Deletum etiam illud: *Solus Pontifex Epiſcopos in Concilium, vel particulare, vel generale, nonnumquam ad melius neceſſarium convocat.* Hoc nempè erat quò Facultatem dicentem audivimus, involvi à Guillovio *jura Epiſcoporum in convocandis Synodis particularibus.* Nec placebat illud, *ad melius neceſſarium*, convocatas Synodos; quia illud *melius* infringebat, illud *neceſſarium*, quod *quandoque* agnoſcendum, ad convocandas Synodos etiam generales, Facultas decreverat adversùs Cellotium.

Denique eraſum illud: *In Conciliis Pontifex auditis Epiſcoporum ſententiis ac judiciis, pro ſuâ autoritate certoque ac infallibili chariſmate verbum Dei pronuntiat;* quod ſi admitteretur, jam Epiſcopi in Conciliis Conſiliarii tantùm, nec niſi nomine tenùs Judices haberentur; atque in ſolo Pontifice autoritas reſideret; eaque evaneſceret, quam Facultas agnoverat, à Chriſto profectam autoritatem Epiſcoporum, *in ſanciendis cum ſummo Pontifice Conciliorum generalium definitionibus.*

Itaque deletum illud: *Pontifex, auditis Epiſcoporum ſententiis ac judiciis, pro ſuâ autoritate pronuntiat;* cujus loco repoſitum eſt: *Ex illorum ſententiis ac judiciis ipſe pronuntiat:* ſublato etiam *certo illo* atque *infallibili* Pontificis *chariſmate*, quo quidem Epiſcopi Papali ſententiæ obnoxii, non etiam ipſi Judices, verique Aſſeſſores eſſent: adeò nova hæc à Facultatis ſententiâ abhorrebant.

Neque prætermittendum iſtud, juſſu Facultatis in Theſi repoſitum. Poſteaquàm nempè ſcriptum eſt: *Petrus totius Eccleſiæ fundamentalis petra, & Paſtor univerſalis, Apoſtolorum Princeps à Chriſto conſtitutus;* juſſu etiam Facultatis adſcriptum; *jure etiam Divino cæteri Epiſcopi ſingularium plebium Capita;* cùm Baccalaureus tantùm *optimates* ſcripſiſſet: tanquam unus tantùm Romanus Epiſcopus, non autem cæteri Epiſcopi, veri à Chriſto inſtituti Eccleſiarum Principes, & Capita haberentur.

Erat tum Clerus Gallicanus frequentiſſimo cœtu Pariſiis congregatus. Scriptum ergò eſt in regeſtis Facultatis: *Domini Epiſcopi gratias egerunt Facultati, ex parte totius Cleri Gallicani, pro ſuâ in defenſione jurium Hirar-*

Darg. loc. cit. p. 70.

chici Ordinis curâ & ſollicitudine, idque per organum D. Petri de Berthier, Epiſcopi Montalbanenſis: quæ etiam in Cleri actis habentur; ut doctrinam Facultatis ab Epiſcopis & Clero Gallicano comprobatam eſſe conſtet.

Jam ergò arbitramur intellectam omnibus, ſacræ Facultatis, totiuſque adeò Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam, id primum, Eccleſiæ univerſali ejuſque unitati conjunctam vim Spiritûs, radicemque infallibilitatis in eâ unitate eſſe ſitam, quæ in Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans transfundatur: ſolum illud eſſe, quod à fide deviare non poſſit. Ergò Pontificem qui deviare poſſit Eccleſiæ indeviabili meritò eſſe ſubditum, in caſibus certè illis generalibus quæ Conſtantienſibus decretis continentur; ac proindè Epiſcopos jure Divino inſtitutos, Romanoque Pontifici, maximè in judicandis fidei quæſtionibus, non Conſiliarios, ſed Aſſeſſores & Conjudices datos, ex quorum judiciis ipſe pronuntiet; adeòque interdùm convocationem Conciliorum generalium eſſe neceſſariam, quæ profectò vacant, ſi Romanus Pontifex, vel ſolus, non autem cum Eccleſiâ conjunctus, infallibilitate, atque adeò ſupremâ & indeclinabili poteſtate gaudeat.

Hinc Eccleſiæ ſtatus conſtitutus, atque in Theſibus prædicti Franciſci Guillovii juſſu Facultatis ſcriptum: *Eccleſia jure Divino Monarchia eſt, tametſi ariſtocratiâ temperata:* Monarchia quidem, quòd habeat *Principem* Petrum ejuſque ſucceſſorem pro tempore ſedentem; temperata ariſtocratiâ, quòd Petri ſucceſſori à Chriſto dati ſunt Epiſcopi, ut veri Principes ac Judices, ex quorum judicio pronuntiet.

Hinc damnatus Marcus Antonius de Dominis, ejuſque propoſitio * habita eſt *ſchiſmatica & hæretica, quatenùs vult, Eccleſiam univerſalem ſecundùm ſe totam eſſe ariſtocraticam.* * xij.

Id qui adverſari putant antiquæ ſententiæ, quæ Papam ſubdit Concilio, hos ego affirmavero numquam in noſtrorum libris verſatos fuiſſe. Gerſon quidem aſſiduè Eccleſiæ ſtatum agnoſcit monarchicum. Hunc alii ſequuntur; atque omnia maximè conciliant, dum Romano Pontifici tribuunt, ut Eccleſiis quidem ſingulis; non autem toti Eccleſiæ collectæ & adunatæ præſtet, & habeat quidem *plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis;* ſed Conciliorum & canonum autoritate tanquam ariſtocratiæ temperamento moderandam.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Articuli Facultatis ad Ludovicum Magnum *allati: Cenſuræ* Vernantii *&* Guimenii: Alexandri VII. *Bulla: Propoſitio Strigonienſis, ejuſque cenſura.*

Vid. ſup. lib. j. ſect. j. cap. v. & in App. lib. iij. cap. xj. EX his ergò decretis toties iteratis, ac perpetuâ Traditione ſervatis, ſacra Facultas Ludovico XIV. Magno ſex illos articulos, toto poſteà Regno, edicti Regii autoritate, vulgatos attulit, quos ſupra recenſitos hîc prætermiſimus, anno 1663.

Sup. lib. j. ſect. j. c. xij. Metuebat Rex maximus, metuebat ſacra Facultas, atque optimus quiſque, ne gliſcens adulatio antiquorum decretorum robur & innatam Galliæ libertatem infringeret.

Anno 1658. excuſus eſt Metis, quodam Carmelitâ autore, ſub Jacobi Vernantii nomine liber, cum hoc ambitioſo titulo: *La déſenſe de l'autorité de notre ſaint Pere le Pape, de noſſeigneurs les Cardinaux, les Archévêques & Evêques, &c.* quem librum ſacra Facultas à Pictavienſibus Parochis conſulta, multis habitis, per duos ferè menſes, publicis ac privatis congrega-
*24. Maii. tionibus, cenſurâ notavit *, ac cenſuram confirmavit 26. Maii anno 1664.

Prop. j. & ij. ap. Vern. p. 254. Quòd igitur Vernantius ſoli ſummo Pontifici, infallibilitatem activam, paſſivam Eccleſiæ & Conciliis tribueret, ſacra Facultas ſic cenſuit: *Hæ propoſitiones quatenùs excludunt ab Eccleſiâ infallibilitatem activam ſeu autoritatem emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollendi & explicandi, falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ & hæreticæ.*

Prop. iij. Vern. pag. 110. Quod ſtatuebat Vernantius, *Papam ſoli Deo ſubjici, nec niſi Divinâ poteſtate Papalem poſſe reſtringi poteſtatem, eique nullis legibus modum poni;* Facultas proſcribit his verbis: *Hæc propoſitio intellecta de uſu & exercitio poteſtatis Papalis, falſa eſt, Eccleſiæ & Conciliorum autoritati derogans*: diligentiſſimè omninò, atque ex Majorum non modò decretis, ſed etiam ver-
Gerſ. de poteſt. Eccl. Conſ. x. bis, Papalem poteſtatem, utpotè divinitùs inſtitutam, Deo ſoli quoad ſe; *quoad uſum & exercitium*, ſacris canonibus Conciliiſque ſubjiciunt.

Vernantius, niſi Papa infallibilis haberetur, aiebat mutandam profeſſionem eam, quâ credimus ſanctam Eccleſiam Catholicam & Romanam; quod
Prop. iv. Vern. pag. 247. abominata Facultas ſic cenſuit: *Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa & in fide periculoſa;* quippè quæ, ut jam diximus, Catholicam fidem pendere vellet à dubiâ, ne quid dicam gravius de Pontificiâ infallibilitate, ſententiâ.

Prop. v. Vern. pag. 105. Aſſerebat Vernantius, *à ſolis hæreticis, ac ſchiſmaticis peti Concilia, ut perturbandæ Eccleſiæ locus eſſet.* At ſacra Facultas: *Hæc propoſitio univerſim ſumpta, eſt ſcandaloſa, Eccleſiæ Conciliis generalibus, ac ſublimioribus poteſtatibus contumelioſa;* quippè quæ ſæpè Œcumenicis Conciliis congregandis operam dederint, atque ad ea etiam provocârint.

Cùm Vernantius Conciliaris poteſtatis, ac Juriſdictionis fontem in uno

Pontifice collocaret, Facultas ſic ſtatuit: *Hæ ſex propoſitiones, in quantùm aſſerunt, Eccleſiam in Concilio generali congregatam non habere à Deo immediatè juriſdictionem ac autoritatem, falſæ ſunt, verbo Dei & Concilii Conſtantienſis definitioni contrariæ, & olim à ſacrâ Facultate reprobatæ.*

Prop. vj. & ſeq. Vern. p. 358. 721. & ſeq.

Negabat Vernantius, unquam examinatum, aut ulli appellationi fuiſſe ſubjectum id, quod Romani Pontifices decreviſſent; Facultas è contrà: *Hæ quatuor propoſitiones falſæ ſunt, quatenus quædam aſſerunt, & alia innuunt, in nullo caſu à ſummo Pontifice appellari poſſe; ſacræ Conciliorum autoritati detrahunt, ac germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus ſunt contrariæ.* Gallicanam libertatem contra quod Petrus de Marca non ſatis conſultò dixerat, in ſupremâ Conciliorum poteſtate nixam profitentur.

Prop. xij. & ſeq. Vern. p. 100. 244. 279. 428.

Quòd Vernantius diceret, cujuſdam Doctoris de Pontificiâ infallibilitate ſententiam à Facultate eſſe laudatam, id à ſe Facultas amolitur his verbis: *Hæc propoſitio imponit ſacræ Facultati, quæ mentem ſuam aperuit in articulis contra Lutherum, & in declaratione factâ apud Regem Chriſtianiſſimum*, anno 1663.

Prop. xvj. Vern. pag. 241.

Vernantius dixerat, eandem, quam Chriſtus à Patre acceperat poteſtatem, totam in Romano Pontifice eſſe collatam: quæ documento ſunt, quàm hujuſmodi homines cæco & interdùm impio ferantur impetu. At quæ in eam ſententiam congeſſerat, Facultas, *ut ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, & ut verba præ ſe ferunt, blaſphema* rejecit.

Prop. xvij. & ſeq. Vern. p. 53. 128. 145. 243.

De fidei regulâ, quod Vernantius ſcripſerat, Facultas condemnavit his verbis: *Hæc propoſitio, quâ parte aſſerit ſummum Pontificem eſſe veram regulam fidei, temeraria eſt, & in errorem inducens;* quòd nempè *in errorem inducat*, is qui pro regulâ fidei ponat Pontificem, quem infallibilem eſſe non conſtet.

Prop. xxiij. Vern. pag. 128.

Quæ Vernantius de juriſdictione Epiſcoporum à Romano Pontifice profectâ dixerat, Facultas ſic rejicit: *Hæ propoſitiones, quarum duæ priores aſſerunt Apoſtolos non fuiſſe conſtitutos Epiſcopos à Chriſto, cæteræ verò, poteſtatem juriſdictionis Epiſcoporum non eſſe immediatè à Chriſto, falſæ ſunt, verbo Dei contrariæ, & olim à ſacrâ Facultate reprobatæ.* Hactenùs Vernantii cenſuram referre placuit: cætera ad alium locum pertinent.

Prop. xxv. & ſeq. Vern. pag. 44. 49. 376. 382. 384. 388. 397. 455.

Amadæus Guimenius (*gg*) omni recentiorum Caſuiſtarum fæce collectâ, id etiam de Pontificiâ infallibilitate ſcripſerat, *de fide eam eſſe*, atque ita inferebat: *Eccleſia errare non poteſt & conſequenter nec Caput ejus:* quem ſacra Facultas, damnatis opinionum portentis, hâc etiam in parte notandum cenſuit his verbis: *Doctrina his propoſitionibus contenta & illata, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus contraria, Univer-*

Cenſ. Guimen. D'arg. &c. & ap. Guim. de Bapt. prop. ij. n. 4. p. 177.

(*gg*) *Amadæus Guimenius*,] ſive potiùs Mattheus DE MOYA Jeſuita Audomarenſis, hunc impium juxtà & impudicum librum Lugduni edidit, *cum approbationibus Hieronymi la Cluana è Societate Jeſu, Luyſii à Valentiâ Provincialis Capucinorum*, & duorum Carmelitarum; quem librum cum ſuis cenſuris configeret ſacra Facultas 3. Febr. 1665. verita exſcribere impudiciſſimas propoſitiones, ſic cenſebat: *Hæ propoſitiones, quas ſacra Facultas verbis tantùm initialibus deſignandas de induſtriâ judicavit, ut modeſtiæ & pudori caſtarum aurium ac mentium conſuleret, ſunt turpes, ſcandaloſæ, propudioſæ, nefandæ, piarum aurium offenſivæ, atque ab Eccleſiâ & ab omni hominum memoriâ prorſus abolendæ.* Collect. judic. &c. D'ARGENTRÉ tom. iij. p. 114.

ſitatibus, Theologicis Facultatibus ac orthodoxis Doctoribus contumelioſa, anno 1665. Sic duæ cenſuræ adversùs Vernantium & Guimenium proceſſerunt. Confutati acriter, quòd noſtra damnabant; quòd autem contraria ſequerentur, coërciti tantùm, ſed pro innatâ Gallis, ac noſtræ Facultati modeſtiâ, nullâ hæreſeos aut etiam erroris notâ inuſti ſunt.

Has igitur cenſuras noſtrâ memoriâ accuratiſſimas atque elaboratiſſimas, ſummâque moderatione libratas eſſe conſtat; nec tamen defuere, qui Alexandrum VII. adversùs modeſtiſſimam Facultatem, antiqua & probata tuentem, inſtigarent.

Vid. Dup. xvij. ſæc. Ille igitur ad Regem adversùs Sorbonicas cenſuras gravem expoſtulationem habuit, datis literis *(bh)* 6. Aprilis anno 1665. At Rex prudentiſſimus, nihil ſe commovit, gnarus ſcilicet impoſitum fuiſſe Pontifici, ac Sorbonicos priſcæ ſententiæ inſtitiſſe.

*25. Junii. Anno 1665. * Bulla Romæ prodiit, quâ cenſuras adversùs Vernantium & Guimenium, *uti præſumptuoſas, temerarias, atque ſcandaloſas, caſſas & irritas declarabat, defendique & allegari ſub excommunicationis pœnâ Apoſtolicâ autoritate prohibebat; ulterius judicium de prædictis cenſuris, deque opinionibus in libris Jacobi Vernantii & Amadæi Guimenii ſibi & ſedi Apoſtolicæ reſervabat.* Gravis ea reſervatio videbatur quâ ferre cogeremur interim, quæ adversùs Hierarchiam ac mores dudùm invaleſcerent portenta opinionum, neque minùs periculum quòd Theologicæ Facultates, ipſique adeò Epiſcopi tanto in Eccleſiæ diſcrimine elingues fierent.

Grave item illud, quod erat in Bullâ de Vernantii & Guimenii opinionibus dictum, præſertim iis *quæ ad actionum moralium regulam* pertinerent; *nempè eas opiniones & graviſſimorum Scriptorum autoritate & perpetuo Catholicorum uſu nixas;* quod Eccleſiæ Catholicæ maximo dehoneſtamento verteret.

Hoc Pontificium diploma, tametſi non erat ad nos ſolenni more miſſum; Roma tamen in privatarum epiſtolarum faſciculis pervenit in Galliam.

Deputati à Facultate qui rem examinarent, conſtitit apud omnes, diploma Pontificium Inquiſitionis eſſe opus; editum quippè, non de Fratrum conſilio in publico Conſiſtorio, ſed *auditis ſuffragiis Cardinalium in totâ Republicâ Chriſtianâ generalium Inquiſitorum*: qualia nemo unquam in Galliâ admiſit, præſertim cum illâ clauſulâ, *motu proprio*, quam novam & priſco jure incognitam, maximè in fidei quæſtionibus Gallicana Eccleſia non admittit.

Certum erat & illud, ùt etiam optimâ formulâ conſtaret, nequidem ad nos pertinere Bullam, quæ more ſolenni miſſa non eſſet; neque ipſi Pontifici eam mentem ineſſe ut Gallos obligaret, iis ritibus prætermiſſis *(ii)*, qui antiquo Gallorum, imò totius Eccleſiæ jure nitantur.

Itaque

(bh) datis literis.] Regii juris cognitores, qui Breve legerant juſſu Regis, hæc ipſi retulerunt: ſacram Facultatem ſic ſe geſſiſſe, ut laudare eam potiùs Curia Romanâ, quam de eâ conqueri debuiſſet.

(ii) ritibus prætermiſſis &c.] Multa inſipienter dicunt & ridiculè de Pontificiis Bullis Ultramontani; & hoc imprimis: Chriſtianos omnes, Indos quoque, his Bullis parere debere, ſtatim atque ad valvas Apoſtolorum & in campo Floræ affixæ fuerunt; quaſi veri, quibus poſitiva lex nota non eſt nec eſſe poteſt, ei jubeantur obtemperare. Verùm ipſa

Conciliorum

Itaque Facultas quieſcendum rata: Rector Academiæ admonitus, ſacræ Facultati ſpopondit ſuam & Univerſitatis operam minimè defuturam, more Majorum, ſi quid gravius contingeret; Senatus Bullam divulgari vetuit; neque ulteriùs proceſſit negotium. Itaque cenſuræ ſuo apud nos loco ſteterunt: Bulla annumerata iis, quæ ignota, nihil ad nos pertinerent.

* Edicto 29. Jul. 1665.

Qui hæc perpenderit facilè intelliget, ſacræ Facultati cum Clero Gallicano maximè convenire; Clerique Declarationem anni 1682. ex intimâ ipſius Facultatis, imò Eccleſiæ totius Gallicanæ doctrinâ eſſe depromptam; ac ſi quid difficultatis obortum eſt, (kk) id non ex ipſo dogmate provenire, ſed ex aliis rebus, quæ nihil ad rem noſtram pertinent.

Quare ſacra Facultas, priſcis inſiſtens veſtigiis, condemnavit deductam ad examen ſuum juſſu Senatûs hanc cenſuræ Hungaricæ propoſitionem: *Ad ſolam ſedem Apoſtolicam Divino & immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare*; quâ de re ſic cenſuit: *Hæc propoſitio, quatenùs excludit ab Epiſcopis & Conciliis etiam generalibus, de fidei controverſiis autoritatem, quam habent immediatè à Chriſto, falſa eſt, temeraria, erronea, praxi Eccleſiæ adverſa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans aliàs à Facultate reprobatam.* 18. Maii anno 1683.

Cenſ. Facult. Pariſ. adv. cenſ. Arch. Strig. int. varia ſcript. vind. Maj. Schol. Pariſ.

Hæc doctrina Facultatis quam neceſſariò cum universâ Declarationis Gallicanæ doctrinâ ſit conjuncta, ex relatis ſacræ Facultatis decretis manifeſtum reor. Sed antequàm ad alia me convertam, eximam oportet eum, qui quorumdam animis hæret ſcrupulus.

Conciliorum generalium decreta non habentur pro legibus apud Chriſtianos, niſi ſolenni ritu promulgata fuerint, id eſt inquiſitione factâ ac prolato Epiſcoporum & Eccleſiarum judicio, quo certum fiat ea decreta Concilii verè Œcumenici ſetum eſſe. Quapropter ſub Carolo Magno & Ludovico Pio, nondum in Galliâ promulgatam vij. Synodum de cultu ſanctarum imaginum, Gallicani Præſules innoxii repudiârunt. Vid. de eâ re admon. Jac. Sirm. Soc. Jeſ. in Conc. Francof. tom. vij. Conc. Labb. p. 1054. Ea quoque cauſa fuit cur Hiſpani vj. Synodo interceſſerint. Vid. Conc. Tolet. xiv. & inf. ap. D. Bossuet lib. vij.

(kk) *ſi quid difficultatis obortum eſt.*] Curia Pariſienſis, poſtquàm diploma regium *de Declaratione* in ſuos commentarios retulerat, edicto juſſerat, ut ea Declaratio in Scrinia ſacræ Facultatis referretur, quod quidem factum eſt 2 Maij 1682. Sed quando relectum eſt decretum, quidam dixerunt delegendos eſſe xiv. Doctores, qui in Declarationem inquirerent. Quamquam enim ea *ex intimâ ipſius Facultatis doctrinâ eſſet deprompta*, Facultas verebatur, ne relatio facta extraordinario modo juſſu Curiæ, quid detrimenti ipſius juribus afferret. Facile compoſita eſt hæc controverſia, & deinceps Baccalaurei Declarationis capita publicis theſibus defenderunt.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

An ſententia de potiore Concilii poteſtate, Regum juribus ac poteſtati noceat: THOMÆ CORCELLÆI *reſponſum: Propoſitio* JOANNIS HUSSI *in Conſtantienſi Concilio condemnata.*

NEMPE objiciunt, Regnis ac Regibus periculoſam eſſe noſtram ſententiam. Si enim ſpiritualis Princeps Pontifex, Eccleſiæ & Concilio ſubſit; ſubeſſe multò magis Regno ac generalibus Regnorum Conventibus temporales Reges: quo maximè argumento in antiquam ſententiam Reges incitare conati ſunt. Sed Thomas Corcellæus id ab Eugenii Legatis objectum, reſponſo edito * coram Regni Principibus, ipſoque Carolo VII. Rege ſic ſolvit: *Nec ullatenùs ſunt audiendi, qui ad alliciendum Reges & Principes, in contrarium autoritatis Conciliorum dicunt quòd ſi Concilia generalia poſſent corrigere & deponere ſummos Pontifices, pari ratione quòd populi haberent corrigere & deponere Principes ſæculares. Qui enim talia dicunt manifeſtè autoritatem Conciliorum, & declarationem fidei ſuper hoc factam deſtruunt, non plus tribuentes autoritatis ipſi Congregationi Eccleſiæ, quàm uni Communitati ſæculari. Clarè quoque negant, Concilium habere autoritatem à Chriſto immediatè, cùm ipſum ſic comparant Communitati ſæculari, quæ non habet autoritatem à Chriſto corrigendi aut puniendi Principem ſuum. Sed benè inſpiciant definitiones Concilii Conſtantienſis, reperient in hoc magnam differentiam; nam ipſum Concilium Conſtantienſe reprobavit illum articulum XVII. inter articulos Joannis Huſſi contentum,* QUÒD PRINCIPES HABERENT PUNIRI AD ARBITRIUM POPULI, *& tamen alterum probavit;* QUÒD CONCILIUM GENERALE HABET POTESTATEM IMMEDIATÈ A CHRISTO, *&c. Et hoc etiam apparet ex ſacris Scripturis, cùm Chriſtus ipſe aſſignans differentiam inter hoc & illud, dicat:* REGES GENTIUM DOMINANTUR EORUM, VOS AUTEM NON SIC: *& Beatus Petrus in Canonicâ dicit de Paſtoribus:* NON UT DOMINANTES IN CLERIS, SED FORMA FACTI GREGIS. *Doctores quoque lucidè declarant, quomodò Papa non eſt dominus rerum Eccleſiæ, ſed miniſter. Valdè quoque extraneum eſt, & à veritate alienum dicere, quòd non plùs ſpiritualitatis reperiatur in Congregatione legitimâ Eccleſiæ, quàm in unâ Communitate ſæculari, aut non ſpecialior aſſiſtentia Spiritûs ſancti, de quo Chriſtus ad ipſam dixit:* MITTAM VOBIS SPIRITUM VERITATIS, UT MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM.

* Biturigibus.

Preuv. des Libert. &c. part. ij. cap. xij. n. 4. p. 23.

Luc. xxij. 25. 26.

1. Pet. v. 3.

Joan. xiv. 16.

Quin ipſe Richerius in ſuâ defenſione ſic ait: *(II) Ut quid ergò imponere Richerio, quòd ſuſtineat Concilium generale eſſe ſupra Papam, quia, vel, ſicut Comitia generalia Regni ſunt ſupra Regem? Numquam hoc venit in mentem*

(II) Hæc verba, quæ nonnullam obſcuritatem habent, nuſquam reperimus in Richerii defenſione.

Digitized by Google

Richerio. Adulatores Curiæ Romanæ, quorum etiam in Sorbonâ non exiguus eſt numerus, hoc effinxerunt, ut non ſolùm Richerium, ſed fideliſſimos Regum ſervos & ſubditos odioſos redderent ipſiſmet Regibus, quamvis illorum jura contra Romanam Curiam tueantur.

Quòd autem quidam etiam Pariſienſes aliud docuerint nihil moror; ſuoque loco oſtendemus fuiſſe profectò tempus, quo totus ferè Orbis in ſummâ Juris publici ignoratione verſaretur; quam imperitiam poſtera ætas ſuperioris ævi Traditione meritò emendavit: nec mirum Pariſienſes quoſdam in re extra fidem unà cum aliis erràſſe. Nego tamen omnes: nego hoc fulcimento nixos tribuiſſe Conciliis potiorem poteſtatem: nego Facultatem: nego Conſtantienſe Concilium peſſimo argumento uſum: nego hoc detracto, ſententiæ veritati ac firmitudini detractum eſſe quidquam. Alia ſuppetebant, quæ Thomas Corcellæus optimè enarravit. Imò, ut idem Corcellæus demonſtravit, ſacrum illud Concilium, à quo maximè ſupra Pontificem Conciliorum evecta eſt autoritas, damnavit inſanam ſententiam * quæ Reges Regnis ſubjiceret, non Regna Regibus: adeò conſtabat ratione diverſiſſimâ conſtitutas humanam ac divinam civitatem. Itaque hæc, quæ creandæ invidiæ objiciuntur, omittamus. Eccleſiæ à Deo conſtitutæ & gubernatæ regimen, non ex mundani Regni ratione, ſed ex Dei revelatione, atque ipſius Eccleſiæ decretis, ex Patrum Traditione æſtimemus.

* Joannis Huſſi.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

ERRATA Tom. I.

PAg. 15. *Not. lin.* 8. De Bron *leg.* De Brou.
37. *l.* 27. vitiligatione *leg.* vitilitigarione.
46. *l.* 33. morebimus *leg.* memotabimus.
Ibid. l. 36. corporis *leg.* corpori.
114. *l.* 2. *hominunm* leg. *hominium.*
180. *n. l.* 5. Florentini *leg.* Florentino.
181. *l.* 13. dicernat *leg.* decernat.
226. *l.* 25. retinentem *leg.* renitentem.
228. *l.* 9. *Eccleſia* leg. *Eccleſiæ.*
229. *l.* 39. *Exautoratio* leg. *Exauctoratio.*
265. *l.* 11. ſalſum *leg.* falſum.
299. *l.* 1. Claramontani *leg.* Claromontani.
333. *l.* 27. Circuncellionum *leg.* Circumcellionum.
344. *l. ult.* vulgatam. *leg.* vulgatam,
374. *l.* 9. inſolito *leg.* inolito.
410. *l.* 15. præfacte *leg.* præfracte.
440. *l.* 18. liberum *leg.* librum.
444 *l.* 19. poterit *leg.* potuerit.
452. *l. ult.* Flo renino *leg.* Florentino.
464. *l.* 36. qui *leg.* quid.
465. *l.* 38. facta *leg.* fata.
505. *l.* 36. quàm ex juſtis *leg.* quàm juſtis.

320

Digitized by Google

